1685

8
8 L
13
J. n7

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIONES
S. THOMÆ ET SCOTI
IN TERTIVM SENTENTIARVM

Cum differentijs inter vtrunque, textibus vtriuſq; fideliter productis, ſententijs ſubtiliter examinatis,

DE INEFFABILI ET ALTISSIMO INCARNATIONIS Myſterio, & alijs continentibus,

CVM APPARATV AD IDEM MYSTERIVM, & Tractatu de Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione, de Adoratione, & Inſtitutione Vitæ Apoſtolicæ.

TOMVS SINGVLARIS

Opus accuratiſſimum, auctum & locupletatum.

AVTORE

P. FR. FRANCISCO

A S. Auguſtino Macedo Ordinis Minorum Obſeruantiæ Luſitano: Magiſtro Conimbricenſi: Lectore bis Iubilato: Profeſſore Patauino: Veneto Ciue.



PATAVII. MDCLXXXV.

Apud Cadorinum, *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

DI. DO. SAC. CÆS. AVGVSTÆ ELEONORÆ IMPERATRICI.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

VNi Maieſtati tuæ, AVGVSTA IMPERATRIX ELEONORA, in celſiſſimo rerum humanarum faſtigio conſtitutæ, omnibus hoc fuit opus rationibus nuncupandum. Cùm enim illud verſetur circa altiſſimum Diuinæ Incarnationis Myſterium, quo nullum eſt ſublimius in ſuperis Sacramentum: non debuit alij, quàm ei, quæ Maieſtatis apicem in terris obtineret, perſonæ conſecrari. Cur autem Maieſtati potius tuæ, quàm Cęſareæ congrueret illa ratio effecit, quòd illius tractatio cum argumento Immaculatæ Beatæ Virginis Conceptionis eſſet coniuncta: & ipſum illud ſuſceptæ à Verbo naturæ humanæ Myſterium ad eandem Virginem Matrem, in cuius patratum eſt vtero, pertineret. Itaq; Conceptio Chriſti tota in gloriam Deiparæ, quæ Theotocos extitit, gloriam redundauit. Cùm præſertim Maieſtas Auguſta Tua duobus hiſce myſterijs mirè addicta ſit, nec obſcurè ſignificet ſibi cordi eſſe Immaculatæ Conceptionis memoriam conſecrari, ad idque ſuam præſentiſſimam promittat operam, ac recipiat huius authori tractatus patrocinio ſe futuram. Imperatrici ergo quod erat proprium Cęleſtis Imperatricis opus maxime congruebat. Et quidem ſi habenda eſt ratio ſimilitudinis, inter vtriuſque maieſtatis, ſeruato quatenus, *perſonas ſimilitudo non parua intercedit. Quemadmodum enim illud Incarnati Verbi Myſterium mirabile eſt, ac ſingulare, Auguſtino auctore, quòd rationem ſuperet, nec ante præcipi humanæ viribus mentis poſſet, quàm patratum à Diuina Omnipotentia fuiſſet, ac prius in factum incurriſſet, quam fieri poſſe cogitaret, quo extitit mirabile; ac rurſus nihil vnquam ſimile viſum eſſet, vnde peteretur exemplum, quo euaſit ſingulare, ita neque ante auguſtam tuam O IMPERATRIX ELEONORA, Maieſtatem quicquam inter mortales vidit Orbis perfectius, nec excogitare potuit, aut cogitare, aut ſperare niſi præſens, factumque aſpexiſſet, quapropter miraculum iudicauit; iterum cum nihil ſimile in rebus humanis, parue comperiſſet: ac in Maieſtate tua illam ante omne exemplum inſpexiſſet, ſingularem propterea exiſtimauit. Hanc prærogatiuam Incarnato Verbo Auguſtinus attribuit.* Si quæris, *inquit*, rationem Epiſt. 3.

ſ 2 non

non erit mirabile: ſi exemplum non erit ſingulare. *Altitudo Myſterij rationem ſuperat, & exemplum excludit. Qui rationem quærere molitur, is demoliri tentat opus. Qui ſimilitudinem ſtudet adſtruere, is conatur deſtruere. Huiuſmodi prærogatiuam Matri ſuę Chriſtus impertijt, cumque ea communicauit. De qua Eccleſia canit:* Sola ſine exemplo, *ac rurſus:* Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. *Participat hanc Dei beneficio laudem* Maieſtas *tua, in quam eiuſmodi animi, & corporis dotes confluxerunt, vt nemo eas aut pares, aut ſimiles vel legendo, vel ratiocinando inuenire, aut excogitare poſſit. Tunc ſibi perſuaſit non eſſe adynaton fore, cùm in Maieſtate tua ineſſe cognouit, Nata es miraculo propior, quàm naturæ. Viciſti famam, ſuperaſti expectationem, incuſaſti ſpem, vota fefelliſti, quæ ſimile quiddam cæteris mortalibus expectabant. Prodijſti in lucem Idea, alijs datura, non ex alijs ſumptura exemplum.* Nobilitas, *cuius origo præ antiquitate ignoretur. Virtus quæ mediocritatem non ferat, indignetur extrema, quòd eſt Heroica, & diuinum quiddam præſeferat. Anguſtias terminorum, qui circumſcribunt ſphæram tam Auguſtę perſonæ, quæ immenſitatem appetit, minimè patitur. Ex compacto omnes, quotquot ſunt, præclaræ dotes in te confluxerunt, ſollicitæ ne ſi qua deeſſet ea opinionem virtutis amitteret. Cunctarum capax extitit Maieſtas Tua ęternitati par. Eſt vbi in arcto pugnant dotes, ſeque excludunt, qua eo non capitur multitudo, nec magnitudo virtutum. Obruitur numero, mole opprimitur. Secus Maieſtatis animus Tuę propter amplitudinem admiſit omnium concurſum virtutum, quas recepit, ac fouit; imo & viſus eſt arguere paucitatis, quòd ſupererat campus ad plures, ſi iuſtum numerum non implerent. Sicut fluuij, ac torrentes ſe ſe non capiunt in decurſu ad Mare, & diuerſi abeunt ſuis contenti alueis, anguſtis caſtigati ripis, poſtquam verò mare intrant ſeque ei committunt, in vnum confluunt, & in immenſa illa vaſtitate quieſcunt, nec ſe excludunt, ſed ferunt, ita & in ſinu Maieſtatis tuæ confluentes dotes tanquam in immenſo pelago tranquillè conſiſtunt, & amiſſa diuerſitate excipiunt ſe ſe, ac comitantur; itaque in auguſto Maieſtatis tuę animo fit ex concurſatione concurſus, & ex contentione conſenſio. Concinunt inter ſe quoad corporis habitum pulchritudo, & venuſtas: decor, & lepor: ſuauitas, & dignitas: habilitas, ac Maieſtas. Quoad animum ingenij candor, & ſolertia: indoles celſa, & ſuauis; animus generoſus, & pius: grauitas humana, humanitas grauis: benignitas ſeuera: ſeueritas benigna: cum indulgentia temperatio, cum moderatione magnificentia, cum facilitate altitudo, honeſtas cum* Maieſtate *concordat. Vni tibi, ò Imperatrix, contigit candidatas ambitione tui virtutes habuiſſe. Alij quippe ornantur virtutibus, tu ornas virtutes, Par Virgini Cęleſti ſigno, ſiue miraculo magno, quod apparuit in Cęlo, quam omnia prorſus lumina ambitioſè occuparunt. De quibus eleganter dixit Bernardus ſuſcepto ſtudio affluxiſſe, & affulſiſſe, non tam illuſtratura Virginem, quàm à Virgine illuſtranda. Concordes aduenerunt amore loci: ſed mox de principatu inter ſe certarunt, quaſi quæ magis emineret, ea cæteris videreur imperare. At in Imperatrice pares eſſe oportebat, vt nulla inferior, nulla ſuperior cùm in ſummo collocatæ eſſent, exiſteret. Excuſandus tamen ambitus fuit,* [In c. 12 Apoc.]

quod

Digitized by Google

quòd cum tam ſe altè efferri viderent, intumeſcere, ac ſuperbire quodammodo cæperunt, ſeque loci exiſtimatione metiri voluerunt. Renouatum eſt miraculum illud ſacrum Mecum ſunt opes ſuperbæ, & Iuſtitia. *Ex dignitate perſonæ neſcio quid maius, quàm pro humano habitu præſumebant. Blandiebantur ſibi de altitudine loci, & dignitate perſonæ, cui inerant, & ad propriam præſtantiam vertebant; ac erat illa iuſta ſuperbia, quę in loci gloriam redundabat. Vide quanta vis illius virtutis fuit, quæ vitiorum maximum ſuperbiam tranſtulit in Iuſtitiam nobiliſſimam virtutem? Certè ſi in excelſo vitia nocent, & virtutes in ſummo proficiunt, hoc Maieſtatis tuæ proprium erat prodeſſe Chriſtianæ Reipublicæ. Propterea te Superum prouidentia, è Principe quidem, ſed priuato loco ad Imperium; ſiue ad Emporium vniuerſi Orbis eduxit, vt in commune innumeras dotes conferres. Itaq; ſteriles thalamos fæcundaſti: minutam capite ſucceſſionis Imperatorię aulam creſcente Ioſepho, ac primogenito auxiſti: exareſcentem Auguſtam Auſtriacam Stirpem Neoburgenſis clariſſimi ſanguinis profluuio irrigaſti; & ſpem futuræ ſobolis propè emortuam ſuſcitaſti; Imperatoriam Domum iteratarum mortium terrificis monſtris pallentem, & funebribus cinctam cupreſſis, inductis vitæ luminibus Palatinam, immo & ſatis triumphalibus lauris Capitolinam reddidiſti, & ſtantem in palatio, ſicuti Statorem Iouem in Monte Palatino, felicitatem collocaſti. Beaſti Orbem puerperio iſto tuo. Congratulatio facta eſt omnium gentium, quòd is fætus ad totius vniuerſitatis bonum pertineret. Arriſiſti filiolo, & cuncta tibi ſydera arriſerunt. Regia, cui tenebroſa nox incubuerat te ingrediente fulſit, ac pręſe tulit diem. Vnde ſolum verterat, & vbi ſemilunæ errabant, vmbrarum inſtar, ibi Maieſtas tua Solem peperit, & quidem creſcentem, & auctum: mirabili prodigio, vt cùm Sol Lunam illuſtret, & augeat, à Luna verſa vice Sol illuſtretur, & augeatur. Plauſere Aquilæ aduenienti Soli, quæ in noctuas degenerauerant, & in Palatino Leone Solem ſuum viderunt, ſeque Aquilas probarunt. Hinc ego opportunè omen accepi. Obſeruaui quippe Solem eſſe Symbolum ſapientiæ: Aquilam ſapientis, quæ per oculos eruditur, dum radijs illuminatur; & recordatus ſum illius* Aquilæ magnarum alarum *apud Ezechielem medullæ cedri inhærentis; & mihi perſuaſi Maieſtati tuæ congruere ſtudia ſapientiæ, illa præſertim quæ Cæli medullam continerent. Sunt autem hæc quę in hoc libro traduntur. Agitur enim de Beata Virgine Maria, quæ Cedrus eſt exaltata in Libano, & medulla eius, hoc eſt fructu eiuſdem ventris Chriſto, quem concepit de Spiritu Sancto Virgo puerpera, integro propter virginitatem Corpore, ſicut concepta fuerat immaculata in ventre Matris Annæ, ſine vlla peccati originis labe. Itaque de Incarnatione filij, & Immaculata Conceptione Matris tomus hic eſt compoſitus; quibus duobus fidei* Myſterijs *Maieſtas tua ſingulari ſe pietate addixit, deuouitque; nec dubito quin tibi grata futura ſit nuncupatio, hac pręſertim ętate, in qua communibus pene omnium votis difinitio Immaculatę Conceptionis deſideratur, & precibus expoſtulatur: quibus ſi* Maieſtas *faueat tua, haud difficulter, ſecundo Numine, obtinebitur.* Æquum eſt *Imperatricem inferioris mundi, ſuſcipere cauſam Imperatricis vtriuſque mundi, & apud* Summum Pontificem *cauſam agere; quemadmodum*

alias

alias pias, & Eccleſiaſticas cauſas olim in Eccleſia Catholica aliæ Imperatrices ſuſceperunt, egeruntque. Extant in Hiſtorijs Eccleſię acta pręclara Helenę Conſtantini Magni Matris apud Syluestrum in Concilio Niceno, Gallę Placidię ſororis Honorij, & Licinię Eudoxiæ Auguſtæ apud Cęleſtinum in Concilio Epheſino, & Pulcheriæ Sororis Theodoſij minoris Auguſtæ apud Leonem Magnum in Concilio Chalcedonenſi, & Irenes Ma*tris Conſtantini Auguſtę apud Adrianum primum in Synodo Septima. Quibus ego inſtructus, & munitus exemplis meum conſilium firmo, &* Maie*ſtatis tuæ pręſidium, & protectionem affirmo. Decet tuam, O Eleonora, Maieſtatem Auguſtam quod decuit tot ante te Imperatrices, pias, & auguſtas, Maieſtates. Me verò nemo vel audaciæ, vel inſolentię inſimulare poterit, quin Sacram, & Eccleſiaſticam conſuetudinem criminetur, imo ſpero vt mihi habendę ſint gratiæ, quòd Sanctę illius conſuetudinis homo à puero in sacris verſatus litteris memoriam renouarim.*

Valeat Auguſta Maie*ſtas tua cum Auguſto Coniuge, & Auguſta* Prol*e in annos plurimos, quos auguror feliciſſimos.*

Majeſtatis Tuæ

Mediaſtinus
Franciſcus a S.Auguſtino Macedo.

Digitized by Google

INDEX

Collationum, Differentiarum, Sectionum.

In apparatu. Quæſtio ſingularis.

Caput Primum.

An, & quomodo, & quatenus Verbum Dei ſit inuiſibile, & viſibile?

Caput ſecundum.

Filium ſecundum diuinitatem omnino inuiſibilem; ſecundum humanitatem prorſus viſibilem eſſe.

Caput Tertium.

De hæreſibus antiquis circa Verbum Dei viſum, ſiue incarnatum.

Caput Quartum.

Neſtorij perſona, & error deſcribitur.

Caput Quintum.

Quis & qualis fuerit error Eutychetis?

Caput Sextum.

De nouis hęreticis circa Chriſti Domini Incarnationem.

Caput Septimum.

Hæreſis Apollinaris refellitur.

Caput Octauum.

Refutatio erroris Apollinariſtarum.

Caput Nonum.

Hæreſis Neſtorij refutatur.

Caput Decimum.

Proponitur Catholica ſententia.

Caput Vndecimum.

Solutis argumentis Neſtorij, noſtra ſententia aduerſus illum Catholica confirmatur.

Caput XII.

Eutyches erroris conuincitur.

Caput XIII.

Verum, et humanum in Chriſto fuiſſe corpus; non phantaſticum, aut cæleſte oſtenditur.

Caput XIV.

Duę Neſtorij circa duas perſonas; & Eutychetis circa vnam naturam, in Chriſto hæreſes acuratiſſimè refutãtur.

Caput XV.

Adducitur Concilium Hiſpalenſe. II.

Caput XVI.

Schema Concilij Epheſini.

Caput XVII.

Schema Concilij Chalcedonenſis.

INDEX COLLATIONVM.

Collatio I. de myſterio Incarnationis.

Differentia I.

De ſuppoſito quidnam ſit?

Sectio I.

Proponuntur Doctorum ſententiæ.

Sectio II.

Quomodo intelligant D. Thomam Thomiſtæ, & Scotum Scotiſtæ, & ſequaces de ratione in qua conſiſtat ſuppoſitorum?

Sectio III.

Argumenta pro Thomiſtarum de poſitiuo ſententia.

Sectio IV.

Argumenta pro Scoti ſententia de negatiuo.

Sectio V.

Soluuntur argumenta contraria negatiuo.

COLLATIO PRIMA.

Differentia II.

Super controuerſiam Vtrum tres perſonæ poſſint aſſumere eandem naturam?

Sectio I.

Producuntur textus Doctorum.

Sectio II.

Proponitur, & munitur ſententia S. Thomæ Auctoritate, et ratione.

Sectio III.

* Oppoſita

Oppoſita negans Scoti Doctrina aſſertur, & roboratur.
Sectio IV.
Diluuntur argumenta Thomiſtarum.
Sectio V.
Vtrum ad Diuinam naturam abſolutam ſecundum communẽ ſubſiſtentiam poſſit fieri aſſumptio naturæ creatæ?
Sectio VI.
Vtrum vna perſona diuina poſſit aſſumere plures naturas?
Collatio I. Differentia III.
Vtrum ſuppoſitum creatū poſſit ſuſtentare hypoſtatice aliam naturam creatam?.
Sectio I.
Proponitur ſententia vtriuſque.
Sectio II.
Affertur ſententia Thomiſtarum negatiua, & ſuadetur.
Sectio III.
Argumenta quæ probant partem affirmantem Scotiſtarum afferuntur.
Sectio IV.
Reſpondetur argumentis Thomiſtarū.
Collatio I. Differentia IV.
Circa rationem formalem terminandi vnionem Hypoſtaticam.
Sectio I.
Quid ſentiat D. Thomas, et Scotus?
Sectio II.
Oppugnatur ſentẽtia S. Thomæ accepta in ſenſu horum Thomiſtarum.
Sectio III.
Eadem ſententia redarguitur in ſenſu S. Thomæ.
Sectio IV.
Conſtare terminum formalem aſſumptionis eſſe proprietatẽ Verbi relatiuā.
Collatio II. Differentia I.
Circa vnionem hypoſtaticam.
Sectio I.
Animaduertuntur quædam, & mens Doctorum inquiritur, & aſſertur.
Sectio II.
Terminum formale aſſumptionis eſſe, quid abſolutum ſentiunt Thomiſtæ cum Caietano.
Sectio III.
Vnionem ipſam naturæ humanę ad ſuppoſitum diuinum eſſe immediatam, & formalem rationem illius ineffabilis compoſiti, quam relationis Scotus appellauit.
Sectio IV.
Vtrum hæc vnio, ſiue relatio ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, accuratè diſquiritur?
Sectio V.
Quid ſentiendum ſit in Schola Scoti de huiuſmodi vnione?
Iudicium.
Collatio ſecunda Differentia II.
De dignitate vnionis Hypoſtaticæ.
Sectio I.
Adducuntur ſententiæ Magiſtrorū.
Sectio II.
Proponitur ſententia D. Thomæ ſicuti vulgò intelligitur.
Sectio III.
Oppoſita ſententia probatur.
Sectio IV.
Argumentis oppoſitis reſpondetur.
Sectio V.
Vtrum hæc vnio in ratione doni ſit maxima?
Sectio VI.
Vnionem beatificam in ratione doni nō eſſe minorem hypoſtatica oſtenditur.
Sectio VII.
An cum vnione hypoſtatica tam ſit cōiuncta fruitio, & ſine ea ſtare nequeat?
Iudicium.
Collatio II. Differentia III.
Sectio I.
Inquiritur mens S. Thomæ, & ſtatus quæſtionis proponitur.
Sectio II.
Afferuntur argumenta Scoti ad probandum poſſe aſſumi, ſi perſonalitas con-

Digitized by Google

Conſiſtat in poſitiuo.

Sectio 3.

Reſponſiones Caietani ad hæc argumenta proferuntur, & refelluntur.

Sectio 4.

In ſententia Scoti de ſubſiſtentia per duas negationes omnes hactenus adductæ obiectiones facile, & aptè ſoluuntur.

Sectio 5.

Vtrum in natura humana aſſumpta detur appetitus ad propriam ſubſiſtentiam?

Iudicium.

Collatio Secunda Differentia IV.
De Cauſa, & Fine Incarnationis Filij Dei.

Sectio prima.

Inueſtigatur mens Doctorum.

Sectio 2.

Affertur, & ſuadetur S. Tho. ſētentia.

Sectio 3.

Proponitur, & probatur Scoti ſentētia.

Sectio 4.

Argumenta Thomiſtarum diluuntur.

Sectio 5.

Quid reſpondent Thomiſtę argumentis Scoti?

Sectio 6.

Duæ difficultates emergentes opprimuntur.

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia I.
Circa ſtatum, & meritum Incarnationis.

Sectio I.

De decreto Incarnationis Verbi, & Prædeſtinatione Matris Virginis Mariæ ante præuiſionem peccati.

Sectio 2.

De prædeſtinatione Chriſti Domini, & B. Marię Virginis poſt præuiſionem peccati.

Sectio 3.

An Chriſtus, & B. Virgo potuerint mereri vnionem, & maternitatem?

Sectio 4.

Vtrum Chriſtus, vti ſubſiſtens, potuerit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam?

Sectio 5.

Aſſeruntur argumenta contraria ſententiæ, & ſoluuntur.

Sectio VI.

Quid tandem meruerit Chriſtus, ac eius Mater, & Patres Antiqui?

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia II.
Vtrum B. Virgo, ſit vere, ac proprie Mater Dei?

Sectio I.

Vtrum B. Virgo concurrerit actiue ad Generationem Chriſti?

Sectio 2.

Quis ordo fuerit incarnandi, & quæ fuerit ratio vniendi Humanitatem?

Sectio 3.

Vtrum humanitas Chriſti exiſtat per propriam ſuam, an per alienam verbi exiſtentiam?

Sectio 4.

Vtrum in Chriſto ſit vnum eſſe, vel multiplex, & an duo vel plura dici poſſit?

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia III.

Sectio prima.

An ſint in Chriſto duæ filiationes?

Sectio 2.

Scoti ſententia de duobus filiationibus proponitur, & probatur.

Sectio 3.

Argumenta contraria diluuntur.

Sectio 4.

Vtrum Chriſtus ſit filius naturalis, an adoptiuus.

Sectio 5.

Vtrum, & quatenus Dogma de Adoptione Chriſti damnatum ſit ab Eccleſia Catholica.

Digitized by Google

Oppoſita negans Scoti Doctrina aſſertur, & roboratur.
Sectio IV.
Diluuntur argumenta Thomiſtarum.
Sectio V.
Vtrum ad Diuinam naturam abſolutam ſecundum communẽ ſubſiſtentiam poſſit fieri aſſumptio naturæ creatæ?
Sectio VI.
Vtrum vna perſona diuina poſſit aſſumere plures naturas?
Collatio I. Differentia III.
Vtrum ſuppoſitum creatũ poſſit ſuſtentare hypoſtatice aliam naturam creatam?.
Sectio I.
Proponitur ſententia vtriuſque.
Sectio II.
Aſſertur ſententia Thomiſtarum negatiua, & ſuadetur.
Sectio III.
Argumenta quæ probant partem affirmantem Scotiſtarum afferuntur.
Sectio IV.
Reſpondetur argumentis Thomiſtarũ.
Collatio I. Differentia IV.
Circa rationem formalem terminandi vnionem Hypoſtaticam.
Sectio I.
Quid ſentiat D.Thomas, et Scotus?
Sectio II.
Oppugnatur ſentẽtia S.Thomæ acceptain ſenſu horum Thomiſtarum.
Sectio III.
Eadem ſententia redarguitur in ſenſu S.Thomæ.
Sectio IV.
Conſtare terminum formalem aſſumptionis eſſe proprietatẽ Verbi relatiuã.
Collatio II. Differentia I.
Circa vnionem hypoſtaticam.
Sectio I.
Animaduertuntur quædam, & mens Doctorum inquiritur, & aſſertur.
Sectio II.
Terminum formale aſſumptionis eſſe, quid abſolutum ſentiunt Thomiſtæ cum Caietano.
Sectio III.
Vnionem ipſam naturæ humanę ad ſuppoſitum diuinum eſſe immediatam, & formalem rationem illius ineffabilis compoſiti, quam relationis Scotus appellauit.
Sectio IV.
Vtrum hæc vnio, ſiue relatio ſit ſubſtantialis, vel accidentalis, accuratè diſquiritur?
Sectio V.
Quid ſentiendum ſit in Schola Scoti de huiuſmodi vnione?
Iudicium.
Collatio ſecunda Differentia II.
De dignitate vnionis Hypoſtaticæ.
Sectio I.
Adducuntur ſententiæ Magiſtrorũ.
Sectio II.
Proponitur ſententia D.Thomæ ſicuti vulgò intelligitur.
Sectio III.
Oppoſita ſententia probatur.
Sectio IV.
Argumentis oppoſitis reſpondetur.
Sectio V.
Vtrum hæc vnio in ratione doni ſit maxima?
Sectio VI.
Vnionem beatificam in ratione doni nõ eſſe minorem hypoſtatica oſtenditur.
Sectio VII.
An cum vnione hypoſtatica tam ſit cõiuncta fruitio, & ſine ea ſtare nequeat?
Iudicium.
Collatio II. Differentia III.
Sectio I.
Inquiritur mens S.Thomæ, & ſtatus quæſtionis proponitur.
Sectio II.
Afferuntur argumenta Scoti ad probandum poſſe aſſumi, ſi perſonalitas con-

Digitized by Google

Conſiſtat in poſitiuo.

Sectio 3.

Reſponſiones Caietani ad hæc argumenta proferuntur, & refelluntur.

Sectio 4.

In ſententia Scoti de ſubſiſtentia per duas negationes omnes hactenus adductæ obiectiones facile, & aptè ſoluuntur.

Sectio 5.

Vtrum in natura humana aſſumpta detur appetitus ad propriam ſubſiſtentiam?

Iudicium.

Collatio Secunda Differentia IV.

De Cauſa, & Fine Incarnationis Filij Dei.

Sectio prima.

Inueſtigatur mens Doctorum.

Sectio 2.

Affertur, & ſuadetur S. Tho. ſētentia.

Sectio 3.

Proponitur, & probatur Scoti ſentētia.

Sectio 4.

Argumenta Thomiſtarum diluuntur.

Sectio 5.

Quid reſpondent Thomiſtę argumentis Scoti?

Sectio 6.

Duæ difficultates emergentes opprimuntur.

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia I.

Circa ſtatum, & meritum Incarnationis.

Sectio I.

De decreto Incarnationis Verbi, & Prædeſtinatione Matris Virginis Mariæ ante præuiſionem peccati.

Sectio 2.

De prædeſtinatione Chriſti Domini, & B. Marię Virginis poſt præuiſionem peccati.

Sectio 3.

An Chriſtus, & B. Virgo potuerint mereri vnionem, & maternitatem?

Sectio 4.

Vtrum Chriſtus, vti ſubſiſtens, potuerit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam?

Sectio 5.

Afferuntur argumenta contraria ſententiæ, & ſoluuntur.

Sectio VI.

Quid tandem meruerit Chriſtus, ac eius Mater, & Patres Antiqui?

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia II.

Vtrum B. Virgo, ſit vere, ac proprie Mater Dei?

Sectio I.

Vtrum B. Virgo concurrerit actiue ad Generationem Chriſti?

Sectio 2.

Quis ordo fuerit incarnandi, & quæ fuerit ratio vniendi Humanitatem?

Sectio 3.

Vtrum humanitas Chriſti exiſtat per propriam ſuam, an per alienam verbi exiſtentiam?

Sectio 4.

Vtrum in Chriſto ſit vnum eſſe, vel multiplex, & an duo vel plura dici poſſit?

Iudicium.

Collatio Tertia Differentia III.

Sectio prima.

An ſint in Chriſto duæ filiationes?

Sectio 2.

Scoti ſententia de duobus filiationibus proponitur, & probatur.

Sectio 3.

Argumenta contraria diluuntur.

Sectio 4.

Vtrum Chriſtus ſit filius naturalis, an adoptiuus.

Sectio 5.

Vtrum, & quatenus Dogma de Adoptione Chriſti damnatum ſit ab Eccleſia Catholica.

Digitized by Google

Sectio VI.
An Chriſtus ſit ſeruus et Creatura?
Iudicium.
Collatio Tertia Differentia IV.
Sectio I.
Quomodo intelligenda ſit propoſitio Deus eſt Homo?
Sectio 2.
Vtrum hæc ſit vera Chriſtus incepit eſſe?
Sectio 3.
Vtrum Chriſtus dici poſſit prędeſtinatus Filius Dei?
Sectio 4.
Reſpondetur quæſtioni iuxta mentem Scoti, & tollitur difficultas textuum in ſpecie oppoſitorum?
Sectio 5.
Quod tandem ſentiendum ſit de illa propoſitione Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei?
Iudicium.
Collatio Quarta Differentia I.
Sectio I.
Exhibentur textus Doctorum.
Sectio 2.
Vtrum Chriſtus de facto peccauerit, & vtrum de potentia ordinaria peccare potuerit?
Sectio 3.
Vtrum de potentia abſoluta Chriſtus peccare potuerit?
Sectio 4.
Proponitur Scoti, & probatur affirmatiua ſententia.
Sectio 5.
Soluuntur argumenta contrarię ſententiæ, & auctoritates explicantur.
Iudicium.
Collatio Quarta Differentia II.
Sectio prima.
Quid ſit fomes peccati?
Sectio 2.
Extraordinaria de fomite concupiſcentiæ opinio proponitur.
Sectio 3.
Refellitur Ianſenij, & ſequacium loci Auguſtini expoſitio.
Sectio 4.
Nouus Noui ſectatoris Ianſenij error aperitur. Clauis Auguſtiniana.
Liberi arbitrij à ſeruitute neceſſitatis Concupiſcentię vindicati.
Collatio Quarta differentia 3.
De Gratia Animæ Chriſti.
Sectio Prima.
Mens S. Thomę et Scoti inquiritur.
Sectio 2.
Proponitur S. Thomæ, & Thomiſtarum ſententia.
Sectio 3.
Affertur Scoti, & Scotiſtarum placitum.
Sectio 4.
Argumenta in oppoſitum diluuntur.
Sectio 5.
Explicatur, & illuſtratur Scoti Doctrina.
Iudicium.
Collatio Quarta differentia 4.
De ſcientia Animæ Chriſti.
Sectio prima.
Vtrum poſſibile fuerit intellectum animę Chriſti videre omnia, quæ verbum videt?
Sectio 2.
Proponitur prima D. Thomę ſuis argumentis nixa ſententia.
Sectio 3.
Afferuntur affirmantes Scoti ſententiæ fundamenta.
Sectio 4.
Reſpondetur contrarijs argumentis.
Sectio 5.
Explicatur magis Scoti ſententia, et tota quæſtio abſoluitur.
Iudicium.
Collatio Quinta Differentia 1.
De ſcientia Chriſti tum infuſa, tum aquiſita.
Sectio

Digitized by Google

Sectio Prima.
De Mente Scoti.
Sectio 2.
Proponitur ſententia S. Thomę.
Sectio 3.
Aſſluuntur ſolutiones Thomiſtarum ad obiectiones Scoti, & refutantur.
Sectio 4.
Proponitur Doctrina Scoti, & ab obiectionibus Thomiſtarum liberatur.
Iudicium.
Collatio Quinta Differentia II.
De merito, & ſatisfactione Chriſti Domini.
Sectio Prima.
De conditionibus ad meritũ requiſitis.
Sectio 2.
Vtrum in Chriſto Domino fuerit libertas ſufficiens ad rationem meriti? afferuntur variæ difficultates.
Sectio 3.
Proponitur vera, & perſpicua ſecundum Scotum de merito Chriſti cum libertate ſententia.
Iudicium.
Collatio Quinta Differentia 3.
De infinitate meriti Chriſti, eiuſque ſatisfactionis.
Sectio Prima.
Afferuntur textus, & teſtimonia producuntur.
Sectio 2.
Proponitur S. Thomæ de merito Chriſti infinito ſuis, & rationibus, & auctoribus munita ſententia.
Sectio 3.
Adducitur oppoſita de finita Chriſti ſatisfactione Scoti, & Scholæ ſentẽtia.
Sectio 4.
Expoſita ſuperius doctrina ſuis argumentis probatur.
Sectio 5.
Reſpondetur argumentis Thomiſtarũ.
Iudicium.
Collatio Quinta differentia 4.
Vtrum Chriſti meritum, & ſatisfactio fuerit ex rigore Iuſtitiæ?
Sectio prima.
Textus vtriuſq; Doctoris proferũtur.
Sectio 2.
Præmittuntur nonnulla ad tractationem quæſtionis.
Sectio 3.
Noua, & notabilis animaduerſio auctoris.
Sectio 4.
Exponitur ſententia Thomiſtarum de ſatisfactione Chriſti ex vera, & rigoroſa Iuſtitia.
Sectio 5.
Proponitur oppoſita Scoti, & ſuorum ſententia.
Sectio 6.
Soluuntur argumenta Thomiſtarũ, & in eoſdem retorquentur.
Iudicium.
Collatio Sexta differentia I.
De principio, ac poteſtate merendi, ac demerendi.
Sectio Prima.
Arbitrium liberum non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate eſſe principium merendi, & demerẽdi oſtenditur.
Sectio 2.
Explicatur eadem doctrina, & confirmatur ex motiuis gratiæ, & concupiſcentiæ.
Sectio 3.
Corollaria ſuperioris doctrinæ proponuntur.
Sectio 4.
Sancti Auguſtini ſententia à calumnia obiter vindicata.
Sectio 5.
De ignorantia penali orta ex originali peccato an ſit inuincibilis, & obnoxia peccato.
Iudicium.
Collatio Sexta Differentia 2.
De Conceptione B. Virginis.
Sectio

Sectio prima.
Proponũtur textus vtriuſq; Doctoris.
Sectio 2.
Proponuntur argumenta à ratione deſumpta pro Immaculata Virginis Conceptione.
Sectio 3.
Beatam Virginem Mariam *non contraxiſſe peccatum originale oſtenditur.*
Sectio 4.
Soluitur concionali modo difficultas petita ex redemptione Immaculatæ Virginis Mariæ.
Sectio 5.
Vtrum per Doctorem Angelicum, ac eius doctiſſimam ſcholam liceat ſuſtinere hanc ſententiam negantem in B.Virgine Maria peccatum originale?
Sectio 6.
Vtrum loci S Thomæ in partibus poſſint ita exponi vt nihil mouent immunitati B.Virgini à macula culpæ originalis?
Sectio 7.
Complures Thomiſtas, *& alios graues Theologos ſentire S.Thomam, nihil ſcripſiſſe contra Immaculatam B. Virginis* Conceptione *oſtenditur?*
Sectio 8.
Reſpondetur teſtimonijs Sanctorum Patruum adductis in contrarium à Caietano in opuſculo ad Leonem X.Papã?
§. 1.
Explicatur primum Teſtimonium S.Auguſtini à Caietano *adductum.*
§. 2.
Exponitur ſecundum.
§. 3.
Explanatur tertium.
Sectio 9.
Patres, et Theologos Clariſſimi Ordinis Prædicatorum maximam partem fauere piæ ſententiæ de Immaculata Virginis Conceptione.
Sectio 10.
Ex Decretis Diuinis Officijs Confraternitatibus, Breuiarijs *Clariſſimi Ordinis Prædicatorum Immaculatæ Conceptionis Veritas comprobatur.*
Collatio Sexta Differentia III.
Sectio Prima.
Quid in hac controuerſia ſenſerint Patres *Salmanticenſes?*
Sectio 2.
Tradita de Doctrina Angelici Doctoris Patrum *Salmanticenſium ſententia expenditur.*
Sectio 3.
Ex ſcriptis ipſorum Patrum *Salmanticenſium ſufficienter probari S. Thomam non aduerſari piæ de Immaculata Conceptione ſententię.*
Sectio 4.
Corollaria circa Doctrinam Patrum Salmanticenſium.
Sectio 5.
Satisfit Patribus *Salmanticenſibus; maiorem lucem deſiderantibus ad exponendam mentem Doctoris Angelici in fauorem immaculatæ* Conceptionis.
Collatio nouorum locorum, Pro eodem Priuilegio.
Caput Primum.
Iuſtum, & idoneum, ab Eucharistię Myſterio ſumptum ad ſuadendum Immaculatæ Conceptionis *Myſterium argumentum.*
Caput II.
Quæ geſta à Virgine, & circa Virginem in Sanctis Euangelijs commemorantur, ea ſunt totidem Immaculatæ Conceptionis *argumenta.*
§. 2.
De Natiuitate B.Virginis.
§. 3.
De præſentatione B.V*irginis.*
§. 4.
De deſponſatione Virginis cum Sancto Ioſepho.
§. 5.

De

Digitized by Google

De Annunciatione B. Virginis Lucæ cap. 1.

§. 6.

De ſuſpicionem Ioſephi, & deliberatione dimittendi coniugem Virginem.

Caput III.

De viſitatione S. Eliſabethæ. Luc. 1.

§. 2.

De Partu Virginis, & Natiuitate Chriſti.

§. 3.

De Feſto Epiphaniæ, Matth. 2.

§. 4.

De Feſto Purificationis. Lucæ 2.

§. 5.

De Fuga in Ægyptum.

§. 6.

De *Amiſſione, & Inuentione Pueri Ieſu.*

Caput IV. §. 1.

De miraculo in Nuptijs Cana Galilæ, *Ioan.* 2.

§. 2.

De præconio Mulieris de Turba Beatus Venter qui te portauit, & vbera quæ te ſuxiſti. Lucæ 1.

§. 3.

De Beata Virginę, & Fratribus Chriſtum quęrentibus Ecce Mater tua, & Fratres tui ſtaret foris quęrentes te. Marci 3.

Collatio Septima differentia 2.

De cultu, & adoratione Imaginum.

Sectio Prima.

De Iconoclaſtes, & eorum erroribus. Hæc argumenta ſoluuntur.

Sectio 2.

Imagines eſſe adorandas, & quomodo ſint adorandæ?

Sectio 3.

Vtrum eadem adoratione attingatur Imago, & res adorata?

Collatio Septima Differentia III.

Sectio Prima.

Vtrum Papa ſit adorandus?

Sectio 2.

Cur quatenus, & quomodo Papa *ſit adorandus.*

Sectio 3.

Loci Sacrę ſcripturę ab Anglis obiecti explicantur.

Sectio 4.

Paralipomena pro Catholicis afferuntur.

Sectio 5.

Refutatio ſpecialis obiectionum, quas nonnulli Hęretici Angli, & Sueci Authore Londini propoſuerunt cum epilogo effectui, & controuerſia abſoluitur.

Collatio Octaua Differentia I.

De Statibus profeſſionis Chriſtianæ.

Sectio Prima.

De diſcrimine ſtatus communis Chriſtiani laici à proprio Religioſorum.

Caput II.

Omnes perfectiones Chriſtianæ vitæ formas à Chriſto Domino inſtitutus fuiſſe ex Doctrina Euangelij hiſtoriaque oſtenditur.

Caput III.

Quæ fuerit, & qualis, & quanta paupertas, & nuditas pedum Chriſti, & Apoſtolorum ſubtilius inquiritur, & accuratius exponitur.

Caput IV.

De forma vitæ Apoſtolicæ, & an à Chriſto; & quomodo expreſſa, & pręſcripta fuerit?

Caput V.

Vtrum Apoſtoli vouerint Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam?

Collatio Nona Differentia II.

Caput Primum.

Vtrum vita Regularis Canonica fuerit communiter à priſcis Chriſtianis ſuſcepta, & ſeruata? Quæſtiones duę excitantur.

Caput 2.

Vtri fuerunt priores tempore Canonici

Digitized by Google

ci Regulares; An ſeculares?
Caput 3.
An, & quomodo Monachi à Canonici Regularibus deſcenderint, & Clerici defecerint?
Caput 4.
De initio, & progreſſu Canonicorum Regularium Ordinis in Oriente.
Caput 5.
De Amplificatione, & propagatione eiuſdem Ordinis per Occidentem.
Caput 6.
Vtrum Canonici Regulares Auguſtiniani fuerint eiuſdem inſtituti, cum ijs fuerunt temporibus Apoſtolorum?
Collatio Nona Differentia I.
Caput Primum.
Ratio difficultatis affertur, ac expenditur.
Caput 2.
Vtrum Sanctus Auguſtinus eſſe, ac dici proprie Pater, Auctor, fundator, Ordinis Canonicorum Regularium, etiam Lateranenſium poſſit ac debeat?
Caput 3.
Duobus argumentis euidentibus S. Auguſtinus Author, & fundator Cononicorum Regularium fuiſſe oſtenditur.
Caput 4.
Eadem veritate Bullis Pontificijs confirmatur.
Caput 5.
Excellentia, & præſtantia Regulæ S. Auguſtini multis argumentis oſtenditur.
Collatio Nona Differentia II.
Caput Primum.
Proponuntur lineamenta vitæ Chriſtianæ Sancti Auguſtini.
Caput 2.
Antequam veritas ſtatuatur tres difficultates remouentur.
Caput 3.
Sanctus Auguſtinus Canonici inſtituti Profeſſor, & inſtaurator, imo, & Fundator fuiſſe monſtratur.
ſ. 1.
Ex Poſſidonio probatur.
ſ. 2.
Vna obiectio proponitur, & ſoluitur.
Caput 4.
Ex Regula S. Auguſtini ſumitur efficax argumentum.
Caput 5.
Duo ſermones de communi vita Clericorũ eandem ſententiam continẽt.
Caput 6.
Dubia quædam mouentur, & nonnulla obiecta ſoluantur.
ſ. 2.
Dubium & obiectum ſecundum.
ſ. 3.
Dubium, & obiectum tertium.
Caput 6.
Spicilegium locorum in operibus S. Auguſtini ad eius Canonicam Regularis vitæ profeſſionem ſpectantium.
Antiloquium.
§. 1.
De Auguſtino.
§. 2.
De Alipio.
ſ. 3.
De Licentio.
Caput 7.
Proponitur obiectio ex Petiliani dicto deſumpta: ore maledico Auguſtino conuiciantis, quòd monaſteriorum & Monachorum fuiſſet inſtitutor.
Itinerarium S. Auguſtini poſt Baptiſmum Mediolano ad Oſtia Tiberina accuratiſſimum ex quo anni eius natiuitatis, baptiſmi, obitus euidenter colligũtur; & plurimæ difficultates hactenus inſuperabiles omnino tolluntur; & veteres eiuſdem Canonicæ Regulares vitæ, quam eſt amplexus & profeſſus concluditur.

FINIS.

Digitized by Google

QVÆSTIO SINGVLARIS POSITIVA PRO APPARATV AD MYSTERIVM INCARNATIONIS:

CAPVT PRIMVM.

An, & , quomodo, & quatenus Verbum Dei ſit Inuiſibile, & Viſibile?

INuiſibilem eſſe Deum, cùm per ſe conſtat, tum Paulus docuit prima ad Timoth. cap. 1. v. 17. *Soli Deo immortali, & inuiſibili*. Quò ſpectat illud Ioan. cap. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam*, quibus id in locis Patres docent. Hanc veritatem in venenum erroris Ariani verterunt. Dixerunt, Patrem ſolum eſſe inuiſibilem, ac proinde ſolum eſſe Deum, Filium autem non eſſe Deum, quòd eſſet viſibilis, imò & ſæpè viſus fuerit. In hoc errore, & cauſa erroris fuiſſe eos, tradit Chryſoſt. comment. in c. 1. Ioan. & Aug. tract. 3. in Io. & lib. 2. & 3. de Trinit. & lib. cõtra Maximin. & Idacius Clarus lib. contra Arian. c. 18. & 20. Vtebãtur autem hoc argumento. Pater nunquam viſus fuit, & in toto veteri Teſtamẽto nuſquam legitur apparuiſſe. Filius ſæpè & viſus eſt, & apparuiſse in veteri Teſtamento legitur. Igitur ſolus Pater eſt Deus, quòd ſit inuiſibilis: Filius quòd ſit viſibilis, & viſus, Deus non eſt. Ita apud Auguſtinum argumentantur lib. 2. & 3. de Trinit. & tract. 3. in Ioannem.

Vt ergo cauſam errandi præcidamus ſcire oportet, an, & quomodo Verbum Filius Dei viſum ſit? In primis viſum eum aliquando fuiſſe, omninò conſtat. Apparuit enim hominibus, & iuxta Baruch cap. 3. verſ. vltimo: *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*. Confirmatur teſtimonio Ioannis epiſt. 1. cap. 1. *Quod audiuimus*, inquit, *quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitã æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. Itaque apparuiſſe liquet. Quin ipſammet Incarnationem Hiſychius Hieroſolymitanus in Eccleſiaſt. Hiſtor. cum de Neſtorij hæreſi commemoraſſet *Apparitionem* appellauit: *Libros, inquit, componere aduerſus Domini Dei Apparitionem præſumpſit*;

Digitized by Google

Quomodo autem apparuerit? de eo quærebant Ariani, & affirmabant in veteri Teſtamento ante Incarnationẽ Verbi, apparuiſſe illud ſeque hominibus oſtendiſſe, ab ijſque per ſe, & ſecundum ſubſtantiam ſuam, nec tantùm per ſpeciem viſum fuiſſe. His apparitionibus plenam eſſe Scripturam, quæ ſæpè apparuiſse illum narrat. Et in hunc ſensũ interpretabantur multos Scripturæ locos, in quibus huiuſmodi apparitiones commemorantur: quas latè proponit Auguſtinus lib. 2. & 3. de Trinit. quo nemo Patrum acutiùs quò tenderent Ariani vidit, nemo prudentiùs vias omnes ad errandum apertas obſtruxit.

Duo aiebant Ariani: alterum Filiũ Dei per illas ſpecies in propria perſonã apparuiſſe, & corporeis oculis viſũ fuiſſe: alterum Patrem nunquam per ſe ipſum apparuiſſe, nec vllo modo ab hominibus viſum fuiſſe. Negat Auguſtinus primum & docet Verbum Dei videri ſecundum Diuinitatem corporeis oculis non poſſe, cùm ſit Sapientia Dei omnino inuiſibilis. Affirmat deinde, ſi apparuit, corpus externum viſibile aſſumpſiſſe, & ſqeciem illam corporalem mortalium oculis obieciſſe. Tertium ſtatuit Auguſtinus: non tantum Filium hoc modo viſum, ſed etiam Patrem fuiſſe, ac proinde viſiones illas, ſi Dei erant, toti Trinitati fuiſſe communes, & omnes ęquè Perſonas per illas ſpecies apparuiſſe: ne quis inde Arianus occaſionem accipere poſſet dicendi Patrem extra eum ordinem eſſe, atque adeo viſionis expertem, & propter excellentem quandam Diuinitatem omnino inuiſibilẽ eſſe. Demonſtrat omnia hæc Auguſt. lib. 2. de Trinit. commemoratis omnibus apparitionibus, quæ narrantur in veteri Teſtamento, quas probat non minus Filio, & Spiritui Santo, quàm Patri fuiſſe communes. Addit lib. 3. apparitiones illas fuiſſe factas miniſterio Angelorum; & probat non Diuinas Perſonas, ſed Angelos in aſſumptis corporibus apparuiſſe. Quo diſcurſu radices illius erroris euellit. Altiùs ſanè iſta vidit: nam ſi admitteret eas apparitiones Diuinarum fuiſſe Perſonarũ, daret anſam Arianis dicendi fuiſſe Filij, nõ Patris, quod Pater Filio dignior Deus eſſet. In eo autem maximè errabant Arriani, quod putabant Dei Verbum corporeis oculis videri, ac proinde corporeum illud eſſe aſſerebant, nõ ſpiritum, & inuiſibile, contra rationem, & Scripturam.

Præſtat Auguſtinum tract. 3. in Ioann. audire. *Fuerunt homines qui dicerent vanitate ſui cordis decepti; Pater inuiſibilis: Filius autem viſibilis eſt. Vnde viſibilis niſi propter carnem quã ſuſcepit? Manifeſtum eſt; ſi autem ante carnem viſibilis, ſicut ipſi docent, ideſt, antequam incarnaretur, multùm delirant, & multùm errant. Facta enim ſunt illa viſibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus oſtenderetur, nõ vtique ſubſtantia ipſa demonſtrabatur. Sapientia videri oculis non poteſt. Fratres, ſi Chriſtus ſapientia, & virtus Dei eſt, ſi Chriſtus verbum Dei, & verbum hominis oculis non videtur, Verbum Dei videri ſic poteſt? Illud ſciatis, quia omnia, quę corporaliter apparebant, non erant illa ſubſtantia Dei: illa enim carneis oculis videmus, Dei ſubſtantia unde videtur?* Aduertẽdum hic eſt eum errorem antiquiſſimum fuiſſe; nam Euariſtus quintus à Petro Papa, illum proponit, & refutat Epiſtol. 1. ad Epiſcopos Africanos. Refellit autem loco illo Pauli 1. ad Timoth. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem*, quem probat rationibus,

Digitized by Google

bus, & teſtimonijs de Filio etiam intelligendum: quod item apparet in Epiſtola Felicis Papæ I. ad Benignum Epiſcopum.

Alij contrà fuerunt hæretici (nam in extremis ſemper, vti vitioſi, ſententiis verſantur) qui negarunt Verbum Dei vllo modo, ne mẽtis quidem oculis eſſe viſibile, quòd Deum nullo modo eſſe viſibilem affirmabant: huiuſmodi fuerunt Armeni, teſte Armacano lib. de Armen. cap. 1. & quidam Recentiorum Græcorũ, & Abaylardus, & Arnaldus Brixienſis, authore Caſtro hæreſi 1. & Almericus, apud Vaſq. 1. parte d. 37. cap. 2. & 4. quibus etiã hic error multo fuit antiquior; in eum quippe inuehitur D. Greg. Magn. lib. 18. Moral. cap. 28. Hi ergo hæretici viſionem Dei impoſſibilem aiebant, ac proinde beatitudinem, quæ in ea formaliter conſiſtit, prorſus tollebant. Cũ omnino de Fide ſit Dei eſſentiam intuitiue à Beatis in Cælo videri, iuxta illud Ioannis 1. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*: quam doctrinã tradidit Euariſtus Epiſt. ad Epiſcopos Africanos, his verbis: *Hanc lucem inacceſſibilem, quam Pater & Filius inhabitant, nullus in hoc mortali corpore conſtitutus poteſt aliquatenus cõtueri; ſed dum apparuerit, tunc verè eum videbit, ſicuti eſt, & non ſicut Moyſes, cæterique Prophetæ per ænigmata, & figuram, ſed ipſam veraciter in Filio contuebitur Deitatis Imaginem.*

Quæſtio autem hic celebris eſt. Vtrum aliqui Patres idem ſenſerint, ſaltem de eo dubitarint? Sunt enim qui dicant Chryſoſtomum eò inclinaſſe, ac eius Sectatores Theophylactum, & Euthymium conſenſiſſe. Sanè Vaſq. ita putat, iiſque adiungit Theodoretũ, & Iſidorum; nec excludit Hieronymum, & Baſilium, Epiphanium, duos Cyrillos Hieroſolymitanum, & Alexandrinum, & Gregorium Nyſſenũ; quorum locos producit, qua ſolet eruditione. Sed hi Patres non fuerunt in ea ſententia; tantùm minus clarè loquuntur, quemadmodum in Controuerſia de Beatitudine Sanctorum iuxtà S. Thomam docuimus.

Inter omnes tamen maxima de Chryſoſtomo eſt controuerſia; & quidem Vaſq. 1. par. diſp. 37. cap. 2. & 4. apertè docet ſenſiſſe Chryſoſtomum ſubſtantiam Dei viſibilem non eſſe, & multa affert teſtimonia eius ſententię. Vtiturq; illo argumento, quòd Chryſoſtomus aduerſus Anomęos diſputabat, qui dicebãt Deum poſſe comprehendi. Hoc autem de Chryſoſtomo tam conſtanter Vaſq. affirmat, vt non patiatur, vti eſt acer, & vehemens, aliter intelligi; veruntamen D. Thomas 1. par. quæſt. 12. art. 1. Chryſoſtomum excuſat, atque illum comprehenſionem Dei negaſſe, at minimè negaſſe viſionem. Cum D. Thoma ſentiunt pro Chryſoſtomo Durãdus, & Sixtus Senẽſis citati ab eodem Vaſq. qui omnino Chryſoſtomum liberant. Hac in re Vaſquio penitus contradico, quamuis enim teſtimonia ab illo allata ſpeciem aliquam eius erroris præbere videantur, poſſunt tamen meo iudicio de comprehenſione commodè accipi. Præterea alij ſunt non pauci apud eũdem loci, in quibus non obſcurè viſibilem eſſe Deum, & videri à Beatis aſfirmat, quos diligenter colligunt Recupitus lib. 6. de Veritate quæſt. 1. cap. 6. Suarez, & idemmet Vaſq. Præterea ex eo, quod aduerſus Anomęos diſputabat, ſatis erat negare viſionem Dei cõprehenſiuam, nec opus erat negare intuitiuam; vnde corruit Vaſq. fundamentum cui oppono nobiles familiæ ſuæ Authores Suarez lib. 2. Summæ

cap.7. & Bellarminium lib.1. de Beatitud.c.5.ac præcipuè Maldonatum hominem in Patribus verſatiſſimum, & Vaſquio parem, qui comment. in cap. 1. Ioannis quæſtione huiuſmodi agitata Chryſoſtomū à ſuſpicione liberat, eumque de comprehenſiua Dei viſione loqui affirmat.

Nunc propiùs ad quæſtionem. Volo hic iudicium meum interponere, perſpectis enim, & collatis inter ſe diligenter Chryſoſtomi, & quorundā aliorum Patrum locis videri cuipiam poterit, haud temerè de illis Patrem Vaſquez eſſe ſuſpicatum. Itaque nouū aliquid afferre ſtatuo, quod legentibus non ingratum fore exiſtimo. Igitur Chryſoſtomo, & illis qui cū eo Patribus videtur sētire, difficile omnino viſum, poſſe videri Deum, nec comprehēdi, nam ſi Deus, qui eſt indiuiſibilis ſpiritus, & actus purè intellectiuus, intuitiuè, vti aiunt, ac in ſua ſubſtantia intimè videtur, certè totus quātus eſt videtur, cum partes non habeat, ſecūdum quas partim videri, partim non videri poſſit; vnde ſequitur ſemel poſita viſione Dei, vti eſt intuitiua, Deū totum ex integro attingi, atque adeò nihil in eo eſſe, quod non videatur; quo modo enim poteſt intuitiuè Deus videri, & ex integro non videri? Ergo cùm intuitiuè videtur, comprehenſiuè videtur: quod ſanè argumentum ſpeciem magnæ difficultatis præbet. Eſt vero certum, ac de fide Beatos Deum in ſubſtantia ſua, & omnino intuitiuè videre; habetur id clarè in 1. Ioannis cap. 3. vbi ait: *Videbimus eum ſicuti eſt*. Potuit enim fieri, vt illi Patres exiſtimarent Deum videri intuitiuè non poſſe, niſi comprehenſiuè videretur; & ſanè quidā Theologi apud Vaſq. 1. par. diſp. 52. cap. 2. Viſionem ipſam beatam, qua Deus totaliter, & intuitiuè videtur, & in qua Beatitudo formalis conſiſtit, comprehenſionem vocant, quaſi nihil inter vtramque diſtinguant. Imò eodem Authore Vaſquez, quamuis ſit certum Deum non poſſe ab intellectu creato comprehendi, non tamen id de fide conſtat, contra ſentiente Scoto in 4.d.49.q.3.art.1. cum alijs communiter aſſerentibus, illud dogma eſſe de fide, quod nō audet Vaſq. affirmare. Accedit quod ęgrè vlla ratione naturali probari poteſt Deū eſſe incomprehenſibilem, in quo magnoperè ſudant Theologi, vti videre eſt in Victoria, & alijs, quos citat Vaſq. diſp. 43. quin & ipſemet Vaſq. eius rei abundè teſtis eſt, à quo cum aliorum rationes oppugnentur, nulla omnino conuincens videtur afferri, cur Deus incomprehenſibilis ſit, vti apparet ex ijs, quæ adducit illa d.43. cap.4.

Augetur magis hæc difficultas argumento Diui Thomæ 1. parte quæſt. 12 art. 7. vbi ſic argumentatur: *Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, ſed ſi Deus per eſſentiam videtur, totus videtur, & nihil eius latet videntem; cum Deus ſit ſimplex: ergo à quocunque videtur per eſſentiam, comprehenditur. Si dicatur, quòd videtur totus, & non totaliter. Contrà: totaliter vel dicit modum videntis, vel modum rei viſæ; ſed ille qui videt Deum per eſſentiam, videt eum totaliter, ſi ſignificetur modus rei viſæ, quia videt eum ſicuti eſt, vt dictum eſt. Similiter videt eum totaliter, ſi ſignificetur modus videntis, quia tota virtute ſua intellectus Dei eſſentiam videbit: quilibet enim videns Deum per eſſentiā totaliter etiam eū comprehendit*. Quòd ſanè argumentum ſic à Diuo Thoma propoſitum difficile eſt, quamuis ab illo optimè ſoluatur.

Creſcit item huius rei difficultas ex alio-

Digitized by Google

aliorum opinione prorſus erronea, qui dixerunt omnes Beatos æqualiter videre Deum; non quòd merita ſint æqualia, quæ fuit Iouiniani hæreſis, ſed quod cum omnes Beati Deum, vt eſt in ſe, intuitiuè attingant, eodem modo omnes intueri eius ſubſtantiam videntur. Vnde exiſtimarunt illam viſionẽ capacem non eſſe, vel maioris perfectionis, vel imperfectionis. Quam rationem cum adduxiſſet Vaſq. diſp. 43. cap. 6. ad finem, minus certè eam, meo iudicio, exactè refutat, imò eius vim refutando auget. Verùm etſi argumẽtum videatur forte, dicendum tamen Deum inæqualiter à Beatis pro ratione meritorum, & luminis gloriæ videri. Quod eſt omnino fidei conſentaneum. Ex his apparet potuiſſe veteres illos Patres minus conſtanter loqui de viſione Dei intuitiua, quòd difficile ijs videretur poſſe videri Deum, nec tamen videndo comprehendi. Suſtineo ergo iudicium meum; contentus nouas rationes aſſerre, ob quas illi Patres ea de re potuerint dubitare, non quòd negarent viſionem beatam, ſed quòd negarent comprehenſionẽ, quæ ex intuitiua viſione ſequi videbatur, quod tamen ex eo minimè ſequitur.

CAPVT II.

Filium ſecundum Diuinitatem omnino inuiſibilem, & tamen ſecundum humanitatem viſibilem eſſe.

INuiſibilẽ eſſe Patrem omnes Ariani conſentiunt; inuiſibilem item eſſe Filium ſecũdum Diuinitatem omnes negarunt. Hæc hæreſis erat; cũ Filius Dei ſit verus Deus, atque adeo inuiſibilis ſecundum Diuinitatem. Id autem opus eſt vt probemus, & quidẽ accuratè ex Scriptura. Primum teſtimonium habetur Matth. 11. apud quẽ ait ipſe Chriſtus. *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare:* quibus verbis docemur Patris, & Filij vnam eſſe, eandemque naturam, eamque recipere à Patre, ita vt Pater norit Filium gignendo eum, & Filius Patrẽ genitus ab eo, ac proinde vnus, & idem ſit amborum intellectus. Ex quo apparet Filium per ſe minimè à creaturis cognoſci vt Deus eſt, ſicuti Pater, ſed ſolum ab iiſdem creaturis per reuelationem cognoſci; atque adeo hic locus docet æquè inuiſibilem eſſe Patrem, & Filium, cùm hic dicat à ſolo Patre cognoſci Filium, & Patrem à Filio ad intra. Ad extra verò non niſi quibus ipſe reuelare velit, ab ijs agnoſci. Hunc locum accuratè tractat, & in hunc ſenſũ exponit Felix I. in Epiſt. ad Benignum: *Nos*, inquit, *euidentioribus teſtimonijs veteris, & noui inſtrumenti Filium Patrem ſemper videre doceamus, Salomone dicente: Eſt tecum ſapientia, quæ nouit opera tua, quæ affuit tibi cum faceres Orbem terrarum*, &c. *Et in Euangelio: Nemo nouit Filium niſi Pater, nec Patrem quis nouit niſi Filius*, &c. *& iterum: Deũ nemo vidit vnquã, ſed vnigenitus* &c. & item: *Vos non nouiſtis eum, ego autem noui eum* &c. *& iterum: Qui ex Deo eſt nouit Deum.*

Secundum teſtimonium nobis præbet Paulus ad Coloſſ. 1. *Imago Dei inuiſibilis*, licet enim illud *inuiſibilis* genitiuus ſit, & cum genitiuo Dei cohæreat, tamen rectè ſequitur ex eo, quod ſit Dei, qui videri non poteſt, imago, eſſe eum inuiſibilem: nam quomodo eſſe poſſet imago rei inuiſibilis, niſi eſſet inuiſibilis? cùm præſertim vis fiat in appoſito *inuiſibilis*, perinde ac dicat per ſe eius inuiſibilitatis imaginem reddere; nec eludet argumentum, qui excipiat, ſufficere eſſe imaginem Dei

ſe-

ſecundum illius ſubſtãtiam & naturã, non autem ſecundum inuiſibilitatem, quia hac ratione etiam homo erit imago Dei, & non multùm inter Filium, & quemcunque hominem alienum diſcriminis in repræſentãdo eſſet; quare omnino affirmandum ſenſum Pauli fuiſſe Filium eſſe imaginem *Dei inuibilis* ſecundum rationem inuiſibilitatis; idque eo maximè loco confirmatur, quem citauimus Matth. 11. *Deum Patrem noſ:i à Filio*. Quid enim eſt *noſſe* niſi repręſentare, quid autem repræſentare, niſi imaginem eſse?

Tertium teſtimonium accipimus à Ioãnne cap. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: ego in Patre, & Pater in me eſt.* hoc enim poſito eo modo videtur Pater, quo Filius, & eadem eſt in vtraque ratio viſibilitatis, quæ ſanè nõ alia fit ratione, quam per viſionem ſupernaturalem, qua Deus à Beatis videtur, vti eſt in ſe, ac intuitiuè. Præterea eſſe in Patre Filium, & in Filio Patrem, quid eſt aliud, quam eandem vtriuſque eſse naturam, & ſubſtantiã, ac proinde vti vnus eſt inuiſibilis, ita & alterum eſse inuiſibilem?

Quartum reddit idem Ioannes in Apoc. c. 19. his verbis: *Et nomen habens ſcriptum: quod nemo nouit niſi ipſe, & nomen eius eſt Verbum Dei.* Quæ rem continent; nam, ſi nomen Verbi quo natura ipſius ſignificatur, nemo niſi Verbum ipſum nouit, certũ eſt, quòd ab alijs non poteſt agnoſci, ac proinde nec videri, ac illius eſse inuiſibilem naturam: hæc autem veritas breuiter probatur. Filius Dei eſt eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ cum Patre, vt in materia de Trinitate dictum eſt, ſed natura, & ſubſtantia Patris eſt inuiſibilis. Ergo etiam Filij eſt inuiſibilis. Quo ſanè ſyllogiſmo res hæc tota conficitur. Accedat confirmatio Auguſtini lib. 3. contra Maximin. quę huiuſmodi eſt. *Si Pater eſt inuiſibilis, etiam Filius debet eſſe inuiſibilis*, & vterque inuiſibilis. Sequela ab Auguſt. probatur: Chriſtus, docet Ioan. 16. *omnia quęcũque habet Pater, mea ſunt*: quod eſt omnino credendum, at vnum ex ijs, quæ habet Pater, eſt inuiſibilitas, ergo Filius habet inuiſibilitatem, quam habet Pater: quo argumẽto, & pluribus alijs ibi concludit Auguſtinus, non ſolum Patrem inuiſibilem eſse, ſed etiam Filium, quà Deus eſt, eadem ratione qua Pater, inuiſibilem exiſtere.

Probato Verbum Dei eſse inuiſibile ſecundum Diuinitatem; illud manet; cùm viſibile dicitur, viſibile eſse ſecundum humanitatem, iuxtà id *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. & vti Baruch cap. 3. *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt*: quod aptè Auguſtinus tract. 2. in Ioannem exponit his verbis: *Attende Deum natum ex hominibus, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, ipſa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis, vt poſſemus videre maieſtatem pro eius humilitate.* Quæ verba Maldonato valde placent comment. in hunc locum Ioannis. Mihi non minus arrident illa eiuſdem Auguſtini in Epiſt. 1. Ioannis ſuper illa verba: cap. 1. *Et ipſa vita vita manifeſtata eſt: & vidimus*. Ait enim, *Verbum vitæ, & vita; vnde ergo manifeſtata eſt? erat enim ab initio, ſed non erat manifeſtata hominibus, manifeſtata autem erat Angelis vidẽtibus, ergo manifeſtata eſt ipſa vita in carne, quia in manifeſtatione poſita eſt, vt res quæ ſolo corde videri poteſt, videretur etiam oculis, vt corda ſanaret. Solo enim corde videtur Verbum; Caro & oculis corporalibus videtur. Erat vnde videremus*

Digitized by Google

remus carnem, ſed non erat unde videremus Verbum; factum eſt Verbum Caro, quam videre poſſemus, vt ſanaretur in nobis, unde Verbum videremus. Et argumẽtum hoc perſequitur adducto illo Pſalm. 18. loco *In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Vt videretur*, inquit Auguſtinus, *oculis carneis, qui Solem vident, ipſum tabernaculum ſuum in Sole poſuit: carnem ſuam in manifeſtatione huius lucis oſtendit.* Itaque Incarnatio Domini, miſſio viſibilis fuit illius Verbi, quod eſt per ſe inuiſibile, vt idẽ Auguſtinus teſtatur lib. 2. in Sermone Arianorum tom. 3. Hoc multò ante Auguſtinum dixerat Felix Papa I. in Epiſtola ad Benignum, *De alio*, inquit, *ſæpè diximus, quod ſecundum hominis formam Filius viſibilis dicitur: ſecundum verò Deitatis ſubſtantiam inuiſibilis prædicatur, vt Paulus multis in locis oſtendit.* Sed quoniam hæretici tum Priſci, tum Noui huic Soli viſo, & incarnato multas, eaſque denſas errorum tenebras offuderunt, neceſse eſt illas remouere, & hoc Verbũ Filium perſpicuè, mediaque in luce videndum per Incarnationem ſe offerentem intueri.

CAPVT III.

De hæreſibus antiquis circa Verbum Dei viſum, ſiue incarnatum.

QVinque antiquos errores inuenio circa Verbi Diuini Incarnationem. Primus fuit Apollinaris aientis Verbum Diuinum ſolum corpus ſine anima, aſſumpſiſse, animæ autem loco Diuinitatem fuiſse, vti ſcribunt Epiphanius hæreſ. 77. & Auguſtinus hæreſ. 25. & lib. 7. confeſs. cap. 9. & Vincent. Lyrinenſ. in commonitorio, & Theodoretus in Æraniſte, & Socrat. hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 26. In hoc errore aliquãdo fuit Alipius ſocius Auguſtini eodem teſte lib. 7. confeſs. cap. 19. & in quo Auguſtinus nunquã fuit, vti ibidẽ obſeruat. Damnatur hic error à Damaſo in profeſſione Fidei ad Paulinum in ſeptimo loco.

Secundus error fuit Neſtorij, qui aſſerebat in Chriſto fuiſse perſonam humanam, & Chriſtum purum hominem fuiſse, non ſecundum naturã aſſumptum à Verbo, ſed vnitum Verbo accidentaliter per affectum quendam amoris, & charitatis ſpecialis. Ac proinde Chriſtum non eſse Deum, ſed hominem acceptum Deo, nec Beatam Virginẽ Mariam Theotocon eſse, ſed Chriſtotocon. Ita eius hæreſim referunt Euagrius lib. 1. cap. 2. & Theodoretus lib. de hæreticorum fabulis in fine, & Auguſtinus lib. de hæreſibus hæreſ. 39. Socrat. lib. 7. hiſt. cap. 32. & Vincent. Lyrinenſ. lib. contra profanas nouitates, & in hunc ſenſum hunc errorem explicat Diuus Thomas 3. par. q. 2. artic. 6. in quo antea fuerat Ebion, & Theodorus Byzãtinus, Paulus Samoſatenus, & Photinus; vt refert Alphõſus Caſtro lib. de hæreſ. & Bellarminus lib. 3. de Chriſto c. 6. & Vaſquez 3. part. diſp. 18. cap. 1. & Suarez in comment. ad art. 6. qu. 2. 3. par. S. Tho. & d. 3 ad eam quæſtionem. Damnat hanc hæreſim Damaſus in Profeſs. ad Paulinum ſexto loco.

Tertius fuit Eutychetis, qui poſt Apollinarem vixit, fuitque ſuppar Neſtorij, affirmantis humanitatem Chriſti poſt incarnationem in Diuinitatem fuiſse conuerſam, ita vt vna tantum in Chriſto natura exiſteret, teſte Flauiano Epiſtol. ad Leonem Papam, & Leone Epiſt. 97. ad Imperatorem, & Gelaſ. lib. de duabus in Chriſto naturis contra Eutychetem, & Neſtorium, & Vigilio

gilio Papa lib. 3. contra Eutychetem in principio, & Theodoreto lib. 4. de hæreticorum fabulis in fine, & Auguſtin. hæreſ. 90. & Nicephoro lib. 18. hiſtor. cap. 45.

Quartus fuit Manichæorum, qui negabant Chriſtum verum ex Maria corpus ſumpſiſse, & phantaſticum eſſe volebant, vt tradit Auguſtin. tom. 6. orat. 5. de hæreſibus, & lib. 2. & 3. contra Fauſtum, & lib. 83. quæſtionum q. 14. & epiſt. 1. ad Voluſianum; & ſæpè alibi contra Manichæos, quem errorẽ acceperunt ex Cerdone, qui primus eius Author fuit apud Tertullianum lib. de præſcript. cap. 51. & Auguſt. lib. de hæreſ. hæreſ. 2. & Epiph. hæreſ. 41. in quo etiam fuiſse Marcionem ſcribit Philaſtrius lib. de hæreſ. & Tertullianus lib. de præſcript. cap. 3. & 51. & lib. de carne Chriſti cap. 1. & Irenæus libr. 1. aduerſus hæreſ. cap. 29. & Epiphanius hæreſ. 42.

Secuti ſunt hos Prodianitæ, ſiue Hermiatitæ natione Galatę, vt ait Philaſtrius: ſiue Proclianitæ, vti vocat Auguſtinus hæreſi 60. ac ex eo Sanderus lib. 7. hæreſi 82. nec ſolum Orientales, & Africani adhæſerunt his Hæreticis, ſed etiam Priſcillianiſtæ, quos damnat Leo primus Pontifex Epiſt. 91. ad Turibium, in Hiſpania; & noui Manichæi quibus Anathema dixit Alexander III. c. *cum Chriſtus*, de hæreticis, in Gallia.

Quintus fuit Tropitarum, qui dixerunt: Verbum in carnem fuiſse conuerſum, teſte Philaſtrio, & Socrate apud Maldonatum comment. in cap. 1. Ioannis. verſ. 14. & apparet ex Canone 11. Synodi Syrmienſis: in quo anathema dicitur hiſce hæreticis. Eiuſdem erroris fuiſse Eutychetem tradit Bellarmin. lib. 3. de Incarnatione cap. 2. his verbis.

Deinde dicebat vnam eſſe factam naturam ex diuinitate, & carne, per conuerſionem diuinitatis in carnem. Tertio aſſerebat diuinitatem verbi natam, paſſam mortuam, ſepultam fuiſſe: quod, quidem ex priori errore naſcitur. Mirũ hæreſeos architectum! Cõuertere naturam humanam in diuinam, vertere diuinam in carnem humanã, & vtranque euertere. Apage hunc Vertumnũ.

CAPVT IV.

Neſtorij perſona, & error deſcribitur.

NEſtorius Germaniciæ in finibus Cilicũ natus Theodori Mopſueſteni diſcipulus fuit, teſte Euagrio lib. 1. c. 2. & Cyrillo Epiſt. ad Acacium, à quo hauſit erroris venenum: quod quia liberius euomuit, eius auctor habetur: antiquiorem enim fuiſſe hanc hæreſim Neſtorio conſtat ex Athanaſio in orat. inſcripta vnum eſſe Chriſtum. Et ex Ambroſio qui libro de Domine. Incarnat. Sacram. c. 6. illius mentionem facit: floruerunt autẽ ambo Doctores ante Neſtorium, vti ex Chronologia apparet. Succeſſit in Cathedra Conſtantinopolitana Siſinio ann. 428. Aprilis 10. qua die totam vrbem nefaria per diſcipulum Anaſtaſium voce clamantem, Deiparam non eſſe Dei Matrem, ſed Chriſti, Chriſtotocon, non Theotocon funeſtauit. Illius habitum tum oris, tum corporis deſcribit Theodoretus epiſt. ad Sporadium ad hypocriſim apprimè comparatum. Propria Neſtorij hæreſis fuit ponere in Chriſto duas pro naturarũ numero, & diuerſitate perſonas: alteram diuinam, humanam alteram; & ad fucum faciendum inducebat vnionem inter eas gratiæ ſpecialis, & amoris ſingularis moralem, cuius vinculo intimè necterentur, & vnum Chriſtũ con-

conſtituerent. Hac ſpecie decipiebat vulgus, quaſi illa vnio eſſet hypoſtatica, quæ copularet inter ſe perſonas iam conſtitutas: imo aiebat ſe perſonam tertiam appellare illud cōſtitutum ex perſona diuina, & humana, quòd vnū compoſitum eſſet reſultans ex naturis iam ſubſiſtentibus, & terminatis hypoſtaticè, ſoluta compage ſubſiſtētiæ, retenta cōpoſitione morali inter vtrāque perſonam. Itaq; ex analyſi cognoſcitur ſtructura hereſeos Neſtorij. Reſolue Chriſtū Neſtorii, inuenies naturā diuinā in perſona diuina filij Dei, & naturā humanā in perſona hominis filij Virginis Mariæ, & amorē, & gratiā per quā illæ duę perſonæ cohærebant inter ſe. Ecce vides Filium Deum naturalem Dei, & filium hominem filiū Mariæ, & tertium quiddā adoptiuum per amorem, & gratiam: Qua ferme ratione Cherintus errabat ſoluens Ieſum in duos, vnum filium Dei, quem dicebat Chriſtum, alterum filium Virginis, quem vocabant Ieſum, quēadmodum ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 5. Satagebat autem Neſtorius cum Magiſtro Theodoro multis modis hanc vnionem amoris, & gratiæ accidentalem conſtringere, & nodis pluribus implicare, vt ex ea reſultaret peculiare quodam ſuppoſitum morale per coniunctionem intimæ connexionis vtriuſque perſonæ, veluti cuiuſdam coniugij ſpiritualis adinſtar viri, & vxoris, qui tranſeunt in carnem vnam, qua ſimilitudine vtebatur Theodorus, vti eſt in Synodo quinta act. 12. Appellabat verò vnionem Chriſti inhabitationis intimæ, ſicuti in ſacratiſſimo templo, in quo diuinitas habitaret ſpecialiter: ad idque ſuadendum aſſerebat illud Chriſti apud Ioannem 2. *Soluite templum hoc*. Atque hic erat primus modus Inhabitationis. Secundus Inſtrumenti operantis virtute diuinitatis illud mouentis, qualis erat illa virtus ad miracula patranda, quam Chriſtus ipſe de ſe exire ſentiebat, & ſentire ſe affirmabat. Tertia Priuilegij, quo Filius Dei, Ieſu homini filio Virginis omnes perfectiones diuinas participabat, collatis in eum Donis ſpiritualibus, & cōmunicatis nominibus propter participationem rerum diuinarum, vt ſcilicet Chriſtus eſſet re, & ſuppoſito duplex, nomine tamē vnus, Deus omnipotens, ſapiens, Sanctus, immortalis cum cęteris nomenclaturis attributorum diuinorum. De his modis perſpicuè & ſubtiliter commemorat S. Thomas 3. p. q. 2. ar. 6. citato Theodoro, & Neſtorio. Non fallebat tamen Neſtorius Catholicos ea farragine vnionum; nam erant omnes accidentales, & morales, non autem ſubſtantiales, & Phyſicæ, quæ non poterant naturalem filium conſtituere, & ad adoptionem pertinebant, ac proinde cuilibet homini Sancto poſſunt cōuenire. Vt igitur nimium ligaret his nexibus Chriſtum, eum prorſus ſoluebat ex vno in duos filios, alterum Patris Dei, alterum Matris hominis, & cum Cherinto ſentiebat, & in Antichriſtum tranſibat, ſecundum verba Ioannis epiſt. 1. c. 4. *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus*: quæ eſt germana lectio latina priſca, & idonea, qualem inuenimus apud Leonem Papam ſuppare Neſtorio in epiſt. ad Flauianum Conſtantinopolitanum.

Hęc fuit genuina hæreſis Neſtorij, vti apparet ex Cyrillo de Incarnatione Vnigeniti, & in epiſt. ad Succeſſorem: ac ex Euagrio lib. 2. & Liberato in Breuiario cap. 4. Proſpero in Chronico ann. 431. Theodoreto lib. 4. de Hæreticis fabulis, & in reprehenſ. 12.

Digitized by Google

anathem. Cyrilli, & epiſt. ad Sporad. Damaſc. lib. de hęreſ. Vincentio Lirin. in Commonit. c. 17. vbi ſic. *Neſtorius dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repẽte perſonas, & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei: duos Chriſtos, vnũ Deum, & alterum hominem: vnum qui ex Patre, alterum qui ſit generatus ex Matre.* Extant in Concilio Epheſino p. 2. init. act. Illæ Blaſphemiæ Neſtorij. *Non eſt dicendum Deum factum eſſe hominem propter nos, & Ego bimeſtrem, & Trimeſtrem Deum non dico*: quæ ſimiles ſunt illis relatis in Epiſt. Voluſiani ad Auguſtinum, & ab hoc diuinitùs refutatis Epiſt. 3. ad Voluſianum, tomo 2. operum Auguſtini. Itaque iam tum alij ante Neſtorium eius hæreſim parturiebant. Tradiderunt hanc hæreſim quidam Bonoſiani à Bonoſo ita dicti: quorum meminit Iſidorus lib. 8. origen. c. *de hæreſib. Chriſtian.* qui videntur antiquiores eſſe Neſtorio. Etenim Innocentius I. in epiſt. 20. quæ eſt in 1. to. Concil. & epiſt. ad Laurent. epiſt. Senenſ. meminit hæreticorum, qui Photinum vnum ex prodromis Neſtorij ſequebantur: hi verò in titulo epiſtolæ *Bonoſiani* dicuntur. Quorum item meminit idem Innocentius expreſſo nomine epiſt. 21. & 22. licet errorem non exprimat. Quin & Gregorius Papa lib. 9. epiſt. epiſt. 61. eorumdem mentionem facit. Vnde Sanderus lib. 7. de viſib. monarch. & Prateolus verbo *Bonoſiani* hæreſim Neſtorianam ijs attribuunt. Conſentiũt Vaſquez 3. p. d. 15. c. 1. & Suarez d. 7. ſect. 3. Aduerſus hunc errorem ſcripſere multi: præſertim Cyrillus in opuſcul. ad Euoptium, & in Anathem. & alijs operibus, quæ habentur in Concilio Epheſino. Petrus Diaconus de Incarnatione, & Fulgentius libro eiuſdẽ tituli, Gennadius, Caſſianus, & in primis Gelaſius Papa in paruo Libello.

Impugnant item hunc errorem duo Principes Scholaſticæ Theologiæ Diuus Thomas, & Scotus, ille 3. p. q. 2. ar. 6. ubi ait eã hæreſim tradidiſſe Theodorum Mopſueſtenum cũ Neſtorio; quod item affirmat lib. 4. contr. Gentil. c. 34. Hic vero in 3. ſent. d. 4. q. 1. egregium teſtimonium habet contra Neſtorium, in quo apparet ſingularis illius in Virginem Mariam Matrẽ Dei pietatis affectus, etenim init. quęſt. proponit argumentum ſumptum ab auctoritate Damaſceni: *Genitricem*, inquit, *Chriſti nequaquam diximus Beatam Virginem*: cui ita reſpondet in fine quæſtionis. *Ad ſecundum dico: quod Damaſcenus non negat eam abſolutè eſſe Matrem Chriſti, ſed contra Neſtorium, qui ſub illo vocabulo voluit eam negare eſſe Matrem Dei. Ponendo quòd peperit purum hominem. Vnde poſt illam auctoritatẽ ſubdit in deſtructione Theotocos, ideſt, Dei Genitricis vocis, nefarius, & execrandus Neſtorius ſolius naturæ ſuper omnem creaturam Dei genitricis vocem, & ſi ipſa reſcindatur, cũ impio Satana adinuenit: non igitur negauit illud, ſed noluit communicare in ſermone cum hæretico illo, qui ſub vocabulo illo occultabat venenum ſuum.* Hęc Scotus: cuius verba notanda ſunt, quibus anathematizat Neſtorium vocans *nefarium, & execrandum*, quòd in Beatam Virginem blaſphemabat dicens eam eſſe *Chriſtotocon*, non *Theotocon*: cuius blaſphemiæ moriens pęnas dedit, cùm in exilio impiam corroſa à vermibus nefaria lingua animam efflauerit, teſte Euagrio.

CA-

CAPVT V.

Quis, et qualis fuerit error Eutychetis?

ERraſse Euthychetem circa Incarnationem Verbi, vti conſtat, ita quomodo errauerit, ambigitur. Ali js alia ſentientibus. Ratio dubitandi eſt, quia Eutyches dixit poſt Incarnationem vnam ex duabus naturis factam fuiſse; Chriſtumque non in duabus naturis, ſed ex duabus ſubſiſtere: quod difficile eſt intellectu. Primò, quia videtur ſupponere ante Incarnationem fuiſse naturam humanam, & per vnionem tranſijſse in naturam Diuinam, quaſi ante Incarnationē per ſe exiſteret. Secundò, quia non explicat Eutyches modum, quo ex duabus naturis iam exiſtentibus per vnionem vna tantùm facta fuerit; vel enim illa natura humana eſse deſijt, vel abijt in Diuinitatem, vel manſit, & cum Diuinitate ita confuſa eſt, vt omnino miſta fuerit, vel ex vtraque vna tertia natura diſtincta à duabus reſultauit. Præter hos modos alius errandi eſt, dicendo Diuinitatem conuerſam in humanitatem, quod quidem videtur ſenſiſse Eutyches, quoniam affirmauit Diuinitatem ipſam paſsam, & ſepultam, quod fieri non poſset, niſi Diuinitas in carnem tranſiret. Tandem non apparet, vtrum de ſola anima loquatur Eutyches, an etiam de corpore? videlicet, quid ſenſerit, an de conuerſione carnis in Deum, an de conuerſione Dei in carnem? Quare neceſse erit hanc rem diligenter tractare.

Pater igitur Suarez 1.t. in 3. par. d. 7. ſect. 2. ſenſit Eutychetem vnam tantū naturam poſt Incarnationem poſuiſſe, humanam conuerſam in Diuinam, idque multis argumentis probat. Contrà Vaſquez 3. p. d. 14. cap. 1. negat Eutychetem vnam naturam per conuerſionem admiſiſse, ſed vnam ex duabus conflatam per compoſitionē, & mixtionem, neutra tamen conſumpta, ita vt verum eſset dicere vtranque manſiſse, ſed inter ſe confuſas, & miſtas, vti elementa in corpore. Bellarminus autem lib. 3. de Incarnatione cap. 2. affirmat duo: Alterum Eutychetem vnam tantum naturam poſt Incarnationem in Chriſto poſuiſſe; ſed non explicat vtro ex duobus modis vna dicenda ſit, per conuerſionem ne altera pereunte, an per miſtionem vtraque manente? Alterum Diuinitatem in corpus fuiſse conuerſam, atque adeo conceſſiſse Diuinitatem in Chriſto & mortuā fuiſse, & ſepultam. Maldonatus coment. in Ioannem c. 1. verſu 14. ait Eutychetem ex Verbo, & carne tertiam quandam naturam factam ſenſiſſe, idque ſupponit potius quàm probat. Addit in comment. in cap. 6. Ioannis verſu 38. Eutychetem vnam tantum voluntatem in Chriſto poſuiſſe, atque adeo Monothelitam fuiſſe. E quidem Maldonatus minus hoc probat authoritate, Bellarminus doctè, Suarez doctiùs, Vaſquez doctiſſimè ſua placita confirmant.

Ego inter hos quatuor doctiſſimos Viros conſtitutus probo ſententiam Suarij, in qua eſſe puto Bellarminum, & Maldonatum, & contra Vaſquez ſentio. Nego in primis Eutychetem confuſionem illam, & miſtionē naturarum feciſſe, in qua naturæ ambæ compoſitæ, & miſtæ permanerent. Ago primum ratione: deinde authoritate. Ratione ſic: hæc confuſio, & miſtio, vel relinquit vtranque naturam in miſto, vel vnam tantùm, vel tertiam ex vtraque ita componit, vt neutra maneat ex duabus, ſed vna tertia diuerſa ex miſtione reſultet, nec enim ſuper-

eſt alius modus. Tum, probo primum dari non poſſe in ſententia Eutychetis, quia ſi manent illæ duæ naturæ in illa permiſtione, vt neutra earum pereat, deſtruitur error Eutychetis dicentis per Incarnationem vnam tantùm factam fuiſſe in Chriſto naturam.

Quod ſi reſpondeat Vaſq. in illa miſtione ita confuſas manere naturas, vt vna ab altera non diſcernatur, nihil proficit, quia non apparere diſcretionem, non eſt tollere multiplicitatem, imò quò maior fuerit miſtio, & confuſio, eò magis multiplex erit natura, quare miſcendo ſe, & inuoluendo cum altera multiplex redditur, omnis autē multiplicitas naturæ errori Eutychetis aduerſatur. Confirmatur, quia error Eutychetis fuit contrarius errori Neſtorij, ſed hic ponebat duas perſonas, Diuinam, & humanam diſtinctas, vnitas tamen inter ſe per vnionem gratiæ & amoris. Ergo Eutyches à contrario poſuit vnam tantùm naturā indiſtinctam. Tertio autē modo noluit errarre Eutyches, quia ſemper admiſit, & retinuit naturam Diuinam; ſi autem hęc ex coniunctione humanæ naturæ in tertiam quandam abiret naturam, non maneret in ſola ſubſtantia, & ſtatu Diuinitatis. Pręterea hęc tertia natura nō eſſet humana, nec Diuina; ſed tertia ab vtraque diuerſa; quòd ſanè eſt ineptū, & impoſſibile: quomodo enim Diuinitas degeneraret in aliam naturam, & ſuam ſubſtantiam amitteret, vt abiret in aliam tertiam? Tandem quomodo Verbum eſſet Deus conuerſa Diuinitate in aliam, aut quomodo eſſet homo, ſi natura humana in aliam naturā trāſierat? ex quo probatur nec primo, nec tertio modo illam cōfuſionem, & permixtionē naturarū in Eutychetis ſententia fieri potuiſſe. Supereſt ergo ſecundus, vnam naturā in aliam fuiſſe conuerſam, ideſt humanam in Diuinā, & huiuſmodi fuiſſe errorem Eutychetis. Vtrunque ſenſū proponit Alfonſus a Caſtro, & in medio relinquit.

Rationi adijcio authoritatem. Primò, quia Patres communiter ſentiunt, ac docent Eutychetis errorem recidere in errorem Apollinaris, ita vt pro vno ferme ab ipſis computetur. Apollinaris autem, vti conſtat, ſolam Diuinitatem in Chriſto ineſſe dixit, & animam excluſit, ita vt loco animæ in Chriſto Diuinitas eſſet. Ita Auguſtin. lib. de hæreſ. ad Quod vult Deum, hæreſ. 91. loquens de Eutychete. *Cum videretur*, inquit, *refutare Neſtorium, in Apollinarem, Manichæumque tranſiuit, & humanitatis in Chriſto denegans veritatem, quidquid à Verbo noſtræ proprietatis receptum eſt, Diuinæ tantummodo aſcribit eſſentię, vt fundamentum ſalutis humanæ, quod non niſi in vtraque ſubſtantia eſt, noſtram in Chriſto naturam negando, diſſolueret*, Quæ verba tam ſunt clara, vt mirer Vaſq. cum ea producat audere detorquere, & in ſuum ſenſum interpretari.

Secundò hoc ipſum Gelaſius lib. de duabus naturis in Chriſto, paulo poſt initium libri his verbis tradit: *Qui vnā, ideſt ſolam Diuinitatem conatur aſſerere*. Quibus ſignificat Eutychianum errorem. Vigilius item Papa lib. 2. aduerſus Eutychetem ante medium, ſic ait: *Eutyches reſpiciens vnam perſonā, vnam inquit eſſe naturam, & ob hoc humanam auſus eſt denegare*. Et lib. 1. etiam ante medium: *Quia*, inquit, *ſecūdum iſtos, qui vnam tantum contendūt eſſe naturam, non Verbi mutata eſt in carnem vt fieret vna, ſed carnis in verbo conſumpta eſt, vt extantiam per ſuā abolitionem amittens omnino eſſe non poſſit, in ſola natura Verbi remaneat*. Pręter hos hanc prius tenuerat de Eutyche

tyche ſententiam D. Ambr. lib. de Incarnatione cap.3.tacito tamen nomine Eutychetis, vbi mentionem facit mutationis,& conuerſionis naturæ.

Diuus Thomas quæſt. 2.ar.6.in corpore vtrunque errorem Apollinaris, & Eutychetis pro vno ponit, & ſextã Synodum allegat, in qua id habetur, & quamuis verba Synodi ſignificent vnitas inter ſe per confuſionem fuiſſe, intelligenda eſt, non de confuſione in qua miſtæ naturę maneant,ſed in qua vna natura tantùm maneat ex confuſione illa exiſtens:ait enim eos ſuſtuliſſe vtranque naturam,& vnam interemiſſe:qui erat error Apollinaris; ac ita ſentit D. Thomas. Eiuſdem ſententiæ eſt Coccius lib.2.de Chriſto Saluatore art. 2. citatis multis, vt ſolet, Authoribus.Ex his apertè refellitur opinio Vaſquij,& apparet errorem Eutychetis in eo ſitum, quòd poneret vnam naturã per conuerſionem humanitatis in Diuinitatem,vti poſuit Apollinaris,quanquam diuerſo modo.

Hunc autem modum oportet inquirere. Fuit verò huiuſmodi. Eutyches opinatus eſt humanam in Chriſto naturam aliquandiù ante Incarnationem fuiſſe, itaut præexiſteret anima,& corpus Chriſti in ſe; deinde factam Incarnationem vniẽdo illam naturam pręexiſtentem ad Verbum perquam vnionem natura humana, quæ erat,conuerſa in Diuinitatem, eſſe deſijt. Hoc autem non dicebat Apollinaris,qui nolebat in Chriſto eſſe,aut fuiſſe animam, ſed vt pro anima Diuinitas eſſet malebat; itaque ſolam carnem aſſumptam ſine anima, in cuius loco Diuinitas erat. At Eutyches volebat, vt anima exiſteret priuſquam eſſet aſſũpta, & affirmabat hanc aſſumptã fuiſſe, ſed in ipſa aſſumptione conuerſam in Diuinam naturam fuiſſe,& in Diuinitatem tranſijſſe; qui longè diuerſus eſt modus errãdi a modo errãdi Apollinaris. Quem fatetur diuerſum Suarez, & cum eo Vaſquez citatus: ſed diuerſitatem non exprimunt, cuius nos exactam mentionem, opinor,fecimus.

Quòd autem Eutyches illas duas naturas præexiſtentes ad vnionem fecerit;perſpicuè tradit Nicephor.lib.18. hiſtor.cap.47. *Duas,inquit, & ipſe ante vnionem naturas dixit, deinde vnitas; poſt vnionem autem in vnam naturam abijſſe*. Quo nihil apertius dici potuit.Hinc erat,vt affirmaret Chriſtum ex duabus naturis, non in duabus naturis ſubſiſtere, quòd cum duæ eſſent ante vnionem,ex illis duabus vna facta eſt per vnionem. Vtrum ſenſerit illas duas naturas prius tempore,an momẽto,vel natura extitiſſe, minùs certè cõſtat. Vaſq. prioritatem temporis illum poſuiſſe negat. Ego crediderim de hac locutũ Eutychetem, & putaſſe Chriſtum prius tempore fuiſſe hominem in ſua naturam conſtitutum, & deinde illam naturam aſſumptam fuiſſe à Verbo,& conuerſam in Diuinitatem, & quamuis ſit craſſus hic error, non eſt ab homine tam hebete,& rudi alienus, qui exiſtimauit ex vtraque natura vnam fieri,conſumpta prorſus altera,potuiſſe.

Quid autem ſenſerit de carne Chriſti Eutyches, magis ambiguum eſt. Exiſtimo tamen eum ſenſiſſe in Diuinitatem item illam tranſijſſe,& hac de re cum Tropitis conſenſiſſe; quod ex multis Authoribus probat Coccius lib.2.de Chriſto art.2.non excludebat tamen corpus viſibile, & phantaſticum, ſiue ex alia natura cæleſti, ſiue aerea cum Manichæis: vti apparet ex Vigilio lib. 1. contra Entychetem, & oſtendit Vaſq.in 3.par. diſp. 14. cap. 1.

Hunc

Hunc errorem ſecutus eſt Dioſcorus, teſte Liberato Archidiacono Carthag. in ſuo Breuiario cap. 12. quod opus habetur tom. 2. Concil. poſt Cōcil. Aurelianen. Eundem poſtea amplexi ſunt Acephali, ſeu Acephalitæ Anaſtaſio Imperatore, & Symmacho Pontifice 494. anno. Authore Prateolo in Elencho hereſum, verbo Acephali; & Alphōſo Caſtrio, verbo Chriſtus. hæreſ. 4. Quorum caput. fuiſſe dicitur Seuerus. Eodem correptum fuiſſe Petrum Gnaphæum Epiſcopum Antiochenum ſcribit Nicephorus lib. 18. cap. 45. & illos hæreticos, qui Monophyſitæ ſunt dicti, quaſi vnam dūtaxat in Chriſto naturam ponentes, & Monothelitæ hoc nomine appellati, quia vnius tantum in Chriſto voluntatis aſſertores erant: teſte Coccio lib. 2. de Chriſto art. 2. Quanquam hi propriè Eutychiani non eſſent, ſed ſuſpecti, imo & participes neceſſaria connexione eius hæreſeos, quoniam qui vnā tantum voluntatem in Chriſto ponebant, vnam etiam naturam ponere tenebantur. Inter Eutychianos autem recenſendus haud dubiè eſt Iacobus ille Cyrus, cuius diſcipuli Iacobitę appellati, & Ioannes Philoſophus Grammaticus, vti narrat Nicephorus lib. 18. hiſtor. cap. 45. & 48.

Magna controuerſia eſt. Vtrum Monachi Syri, Hormiſda Pontifice, quorum vnus erat Abb. Io. Maxentius, Eutychiana item hæreſi infecti fuerint? de quo nobile certamen eſt Patri Vaſquio cum Cardinali Baronio: hic enim tom. 7. Annal. affirmat eos Eutychianos fuiſſe. Pater autem Vaſq. in 3. par. diſp. 15. cap. 3. eos conatur excuſare. Aſſentiebar olim Vaſquio. Poſteà tamen accuratius expendenti controuerſiam viſa eſt mihi veriſimilior Baronij ſententia; nam illa propoſitio, quā ingerebant Monachi Scythæ *Vnus de Trinitate eſt Crucifixus* ſuſpectā reddit eorum mentem: nam cum ly *vnus* ſingulis perſonis conueniat indifferēs ad omnes remanebat: ita vt ſingulis poſſet attribui; non enim fiebat mentio perſonæ relatiuæ, quæ contraheret ſenſum ad vnam potius, quàm ad aliā; Vnde redibat affirmatio ad eſſentiam cum abſoluta ſubſiſtentia communi, quæ ſenſum communicabat Patri, & Spiritui Sancto indifferēter cum Filio, & ſuſpecta reddebatur. Nam cur iſti Monachi nolebant exprimere perſonam *Filij*, niſi quod vellent innuere prædicatum crucifixionis in quamlibet perſonā quadrare, cùm præſertim crucifixio iam ſupponeret perſonam determinatam per Incarnationē, qualis erat filius: quare non erat locus ſignificationi indifferenti ad alias perſonas. Si propoſitio alio modo efferretur V.G. *Vnus de Trinitate Incarnatus eſt* ferri vtcunque poſſet, quia deſcēdebat immediatè ad perſonā relatiuam filij, quam afficiebat prædicatum incarnationis. Nec enim Incarnatio facta fuit niſi in filio. At vero ſuppreſſo nomine Incarnationis coniungendo immediatè crucifixionem cum perſona indeterminata trāſibat ſignificatio ad ſubſiſtētiam communem. Subtile eſt hoc: ſed Hæretici non ſunt obtuſi. Quinimo idem Vaſquez qui negabat, nō inficiatur eos Monachos ſuſpectos fuiſſe, ſic enim ait illa d. 15. c. 3. n. 41. *deinde dico*, inquit, *illos male ſe geſſiſse, tum petulanter à Legatis & Pontifice exigentes additamentum illud Vnus de Trinitate, tum etiam falſam ſententiam legatis imponentes. Poſtremo fateor ingenuè ex eorum ſentētia potuiſſe aliquo modo colligi errorem Eutychianorum, quem ipſi in ſcriptis ſuis effugere contendebant*: Illud etiam valde miror, ne verbū quidem

dem de hiſce Monachis, deque tota huiuſmodi Cōtrouerſia aut Suarium, aut Bellarminum dixiſſe.

Explicato errore Eutychetis, eiuſdē Sectatoribus numeratis, ad cæteros errores veniamus. Et quidem error Manichæorum, & Tropitarum, quoniam patet, videtur eſſe prætermittendus, cū præſertim vterque per ſe clarus ſit, nec eius Sectatores nobiles fuerint. Itaque de ijs, qui cum Apollinari, Neſtorioque ſenſerunt commemorabimus. Igitur Apollinari adhæſit Timotheus quidam antiquus hæreticus, & Vitalis item, teſte Damaſo in Epiſtolis 1. & 2. & illi qui Dimeritæ nūcupati ſunt, authore Epiphan. hæreſ. 77. & 78. quanquam non omnino cum Apollinari ſentirent. Diſtinguebant enim animam, & mentem, animamque Chriſto cum corpore dabant, ſed mentem ab anima auferebant, itaque amentem animam Chriſto tribuebant. Hinc eis nomen *Dimeritarum*, quoniam duas partes admittebant corpus, & animam, excluſa tertia, ideſt mente, ſi tamen partes ſunt dicendæ; functiones melius dixerim.

CAPVT VI.

De nouis hæreticis circa Chriſti Domini Incarnationem.

Quę propria huius loci eſt hæreſis, quod Chriſtus non haberet animā non inuenio ex nouatoribus, qui eam propriè affirment. Sunt tamen qui cum Eutychete ſentiunt vnam in Chriſto eſſe naturam, atque hos quidē Apollinariſtas eſſe dicemus. Neſtorij hæreſim ſectātur apertè Brentius lib. de Maieſtate hominis Chriſti. Smidilinus in Theſibus, & Beza lib. de hypoſtaſi duarum in Chriſto naturarum, pagina 64. & 65. Occultè eum errorē videtur tenuiſſe Caluinus lib. 1. inſtit. cap. 13. §. 9. & 23. & 24. in quibus de perſona humana mediatoris Chriſti, quem appellat, tanquam de diſtincta loquitur, vt obſeruat Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 5.

Errorem Eutychetis ſecuti ſunt Memnon, Adam Paſtoris, Gaſpar Suenecfeld. Authore *Lindano* dialogo 2. Dubitantij & Andreas Muſculus teſte Staphyl. lib. de Concordia diſcipulorum Lutheri. Præterea ſcribit EKius Zuinglianos in Synodo Dunēſi miſtiōnem naturarum in Chriſto inſtar Eutychetis admiſiſſe. Addit autem Vaſq. diſp. 14. cap. 1. ad finem, accepiſſe ſe Romæ à Patribus ſuæ Societatis, qui eò miſſi fuerunt à Pontifice, Orientales multos ſub Alexandrino Patriarcha nolle fateri duas in Chriſto eſſe naturas, ne duas perſonas facere cum Neſtorio videantur.

Quòd attinet reliquas duas hæreſes circa Chriſti corpus, illæ inter nouatores maximè vigent. Huc omnes fermè incubuerunt. Igitur negant Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe cum grege Manichæorum Albigenſes in Gallia noui Manichæi, teſte Sandero lib. 7. de viſibili Monarchia 4. hæreſi 151. & Prateolo in Elencho. Cum ijs ſenſerunt Albanenſes, teſte Guidone de hæreſibus, & S. Antonino 4. parte Summæ 11. cap. 7. §. 5. Hos ſequuntur Anabaptiſtæ Suuenecfeldiani, teſte Coclæo lib. de erroribus Monaſteriēſ. & Caniſ. lib. 1. de corruptelis Verbi Dei. De Anabaptiſtis idem affirmat Caluinus; & de Libertinis cap. 171. Suuenecfeldius to. 2. Epiſtolarum epiſtol. 72. & 77. docet Carnem Chriſti nullo modo ſimilem carni Adæ, ſiue ante, ſiue poſt lapſum, & par. 1. Confeſſ.

Digitized by Google

feſſ. & par. 3. Epiſt. ad Auguſtanos, & lib. de totalitate Chriſti, negat carnem Chriſti, & humanitatem eſſe creatã. Atque vti veteres hæretici variè errarunt, ita & noui; quidam enim dixerunt corpus Chriſti eſſe cæleſte, & diuinum, & ex ipſa Patris eſſentia genitum, quem item fuiſſe errorem Apollinaris teſtatur Iuſtinus Apologia 2. ad finem: cuiuſmodi ſunt Memnon, qui affirmat illud corpus iam formatum ex ſinu Patris deſcendiſſe in vterum Virginis, vti probatur ex colloquio Niſmarienſi, & Michael Seruetus lib. 2. de Trinitate, qui affirmat corpus Chriſti eſſe de eſſentia Dei tractum, & Suuenccfeldius, quem proximè citauimus.

Alii verò hæretici in Chriſto carnẽ eſſe dixerunt, ſed illi ita Diuinitatem communicatam, vt diuina attributa in carnem tranſirent, atque adeo, quicquid in diuinitate eſt, ac de illa prædicatur, omne id de humanitate verificari, & prædicari poſſe, ac debere. Vnde manauit hæreſis Vbiquiſtarum, vel Vbiquetariorum, qui affirmarunt corpus Chriſti eſſe vbiq; per immenſitatem propriam Dei, quæ humanitati communicatur. Huius erroris Author fuiſſe videtur Iacobus Faber Stapulenſis, qui hoc indicat in cap. 12. epiſt. 1. ad Corint. & cap. 14. in Ioannem. Hunc ſequutus eſt Lutherus Serm. de Sacramento Cœnæ Domini tom. 2. operum ſuorum fol. 112. vulgò tamen habetur huius erroris Author, & princeps Ioannes Brentius, illum quippe apertè tradit dicens: corpus Chriſti vbique eſſe in Apolog. pro Cõfeſſ. Vvitembergenſi. tractatu de Cœna Domini, & lib. de Maieſtate Chriſti hominis, & Matthias Illyricus lib. de Aſcenſione Domini, & ad locum Petri Act. 3. ad illud, *Quem oportet cælum ſuſcipere.* & alij apud Bellarminum lib. 3. de Chriſto incarnato cap. 1. & Vaſq. tom. 3. in 3. part. qui eſt de Euchariſtia d. 80. cap. 7. vbi numerat Kemnitium, Vvigãdum, Senelcerum, & alios. Prouidentè Deo, vt his calamitoſis temporibus, quando Zuuingliani, & Caluiniſtæ, alijſque Sacramentarij negant præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, & eo vtuntur argumento, quòd vnum corpus eſſe non poſſit in diuerſis locis, tot alij hæretici ex contrario argumento dicant corpus Chriſti non ſolum eſſe poſſe in locis diuerſis, ſed neceſſariò eſſe oportere per vnionem hypoſtaticam, & communicationem Diuinorum attributorum, qui quanquam error eſt, tamen alium errorem tanquam clauus clauum trudit iuxta illud: *Salutem ex inimicis noſtris.*

CAPVT VII.

Hæreſis Apollinaris refellitur.

OPortet primùm quę ad animam Chriſti ſpectant, deinde quæ ad corpus pertinent, hæreſes refutare. Duplex igitur de anima Chriſti error fuit. Arianorum alter, alter Apollinariſtarum, ſed vterque eodem reuoluitur. Ariani enim dicebant in Chriſto nullam omnino fuiſſe animam, ſed Verbum eſſe loco animę. Ita refert Epiphanius hereſ. 69. & Auguſtinus hæreſ. 49. & Nazianzenus orat. 51. & ſeptima Synodus act. 6. tom. 5. eũ errorem tribuit Euſebio Cæſarienſi. Apollinaris in hoc primùm errore fuit: poſteà cum multis ſcripturarum locis vrgeretur, non eſt auſus animam prorſus negare: ſentientem igitur dedit Chriſto, intelligentem abſtulit: ſuſtulit rationalem, reliquit ſenſibilem,

Digitized by Google

Auguſt. teſte hæreſ. 55. vbi de illo ait: *Negauit mentem, quæ eſt anima rationalis hominis, cum autem rationalis anima hominis propria ſit, cum eam Apollinaris ſuſtulerit, neceſſe eſt animam prorſus ſuſtuliſſe*; ac ita Authores ſentiunt, & nos proximè diximus. Vt autem huiuſmodi errorem impugnemus, oportet fundamenta eius adducere, quandoquidem illa expreſſa inuenimus apud Athanaſium lib. de Incarnatione Chriſti, & Ambr. lib. de Incarnatione Dominicæ Sacramento cap. 7.

Primum fundamentum ſumebatur ex peccato originali, quo humanę omnes animæ inficiuntur, & ex concupiſcentia per peccatum contracta, & ad omne genus peccati inclinante, cum enim Chriſti anima nulla fuerit inquinata ſorde peccati, & non ſolùm peccato caruerit, ſed peccatum admittere non potuerit; argumentum videbatur eſſe, humanam in Chriſto animam non fuiſſe, quæ ſi fuiſſet, omnino peccatrix foret. Huic tamen argumento facile

Reſpondetur, animam Chriſti eiuſdem prorſus naturæ cum noſtris eſſe, non eſſe tamen peccatricem cùm peccatum nec conſtituat, nec pertineat ad naturam, ſed præter naturam ſit, & voluntate committatur; vnde potuit, ac debuit Chriſtus habere animã eiuſdem naturæ ſine effectu, defectuque peccati, & carere concupiſcentia, quæ eſt pœna peccati.

Secundum fundamentum eſt, ſi Chriſtus haberet animam, eſſet vnum quiddam compoſitum ex tribus ſubſtantijs, ſcilicet, Diuinitate, Corpore, & Anima, qui modus loquendi improbatur à Patribus, cum periculoſus videatur, & quaternitatem inducat in Diuinis. Quare illum impugnat Damaſcenus lib. 3. de Fide, & Paulinus in lib. Sacroſyllabo, qui eſt in Concilio Francoford. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ; & maximè diſplicuit Benedicto II. Papæ, vti habetur in Concilio Toletano 15. §. ad 2. cum enim Patres illius Concilij non formidarent dicere: *Chriſtum ex tribus ſubſtantijs componi*, Benedictus Papa vetuit, vt eo modo loquerentur. Igitur dicendum eſt Chriſtum anima caruiſſe, ne tres ſubſtantiæ in Chriſto eſſe dicantur. Hoc argumentũ, quia multùm doctrinæ poſtulat, eſt accuratiùs refutandum.

Reſpondetur igitur primò, non eſſe periculoſum dicere in Chriſto eſſe tres ſubſtantias, cum reuera ſint Diuinitas, Corpus, & Anima in vna perſona Diuina, modo nõ dicantur eſſe tres naturæ, cum anima, & corpus in vnã vniantur naturam, & humanitatem vnam efficiant. Bene autem dici poteſt in Chriſto eſſe naturas duas Diuinam, & humanam. Quarum humana ex duabus ſubſtantijs componitur, ideſt, corpore, & anima; corpus enim & anima duæ ſubſtantiæ ſunt, quæ partialiter concurrentes, efficiunt vnam naturam totalem, ideſt humanam. Hoc autem modo rectè admittitur vna perſona in duabus naturis cum tribus ſubſtantijs. Ita enim loquitur Auguſtinus lib. 13. de Trinitate cap. 17. *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus ſubſtantijs fieret vna perſona, ac per hoc iam ex tribus, ſcilicet, Deo, Anima, & Carne*. Vbi obſeruãdum eſt Auguſtinum nomine ſubſtantiæ appellaſſe totam humanitatem, & deinde partes humanitatis, ideſt, animam, & corpus, ſubſtantias item dixiſſe. & tract. 78. in Ioanne; *Agnoſcamus*, inquit, *geminam ſubſtantiam Chriſti. Diuinam, ſcilicet, qua æqualis eſt Pater: vtrunque autem ſimul non duo, ſed vnus eſt Chriſtus; ne*

C *ſit*

ſit quaternitas, non trinitas, ac per hoc Chriſtus eſt Deus, anima rationalis, & caro. Ecce tres ſubſtantiæ, & duæ naturæ. Hos autem locos Auguſtini afferunt Magiſt. in 3. d. 6. & D. Thom. ex vtroque 3. p. qu. 1. art. 2. qui eiuſdem eſt cum Auguſtino ſententiæ. Et in corp. articuli vtitur iiſdem verbis Auguſtini. Vt vna perſona fiat ex tribus Verbo, Anima, Carne. Et qu. 2. art. 1. exponit quomodo ex anima & corpore fiat vna natura: atque adeo in Verbo ſint duæ naturæ, quarum altera eſt humana, & componitur ex duabus partialibus anima & corpore. Eodem modo loquitur Iſidorus lib. de different. cap. 6. & Concil. Toletan. 11. in Confeſſione Fidei, vbi ſic. *Idem Chriſtus in duabus naturis extat: ſubſtantijs tribus*. Quare non eſt timendum fateri in Chriſto eſſe tres ſubſtantias, & duas naturas. Igitur ad argumentum in forma.

Reſpondetur ſecundò, ſimpliciter loquendo debere dici duas naturas humanam, & Diuinam in vna Perſona Verbi Diuina; ac proinde nullam eſſe quæſtionem de quaternitate Perſonarum, quam inducere hæreſis eſt, cum humana natura in Chriſto nõ ſit perſona, ſed natura ad perſonam Verbi aſſumpta. Quod autem ſpectat ad modum loquendi melius eſt dicere in Chriſto eſſe duas naturas, quam tres ſubſtantias propter vitandam æquiuocationem naturæ, & ſubſtantiæ. Ac ita loqui ſolent non ſolum Damaſcenus, & qui cum eo reprobant illum modũ loquendi: tres ſubſtantias; ſed etiam Auguſtinus, & Hilarius, & alij Patres, & Doctores, qui tres ſubſtantias aliquando dicunt. Quod autem alter modus loquendi: Tres ſubſtantiæ ſunt in Chriſto tutus ſit, & idoneus, patet ex Concilio Toletano 11. & 14. & 15. Vbi Patres illi Hiſpani fatentur duas naturas, & tres ſubſtantias, quod iterũ ait Iſidorus lib. de differentiis cap. 6. & Stephanus Eduenſis Epiſcopus lib. de Sacramento Altaris. cap. 7. & D. Bernardus Sermone 3. de Vigilia Natiuitatis, vbi: *Attẽde, quia ſicut in illa ſingulari Diuinitate Trinitas eſt in ſubſtantia, ita in iſta ſpeciali commixtione Trinitas eſt in ſubſtantijs, in perſona vnitas*. Verum quidem eſt, minus placuiſſe hunc modum loquendi Papæ Benedicto Secundo, & Paulino, & Concilio Francford. quia videtur occaſionem præbere confundi naturas, cum ſubſtantijs; quod periculum, vt vitarent, noluerant tres ſubſtantias dici prædicti Patres, quo longiùs ab errore diſcederent, & omnem errandi anſam Neſtorianis, & Eutychianis præſcinderent. Accedit, quod cum compoſitio ex anima, & corpore ſit remota reſpectu Chriſti, qui immediatè ſignificat perſonam ex natura diuina, & humana in Verbo ſubſiſtentem, minus rectè dicitur componi ex tribus, cum partes humanitatis ſeparatas non aſſũpſerit, ſed vnitas, atque adeo ipſam naturam humanam; itaque non debet componi ex duabus ſubſtantijs remotis, & partialibus; ideſt, corpore, & anima, ſed ex humanitate, quam proximè aſſumpſit. Verbum in Diuina natura ſubſiſtens, & ex Diuinitate quæ eſt proxima & adæquata compoſitio.

Quemadmodum igitur homo non dicitur propriè componi ex ſubſtantia corporea, & viuente, ſed ex animali, & rationali, & rectè definitur *Animal Rationale*, quę eſt proxima ratio componendi, quę illum proximè & immediatè conſtituit, & omnino adęquatè, & ita Chriſtus minus propriè dicetur cõponi ex tribus ſubſtantijs, quàm ex

duabus

duabus naturis, ſiue ſubſtantijs. Eſt verò maximè notandum nunquam dici poſſe in Chriſto fuiſſe tres naturas: qui error tribuitur Raymundo Lullo, eſtque damnatus.

Tertium argumentum eſt. Anima Chriſti habebat attributa, & proprietates Diuinitatis, quæ ſunt extra naturam humanam, & ſunt intra naturam Diuinam, & illius duntaxat propriè. Ergo hæc natura diuina pro anima erat in corpore. Antecedens probatur ex donis animæ Chriſti, quę erant ei veluti connaturalia, quæque in alijs erant dona gratiæ. Nam in eius intellectu erat lumen Gloriæ: erant ſpecies per ſe infuſæ à Deo, erant aliæ per accidens immiſſæ, præter acquiſitas. Erat viſio Dei clara: & vtraque ſcientia, per ſe, & per accidens infuſa, ſecluſa prorſus ignorantia humano intellectui naturali. Voluntas erat omnino recta, & nullo habitu vitioſo deformata, nec vllis concupiſcentiæ ſtimulis obnoxia, nec perturbationum motibus opportuna, citra rebellionem appetitus, citra tumultum paſſionum, ſine diſcordia partium animi, extra motus turbulentos exurgentes contra rationem. Et ipſa anima veſtita Gratia habituali, qua maior eſſe non poſſit, & ornata ſingularibus donis, quę Gratiam comitantur, tuentur, & conſequuntur: quæ omnes, & ſingulæ perfectiones ſunt, omninò ſupra conditionem animæ creatæ, ac proinde propriæ Diuinitatis. Huic argumento

Reſpondetur, Animam Chriſti omnibus his prorſus dotibus inſtructam, & ornatam fuiſſe; imò & alio multò præſtantiore Dono, ideſt ipſa Vnione hypoſtatica affectam, quæ vnio ad Diuinam Verbi Perſonam verè, ac phyſicè animam, & corpus vniebat: ita vt illa omnia ornamenta, & dotes animę humanæ ratione vnionis connaturaliter deberentur. Negamus tamen per hæc detrahi ſubſtantiæ animæ. Imò affirmamus locupletari eam, & perfici ijs ornamentis, & dotibus mediante illa vnione hypoſtatica, quæ erat ratio participandi quæcunque dona ſupernaturalia excogitari poſſunt: quare non ſequitur perijſſe animam, & in Diuinitatem abijſſe. Illud tātùm ſequitur animam illam ornatā, & perfectā fuiſſe donis ſupernaturalibus eximijs, quæ nudam animæ naturam, & naturalem eius facultatem excederent: non enim illa dona naturaliter manebant, & inerant animæ; ſed à Diuinitate procedebant, & animæ communicabantur: ex quo non conficitur animā eſſe ipſam Diuinitatem; ſed eſſe vnitam Diuinæ Verbi Perſonæ.

Vrgent nihilominus: illa dona eſſe ſigna, & argumenta naturę Diuinæ. Diſtinguimus, & damus eſſe dona Diuinitatis vnitæ: non Diuinitatis innatæ: & eſſe non naturalia, ſed ſupernaturalia: ex quo ſequitur animam eſſe naturam, & ſubſtantiam naturalem; quandoquidem illa dona ei non ſunt naturalia; nec ex illius ſubſtantia procedunt; ſed à Diuinitate promanant. Velle autem probare, aliquid eſſe Deum, ex eo quod habeat aliqua dona Dei, eſt omninò ineptum & abſurdum. Nam & Angeli, & Animæ Beatæ, Gratia veſtiuntur, & lumine Gloriæ ornantur, & viſione Dei fruuntur; quæ ſanè Diuina maximè dona ſunt, nec tamen ideò naturæ eſſe deſinunt. Vnde apparet futilitas obiectionis.

Quartum argumentum ſit ſumptū ex cap. 1. Ioannis: *Verbum caro factum eſt*: quod ſic proponit Auguſtinus nomine Apollinaris lib. 83. quæſtionum quæſt. 80. *Solam carnem humanam*

Chriſtum ſuſcepiſſe dixerunt, adhibentes teſtimonium ex Euangelio, Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis. Volunt enim ita Verbum Carni eſſe copulatum, atque concretum, vt nulla ibi non ſolum mens, ſed nec anima humana interſiſtat.

Reſpondetur verbis ipſius Auguſtini citati *Solere homines in ſcripturis per nomen ſolius carnis ſignificari, vt ſecundum hanc locutionem etiam illud poſſis intelligi, vt quod dictum eſt Verbum Caro factum, non aliter ſit dictum, niſi Verbum Homo factum eſt. Sicut à parte totum plerunque vna ſola nominata Anima intelligitur, ſicut eſt illud: Tot animæ deſcenderunt in Ægyptum. Etiam nominata ſola carne homo intelligitur, ſicut Lucæ 3. Videbit omnis Caro ſalutare Dei. Et Pſalmo 64. Ad te omnis Caro veniet. Et Ioan. 17. Dediſti ei poteſtatem omnis Carnis: quibus in locis Caro pro toto homine ponitur.* Cur autem maluerit Euangeliſta dicere: *Verbum Caro factum eſt,* quàm *Verbum Homo factum eſt?* ideo fuit eodem teſte Auguſtino, vt commendaret humilitatem, quia eò vſque Verbum ſe demiſit, vt non ſolùm animam, ſed carnem quoque aſſumeret. Addo: Nequis dubitaret Verbum veram Carnem aſſumpſiſſe; cùm plures negaturi eſſent verum Corpus à Verbo aſſumptum, quàm Animam: idcirco voluit Euangeliſta Carnem expreſsè nominare, de qua hæreſi inferius dicemus. Hanc eandem, quam de Verbo Diuino in aſſumpta Carne tradimus, doctrinam, habet Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 19. & 25. & libr. contra Felicianum Arianum cap. 13.

CAPVT VIII.

Refutatio erroris Apollinariſtarum.

SOlutis argumentis aduerſus animam, oportet errorem pro quo ſunt adducta refellere. Primum teſtimonijs Scripturarum. Deinde authoritate Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Tandem rationibus agemus. Igitur locos Scripturę quinque manifeſtos affero. Primum Ioann. 10. *Pono animam meam, vt iterum ſumam eam,* quod de Diuinitate nequit intelligi, quæ nec poni poteſt, nec ſumi, cum ſemper ſit, & deeſſe non poſſit. Secundum ibidem. *Animam meam pono pro ouibus meis.* Tertium ibidem. *Nunc anima mea turbata eſt.* Quartum Matth. 16. & Marci 14. *Triſtis eſt Anima mea vſque ad mortem.* Quintum Lucę 23. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.* Accedit Symbolum Athanaſij, vbi dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.* Damnauit hanc hereſim Damaſus ſuis temporibus iterum renouatam in Profeſſione Fidei ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicenſem, quę habetur inter ipſius Decreta 1. tom. Concil. & in Concilio Romano, teſte Hieronymo in additamento ad Chronicon Euſebij anno 379. & Leo Papa in epiſt. ad Iulianum 11. & epiſt. ad Epiſcopos Paleſtinos 83. Damnauit Concilium Epheſinum approbans Cyrilli epiſtolam octauam, & Concilium Chalcedonenſe act. 1. & Synodus Conſtantinopolitana act. 8. can. 4. & 11. vbi anathematizatur Apollinaris, & ſexta Synodus Generalis act. 1. & act. 18. & Concilium Toletanum 1. & 4. & 11. in Confeſſ. Fidei, & Carthaginenſe 4. c. 1. Scripſerunt con-

tra

Digitized by Google

tra illam ex Patribus Athanaſ. lib. lib. de Incarnatione Chriſti, & epiſt. ad Epictetum, Nazianzen. epiſtol. 1. & 2. ad Cledonium, & Nectarium, quæ ſunt orationes 51. 52. 56. Epiphan. hæreſ. 77. Cyrill. ep. 8. citat. à Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi citato, & lib. de Fide ad Theodoſium. Damaſc. lib. 3. de Fid. cap. 6. Hi Græci. Ex Latinis duos affert Vaſquez, Ambroſium lib. de Incarnatione Dominicę Sacramento cap. 7. & Fulgentium lib. 1. ad Thraſimundum à cap. 8. ad finem. Miror omiſiſſe Auguſtinum, quem tamen citat Suarius to. de Incarnatione diſp. 17. ſect. 2. citat autem librum de Agone Chriſtiano cap. 19. & 21. & contra Felicianum Arianum cap. 13. Agit autem hac de re Auguſtinus ſexcentis locis. Affero duos lib. 13. de Trinit. cap. 17. & ep. 120. ad Honoratum.

Ad rationes venio. Prima ſit, Chriſtus vt homo eſſet, anima carere non potuit, ergo animam habet cum homo ſit. Antecedens patet; nam homo phyſicè componitur ex materia, & forma, ideſt corpore, & anima rationali. Metaphyſicè autem conſtat ex gradibus animalis rationalis, qui ſunt genus, & differentia, qui gradus ſine corpore, & anima conſtare non poſſunt.

Secunda ſumitur à reſolutione. Chriſtus verè mortuus eſt; non potuit autem mori, ſi anima caruit, ergo habuit animam. Maior eſt de Fide. Minor patet, quia mors eſt animæ à corpore ſeparatio. Præterea confirmatur ex deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos, & ex Reſurrectione, quæ fieri nequit ſine reditu animæ ad corpus, & ſine reuerſione ad illud. Diuinitas autem non potuit, nec ſeparari à corpore, nec redire ad corpus, à quo nunquam receſſerat.

Tertia eſto. In Chriſto erat vera materia corporea, quæ non poterat eſſe informis, ergo erat informata anima, quæ eſſet forma proportionata, & naturalis. Diuinitas autem forma eſſe non poterat, nec enim eſt actus materiæ, nec cum ea vnum phyſicum, & naturale poteſt componere.

Quarta; eſt Chriſtus debuit mereri, & ſatisfacere. Quod non poſſet, niſi haberet animam, in qua eſt liberum arbitrium, & in qua ineſt gratia, quę ſunt principia merendi. Igitur animã habuit, quæ per actus liberos meritum exerceret, & quamquam per gratiam minimè mereretur, nec enim Chriſto ad merendum neceſſaria fuit gratia, tamen gratiam habuit, vt eſſet connaturale principium reſpectu actuum ſupernaturalium. Hac ratione ex merito ſumpta vtitur Auguſt. lib. contra Felicianum Arianum cap. 13.

Quinta ducitur ab effectibus; nam in Chriſto erant motus, & perturbationes animi, timoris, lætitię, triſtitiæ, & huiuſmodi, de quibus conſtat in Euangelio, qui affectus, & paſſiones, quamuis Chriſto eſſent voluntarij, & liberi, teſte Auguſtino tract. 49. & 60. in Ioannem, non poterant cadere in Diuinitatem, ac proinde in anima erant.

Sexta ſic procedit, Chriſtus debuit redimere id, per quod homo propriè peccauit, & cecidit, hæc autem fuit anima, in qua eſt voluntas, qua peccat homo, & in qua eſt priuatio Gratiæ: vnde ruina, & ſtatus naturę lapſæ extitit communis animæ, & corpori; ergo animam debuit hominis redimere, corpus ipſum animantem, & in corpore exiſtentem, quod eſt argumentum Nazianzeni orat. 51. & 52. & Damaſceni lib. 2. cap. 6.

Septima huiuſmodi eſt; *Chriſtus cre-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

creſcebat ſapientia, & gratia, teſte Luca cap. 2. *apud Deum; & homines*, non poterat autem creſcere ſecundum Diuinitatem, ſed ſecundum experimentalem animæ ſcientiam, ergo habebat animam.

Octaua ſit: quia Patrum communis ſententia eſt, corpus aſſumptum fuiſſe mediante anima; vnde ſequitur non fuiſſe aſſumptum corpus ſine anima. Antecedens patet ex Nazianzeno epiſt. 1. ad Cledonium, & orat. 3. de Theologia, & Damaſceno lib. 3. de Fide cap. 6. & præcipue ex Auguſtino epiſtol. 3. ad Voluſianum, & lib. de Agone Chriſtiano cap. 18. quos locos affert Diuus Thom. 3. parte quæſt. 6. art. 1. Addo ego locum epiſtolæ 120. ad Honoratum, vbi Auguſtinus ſic: *Verbum particeps carnis effectum eſt rationali anima mediante*. Quid autem Patres intelligant *mediante anima*, optime docet Magiſter in 3. diſtinct. 2. & ibi Scotus, & Diuus Thom. ibi, & hic 3. par. qu. 6. art. 1. ad 2. vt ſit, animam fuiſſe rationem & motiuum ſumendi corpus. Verbum enim aſſumpſit carnem, vt mereretur, & moreretur. Hæc autem ſine anima fieri non poterant, & huc recidunt omnes aliæ expoſitiones, quas excogitant Vaſq. 3. p. diſp. 37. & Suarez diſp. 16. & 17. vterque latiſſime.

Ego breuiter dico: ac me expedio hac ratione. Motiuum ſumendi carnem anima fuit: tum quia anima eſt actus, corpus materia, ordinatur autem materia ad formam, per quam perficitur: tum quia anima eſt principium vitale, intellectuale, liberum, & meritorium: non autem mediante anima aſſumptum eſt corpus, eo ſenſu, quod immediate corpus non fuerit vnitum Verbo: vel quod poſterius, quam anima fuerit vnitum. Corpus enim & anima, vtrunque immediatè, ac per ſe primo vnita fuerunt Verbo Diuino. Itaque in executione, neutrū prius altero fuit, aut vnitum fuit, ſed in intentione prius, & principalius intenta fuit anima, tanquam pars nobilior, quam corpus: & hoc eſt *mediante Anima* aſſumi.

Vtrum autem prius natura Vnita fuerint inter ſe anima & corpus vnione naturali, & poſtea humanitas tota vnita fuerit Verbo per vnionem ſupernaturalem hypoſtaticam? An contra, prior fuerit vnio partium ſingularium ad Verbum, ideſt animæ & corporis, quam vnio animę & corporis inter ſe naturalis? Diſputant Suarez de Incarnatione diſput. 17. & Vaſquez diſp. 37. & 39. negante Vaſquez animā & corpus prius vnita Verbo, quam inter ſe Suarez affirmante (loquuntur autem de prioritate, vt aiunt naturę: cum ea omnia facta ſint in inſtanti) ſubtilis, & purè Scholaſtica queſtio eſt: Cuius vtraque pars probabilis. Ego tamen libentius adhęrerem placito Suarij, quod videtur ad dignitatem Matris Dei accommodatius, niſi reuocaret ratio generationis, quę cum terminari debeat ad naturam humanam in Chriſto, debet eam producere, & vnire, quod eſt argumentum Vaſquij, de quo infra ſuo loco. Hac tamen in medio relicta queſtione, redimus ad noſtram.

Eodem, quo proximam explicauimus modo, exponenda eſt alia Patrum ſententia, qui dicunt animam aſſumptam media mente, ideſt animam rationalem fuiſſe intentam in Incarnatione, eo quod rationalis erat.

C A-

CAPVT IX.

Hæreſis Neſtorij refutatur.

VT meliùs hęc hæreſis confutetur, opus eſt, eius fundamenta proponere, eaque ſoluere, ac poſtea noſtris argumentis refellere.

Igitur Neſtorius negabat Chriſtum eſſe vnam perſonam ex duabus naturis Diuina, & humana compoſitam, his argumentis, quæ omnia petita ex difficultate myſterij. Qui enim fieri poteſt, vt naturæ duæ in vnam perſonã coeant, & quodammodo monſtrum efficiant? cum præſertim ſubſiſtentia vix intelligatur quid ſit, & multi eam Philoſophi à natura minimè diſtinguant, & in ſola negatione locent; alij communiter modum eſſe dicant, ac eundem omnino realiter cum ipſa natura, vnde ſequitur vbicunque natura ſit, ibi eſſe etiam ſubſiſtentiam: ac proinde cum in Chriſto humana natura ſit, in ea etiam ſubſiſtentiam remanere, atque adeo in Chriſto humanam quoq; cum natura eſſe perſonam. Deinde magis diſtinguitur materia à forma, quàm ſubſiſtentia à natura: nam illa realiter omnino, iſtę tantum modaliter diſtinguuntur, ſed materia & forma ſunt in Chriſto vnitę: ergo etiã erit ſubſiſtentia, quæ multo minùs diſtinguitur à natura, quàm partes inter ſe naturę. Hęc erat maxima difficultas, quę mouebat Neſtorium ad ponendum duas perſonas in Chriſto, & negandam vnionem hypoſtaticam ſubſtantialem ad perſonam Verbi. Hanc rationem dubitandi capit. ſequenti refellemus.

Argumenta ex Scriptura adducta hæc ſunt.

Primum locus ille Ioannis 2. *Soluite templum hoc.* vbi non ait Chriſtus, *ſoluite me*, quaſi eſſet vnus, ſed *ſoluite templum*, quaſi quoddam diuerſum, in quo habitat Deus, qui eſt omnino à tẽplo ſuo, in quo habitat diſtinctus.

Huic loco reſpondetur: Chriſtum ibi loqui de morte ſua; quæ eſt diſſolutio corporis, & animæ, quę ſunt partes humanitatis, quæ hoc loco vocantur *templum*; non dixit Chriſtus *me*, tum quia nolebat clarè, & perſpicuè de morte ſua loqui, tum quia perſona, quę erat Diuina, non diſſoluebatur à corpore, & anima, quę ſemper manſerunt vnitæ Verbo, cum igitur perſona immortalis eſſet, noluit, nec potuit de illa loqui, quando de morte loquebatur. Itaque nihil colligit locus.

Secundum teſtimonium ex 2. ad Philippenſes: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*, non enim, inquit Neſtorius, dicitur factus homo, ſed ſimilis hominũ, quaſi non eſſet natura homo, ſed habitu, & repræſentatione. Ergo verè homo non fuit, ſed veſtitus humanitate, quę inſtar erat veſtis, manẽte extra Verbum humanitate in perſona hominis, & ſicut tunica Verbum contegente.

Reſpondetur: plus adhuc voluiſſe ſignificare Paulum, quàm hominem eſſe Chriſtum; nempè non tantum hominem eſſe natura, ſed etiam accidentibus homini ſimilem eſſe voluiſſe, infirmitatibus nempè humanis obnoxium, cum enim naturam poſſet ſuſcipere ſine defectibus, miſerijſque naturæ, maluit eam his omnibus (præter peccatum) oneratam ſuſcipere, & nihil humani à ſe alienum putauit. quo ſenſu dixit Chriſtum in ſimilitudinem hominum factum, vt, & homo eſſet, & ex humanis infirmitatibus hominem eſſe appareret, dixit habitu in-

inuentum vt hominem, ideſt ſpecie quoque ipſa, & habitu animi, & corporis, vt ex illius effectibus, & perturbationibus, ex affectionibus, & doloribus homo deprehenderetur. *Suſcepit quippe infirmitates noſtras, & dolores noſtros portauit*, & noluit videri glorioſus, & beatus, cum poſſet, ſed mortalis, & pauper, & calamitatibus noſtris obnoxius. Semel ſe, ac ſeorſim in Monte transfigurauit. Cæterum vixit vt homo, & cum hominibus conuerſatus eſt, ſæpè fatigatus, ſæpè lacrymatus, ſæpè turbatus, donec tandem paſſus, & crucifixus.

Tertium eſt Matth. 27. *Deus meus vt quid dereliquiſti me?* ex quo ſic arguunt. Derelinqui eſt deſeri à Deo, cum Deo enim loquitur. Igitur ita in Chriſto erat Diuinitas, vt abeſſe ab illo poſſet, ac proinde non erat illi intrinſeca, ſaltem pro eo tempore, quo derelictus eſt ab ea Perſona Verbi, humanitas Diuinitati vnita non fuit: vnde ſequitur, ſi non fuit vnita rediſſe perſonam humanam, & ſaltem eo tẽpore duas in Chriſto fuiſſe perſonas, quod ſi aliquando fuerunt, argumento eſt ſemper fuiſſe ſeparatas, & vnicuique naturæ ſuam.

Reſpondetur: huiuſmodi derelictionem non fuiſſe naturæ, vel perſonæ, ſed aſſiſtentiæ, & fauoris: permittente Deo pati, & mori eum, qui cum eſſet Filius Dei pati, & mori non debuiſset. Itaque manſiſſe vnionem omnino humanitatis cum Verbo, ſed non remanſiſſe priuilegium immortalitatis, quod cum eſſet illi humanitati ex vi vnionis connaturale, noluit tamen Deus illud humanitati tribuere, vt Chriſtus nos redimeret, ac morte ſua ſeruaret. Tunc eſt derelictus, quando permiſſus eſt mori.

Quartum ſumitur ex alio principio. Verbum aſſumpſit hominem, ſed homo eſt, & dicitur perſona: ergo Verbũ aſſumpſit perſonam hominis. Maior eſt de communi conſenſu Patrum: qui ita loquuntur: imò & Concilia. Alexandrinum in epiſt. ad Neſtor. quæ eſt 10. inter epiſt. Cyrilli, & approbata eſt à Concilio Epheſino, Francfordienſe in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, Toletan. 6. cap. 1. & Toletanum 11. in Confeſſ. Fidei. Patres multos adducit Vaſquez 3. part. diſp. 38. c. 1. in quibus eſt Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorũ cap. 18. & epiſt. 62. & lib. 9. de Ciuit. c. 17. & 21. 26. & 29. & Boet. lib. de duab. naturis. & Damaſcenus lib. 3. de Fide cap. 4. & Anſelm. lib. de Incarnat. lib. 5. imò & Adrianus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quæ eſt Conc. Francotord. Minor autem propoſitio eſt D. Tho. 3. p. q. 4. art. 3. & probatur à Theologis Scholaſticis, qui ita diſtinguunt hominem, & humanitatem, vt humanitas dicat ſolam naturam, homo autẽ perſonam. Conſequentia patet: quia ſi aſsumpto homine aſsumitur perſona hominis, certè aſsumitur ſubſiſtentia: Vnde ſequitur duas eſse in Verbo ſubſiſtentias, ac proinde duas eſse perſonas Diuinam, & humanam. Reſpondetur hic argumento concedendo Patres, & Concilia eo modo loquendi vſos fuiſse, ſed non in ſenſu Neſtorij. Itaque per hominem verterũt humanitatem, & naturam hominis, non autem ſubſiſtentiam, & perſonam. Et quidem vulgari modo ſunt locuti, & exponendi ſunt *pie*, vt inquit S. Thom. & *probabiliter*. Nam homo quamuis ſit perſona, dicit tamen de formali ſolam naturam, connotat autem ſubſiſtentiam. Vnde optimè D. Thomas 3. p. q. 4. art. 2. in corpore: *Nomen homo ſignificat naturam humanam, prout nata eſt in ſuppoſito eſſe, vt dicit Damaſcenus.*

& ite-

& iterum ibidem ad primum. *Dicimus hominem aſſumptum, quia eius natura eſt aſſumpta, & quia aſſumptio terminata eſt ad hoc vt Filius Dei ſit homo*, & ad tertium: *Dicendum quod Filius Dei non eſſet homo quem aſſumpſit, ſed cuius naturam aſſumpſit*. Patres ergo, & Concilia rationem formalis ſignificati, ideſt naturæ humanæ, non concreti hominis, ideſt ſubſiſtentiæ, habuerunt. Verum eſt quidem Theologos, qui ſubtiliùs iſta ſolent diſtinguere hunc modum loquendi minus probaſſe, ne daretur occaſio errãdi. Ita olim ante D. Thomam expoſuit Patres Ioannes Maxentius dialogo 1. contra Neſtorianos, qui habetur tomo 5. Bibliothecæ Patrum his verbis. *Nonnulli Sancti Patres, nõ quidem ſicut vos ò Neſtoriani, ſed ad naturam potius reſpicientes, hominem aſſumptum à Deo dicere comprobantur*. Quæ eſt eadem allata proximè S. Thomæ expoſitio, quam ibi latè, & ingenioſè, & ſolidè proſequitur Caietanus. Aliter ſenſit, & dixit Ludouicus Viues audacis, & proiecti vir ingenij vltra ſuum captum affirmans, Verbum aſſumpſiſſe hominẽ; & reprehendit D. Thomam, quòd cõtrarium docuerit. Sed merito hic Grãmaticus taxatur à Suario in commentarijs ad q. 4. art. 3. D. Thomæ, & Vaſquez d. 35. cap. 5. quod Neſtorio hac ratione dicendi conſentiat, vel ſaltem conniueat.

Quintum ſumitur ex Conceptione Chriſti in vtero Virginis. Nam nõ potuit, aiunt, homo fęmina eſſe Mater Dei, cum enim non poſſet producere perſonam Diuinam, debuit generare perſonam humanã, quam ſi produxit non genuit Deum, ſed hominem; atq; adeo Mater Dei eſſe non potuit, quæ fuit hęreſis Neſtorij circa Matrem, negando B. Virginem eſſe Theotocon.

Reſpondetur: hominem fœminam potuiſſe generare naturam humanam ſubſiſtentem in ſuppoſito Diuino, non quòd generarit ſuppoſitum, ſed quòd genuerit naturam, quæ ſuſcepta eſt à Verbo Diuino. Itaque terminus formalis generationis eſt natura humana, vnio autem hypoſtatica huius naturæ ad Verbum eſt alia diſtincta à generatione; non autem fuit neceſſe attingere perſonam Verbi Diuini ad Maternitatem Virginis conſtituendã: ſatis enim fuit verſari generando circa naturam humanam, quę ad perſonam Verbi aſſumpta eſt, vt Beata Virgo Mater Dei, & eſſet, & diceretur. Quo enim puncto Beata Virgo vniuit corpus, & animam inter ſe, eodem fuit humanitas vnita Verbo. Potuit autem hoc fieri duobus modis, vti diximus. Primò, vt anima, & corpus Chriſti prius cum Verbo vnirentur, quàm inter ſe; & Beata Virgo eas partes vnitas iam Verbo inter ſe vnierit. Secundò, vt partes humanitatis prius inter ſe Beata Virgo vnierit, quas deinde vnitas Verbum aſſumpſerit. Vterque autem modus procedit ſecundum prioritatem naturæ. Primum vult Suarez 3. p. d. 17. ſect. 1. cum D. Thom. vt ipſe ait. Secundum mauult Vaſq. diſput. 37. & 39. cum Scoto: qui reuera ita ſentit in 3. d. 2. qu. 2. §. *in Deo*. Primum magis videtur congruere dignitati Matri Dei: eſt enim excellentius vnire inter ſe partes humanitatis vnitas iam Verbo, quàm vnire vniendas. Verùm ſecundum videtur conuenire rationi: nam anima antequam vniatur corpori, & corpus antequam vniatur animæ, non eſt natura humana, Verbum autem aſſumpſit naturam humanam; ergo iam erant partes inter ſe vnitæ. Satis eſt autem ad veram rationem Matris Dei generare humanitatem.

tem, quæ ſubſiſtat perſonalitate Verbi Dei: cum enim actiones terminentur ad ſuppoſitum, & à ſuppoſito denominentur, non potuit, quæ genuit humanitatem terminatam perſona Verbi, non gignere Chriſtum Deum. Quod autem Philoſophi quidam dicunt B. Virginem cócurriſſe ad vnionem hypoſtaticam, vti inſtrumentum eleuatum à Deo, placere mihi nunquam potuit, non quod id impoſſibile iudicem, ſed quòd illa productio, cum minimè naturalis ſit, ſed per potentiam obedientialem fiat, nulla poteſt ratione ad Maternitatem, quæ naturalis eſſe debet, & naturaliter fieri conducere. Vti obſeruat Vaſq. diſput. 25. cap. 1. & diſp. 71. cap. 3.

CAPVT X.

Proponitur Catholica ſententia.

STatuẽdum primò eſt contra Neſtorium. Naturam humanam aſſumptam fuiſſe, non tantùm ſine propria perſona, ſed antequã eſſet, aut fuiſſet in propria perſona. Nam vti docet Leo Primus epiſt. 11. ad Iulianũ poſt medium; *Natura noſtra, non ſic aſſumpta, vt prius creata poſt aſſumeretur, ſed ipſa aſſumptione crearetur.* Et eſt doctrina Damaſceni lib. 3. de Fide cap. 11. dicentis. Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, non quæ ſeorſim in ſe, atque indiuiduum prius fuerit, poſteaque ab eo aſſumpta ſit, ſed quæ in ipſius hypoſtaſi extiterit, ipſa enim Verbi hypoſtaſis, carnis hypoſtaſis extitit. Contrarium autem dixit Eutyches, qui voluit naturam prius extitiſſe in proprio ſuppoſito, poſtea aſſumptam fuiſſe: quod notat Vaſquez diſputat. 33. cap. 1. & alii, quos ſupra citauimus.

Igitur vt monſtremus errorem Neſtorij, aſſerimus non modo Verbum non aſſumpſiſſe perſonam hominis, ſed ne aſſumere quidem illam potuiſſe; quod impoſſibile ſit perſonam creatã aſſumi à Deo, vel ab alio ſuppoſito etiam creato. Itaque tam procul fuit ab aſſumptione hominis, vt non potuerit hominem aſſumere. Illa verò propoſitio non poſſe naturam propria ſubſiſtentia affectam aliena ſubſiſtentia terminari: communis ſententia eſt Theologorum in 3. d. 1. & 8. qui ſunt Scotus qu. 2. diſt. 1. Durand. ibi q. 3. nu. 16. Palud. qu. 3. art. 2. ad 4. Caiet. 3. p. quæſt. 3. art. 6. & D. Thom. 4. contra Gent. cap. 43. Vaſq. diſput. 31. & 33. & Suarez diſp. 14. ſect. 1. Ratio huius rei eſt, quia implicat contradictionem aſſumi perſonam; implicatio autem in eo eſt, quia eſſe in ſe, & eſse in alio, ſunt termini omnino impoſſibiles; ſed natura in propria perſona eſt in ſe; ergo non poteſt eſse in alia perſona. Confirmatur: nam ſubſiſtentia, vel eſt negatiuum quid, vel poſitiuum; ſi primum eſt negatio alterius ſubſiſtentiæ, ergo in alia eſse nõ poteſt. Si ſecundum: habet negationem annexam eſsendi in alio: ergo in alio eſse non poteſt. Declaratur exemplo: Accidens inhærens in ſubiecto non poteſt ſimul eſse per ſe ſine ſubiecto; ergo neque natura per ſe ſubſiſtens, poteſt ſimul eſse in alio ſubſiſtente; eſt enim manifeſta implicantia. Quare Patres, vt bene Vaſquez obſeruat diſp. 33. c. 2. ex eo quod natura humana fuit aſsumpta à Verbo, rectè, præter alias rationes deduxerunt eam non eſse perſonam, quia ſciebant non poſse propria, & aliena ſubſiſtẽtia terminari.

Obijcies tamen primò: Natura Diuina retenta perſonalitate Patris, eſt

eſt in perſona Filij, & Spiritus ſancti, quæ ſunt, & dicuntur perſonæ diſtinctæ à Patre; ergo natura creata retenta propria ſubſiſtentia, poterit per aliam ſubſiſtere.

Obijcies ſecundò. Eadem natura creata poteſt aſſumi à duabus perſonis Diuinis; imò & duabus creaturis, & habere duas ſubſiſtentias alienas; ergo poterit propriam, & alienam habere. Hæ duæ obiectiones difficiles videntur, nec perſpicuè ſolui ſolent; nos tamen eas exactè, opinor, ſoluemus.

Reſpondetur ad primam hoc modo. Diuinam naturam exigere non vnam tantùm, ſed tres illas ſubſiſtentias, propter ſuam infinitatem, & fœcunditatem, ac proinde omnes eſſe proprias, non vnam propriam, & alienam; & ita corruit argumentum. Addo præterea illas ſubſiſtentias neceſſario fore plures, cùm ſint relatiuæ; Vnde non minus repugnat vnam naturã creatam habere plures ſubſiſtentias, quàm naturam Diuinam carere pluribus.

Reſpondetur ad ſecundum dupliciter. Primò negando cum Scoto citando poſſe vnam naturam creatam terminari pluribus ſubſiſtẽtijs alienis. Ratio eſt, qui natura humana eſt limitata, & incapax ſubſiſtendi per diuerſas ſubſiſtentias alienas, nec intelligi poteſt, quomodo eadem natura terminetur pluribus alienis ſubſiſtentijs, ad quas habeat vniones intrinſecas. Deinde quia eadem natura non poteſt ſubſiſtere per plures ſubſiſtentias proprias; ergo neque per plures alienas: antecedens concedit Vaſquez, & probat ex eo quod modi intrinſeci totales ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto, cum vnus efficiat id, quod alij poſſunt facere. Conſequentia colligit, quia etiam cum ſubſiſtentijs alienis debẽt dari intrinſecè multa vniones hypoſtaticæ, quę ſimul in vna natura eſſe non poſſunt.

Reſpondetur ſecundò admiſſo antecedente, longe diuerſam eſſe rationem, quia ſubſiſtere ſubſiſtentijs alienis non inuoluit implicantiam, quam habet ſubſiſtere in propria, & aliena: nam qui ſubſiſtit in propria & aliena, eſt in ſe, & in alio, quod non habet ille, qui ſubſiſtit in alienis ſubſiſtentiis, cum tantùm ſit in aliis, non in ſe, & in alio.

Quod autem aiunt Doctores communiter, eandem naturam creatam poſſe aſſumi à duabus Diuinis perſonis, Patre v. g. & Filio, id certè mihi non probatur, vti nec Scoto in 3. diſt. 1. q. 2. & Durando ibi q. 3. ar. 2. & Caiet. 3. p. qu. 3. art. 6. quia natura non eſt capax duarum ſubſiſtentiarum Diuinarum, quod ſit finita & limitata. Deinde quia ſi eſſet vna natura in duabus perſonis, v. g. humana, eſſet idem homo Pater, & Filius, quod naturæ finitæ limitatæ, & ſingulari creatæ repugnat. Itaque poſse vniri vnam naturã vni perſonæ Diuinæ nõ eſt nec abſurdum: nec implicat contradictionem. Verum vniri duabus abſurdum erit, & impoſſibile; præſertim cum ſubſiſtentia relatiua procedat ab origine, nec poſſit ſine origine intelligi, ac proinde duę ſubſiſtentiæ reſpiciant vnam naturam creatam, quæ eſt ad extra, & cum qua vnum duo termini relatiui facere non poſſunt: quod autem faciãt vnum cum Diuina eſſentia, non eſt mirum, cum in ipſa eminenter contineantur, ac ex ea re ipſa oriantur. Itaque nego vnam naturam poſſe terminari paternitate, & filiatione Diuina, quę cum ſint ex origine intrinſeca oppoſitæ, non poſſunt ſub ea ratione eidem naturæ creatæ conuenire. Deniq;

abſurdum exiſtimo eandem naturam, v. g. humanam in Patre ſuſcipere rationem Patris, & in Filio Filij; nam hoc ex illa vnione reſultaret, vt homo ille eſſet Pater, & Filius, & ita Pater Filius, diceretur.

Occurret tamen Neſtorius: ſe nolle vt homo aſſumatur cum ſubſiſtentia humana, imo velle, vt non poſſit aſſumi cum ea, & quia aſſumi nequit, idcirco manere in propria perſona humana, atque adeo nec eſſe Deum, nec dici: ſed habere quandam vnionem moralem cum Verbo Diuino, & hanc eſſe ſatis ad denominationem, quæ dicatur Deus. Verùm hæc eſt aperta hæreſis; quæ negat Chriſto Diuinitatem, cum Chriſtus verè ſit Deus, quod multis ſupra argumentis probauimus. Vnio autem illa moralis inepta eſt, nec enim per illam conſtituitur Chriſtus Filius Dei naturalis, ſed adoptiuus, qua ratione nos omnes filij Dei eſſe poſſumus, & ſumus, ſi in gratia Dei ſumus. Vnde ex illa ſententia Neſtorij ſequitur ruina Catholicæ veritatis. Itaque ſiue Neſtorius admittat poſſe perſonã aſſumi ad perſonam, ſiue non poſse, ſemper errat, & minimè ab hæreſi liberatur, eſtque nouiſſimus error peior priore.

Soluamus nunc argumentum à ratione, quod initio capitis propoſuimus, & videtur difficile. Dicimus igitur Incarnationem fieri per vnionem quandam ſubſtantialem naturæ humanæ ad perſonã verbi amiſsa humana ſubſiſtentia, ſiue iſta negatio ſit, ſiue non: nam ſi eſt negatio tollitur adueniente forma, ideſt, ſubſiſtentia Diuina, imò hæc non permittit antecedenter illam negationem, quia non aſumpſit naturam ſubſiſtentem humanitùs, ſed reddidit illam ſubſiſtentem Diuinitùs. Si non eſt negatio, ſed modus, non reſultat in natura aſsumpta ille modus poſitiuus, per quem natura deberet ſubſiſtere, & loco eius ſubſtituitur perſonalitas Verbi Diuini. Modus autem ille amitti poteſt manente natura ſine illo modo: quamuis enim modus non poſſit exiſtere ſine re cuius eſt modus intrinſecus, res tamen ſine modo poteſt exiſtere: imò eadem res inuariata modos ſæpè mutat, vti vbicationes, & ſitus, & vniones, qnibus diſsolutis manent adhuc integræ partes, v.g. materia & forma rationalis. Præterea in noſtra ſententia relationes ſunt modi, & paſſim omittuntur. Suſpendimus interim ſententiam noſtram circa ſubſiſtentiam. Sitne aliquid negatiuum, an poſitiuum? quam ſuo loco quæſtionem tractabimus. Inſtantia materiæ, & formæ nulla eſt, nam quãuis illæ magis diſtinguantur inter ſe, tamen efficiunt vnum in ratione naturæ, quà natura eſt, quæ neceſsario includit illas duas partes, ac proinde ſine illis vnitis nõ poteſt, vel intelligi, vel eſse natura. Subſiſtentia autem non pertinet ad conſtitutionem naturæ, ſed ad conſtitutionem perſonæ; cum igitur Verbum naturam humanam aſsumpſerit, non potuit non aſsumere partes ex quibus conſtat natura: at verò ſubſiſtentia nec opus erat aſsumi; nec illa poterat aſsumi, quòd repugnaret aſsumptioni.

CAPVT XII.

Solutis argumentis Neſtorij noſtra ſententia aduerſus illum Catholica confirmatur.

CONcluſio eſt. Vna ſola perſona, eaque Diuina eſt in Chriſto. Probatur primùm ex Scripturæ loco

Matth.

Matth.16. *Tu es Christus Filius Dei viui*. & Ioannis 1. *Vnigenitus qui eſt in ſinu Patris*. Ecce Filius Dei viui, & vnicus, quòd vna ſit perſona; eſt apud Lucam cap.1.locus alius: *Quod ex te naſcetur ſanctũ, vocabitur Filius Dei*. & Matth.17.& Ioann.1. *Hic eſt Filius meus dilectus*, & Marci 14. *Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Ego ſum*. Quo nihil clarius dici potuit. & Ioannis 9. *Credis in Filium Dei? quis eſt Domine vt credam in eum? Vidiſti eũ, & qui loquitur tecum ipſe eſt*. Hoc etiã cæci viderunt. Prætereà Ioannis 20. Dicit Tomas: *Dominus meus, & Deus meus*. & Ioannis vltimo. *Vt credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei*. Hic finis, & ſcopus Euangelij. Rom.8. Paulus: *proprio*, ait, *Filio non pepercit*. & cap.9. *Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*. Tandem Ioannis epiſt.1.cap.4. illud eſt teſtimonium: *quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet*. & cap.5. *quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius* Dei?

Probatur ſecundo ex Symbolo Fidei: *Et in Ieſum Chriſtum Filius eius vnicum Dominum noſtrum, & ex Patre natum*. & poſtea: *Qui natus eſt de Maria Virgine, & homo factus eſt*. Et ex Symbolo Athanaſij: *Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen ſed vnus eſt Chriſtus, vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate Perſonę*.

Probatur tertiò ex duobus Cõcilijs Generalibus, Epheſino, quod aduerſus Neſtorium congregatum fuit: in quo decretum, Chriſtum vnam tantùm eſſe in duabus naturis perſonam, & Chalcedonenſi, vbi eadem veritas confirmata. Lateranenſi ſub Martino Primo, quod idem Myſterium declarauit. Patrum communis hac de re conſenſus eſt: quos latè citat Bellarmin.lib.3.de Incarnatione c.6.& Vaſq. & Suarez toties citati.

Suadetur, vel colligitur rationibus. Prima. In Euangelio Chriſtus de ſe vno affirmat ea, quę ſunt propria duarum naturarum; ergo eſt vna perſona in duabus naturis; nam docet Ioannis 10. *Ego & Pater vnum ſumus*, & Ioan. 14. *Pater maior me eſt*. Vbi pronomen ſubiectum vna eſt perſona, prædicata pro duplici natura duo, inæqualitas in humana. Secũda. Chriſtus erat Filius Dei naturalis, qualis eſſe non poterat, niſi eſſet Deus; non erat autem ratione naturæ humanæ Deus; ergo ratione ſuppoſiti; ergo iſtud erat Diuinum. Tertia eſt Theologica petita ex redemptione, & ſatisfactione pro peccatis noſtris, quam affert D. Tho. 3. par. qu.1.ar.2.ex Auguſtino, & Leone probãs Incarnationem Verbi Diuini fuiſſe maximè conuenientem ad redimẽdum hominem, quia debuit eſſe redemptio cum perfectiſſima ſatisfactione, & merito infinito, atque adeo infinitæ perſonæ. Tradit hanc doctrinam D. Thomas his verbis ad 2. *Oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei, & hominis exiſtens: Quo ſenſu Leo Papa dixit: Si non eſſet Deus, remedium non afferret: non quod aliter non poſſet, ſed quod ita maximè conueniens fuiſſet*. Quæ eſt Auguſtini ſententia lib. 5. de Trinit. cap. 13. hauſta a Paulo cap. 2. ad Hebr. *Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorũ per paſſionem conſummare*. Et quidem ad perfectiſſimam rationem ſatisfaciendi opus eſſe homine Deo: ſentiunt Thomiſtæ omnes in 3.d.20. & D. Th. 3.p.qu.1.art.17. & quodlibeto 2. art. 2.

cum

cum pleriſque alijs à Suario citato tomo de Incarnatione d. 4. ſect. 2. & 4. & Vaſquez diſp. 4. & 5. cum multis PP. & Scholaſticis ab ipſo citatis.

Quarta. Quia cum Chriſtus ſit caput Hominum, & Angelorum non poterat eſſe purus homo, quia tunc nõ excederet Angelos; ergo debuit eſſe Deus, & habere perſonam Diuinam. Aſſumptum conſtat ex Scriptura ad Hebręos 1. *Tantò Angelis melior effectus, quantò differentius præ illis nomen hęreditauit, cui enim dixit aliquãdo Angelorum Filius meus es tu, ego hodie genui te?* & probatur latè à Vaſquio diſp. 48. & Suario diſ. 33. ſect. 1. Id nos latè, & accuratè oſtendimus in Schola de dominio excellentiæ Chriſti Domini ad probandum dominium temporale Papæ. Traditur hæc veritas etiã ante Neſtorium in Syrmienſi Concilio, & in Profeſſione Fidei Damaſi ad Paulinum, in Concilio Tolet. 1. & Hiſpalen. 2. & in Epiſt. Felicis Papæ ad Petrum Epiſcopum, & in Summa Fidei Sanct. Quintian. Epiſcop. Eſculanum ad Petrum Antiochenum, quæ ſubijcitur Aurelianenſi Concilio tempore Vigilij Papæ. Nihil frequentius occurrit in Concilijs, & Patribus.

CAPVT XIII.

Eutyches erroris conuincitur.

SAtis in Apollinari præcipui fuit erroris cõuictus Eutyches, quod in eundem fermè coincidunt, vti animaduertimus ſuprà, proponendo hæreſim vtriuſque. Naturam enim vterque abſtulit, & pro ea Diuinitatem poſuit; idque ſatis eſt confutatum; nũc id quod ſupereſt, & propriè error eſt Eutychetis refellamus: nempè, quod natura humana antequam vniretur Verbo ſubſiſtens fuerit: hoc autem ſic impugno. Si humana illa natura fuit ſubſiſtens, fuit perſona, & fuit homo, antequam eſſet Chriſtus, ergo fuerũt in illa natura duæ ſubſiſtentiæ, quod quidẽ eſſe non poteſt. Explico rationẽ: Vel illæ ſubſiſtentiæ fuerũt ſimul, vel ſucceſſiuè: ſimul, eſt impoſſibile, vt dictum eſt contra Neſtorium; cum ſimul eſſe non poſſint ſubſiſtentia propria, & aliena. Succeſſiuè nec decuit, nec potuit fieri, ergo nullatenus fuit illa natura ſubſiſtens. Quod non decuit, patet, quia eſſet in Vtero Virginis alius homo antequã Chriſtus; eſſentq; duæ perſonæ, & duo indiuidua, alterũ ille homo primò non Chriſtus, & poſtea Chriſtus: quod minimè decuit Verbum aſſumere naturam alterius ſuppoſiti, & perſonæ. Quod autem id fieri non potuit probatur: quia ſi illa natura habuit ſubſiſtentiam quando aſſumpta eſt a Verbo, & non potuit cũ ea aſſumi, vti dictum eſt, debuit amittere ſubſiſtentiam. In ſententia autem D. Thomæ amiſſa ſubſiſtentia debuit conſequenter perire illa natura, quia non poteſt ſubſiſtens natura perdere ſubſiſtentiam ſuam, & non perire, ac proinde natura illa extingueretur; & neceſſe eſſet Verbum aliam humanitatem illa pereunte aſſumere. Fuit autem hæc ſententia D. Thomæ 4. cõtra Gent. c. 43. patet. ibi enim ait non poſſe aſſumi naturam creatam ſubſiſtentẽ, quia deſtructa perſonalitate, neceſſe eſt deſtrui quoque naturam. Et ita eũ citat Vaſquez 3. p. diſp. 33. c. 5. & citarat antea in expoſitione art. 2. quæſ. 4. Vbi D. Thom. idem videtur indicare; nec P. Suarez diſſentit à Vaſq. in referenda ſententia D. Thomæ diſp. 14. ſect. 1. tantum addit D. Thomam in 3. parte mutaſſe ſententiam, quam tenuerat 4. con-

Digitized by Google

contra Gent. tenuerat autem non poſſe manere naturam, deſtructa propria ſubſiſtentia.

Hic philoſophandi modus non placet his duobus AA. ſed mihi certè non diſplicet. Ratio eſt, quia ille modus ſubſiſtendi tàm eſt intrinſecus naturę, vt illam compleat intimè, & terminet: & faciat vnam, atque adeò illa amiſſa, & non ſuppleta per aliam pereat illa natura; quomodo enim manebit ſine vlla ſubſiſtentia, ſine qua nec erit completa, nec vna, ſed manebit abſtracta, & vaga? nec illa ſubſiſtentia própria, poſtquam ſemel fuit, poteſt ſuppleri per alienam; quia in inſtanti quo amittetur, conſequenter deſtruetur natura. Itaquè puto veram eſſe ſententiam Diui Thomę; nec puto illum mutaſſe ſententiam in eo art. 2. qu. 3. 3. par dum ait: *Si corrumperetur ſubſiſtentia per aſſumptionem, fruſtrà eſſet aſſumpta:* nam *fruſtrà* indicat illam aſſumptionē fore nullam, cùm pereat natura quæ aſſumi poſſet; corrupta enim ſubſiſtētia corrumperetur natura, ac proinde fruſtrà eſſet aſſumptio: quare non mutauit hic ſententiam, quam tenuerat 4. contra Gent. imo confirmauit.

Sed potuit dicere Eutyches illam naturam humanam extitiſſe ante Incarnationem; quia fuit producta more ordinario humanæ Generationis, ideſt, paulatim formata in Vtero Virginis, & non momento concepta tota, & vnita. Quo ſenſu quæſierunt aliqui: vtrum Verbum Diuinum vniuerit ſibi humanitatem poſt 40. dies concepti fœtus? quo die anima rationalis, ex communi ſententia, corpus informat. Non deerunt: qui affirment potuiſſe id fieri, nec enim ante 40. diē erat humanitas, quæ non eſt ſine anima rationali, ac proinde nec natura humana, quæ eſſentialiter componitur ex animali rationali, & materia: Itaque non eſſe inconueniens aſſumi 40. die illam naturam, cuius antea non eſſet niſi materia, & forma embryonis, quam Verbum nō aſſumeret, quia non erat natura humana non exiſtente forma rationali. Ita nonnulli exiſtimare videntur. Ego vero ſentio non debere fieri Myſterium Incarnationis poſt præteritos 40. dies, ſed momento prorſus & eſse factum, & fieri debuiſſe. De poſſibilitate non contendo: nec enim implicat contradictionem illo modo fieri incarnationem, vt ex terminis patet.

Probo autem ratione aſsumptum illud: non decuiſse, nec debuiſse naturam aſsumi poſt illos 40. dies. quia illa materia ante 40. diem habet ſuam formam, & eſt compoſitum ſubſtantiale, ex materia, & forma ſubſtantiali conſtans; ergo eſt ſubſiſtens, & cum forma efficit ſuppoſitum; igitur prius eſset in vtero Virginis aliud ſuppoſitum, quàm eſset ſuppoſitum Chriſti: id autem abſurdum eſt. Confirmatur argumentum, quia illa materia corporis antequam informetur anima rationali, non poteſt eſse informis, ergo debet habere formam competentem ſubſtantialem; igitur eſt compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali, quod neceſse eſt vt ſit ſuppoſitum, & hoc præcederet ſuppoſitum Diuinum; ex quo ſequitur, fore in vtero Virginis aliud ſuppoſitū, quod non eſset Chriſtus, hoc autem, nec decuit, nec debuit fieri. Quæ vero illa ſit forma ante rationalem, quæſtio eſt inter Philoſophos agitata.

Qua in re eſt ſingularis quædam opinio, quæ aſserit fœtum ſtatim ab initio informari anima rationali; ſed hanc tunc non efficere operationes rationales: ſed primùm vegetatiuæ, deinde

inde ſenſitiuæ, cum omnes illos gradus habeat, & gradatim iuxta illos operetur in materia fœtus: primùm vegetando, & nutriendo illud, deinde tribuendo ſenſum, & vim ſenſitiuam, donec tandem die 40. (de maſculis loquor) quo fœtus organizatur, rationalis, & intellectiuæ animæ munus obeat. Sed hæc opinio contradicit Ariſtoteli lib. 2. de anima cap. 3. & D. Tho. 1. p. q. 118. & communi ſententiæ, quã ſequuntur Conimbr. lib. 2. de anima qu. 4. imò & ſacri Canones dicunt ſecundum hanc ſententiam, non eſſe homicidam eum, qui ante infuſionem animæ rationalis fœtum in vtero matris occidit, quia hominem non occidit: occideret autem ſi eſſet animatus forma rationali. Tandem quę de abortu tradunt Theologi morales, noſtram ſententiam confirmant.

Quare dicendum eſt corpus illud Chriſti, in vtero Virginis, ſi modo ordinario conciperetur, non eſſe animãdum anima rationali ante 40. diem, quæ eſt ſecunda ſententia Ariſtotelis, & D. Thomæ, & Conimbricenſium, quam ego puto veriſſimam, fœtumq; in vtero matris ſucceſſiuè tribus formis animari: prima vegetatiua; ſecunda ſenſitiua; tertia rationali. Hoc autem poſito, abſurdum eſt ponere conceptionem Chriſti modo ordinario, & dicere, quòd Verbum vnitum fuerit illi fœtui ante animam rationalem, quia ea vnio debuit fieri primum ad animã vegetatiuam, deinde ad ſenſitiuam, poſtea ad rationalem, per tres vniones ſucceſſiuas diſtinctas, quod nemo hactenus Theologus, quod ſciam, admiſit, qui omnes aſſerunt animam rationalem primò vnitam fuiſſe Verbo, aliter enim ſequeretur Verbum Diuinũ fuiſſe vnitum ei naturæ, quę non eſſet natura humana; nec enim natura eſt humana, niſi compoſita ex materia informata anima rationali. Tandem, non eſſet verùm illud, quod ſupra adduximus SS. PP. effatum. Verbum fuiſſe vnitum corpori mediante anima, & animæ mediante mente. Itaq; in hac ſententia de diuerſis formis ſucceſſiuè in fœtum inductis abſurdus eſſet ille modus Incarnationis.

Imò nec in illa opinione decet Incarnatio; nam etſi anima rationalis ſit in eo fœtu, non facit tamen operationes gradus intellectiui, ſed ſtirpis, & animalis; ac proinde non eſſet ratio incarnandi gradus intellectiuus; & illa vnio eſſet imperfecta, dum paulatim, & gradatim tenderet, vſque ad gradum operantis animæ rationaliter, & tribuerẽtur Verbo operationes embryonis, quæ ſunt omninò brutarum animantium. Abſurdum ſanè eſt dicere immergi tam profundè in materiam perſonam Diuinam, nec per actiones intellectiuas eminere.

Supereſt vna obiectio ex cadauere Chriſti, nam huic Verbum vnitum fuit, cùm in forma cadaueris non ſit forma rationalis, ſed ab ea eſſentialiter diſtincta; & indigna, & incapax videatur vnionis hypoſtaticæ, quia non eſt ſpiritualis, nec immaterialis cum dependeat à materia ſicut reliquæ formę animantium. Omiſſa quæſtione, an detur iſta forma cadaueris, & vtrum fuerit in Chriſti corpore mortuo, de qua latè diſputat Suarez tomo 3. in 3. par. diſput. 38. & admiſſo dari iſtam formam.

Reſpondetur. Verbum Diuinum cadaueri vnitum fuiſſe, non tamen embryoni vniri debuiſſe; quia forma cadaueris ſucceſſit connaturaliter formæ rationali, quæ iam præextiterat in ea materia, cum qua naturam humanam compoſuerat; vnde illud corpus

corpus pars eſt naturæ humanæ, nec per mortem amittit rationem partis, cùm ſit corpus organizatum, & proportionatum animæ rationali; at verò embryo; non eſt adhuc natura humana, nec partes, ex quibus componitur partes ſunt naturæ humanæ, ac proinde Verbum ijs vniri non debuit, quia non aſſumpſit niſi naturam humanam, & partes eius: non eſſe autem illam formam cadaueris ſpiritualem, & immaterialem, non tollit vnionem ad Verbum, quo cum illa forma vnita fuit ratione corporis, cui aduenit, & quo cum vnum totum ſubſtantiale conſtituit, quod totum Verbo Diuino vniri debuit; vti eſt compoſitum. Animaduertendum tamen eſt illud non fore perſonam, ſed ſuppoſitũ propriè loquendo. Huc redeunt omnia, quæ adducit Vaſq. de Incarnatione d. 30. c. 1. Suarez d. 14. ſect. 2. & tom. 2. in 3. p. diſp. 38. ſect. 3. ex mente D. Thomæ 3. p. q. 1. art. 6.

CAPVT XIII.

Verum, & humanum in Chriſto fuiſſe Corpus, non phantaſticum, aut cæleſte, oſtenditur.

VErum, & naturale in Chriſto fuiſſe Corpus contra Manicheos, & Phãtaſiaſtas ex principijs animæ ſupra oſtendimus: nunc propriè argumentando monſtremus. Primò. Corpus illud, cœleſte eſſe, ideſt è materia cęli, non potuit, ſi materia cęli diſtinguitur ſpecie à ſublunari; nec enim poteſt naturale compoſitum effici niſi ex materia, & forma proportionatis; nulla verò eſſet proportio naturalis formæ humanæ, cum illa materia diuerſæ ſpeciei. Si autem hæc materia cæli, quod ego exiſtimo, eſt eiuſdem omnino ſpeciei cum ſublunari, poſſet quidem vniri aptè cum forma rationali, ſed tamen minime conueniret Chriſto, in quo debuit eſſe corpus humanum organizatum ex carne, & oſſibus conſtans, ex quatuor humoribus compoſitum, atque paſſibile, & mortale; miſerijſque noſtris, de quibus ſuprà, obnoxium.

Secundò. Phantaſticum eſſe non potuit, tum quia rationali anima informatum non eſſet; tum quia vitalium actionũ incapax foret; tum quia non eſſet germanum, & humanum corpus, ſed fictum, & in quo Chriſtus mentiretur, cùm aliud eſſet, & aliud appareret, quod eſt à ſumma veritate alienum. Itaque

Concluſio ſit de fide. Corpus Chriſti fuit verum, & naturale, ac phyſicum, carne, oſſibus, & quatuor humoribus conſtans, cæteriſque proprietatibus, quæ humanum corpus comitantur. *Verè* enim Chriſtus, iuxtà Iſaiam cap. 53. *Languores ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et pro nobis paſſus eſt*. iuxta Petrum epiſt. 1. cap. 2. *Nobis relinquens exemplum*. Definitum hoc eſt in Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi, & Lateranenſi ſub Martino I. & in Telenſi, & Toletano Concilio primo: & tradit Damaſus Papa in Epiſtola de Profeſſione Fidei ad Paulinum; & Leo Epiſtola 11. & magnus PP. numerus, citati in Bellarm. tom. 1. lib. 4. de Chriſti anima; inter quos eſt præcipuus Auguſtinus in libris, quos multos & illuſtres edidit contra Manicheos, & Maldonato in cap. 26. Matthæi verſu 37. & Salmerone tom. 10. de Paſſione, & Vaſquio diſputat. 59. cap. 1. & Suario diſputat. 32. Inſtar omnium ſit Tertullianus de carne Chriſti: eſtque doctrina D. Thomæ 3. par. quæſt. 5. & 6. &

Digitized by Google

præcipuè quæſt. 14. Vtrum autem Hilarius aliud ſenſerit? prolixa quæſtio apud Vaſquium diſput. 59. cap. 1. Excuſandus tamen eſt ab errore cum D. Thoma quæſt. 15. art. 1. ad 1. ſiue quòd nunquam ita ſenſit, ſiue quòd retractauit ſententiam, teſte Carthuſiano in 3. qu. 11. & ſi Vaſquez more ſuo malit erraſſe Hilarium, quod non eſt auſus affirmare Maldonatus: à quo ſanè Maldonato hæc veritas patibilis Chriſti corporis eo loco Matthæi 26. probatur, ex animi paſſionibus, & affectionibus, quas tamen ille cum Diuo Auguſtino, quem citat, voluntarias poſuit, & meritò.

Quos autem cum humano corpore defectus aſſumpſerit Chriſtus, ſupra dictum eſt. Nunc illud breuiter & accuratè videndum. Vtrum Chriſto ſeneſcendum, & moriendum naturaliter eſſet ſpectatis principijs naturæ humanæ?

Reſpondetur affirmatiuè cum D. Auguſtino lib. 2. de peccatorum meriritis, & remiſſione cap. 29. & Alexan. 3. p. quæſt. 17. membro 1. & Bonauentura in 3. d. 16. art. 1. qu. 3. & Scoto ibi quæſt: 2. & ſignificat Diuus Thomas quæſt. 14. art. 1. 2. & 3. & ſequitur, & explicat Vaſq. d. 60. cap. 1. Probatur quia licet Chriſtus propter vnionem hypoſtaticam, & propter viſionem Beatam aliunde eſſet expers ſenectutis, & mortis, & immunis eſſet ab omni peccato, ac proinde à debito mortis, prout eſt pœna peccati: tamen cùm carnem aſſumpſerit humanam, cui ſenectus, & mors ex principiis naturalibus debita erat, aſſumpſit etiàm naturalem ſeneſcendi, & moriendi neceſſitatem, quæ naturalis erat homini, niſi per donum ſupernaturale in ſtatu innocentiæ auferretur, vnde amiſſo iſto per peccatum Adę, rediit natura ad ſua naturalia principia, quę ſenectutem, & mortem poſtulabant: vnde autem hęc neceſſitas ſit in homine diſputant Medici cum Galeno Fernelius, Zacutus, & optimè Valeſius lib. 1. Controuerſ. Medicarum, cap. 1. ex Hippocrate, & Platone.

Supereſt vnum argumentum importunum aduerſus huiuſmodi paſſibilitatem corporis Chriſti, quod ex noſtra Catholica doctrina ſumere ſe, & conuertere in nos affirmant hæretici. Sic enim argumentantur. Attributa Diuina cõmunicantur Chriſto Domino, quod eſt principiũ, aiunt, Catholicorum, ſed hęc communicatio tranſit ad naturam humanam, quæ eſt minor hęreticorum; ergo immortalitas quę eſt attributum Diuinum communicata fuit naturę humanę, ac proinde corpori Chriſti: ſicut ergo Diuinitas pati & mori non potuit, ita neque humanitas, eiuſque pars, ideſt, corpus potuit mori. Suadetur argumentum verbis Vbiquetariorum, quòd idem omnino eſt: ac ex eo deducunt corpus Chriſti vbique eſſe, quia nimirum participat immenſitatem.

Reſpondetur: hęreticos non intelligere principium illud Catholicorum, dũ putant realiter communicari proprietates naturarũ tranſeundo re ipſa de vna ad aliam: quemadmodum ſentit Brẽtius lib. de maieſtate Chriſti hominis, & Smidelinus in Theſibus, & lib. concordię, & cęteri Vbiquiſtæ. Nam hic error eſt ſimilis Eutychiano, & Monothelitico confundenti naturas, & proprietates. Doctrina Catholica eſt communicari idiomata proprietatum, & attributorum ratione Perſonę, dum vna eſt in duabus naturis. Ita vt proprietates ambarum applicentur perſonę, & proinde naturis in concreto,

Digitized by Google

concreto, non in abſtracto. Dicimus enim rectè *Deus eſt paſſus, Deus eſt mortuus. Homo eſt omnipotens, & infinitus*. Quia Deus, & homo ſunt cõcreta, & concernunt ſuppoſitum, de quo prædicantur. Vnde apparet eſſe aliquid reale, & eſſe aliquid verbale, in hac communicatione. Reale in ſuppoſito cui inſunt natura, & proprietates, verbale in naturis, de quibus affirmantur mediante ſuppoſito: & hac ratione conuincuntur Lutherus, & Brentius, qui totam communicationem aiunt eſſe realem; & Beza lib. contra Brentium, & Petrus Martyr dialog. de duabus naturis, qui affirmant eſſe purè verbalem. Ex his patet ſolutio argumenti; dicimus enim Chriſtum eſſe impaſſibilem, & immortalem, quia in concreto dicit perſonam, quæ cum ſit Deus eſt impaſſibilis, & immortalis. At negamus corpus humanum eſſe impaſſibile, & immortale, nec enim corpus eſt perſona, ſed vna pars naturæ humanæ, quæ non amittit ſuam proprietatem. Ad exemplum autem Vbiquitatis, quoniam illud negant hæretici, accuratiſſimè volo reſpondere.

Vis argumenti in eo eſt, quòd corpus vnitũ perſonæ Verbi, quę vbique eſt per ſuam immenſitatem, & vbicũque eſt Verbum corpori vnitur; nam Verbum eſt omnino indiuiſibile, & ſecundum ſe totum vnitur corpori, & corpus vnitum habet, vnde ſequitur vbicunque ſit verbum, & ibi corpus eſſe futurum, ac proinde immenſum, vti eſt Verbum, fore.

Reſpondet Bellarminus huic argumento, negando ſequi ex vnione corporis ad Verbum, participare immenſitatem ipſius Verbi: poteſt enim aliquid eſſe vnitum alteri, nec tamen adæquare illud. Suadet exemplo Solis, qui cum ſit pars cęleſtis ſphæræ, in qua eſt, multo ea tamen eſt minor, nec illam adæquat. Sphæra enim tota cæleſtis in qua Sol verſatur, occupat ſpatium totius Cœli, globus autem Solaris tantùm occupat illum locum rotundum ſui Epicicli, ſeque tenet intra limites illius. Hæc quidem ſolutio vera eſt; ſed exemplum aptum non puto. Nam vnio Solis cum ſphęra Cęli, in qua eſt, non fit ad omnes partes Cęli, ſed tantum ad illam, quam occupat, vnde non poteſt adæquare partes, quibus non vnitur. At verò corpus Chriſti vnitur toti Verbo, quod eſt indiuiſibile, & caret partibus, ac proinde ſemel vnitum illi, vnitur toti; ergo adæquare debet totum, ac proinde eſſe vbi Verbum fuit, quod eſt immenſitatem habere: qua ratione argumentum hæreticorum illo exemplo Solis magis confirmatur, quàm infirmatur.

Reſpondetur igitur: ex vi vnionis vnius rei cum alia non ſequi, niſi præcisè effectum illum ad quem datur vnio, & cuius res vnita capax eſt, non autem alios effectus, qui ſunt extra rationem vnionis. v. g. Corpus vnitur animæ ſpirituali, accipit per vnionem effectum animæ informantis, id eſt vitam, & ſenſum, & motum, non accipit tamen aut vbi animæ, aut ſubſiſtentiam animæ, aut cæteras animæ proprietates: ita corpus vnitur quidem Verbo in ratione perſonæ, & accipit effectum ſubſiſtentiæ, & terminationis, vt fiat ſubſiſtens, & terminatum, nõ tamen accipit immenſitatem Verbi, nec æternitatem, nec cætera attributa quorum capax non eſt: retinebit ergo ſuum vbi finitum limitatum; immenſum, & infinitum non admittet. Exemplum perſpicuum eſt in vnione oculi cum anima rationali, oculus vnitur per vnionem ſubſtantialem animæ, quæ cùm ſit indiuiſibilis, tota vni-

tur, & illi oculus; non tamen idcirco adæquat oculus totam ſphæram animæ, nec totum illius vbi participat; nã anima eſt in brachio, & pede, vbi non eſt, nec poteſt eſſe oculus, licet ſit vnitus toti animæ. Ita res ſe habet in vnione corporis ad verbum, vnitur quidem toti Verbo, quod eſt indiuiſibile, non tamen ſequitur eſſe vbique cum Verbo. Quo exemplo nihil opinor eſt aptius ad refellendam abſurdam Vbiquiſtarum ſententiam, cuius author fuit Lutherus aduerſus Zuinglium, quòd aliter neſciret defendere realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quam iſte negabat. Vnde omnes Vbiquitatem illam Lutherani inducunt contra Sacramentarios. Qui plura velit de his legat Valentiam tom. 4. queſt. 2. par. 3. §. 3. & Bellarm. lib. 3. de Chriſto Incarnato cap. 1. & Vaſquez tom. 3. in 3. part. qui eſt de Euchariſtia diſp. 80. cap. 7. & Becanum in Manuali lib. 2. cap. 1.

CAPVT XIV.

Duæ Neſtorij circa duas perſonas, & Eutychetis circa vnam naturam in Chriſto hæreſes accuratiſſimè refutantur.

CVm & Neſtorij, & Eutychetis hæreſes etiamnum vigeant, & ſuas eas, vt vetutiſſimæ ſint, Nouatores faciant, operæpretium duxi, accuratè rationem refutandi tradere productis locis, vnde peti poſſint inſtrumenta refellendi. Omiſſis Sacris Scripturis, quas ſuperius adduximus, tria ſymbola, Apoſtolorum, Nicenum, Conſtantinopolitanum, ſuppeditant idonea teſtimonia. Apoſtolicum, dum ait. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Vbi ſemper retinetur *Ieſus Chriſtus Filius Dei vnicus*, vna, eademque perſona cõtra Neſtorium, iſque dicitur conceptus, & natus ex Maria Virgine propter naturam humanam aduerſus Eutychetem, & contra eundem additur *Paſſus, mortuus, & ſepultus*, verè ac ſecundum humanitatem. Niceni peſpicua ſententia eſt. *Qui propter nos homines deſcendit, & incarnatus, & homo factus eſt, paſſus, & reſurrexit.* Habetur autẽ titulo *Fides Nicenæ Synodi*: initio poſt Canones, quod Symbolum ponitur in Concilio Chalcedonenſi Actione 1. cum eadem inſcriptione *Fidei Nicenæ*. Ac ibi omnes particulæ exponuntur aptiſſimè ad refutandas hereſes commemoratas præſertim eam, quæ negat Virginem Mariam eſſe Dei Genitricem, & veram carnem in Chriſto. Afferuntur autem ibi multi Patres ſuo id teſtimonio confirmantes Petrus Alexandrinus, Athanaſius, Iulius Papa, Felix Papa, Theophilus Alexandrinus, Cyprianus, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Gregorius Niſſenus, Atticus Conſtantinopolit. Amphilochius Iconij, quo à me ordine recenſentur. Idem ſymbolum producitur Actione 2. ſimul cum Conſtantinopolitano, quod idem eſt: & rurſum à Patribus Concilii approbatur. *Hæc omnium Fides. Hæc orthodoxorum Fides. Omnes ſic credimus. Papa Leo ſic credit.* Eſt vero inſignis illa definitio Patrum Chalcedonenſium Actione 5. quadruplici editione exhibita: quæ ſigillatim veritates catholicas contra errores Neſtorij, & Eutychetis, & Sectatorum proponit, eoſque condemnat. Delibo illa verba ex 2. & 4. editione. *Sequentes San-*

Sanctos Petrus *vnum eundemque confiteri Filium & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſona voce omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, eundem perfectum in humanitate, Deũ verè, & hominem, eundem ex anima rationali & corpore conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, coeſſentialem nobis, eundem ſecundum humanitatem per omnia nobis ſimilem abſque peccato ante ſecula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem: in nouiſſimis autẽ diebus eundem propter ſalutem noſtram ex Maria Virgine Theotoco ſecundum humanitatem, vnum eundem Chriſtum, Filium, Dominum, Vnigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendũ, nunquam ſublata eſſentia naturarum propter vnionem, magiſque ſalua proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam perſonam, atque exiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum, atque diuiſum, neque diſiunctum. Sed vnum, & eundem Filium vnigenitum Deum Verbum Ieſum Chriſtum, ſicut ante Prophetę de eo, & ipſe nos Chriſtus erudiuit, & Patrum nobis ſymbolum tradidit*. Anathematizat autem contra ſentientes. Eandem prorſus doctrinam continet illa Patrum eiuſdem Concilij *Reſponſio*, ſeu *Allocutio ad Marcianũ Imperatorem* poſita Actione 16. & Sacra eiuſdem Marciani, vtraque ad finem Concilij, quæ ſunt lectu digniſſimæ.

His ſymbolis accedit Magni Athanaſij ſymbolum, quod tam perſpicuę hæreſim hãc refutat, vt diuina prouidentia factum fuiſſe videatur, vt antequam earum auctores Neſtorius, ac Eutyches exiſterent omnino damnarentur. Quid enim manifeſtius, quam lumina iſta veritatis? *Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus, & Homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex Anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus, vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ, qui paſſus eſt*. Percelluntur hoc celeſti fulmine Apollinaris, Neſtorius, Eutyches, ac eorum aſſeclæ, & gregales.

In Synodo v. generali, can. 4. *Si quis dicit ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem, vnitionem Dei Verbi ad hominem factam eſſe*. Et infra. *Et non confitetur vnitatem Dei verbi ad carnem ſecundum compoſitionem, ſiue ſecundum ſubſtantiam factam eſſe, anathema ſit*. Et can. 5. *Si quis introducere conatur in Myſterio Chriſti duas ſubſiſtentias, ſeu duas perſonas, etc. anathema ſit*. Et can. 6. *Si quis abuſiuè, & non verè Dei genitricem eſſe dicitglorioſam ſemper Virginem Mariam anathema ſit*.

Idem habetur in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. conſultatione vltima, can. 6. *Si quis ſecundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundum veritatem ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis inconfuſè, & indiuiſè vnum eundem eſſe Dominum, & Deum Ieſum Chriſtum, ſit condemnatus*.

Eſt verò luculenta doctrina in Sexta Synodo, Agathone Papa, ab eodem tradita in ſua Decretali Epiſtola, quę habetur Actione 4. in qua lecta fuit in medio Concilio, & prolata ceu Regula

Digitized by Google

Fidei. Pauca decerpo. *Cum verò de vno earundem trium perſonarum ipſius Sanctæ Trinitatis, Filio Dei, Deo verbo, & de myſterio admirandæ eius ſecundum carnem diſpenſationis confitemur, omnia duplicia vnius eiuſdemque Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſecundum euangelicam traditionem aſſerimus, ideſt, duas eius naturas prædicamus, diuinam ſcilicet, & humanam, ex quibus, & in quibus etiam poſt admirabilem, atque inſeparabilem vnitionem ſubſiſtit.* Et infra. *Porrò Apoſtolica Chriſti Eccleſia, ſpiritalis mater à Deo fundati veſtri imperij: & vnum Dominum Ieſum Chriſtum confitetur ex duabus, & in duabus exiſtentem naturis, & duas eius naturas, diuinam, ſcilicet et humanã, etiam poſt inſeparabilem vnitionem inconfuſas, in eo eſſe defendit, & ex proprietatibus naturalibus vnamquanque harum Chriſti naturarum perfectam eſſe cognoſcit, & quicquid ad proprietatis naturam pertinet, duplicia omnia confitetur: quia ipſe idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus perfectus eſt, & homo perfectus eſt, ex duabus in duabus naturis, & poſt admirabilem incarnationem exiſtens, nec deitas ſine humanitate, nec humanitas eius ſine deitate poſſit intelligi. Conſequenter itaque iuxta regulam Sanctæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ Chriſti Eccleſiæ, duas etiam naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes eſſe confitetur & prædicat. Nam ſi perſonalem quiſquam intelligat voluntatem, dum tres perſonæ in Sancta Trinitate dicuntur, neceſſe eſt, vt & tres voluntates perſonales, & tres perſonales operationes (quod abſurdum eſt & nimis prophanum) dicerentur. Sin autem, quod fidei Chriſtianæ veritas continet, naturalis voluntas eſt, vbi vna hæc natura dicitur Sanctæ, & inſeparabilis Trinitatis, conſequenter, & vna naturalis voluntas, & vna naturalis operatio intelligenda eſt.*

Paria micant lumina in Septima Synodo Act. 3. Ibi lucet confeſſio Patriarchę Conſtantinopolitani Tharaſij expreſsa in exemplari litterarum miſſo ad Epiſcopos Antiochiæ, & Alexandriæ, & S. Vrbis. Exhibeo particulas illuſtriores. Conſona ſunt his, quæ interuallis diſparibus ſimili tamen conſenſu iuſtam harmoniam efficiunt. In VII. ergo Synodo, quæ ſecũda Nicena fuit. habẽtur in act. Tertia. *Cõfiteor & propter noſtram ſalutem in extremis temporibus iuxta carnem vnius Sanctæ Trinitatis Filij Dei, dominique noſtri Ieſu Chriſti, & ex vera Deipara, & ſemper Virgine Maria generationem, ſubſtantiam aſſumpſiſſe nobis ſimilem materialiter ſine peccato, non deſciſcente ab eo quod fuerat, ſed in duabns naturis ſine confuſione manentibus, cumque duabus in illis voluntatibus & effectibus: Crucifixum pro nobis carne, ſepultum, & reſurgentem, in cæloſque reuerſum, venturum iudicare viuos, & mortuos.* Et poſt pauca. *Ex tertia verò, vnum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum noſtrum, ex Patre genitum, ipſumque in extremis diebus noſtra cauſa ex Sancta Deipara ſemper Virgine Maria incarnatum, & Neſtorium hominis adoratorem, eiuſque aſſeclas, Diodorum inquam, & Theodorum, quique illius quadruplarem fabulam ſectantur, & in Chriſto dualitatem perſonalem conſtituunt, longè à mea confeſſione propello. Quartæ verò Synodi capita hæc accipio, ex duabus naturis, & in duabus naturis vnum eſſe Sanctæ Trinitatis Chriſtum Deum noſtrum in carne peregrinantem. Anathematizo autem Eutychen, Dioſcorũ, & omnem acephalon eorum turbam;*

Digitized by Google

cum his etiam Dei hoſtem Seuerum.

Et iterũ *Tertia, quę Epheſo prior ex ducentis patribus emicuit, Neſtorij adoratoris hominis veſaniam ſuſtulit, & abſcidit, eiuſque aſſeclas in perpetuum damnauit. Hic enim ex propria ſtultitia ſeductus, alium ante ſecula Deum Verbum, alium verò ex Virgine pro noſtra ſalute incarnatum nugatus. Ob id etiam nolēs coactus eſt Trinitati quartam perſonam ſuperinducere: non ſolum aũt vnitas duas Chriſti naturas in duas hypoſtaſes, verum etiã nomen hoc Theotocos hoc eſt, Deipara, impius iſte abiurans, pro eo Chriſtotocos ideſt, Chriſtipara, ſubſtituit, cum omnes cognoſcant eam vere Dei matrem, poſt partum, & virginem qualibet intellectuali, & ſenſibili natura ſuperiorem, gloria & ſplendore ornatam. Hunc igitur tertia Synodus doctorum patrum anathemate reddidit execrabilem, illiuſque corruptrices animarum nugas planè deteſtata eſt, vnum ex patre filium ante ſecula ſplendentem, & in extremis temporibus ex immaculata Virgine Deipara Maria noſtram naturam induentem teſtata. Quin etiam docuit perfectum Deum, & perfectum hominem ipſius filium Dei prædicans: hoc eſt, vnum & filium & Chriſtum & Dominum. Simpliciùs autem vnam naturam verbi Dei incarnatam, quo inducat duarum naturarum ſecundum hypoſtaſim vnitatem. Inſtituit autem propriè dici, & ſecundum veritatem, Sanctam Mariam Theotocon, hoc eſt, Deiparam.*

Tempeſtiuè & ea, quę in Chalcedone celebrata eſt Synodus, in qua ſexcenti patres erroneam hæreſim, quæ Chriſti duas naturas confundit, ſuſtulerunt: quam ſanè primus inſanus Eutyches per inſipientiam induxit, auſus negare duas naturas in vno Chriſto incommutabiliter vnitas, vnam autem naturam ex duabus extitiſſe compoſitam prodigiosè pronuncians. Hic Dioſcorum ſceleſtum illum hominem commilitonem, & aduocatum nactus, bonorum dogmatum accuſator, & veritatis hoſtis repertus eſt. Sed hos duos Sancta quarta Synodus ſubuertit, eorum vaniloquas delirationes ſeueris anathematibus, ipſoſque authores ſubiecit, duas autem Chriſti veri Dei noſtri naturas, ſine confuſione incommutabiliter, intranſmutatim in vna ipſius hypoſtaſi vniri prædicauit: perfectum etiam ipſum in deitate, & humanitate exiſtere, ex duabus, & in duabus naturis cognitum. Præter hæc Neſtorij quoque ſceleſti iſtius diuiſionem, ipſumq; adeo, & qui dogmata illius ſectantur, abrenunciauit. Rurſus in Definitione Sanctæ Magnæ, & vniuerſalis in Nicea Synodi ſecundæ Actione 7. *Confitemur etiam dominam noſtram Sanctã Mariam propriè, & verè Deiparam, vt quæ peperit vnum Sanctæ Trinitatis Chriſtum Deum noſtrum: quemadmodùm prior Epheſina Synodus conſtituit, & impium Neſtorium, ſocioſque illius, tanquam dualitatem perſonarum inducentes, ab Eccleſia depulit. Ad hæc duas naturas Incarnati propter nos ex immaculata Vergine Maria confitemur, perfectum Deum & perfectum hominẽ cognoſcentes, quemadmodùm Synodus in Chalcedone habita declarauit, Eutychenque & Dioſcorum, blaſphemantes in illius diuinitatem, exterminauit: adijcientes his Petrum, Seuerum, & catenam iſtorum blaſphemam, non concorditer connexam.*

Illud animaduerſione dignum eſt Concilia vniuerſalia aduerſus has duas hæreſes conſpiraſſe. Duo priora Nicænum, & Conſtantinopolitanum occupando eas nondum natas in ſuis ſymbolis damnare. Epheſinum Chalcedonenſe, Quintam, Sextam, & Septimã Sy-

Synodum iam exortas confutando errores, ac proſcribendo auctores. Et quidem tantam in ſe inuidiæ, & odij vim concitarunt, vt ipſimet Imperatores Chriſtiani in eaſdem Diualia Fulmina intorſerint: atque vt maiori vi percellerent ex Arce Fidei, ideſt generali Concilio tonuerunt. Afferamus primum Sacram Valētiniani, & Marciani ex Chalcedonenſi Actione 3.

Proximè etenim innumerabiles ex toto penè orbe beatiſſimi Epiſcopi Chalcedone congregati, improba prædicti Eutychis, vna cum Synodo eius cauſa habita, expulere commenta, ſequuti Sanctorum definita maiorum, quæ vel apud Niceam à trecentis decem & octo conſtituta ſunt, vel in hac poſtea alma Vrbe à centum quinquaginta ſunt Epiſcopis decreta, vel apud Epheſum, cùm Neſtorij eſt error excluſus, præſidentibus Cæleſtino Romanæ vrbis, & Cyrillo Alexandrinæ Ciuitatis Epiſcopis.

Deinde alteram Marciani Actione 16. ad finem Concilij.

Quicunque ergo vel in hac ſacra vrbe, vel in Alexandrina ciuitate, vel in omni Ægyptiaca diæceſi, & diuerſis alijs prouincijs Eutychetis profanam peruerſitatem ſequuntur, & ita non credunt, vt trecenti decem & octo Sancti patres tradiderunt, Catholicam ſanctam fidem in Nicea ciuitate fundantes, vel ita vt centum quinquaginta alij venerabiles Epiſcopi, qui in hac alma vrbe Conſtantinopolitana poſtea conuenerunt, & ſicut Athanaſius, & Theophilus, & Cyrillus ſanctæ recordationis Epiſcopi Alexandrinæ ciuitatis crediderunt, quos etiam Epheſina Synodus (cui beatæ memoriæ Cyrillus præfuit, in qua Neſtorij error expulſus eſt) vniuerſos ſecuta eſt, quos & nuper venerabilis Chalcedonenſis Synodus eſt ſecuta, prioribus Concilijs Sacerdotum ex omni prorſus parte conſentiens, nihilque adimens Sacro Sancto Symbolo, neque adijciens, ſed Eutychetis dogmata funeſta condemnans, ſciant ſe eſſe hæreticos Apollinariſtas: Apollinaris enim facinoroſiſſimam ſectā Eutyches & Dioſcorus mente ſacrilega ſunt ſecuti. Ideoque omnes hi, qui Apollinaris, vel Eutychetis peruerſitatem ſequuntur, illis pœnis, quæ Diuorū retro Principum conſtitutionibus contra Apollinariſtas, vel ſerenitatis noſtræ ſanctione poſtmodum contra Eutychianiſtas, & hac ipſa auguſtiſſima lege contra eoſdem decreta ſunt, nouerint ſe eſſe plectendos.

Hos ſequatur Iuſtinianus: cuius *edictū* ſiue *Fides* Tuba eſt Catholicæ veritatis bellicum canens aduerſus eoſdē hæreticos. Ponitur verò poſt Decreta Ioannis Papæ in tomo 2. Conciliorū primæ apud me editionis; quod quia longiſſimum eſt eius nonnulla hinc, inde, quæ rem maximè continent, decerpemus. Ac primùm monemus Lectorē, Iuſtinianū capitula, ſiue ſcholia, ſiue anathemata Cyrilli ſuo huic Edicto interuiſſe, & nōnullos eo antiquiores Patres laudaſſe Athenienſiū, Nazianzenum, Niſſenum, & ad calcem Auguſtinum: ſed præcipuam Cyrilli rationem habuiſſe quòd is ſummam Neſtoriani belli in ſe ſuſcepit, & rem in Chalcedonēſi Cōcilio totam, quòd in eo præſes erat confecit, ac hæreſim Eutychetis obiter confutauit.

Demus locū Iuſtiniano. *Vnum eundemque Dominum Ieſum Chriſtum Dei Verbum incarnatum, & hominem factum, & eiuſdem ipſius miracula, & paſſiones, quas carne voluntarie ſuſtinuit confitemur. Ex vtraque natura, ideſt in Diuinitate, & Humanitate vnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei verbum incarnatum, & hominem*

minem factum cognoſcentes diuiſionem quidem per partes vel inciſionem nõ ferimus vni eius ſubſiſtentiæ. Differentiam autem naturarum, ex quibus compoſitus est ſignificamus non interemptam; quoniam vtraque natura in ipſo eſt. Nec enim diuina natura in humanam transmutata eſt nec humana natura in diuinam conuerſa. Magis autem intelligitur quòd vtraque in proprietate, & ratione ſuæ naturæ manente facta eſt vnitas ſecundum ſuſibſtentiam. Vnitas autem ſecundum ſubſiſtẽtiam ſignificat quòd Deus Verbum ideſt vna ſubſiſtentia ex tribus deitatis ſubſiſtẽtijs non anteplaſmato homini vnitus eſt, ſed in vtero Sanctæ Virginis creauit ſibi ex ipſa in ſua ſubſiſtẽtia carnem animatam anima rationali, & intellectuali, quod eſt natura humana. An non tibi videtur Lector cum hæc ſcribebat Iuſtinianus de ſingulis hæreſibus Neſtoris, Eutychetis, Apollinaris cogitare? Hoc agebat cùm adderet paulò poſt: *Nos autem ſequentes diuinas ſcripturas, & Sanctos Patres confitemur, quod Deus Verbum caro factus eſt, quod eſt ſecundum ſubſiſtẽtiam ſibi vnire naturam humanam. Ideo & vnus eſt Dominus noſter* Ieſus *Chriſtus habens in ſemetipſo perfectionem diuinæ naturæ & perfectionem naturæ humanæ.* Iugulum petit Neſtorij, & Eutychetis, & ambos iugulat. Adijcit infra. *Cum Deus vnus eſſet factus eſt verè homo. Ideo propriè, & verè Dei genitricem ſanctam, glorioſam, & ſemper Virginem Mariam confitemur.* Spirat pietatem in Virginem cùm fatetur Myſterium. Theotocon dicit, & pia voluntatis affectio tangit etiam Virginem, & pungit Neſtorium. Splendet & ferit in ore *gladius Fidei ex vtraque parte acutus*. Pergit. *Confitemur quod ex natura diuina, & humana vnus Chriſtus effectus eſt, & non vna natura. Subſiſtentia igitur Verbi incarnata non vnam naturam, ſed vnum Chriſtum compoſitum effecit eundem ipſum Deum, & hominem.* Non hæc explicatiùs, nec ſubtiliùs traduntur in Sorbona. Videtur ſummus hic Legiſlator in ſcholis etiam leges Theologis dare. Verum eas didicit, quemadmodum ſupra dixit, à Scripturis, & Patribus, laudat hic Cyrillum, deinde Nazianzenum, quem Theologum? Baſilium Nazianzeni amicum & parem. Adiungit Niſſenum Baſilij fratrem. Poſtea incaleſcit diſputando, & anathematizat cum Cyrillo, & Patribus Chalcedonenſibus Theodorum, Neſtorium, & alias peſtes Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Eurychen, ac preſtringit Epiſtolam Ibę. Sic fulminat Purpureus Imperator ac ſi de Capitolio Purpuratus Pater fulminaret, ac inter fulmina Laureatus triumphat.

Vocor hic à Pontificibus. Nam Imperatores in Concilijs, & cum Concilijs Vniuerſalibus ſunt locuti, quæ vim, & auctoritatem mutuantur à Pontificibus. Rugit à Superis diuinus Leo. Magna pars illius Epiſtolarum hanc doctrinam continet. Numerare omnes infinitum eſſet. Precipuas indigito. Octaua, & decima ad Flauianum Conſtantinopolitanum. Vndecima ad Iulianum Coenſem. Decima tertia ad Pulcheriam Auguſtam. Vigeſima ſecunda ad Clerum, & plebẽ Conſtantinopolitanam. Quinquageſima ad omnes Epiſcopos Galliarũ. Sexageſima ad Maximũ Antiochenũ Epiſcopũ. Sexageſima prima ad Theodoſiũ Epiſcopũ. Octogeſima prima ad Paleſtinos. Omniũ tamẽ & ſumma est, & ſũmã reliquarũ facit epiſtola nonageſima quinta ad Leonẽ Auguſtũ. Ad Leonẽ

quippe Leo ſic ſcribit, vt quaſi ſono nominis excitatus totã ſuæ doctrinę, ac eloquẽtiæ virtutẽ exerat. Nihil ea ſolidius nihil eruditius, nihil cõcinnius, nihil elegantius, nihil fortius ad docẽdũ apta, ad delectandũ appoſita, ad perſuadendum comparata. In decretis Symmachi Papæ reperitur epiſtola ſingularis ad refellẽda hęc duo inter reliqua monſtra Hæreſeon miſſa *ad Clerum Dardanię*. Eſt item inſignis de eodem argumento Decretalis Papæ Hormiſdæ Iuſtino Auguſto, cuius caput primum inſcribitur *Aduerſus Neſtorij, et Eutychetis blaſphemias*. Huic ſimilis eſt altera ad Epiſcopos Hiſpanię, in qua breuia, ſed fulminea cuduntur contra hoſce, & alios Hæreſiarchas anathemata. Additur tertia ad Epiphanium Conſtantinopolitanum egregia, vbi nomine Chalcedonenſis Concilij ambæ hæreſes diſtinctè proponuntur, ac damnantur. Aliam ſcripſit pulcherrimam Agapitus ad Antimum Conſtantinopolitanum, quæ ſolidè, ac neruoſè refellit vtranque hæreſim tacitis Auctorum nominibus: Eſt ſane elegans, ac erudita. Atque hæc de Summi Pontificibus: quòd ego ad Concilia particularia propero, in quibus ſum aſſiduus; adeo vt nulla magis, ſi Canonicos libros propter reuerentiam, & Auguſtini propter amorem, ſcripta excipias, lectione delecter, quàm Conciliorum. Nec id à me id ſperandum vt omnia excutiam, quòd ſit res admodum prolixa, ſed vt ſelecta ſolum, & illuſtria quædam producam, quæque maximè rem contineant. Ea vero ſunt Hiſpanica mihi homini Hiſpano, ac inter Hiſpanos Luſitano familiaria. Tertium Concilium Toletanum in Confeſſione Fidei expreſsè proponit articulos duos Fidei vnius in Chriſto perſonę, ac duplicis naturæ aduerſus errores Neſtorij, & Eutychetis. Libo ſententiam. *Dum & natura vtraque non deperit & vna ſit ex vtraque Domini noſtri Ieſu Chriſti perſona*. Toletani quarti illuſtrior, & explicatior cõfeſſio eſt: ſic enim cap. 1. *Incarnatus eſt ex Spiritu Sancto, & glorioſa Sancta genitrice Virgine Maria, & natus ex ipſa ſolus idem Dominus Ieſus Chriſtus.* & mox. *Habens in vna perſona duarum naturarum proprietatem. Naturæ enim in illo duæ: Deus et Homo. Non autem duo Filij, & Dij duo, ſed idem vna perſona in vtraque natura perferens paſſionem & mortem pro noſtra ſalute, non virtute Diuinitatis, ſed in infirmitate humanitatis.* Sapiunt iſta tam ſubtilia, tam expreſſa & Eccleſiã, & ſcholam. Illuſtrior eſt adhuc, & accuratior illa ſexta Toletani Confeſſio, quæ me certè rapit. *Ex tribus Diuinitatis Perſonis ſolum Filium fatemur ad Redemptionem generis humani propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adę originaliter, & noſtro libero arbitrio contraximus reſoluenda à ſecreto Patris arcano prodiiſſe, & humanitatem ſine peccato de Sancta ſemper Virgine Maria aſſumpſiſſe, vt idem Filius Dei Patris eſſet Filius hominis, Deus perfectus, & homo perfectus: vt homo, et Deus eſſet vnus Chriſtus, in naturis in duabus vna perſona, ne quaternitas Trinitati accederet, ſi in Chriſto geminata perſona eſſet. Ergo à Patre & Spiritu Sancto ſeparabilis creditur perſona, ab homine autem aſſumpto, natura: idem cum eodem homine vnus extat perſona, cum Patre & Spiritu Sancto, natura: ac* (ſicut diximus) *ex duabus naturis, & vna perſona, vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in forma diuinitatis æqualis patri, in forma ſerui minor patre. Hæc eſt enim vox eius in pſalmo: De ventre matris meæ Deus*

Digitized by Google

meus es tu. *Natus itaque à Deo ſine Matre*, *natus à Virgine ſine Patre ſolum Verbum caro factum eſt*, *& habitauit in nobis*. Concilium Toletanum octauum laudat Epheſinum, & Chalcedonenſe duo iſta contra Neſtorium, & Eutychetem congregata Concilia, *Sicut*, inquit, *Epheſini primi cætus vnitas affirmauit*, *ſicut Chalcedonenſis Concilij definitio protulit*. In vndecimo Toletano præclarum extat teſtimonium aureis plane characteribus exſcribendum. Exhibeo. Incipit ab egregia illa Auguſtini Epiſt. 3. ad Voluſianum ſententia. *Qui partus Virginis nec ratione colligitur*, *nec exemplo monſtratur*. *Quod ſi ratione colligitur*, *non erit narrabile*, *ſi exemplo non erit ſingulare. In quo mirabili conceptu ædificante ſibi Spiritu Sãcto domum Verbũ caro factũ eſt, & habitauit in nobis. Nec tamen Verbũ ipſum ita in carnẽ conuerſum, atq; mutatum eſt, vt deſiſteret Deus eſſe, qui homo eſſe voluiſſet: ſed ita Verbũ caro factum eſt*, *vt non tantùm ibi ſit Verbum Dei, & hominis caro, ſed etiã rationalis hominis anima*; *atque hoc totum, & Deus dicatur propter Deum, & Homo propter hominem, in quo Dei Filio duas credimus eſſe naturas: vnam Diuinitatis alterã Humanitatis: quas ita in ſe vna Chriſti perſona vniuit, vt nec Diuinitas ab Humanitate, nec Humanitas à Diuinitate poſſit aliquando ſeiungi. Vnde perfectus Deus, & perfectus Homo in vnitate perſonæ vnus eſt Chriſtus. Nec tamen, quia duas in Filio diximus eſſe naturas, duas cauſabimur in eo perſonas, vt Trinitati, quod abſit, accedere videatur quaternitas*. Addo appendiculam Luſitanam Concilij Bracharẽſis ſecundi. *Sancti Patres noſtri generales Synodos vndique colligi pro vnitate rectæ Fidei fecerunt, ſicut in Nicea contra Arium decem & octo: & in Conſtantinopoli cẽtum quinquaginta contra Macedonium*, *& in Epheſo contra Neſtoriũ ducẽti, & in Chalcedone contra Eutychetẽ ſexcenti triginta.*

Supereſt vnum ex vlteriori cum mea Luſitania cõiuncta Hiſpania, Hiſpalenſe ſecũdum; quod quia ſingulare eſt, excellitque inter cætera, ſolitarium volo ponere, atque tractatum claudere: cùm in eo præſertim Patres laudentur, qui has duas hæreſes ſuis teſtimoniis confutarunt. Inter quos eminet Cyrillus, qui ſuſcepto ſtudio id præſtitit, & apparet in Concilio Epheſino, cui interfuit, ac præfuit nomine Celeſtini, & Auguſtinus pleriſq; locis, quẽ propterea Theodoſius ipſe Imperator ſua Diuali ad Cõcilium inuitabat, cõſcius eximiæ illius Viri eruditionis. Certè vtrunq; Hæreſiarcham ita refellit Auguſtinus, vt cum neutrum nouerit, amborum errores prorſus euertat. Conſulat Lector librum Enchirid. c. 1. & 36. & epiſt. 3. ad Voluſianum. & 102. ad Euodium, & 120. ad Honoratum, c. 4. & lib. 13. de Trinit. c. 17. contra ſermonẽ Arianorum c. 7. & 9. tom. 6. & ſequent, & in lib. 2. contra Maximinum c. 19. ſiue vltimo. & in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos. c. 9. & lib. 21. c. 15. de Ciuitate. Libri 4. de Conſenſu Euangeliſtarum hiſce teſtimonij ſunt referti, quæ non vocata occurrunt vbique. Ac vt ſummam faciam. Mihi in Auguſtino habitanti perſpecti ſunt centum, & eo amplius huiuſmodi loci, ac explorati: vt ſi Auguſtinus præſens eſſet in Epheſino Concilio ſolus Neſtorium, & gregales obruere poſſe videretur. Gyges quidem centimanus, qui pro hac veritate Catholica, & centum clypeos, & centũ promeret enſes.

Volo illuſtrem huic Controuerſiæ coronidem imponere adducta extre-

ma parte Conc. Hiſpalenſis II. Siſebuto Rege, Honorio I. Pontifice celebrati. Aera.671. An. Chriſti 663. in cuius 12. & 13. capite, doctrina de incarnato Chriſto accuratiſſimè; & eruditiſſimè traditur, vt nihil ego viderim inter Concilia Prouincialia pulchrius, & aptius ad omnes eas, quæ vlla ratione Incarnationem Chriſti impugnarunt, hæreſes confutandas. In quod ego cũ inciderem primùm affici & admirari, deinde inflammari, & rapi me ſenſi obiecta illa egregia, mirabilique doctrina. Et quanquam aliquantò longior, gratum erit, opinor, Lectoribus eam ex integro legere, nec operæ pœnitebit. Quicquid enim per alios vſquam tractatus diſperſum eſt, in hoc Corollario coniunctum inuenitur: ita vt nihil prorſus deſideretur. Sic igitur ponuntur verba Concilij actione 12. Habetur Concil. iſtud tom. 2. par. 2. Conciliorum; & in tomo Conciliorum Hiſpaniæ collecto, & compoſito à Loayſa, & notis eiuſdem illuſtrato.

CAPVT XV.

Adducitur Concilium Hiſpalenſe II.

TErtia decima, ideſt vltima proſecutione breuiter narrandum putauimus ad refutationem eorundem hæreticorum, qui duas naturas Chriſti, poſt vnionem delirantes confundunt, & paſſibilem in eo diuinitatis ſubſtantiam aſſerunt. Contra quorum blaſphemias oportet nos in vnam perſonam Chriſti geminæ naturæ proprietatem oſtendere, paſſionemque eius in ſola humanitatis ſuſceptione manifeſtare; vt ſi fortè aliqui ſtultorum huius inſcientiæ errore decepti ſunt, dum iſta legerint, reſipiſcant, rectæque fidei veritatem firmiter teneant. Nam proculdubio multi ſunt ſtultorum, qui ſecundùm Apoſtoli vocem prurientes auribus, a Veritate auditum auertũt, ad fabulas autẽ conuertuntur. Ergo (ſicut immaculata fides, & ſancta Dei Euangelia docent) confitemur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intemporaliter ex Patre Deo natum, temporaliter ex vtero glorioſæ Virginis Mariæ hominem editum; & ob hoc in vna ſubſiſtenti perſona duas naturas habentem; deitatis, qua ante ſæcula genitus eſt, humanitatis, in qua diebus vltimis editus eſt: in illa, ſecundum formam Dei; in iſta, ſecundum formam ſerui conſiſtens; in illa Patri manens æqualis; in iſta ſine peccato ſimilis noſtræ conditionis; in illa inuiſibilis; in iſta viſibilis; in illa inuiolabilis; in iſta paſſibilis; in illa, ex qua mori non potuit; in iſta, in qua mortem ſuſcepit. Cuius geminæ naturæ diſtinctio primùm ex literis legis, deinde ex Propheticis, & Euangelicis, atque Apoſtolicis depromenda eſt paginis. Vt ea quæ aſſerimus non argumentis, ſed exemplis Scripturarum firmemus. Lex in vna eademque Saluatoris noſtri perſona, ſic demonſtrat vtranque naturam; Diuinam, loquente Domino ad Moyſen: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat te in via, & introducat ad locum quem præparaui: obſerua eum, & audi vocem eius; quia eſt nomen meum in illo; humanam, loquente eodem Domino ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, ideſt, in carne Chriſti, quæ de Abrahæ ſtirpe deſcendit. Prophetia in Pſalmis, ſub vna eademque Chriſti perſona, ſic oſtendit vtranque naturam; diuinam, ſecundùm illud: Ex vtero ante luciferum genui te: humanam, ſecundum hoc: Et Homo factus eſt in ea, & ipſe

fun-

Digitized by Google

fundauit eam Altiſſimus: Diuinam, ſecundum illud: Eructauit cor meum verbum bonum: humanã, ſecundùm hoc: Speciosus forma præ filijs hominum. Prophetia in Prouerbijs in vna eademque Chriſti perſona ſic declarat vtranque naturam: Diuinam, ſecũdùm illud: Ante colles genuit me; humanam, ſecundùm hoc: Dominus creauit me in initio viarum ſuarum; Diuinam, ſecundùm illud: Necdum erant abyſſi, & ego iam cõcepta eram; humanam, ſecundùm hoc: Sapientia ædificauit ſibi domum; corporis vtiq; ſui templum, in quo Filius Dei inhabitaret, dum Verbum caro factum eſt. Prophetia in Iſaia ſub vna eademque Chriſti perſona ſic demonſtrat vtranque naturam; Deitatis, ſecundùm illud: Nunquid, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? humanitatis, ſecundùm hoc: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium; Diuinitatis, ſecundùm illud: Rorate cęli deſuper, & nubes pluant iuſtum; humanitatis, ſecundùm hoc: Aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul.

Item alibi humanitatis, ſecundùm hoc: Paruulus natus eſt nobis; Diuinitatis, ſecundùm illud: Filius datus eſt nobis. Paruulus enim Chriſtus ad ſuſceptæ humanitatis naturam pertinet, quia homo eſt factus: Filius autem datus, ad Diuinitatis, quia Dei Filius. Et vt oſtenderet in vtraque natura vnam eſſe perſonam paruuli nati, & filii dati, adiecit: Vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus, Deus fortis, Pater futuri ſæculi.

In Euangelio quoq; in vno eodemque Chriſto Diuinæ naturæ ſignificatio: Ego & Pater vnum ſumus; humanæ naturę inſinuatio: Pater maior me eſt. Diuinæ naturæ ſignificatio: Ego ſum via, & verita, & vita; humanę naturæ inſinuatio: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Diuinæ naturæ ſignificatio: Omnia per ipſum facta ſunt: humanæ naturæ inſinuatio: Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Paulus quoque Apoſtolus in vno eodemque Chriſto naturam Diuinitatis exprimit, dum dicit: Primogenitus omnis creaturæ, ipſe eſt ante omnes, & omnia in illo conſtant. Naturã humanitatis declarat, dum dicit: Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Et alibi: Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinauit, formã ſerui accipiens. Per hoc enim, quod dixit: Qui cum in forma Dei eſſet, naturam in eo Diuinæ Maieſtatis oſtendit: per hoc autem quod adiecit: Formam ſerui accipiens, naturam in eo humanę humilitatis ſignificauit. Et iterum inquit: Cum eſſet diues, pauper factus eſt, vt illius inopia nos diuites eſſemus. Vbi enim dixit: Cum eſset diues, diuinę naturæ gloria panditur; & vbi adiecit: Pauper factus eſt, humanę infirmitatis ſuſceptio demonſtratur. Item in ipſo initio Apoſtolici Symboli geminę ſic oſtenditur in vno eodemque Chriſto naturę diſtinctio, Deitatis ex Patre, cum dicit; Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum; humanitatis ex Matre, dum dicit: Natum de Spiritu Sancto, ex vtero Marię Virginis. Ecce ex vtroque Teſtamento duę naturę in Chriſto: Diuinitatis vna, altera humanitatis: quę quidem gemina vnam fecit perſonam, quia vnus, idemque mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Iam verò de paſſione eiuſdem Saluatoris noſtri, & Domini Ieſu

Chriſti,

Digitized by Google

Chriſti, quàm in ſola humanitate, non in Deitate ſuſtinuit (ſicut ſuperius) Legis, & Prophetarum auctoritas, Euangeliorum quoque, & Apoſtolorum prædicatio adhibenda eſt. Lex de paſſione corporis Chriſti ſic dicit. Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Quid hic pallium, quid ſtola, niſi caro Chriſti paſſionis ſanguinis decorata? hęc enim ſola contumelias crucis ſuſtinuit; Diuinæ verò naturæ Maieſtas nihil iniuriæ ſenſit. Prophetia quoque in pſalmis paſſionem Chriſti in carne ſola ſic aſſerit: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea. Vbi nõ Deitatis, ſed tantũ crucifixi corporis iniuria intelligitur. Ibi enim in mẽbrorum ſignificatione ſola caro clauis ſuſpenſa in ligno, atque ſuffixa pronunciatur. Sicut & apud Hieremiam legitur: Venite mittamus lignum in panem eius, ideſt crucem in corpore eius. Neque enim Diuinitas ligno ſuſpendi potuit, ſed ſola vtique humanitas cruce ſuffixa pependit. Cuius etiam caro tolerantiam mortis paſſa ſic oſtenditur alibi, dum dicit: Caro mea requieſcet in ſpe; vtique quia ſola in Chriſto carnis materia, mortis fragilitate defuncta, ſpem reſurrectionis ſuæ expectabat, etiam ſine corruptione receptura, dum dicit: Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Salomon autem in Canticis Canticorum paſſionem carnis Chriſti prædicat, dicens: Manus meę inquit) diſtillauerunt myrrham, digiti mei guttam. Vbi ſpecialiter oſtenditur in manibus, ac digitis ſolam carnem Chriſti ſuffixam ſtipite; ſicut in pſalm. 118. legitur: Confige clauis timoris tui carnes meas. Iſaias autem Chriſtum in ſola humanitate, quæ apparuit, paſſionis iniuriam ſuſcepiſſe, ita prædixit: Homo (inquit) in plaga, & ſciens ferre infirmitates. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Quis ipſe, niſi vtique homo? nam pati, & deficere in illo natura Dei non potuit: ſed homo portauit in eo paſſionem & mortem, in quo, & ipſa mors habet conditionem. Nam & cum de eo idem Propheta dixiſſet: Quis iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? & adiecit: Quare rubrum eſt veſtimentum tuum, tanquam calcantium in torculari? quid hic per indumentum, & veſtimentum rubrum voluit oſtendere, niſi ſolam carnis Chriſti paſſionẽ, crucis infectam cruore? vnde & in ipſa paſſione chlamyde coccinea Chriſtus induitur, vt imago ſanguinis in carne tantùm demonſtraretur. Iſaias quoque corpus ſolum obtuliſſe Chriſtum paſſioni, ſic loquitur: Non ſum (inquit) contumax, neque contradico, corpus meum dedi percutientibus. Non dixit Diuinitatem, quæ paſſionẽ neſcit perferre. Et iterum: Poſui ſcapulas meas ad flagella, & maxillas ad palmas, quod & ipſum ad carnis patiẽtiam, non ad Deitatis refertur iniuriã. Et Zacharias: Videbunt (inquit) in quem confixerunt: quem alium, niſi indubitanter hominem, quem Iudęi crucifixerunt, & in carne iudicantem videbunt? Ecce prænunciata eſt paſſio corporis Chriſti ex lege, & Prophetis.

Tranſeamus inde ad Euangelia: ibi quæramus Chriſtum Filium Dei in ſola carne portaſſe valetudines paſſionis, & iniuriam crucis; loquente ipſo Diſcipulis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetam de Filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & con-

Digitized by Google

conſpuetur: & poſtquã flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Quod totum in Chriſto, ſecundùm hominem dictum non ad ſubſtantiam Deitatis, ſed ad naturam pertinet carnis; quod etiam in ſequẽtibus docetur, Iudæis dicentibus Chriſto: Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis? Et dixit Ieſus: Soluite hoc templum, & poſt triduum ſuſcitabo illud: hoc autẽ dixit de templo corporis ſui; nam & in paſſione ſua, dum corripiens proditorem diceret: Iuda oſculo Filium hominis tradis? Quem interrogat tradere proditorem, niſi hominem? Et cõprehenderunt non Deitatem, quam cœcati perfidia, nec agnoſcere potuerunt. Beatus autem Apoſtolus Paulus, Chriſtum in homine ſolo pertuliſſe crucem, ſic aſſerit. Vt homo (inquit) humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, qui proinde dixit, vt homo, vt nuncupatione hominis, diſtinctio naturæ inſinuaretur paſſibilis: quod confirmans aliàs, ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur? Chriſtus non infirmatur, ſed potens eſt in vobis: nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei. Paſſus ergo Chriſtus, & mortuus; ſed ex noſtra infirmitate; viuit autem impaſſibilis, & immortalis; ſed ex ſua virtute, quæ tanta eſt, vt in ſe, nec paſſionem recipiat, nec mortem admittat. Petrus quoq; Apoſtolorum Princeps Crucis Chriſti ſuppliciũ ſic prædicat in ſolo corpore conſummatum; Qui peccata (inquit) noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viueremus; cuius liuore ſanati ſumus. Et paulò poſt; Chriſto igitur paſſo in carne. Ergo ſi Chriſtus in carne eſt paſſus, non eſt ſecundùm Deum, ſed ſecundùm hominem crucifixus. Ecce perpatuit de Filio Dei, quòd paſſus eſt, quòd mortuus eſt, corporis hoc tantũ fuiſſe, non Deitatis. Aliena ſunt iſta à Deo, teſtante Propheta de illo: Deus ſempiternus, Dominus creans fines terræ, non laborabit, neque deficiet. Et Pſalmus: Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Omnes enim in Chriſto infirmitates humanitas ſola portauit: caro enim habuit vagitus infantiæ, non Diuinitas: caro eſt pannis inuoluta, non Deitas: caro habuit alimenta, caro portauit ætatum commercia; nam & quòd fatigatus eſt, quòd eſurijt, quòd dormiuit, quòd fleuit, quòd paſſioni proximus triſtis fuit, quòd poſtremò ipſam paſſionem, & mortis conditionem ſuſtinuit: totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehẽſibilem ſubſtãtiam Deitatis. Vnus eſt enim Chriſtus, Deus, & homo, caro, & verbum: ſed vnde Deus, inde habet immortalitatem: vnde homo, inde pertulit paſſionem: & vnde caro, inde mortuus; & vnde verbum, inde æternus. Nec enim poteſt eſſe Deitate paſſibilis, qui eſt virtute paternæ gloriæ naturæ æqualis. Vnde & Patri derogatur, dum natura Deitatis in Filio paſſibilis creditur. Nam ſi vna Patris, & Filij ſubſtantia eſt: vtique ſicut Pater, ita & Filius immortalis eſt. Et, ſi ego, & Pater vnum ſumus, ſicut in Patre non eſt mors, ita nec in Dei Filio mors. Et ſi verum eſt. Omnia quæ habet Pater mea ſunt, ergo immortalitas Patris cũ Filio communis eſt. Nam quod ait Apoſtolus de infidelium ignorantia: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent:* non quaſi Dominus gloriæ ſit crucifixus, vt natura Deitatis videatur eſſe paſſibilis: ſed quia vnus in vtraque natura eſt

Chriſtus

Chriſtus ſecundum aſſumpti hominis formam, Dominus gloriæ dicitur paſſus: ſicut è contrario eſt illud; Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis. Dum de cęlo non deſcendiſſet, niſi tantùm Dei Filius, nondum idem factus Filius hominis. Propter perſonæ ergo vnitatem, & ad hominem referuntur in Chriſto, quæ Dei propria ſunt, & Diuinitati adſcribuntur, quæ hominis ſunt. Et ideo dum pati, ac mori dicitur, non eſt Deitatis, ſed carnis proprium: ſic tamen propter vnitatem perſonæ, ipſe Deus, & natus ex Virgine, & paſſus, & mortuus prædicatur, ſed infirmitate carnis noſtræ, non virtute Diuinitatis ſuæ. Quod vero idem Apoſtolus ait: Si enim cum inimici eſſemus, recōciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; ſic dicitur Dei Filius mortuus, ſicut dicitur de Martyribus paſſis, ac mortuis, quorum tamen non ſunt animæ occiſæ in corporis paſſione; ore veritatis teſtante: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem nō poſſunt occidere. Vbi agnoſci oportet, ſi animæ Martyrum corpore perempto ſupplicijs extingui non poſſunt, Deus qui conditor eſt animarum, quomodo per crucem carnis, pati potuit exitum mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem Filio Dei loquente: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem iterum ſumendi eam.

Quòd ſi ipſa Deitas mortua extitit, quæro, quis animam ipſius reaſſumpſit? Stultum eſt ergo crucis paſſionem diuinæ applicare naturæ; ſed tantùm creabili, & humanæ. Sola enim caro crucis exitium ſenſit, ſola caro lanceā pertulit, ſola caro ſanguine, & aqua manauit, ipſa ſola mortua, ipſa ſola in ſepulchro poſita, ipſa ſola tertia die reſuſcitata: quæ etiam glorificata cœlos adijt, in qua & venturus eſt iudicare in gloria Patris, iudicaturus de viuis, ac mortuis. Prolatis ergo noui, ac veteris Teſtamenti teſtimoniis, in quibus duæ naturæ Chriſti patefactæ ſunt; in vna ſubſiſtentes perſona, in quibus, & paſſio eius apparuit in homine ſolo expleta, deinde oportuit ſententias ſubnecti ſanctorum Patrum, qui in ſacris literis ingēti gloria refulſerunt: vt etiam eorum traditione perpateat, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex duabus naturis, & vna perſona ſubſiſtit, & quia mortem, & paſſionem in ſola carne ſuſcepit. Sanctus ergo Hilarius in explicatione Epiſtolæ ad Timotheum ſic loquitur: Nam & cum dicit Scriptura, Homo Chriſtus, & cum dicit, Chriſtus mortuus eſt; & cum dicit, Verbum caro factum eſt, non eſt ſpoliandus per fraudulentiam legentis expoſitionibus ſuis ſermo: Nam vbi homo Chriſtus eſt, præcedit mediator Dei, atque hominum, vt ex vtroque Deo, & homine vnus ſubſiſtat, ſitque inter hominem, & Deum medius, confeſſione in ſe vtriuſque naturæ. Vbi vero Chriſtus mortuus eſt, ſubijcitur: Qui reſurrexit, qui eſt in dextera Dei. In morte eius, carnis noſtræ infirmitas eſt, in reſurrectione virtus eius, in confeſſu Dei dignitas: Sanctus quoque Ambroſius in expoſitione Euangelij ſecundùm Lucam, ſic aſſerit: Non enim ſuam, ſed noſtram crucem Chriſtus aſcendit: nec mors illa Diuinitatis, ſed quaſi hominis fuit. Et paulo poſt: Etenim Chriſtus omnia, & in Chriſto omnia: licet in ſingulis Chriſtus operetur, caro tamen moritur, vt reſurgat. Item idem in eodem libro exponens inter alia dicit: Triſtis eſt anima mea, & turbata eſt valde. Nō ergo ſuſcipiens, ſed ſuſcepta

turbatur:

Digitized by Google

turbatur: anima enim obnoxia paſſionibus, Diuinitas libera. Etenim ſpiritus promptus, caro autem infirma. Non eſt triſtis ſapientia, non diuina ſubſtantia, ſed anima. Suſcepit corpus meum, non me fefellit, vt aliud eſſet, & aliud videretur. S. Athanaſius in tractatu, quem ſcripſit de Chriſti natiuitate, ſic dicit: In hoc ſit ergo, fratres cariſſimi, fides noſtra, in hoc tota ſalus, & vita conſiſtat, vt credamus, Deũ Dei Filium primùm ante omnia ſæcula à Deo Patre inuiſibiliter genitum; deinde à Maria Virgine, ſecundùm hominem natum, & ſecundum hunc hominem paſſum, mortuum, ſepultum; reſurrexiſſe ab inferis, aſcendiſſe in Cælum. Item idem in expoſitione fidei. Verbum (inquit) naſcitur de Maria Virgine, accipiens corpus animale; ſed neque ſermo comprehenſus eſt carne, ſed in carne, & ſupra carnem: & ſicut Deus dicitur, ita Dei virtus, Dei veritas; paſſus autem humana carne, ſed ſermo Dei impaſſibilis eſt. In paſſione quidem moritur homo, vt viuificaret protoplaſtum, qui ceciderat per inobediētiam. S. Gregorius Nazianzenus ſcribens ad Celidonium dicit: Naturæ enim duæ in Chriſto, Deus, & Homo; non autem duo filij, nec Dij duo. Item idem in ſermone de Filio: Vno autem (inquit) capitulo moneo, vt altiora quidem adſcribas Diuinitati, & illi naturæ, quæ paſſionibus, & corpore probatur eſſe ſuperior: humiliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis noſtræ aſſumpta eſt. Item ipſe in quarto libro contra Eunomium. Et ne aliquis incorruptibili naturæ Deitatis crucem paſſionis applicet, per alia manifeſtiùs talem emendat errorem, mediatorem ipſum Dei, & hominum, & Deum ipſum nominans; vt cum duo de vno dicantur, congruum intelligatur circa vtrunque; circa Deitatem quidem impaſſibilitas, circa humanitatem autem diſpenſatio paſſionis. Sanctus quoque Baſilius in quarto libro contra Eunomium, ita ſcribit: Quid eſt, Dominus creauit me, & ante omnes colles genuit me? Vbi intelligēdum eſt hoc, quod dicit, Genuit, de Dei Filio: hoc autem, quod dicit Creauit de ea parte, qua in forma ſerui eſt, vt vtranque naturam in vna perſona oſtenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad Succeſſum epiſtola dicit: Ergò quãtum quidem ad intellectum pertinet, & ad fidem tantundem oculis animæ: quemadmodum incarnatus eſt Vnigenitus, duas naturas eſſe dicimus, vnum autem Filium, & Chriſtum, & Dominum, Deum Verbum incarnatum, & hominem factum cõfitemur. Item in ſecunda ad eundem Succeſſū epiſtola, ſic ait: Cum vnus (inquit) ſit, & ſolus Filius Chriſtus, idē ipſe Deus, & Homo, ſicut in Deitate perfectus, ita & in humanitate perfectus. Nõ autē ipſum Vnigenitum Filium Dei, ſecundùm quod intelligitur, & eſt Filius Dei, paſſum eſſe in ſua natura dicemus. Oportet enim neceſſariò vtraque ſeruare vni, & vero Filio, & non pati ſecundùm Deitatem, & dici paſſū eſſe eundem ſecūdum humanitatem: ipſius enim paſſa eſt caro. Idem in expoſitione Leuitici inter alia. Totum in his iterum circumſpice Saluatoris noſtri myſterium; & emundationem, quæ per ſanctum Baptiſma fit. Duas enim auiculas ſumi iubetur, viuas, & mundas; vt intelligas per volatilia, cæleſtem hominem ſimul & Deum in duabus naturis, quantum pertinet ad rationem, diuidendum, vnicuique cõuenientem. Item S. Auguſtinus: Nec enim illa ſuſceptione alterum eorum

Digitized by Google

in alterum conuerſum, atque mutatũ eſt. Nec Diuinitas quippe in creaturã mutata eſt, vt deſiſteret eſſe Diuinitas: nec creatura in Diuinitatem, vt deſiſteret eſſe creatura. Nam ſi ſubſtantia hominis (quod abſit credere) in Diuinitatem conuerſa eſt, augmentauit aliquid Deitatis. Sed abſit, vt augmentum accipiat ineffabilis, & incomprehenſibilis plenitudo. Manet ergo vtraque Filij Dei natura, & vna perſona. Rurſus ipſe aduersùs Maximinum: Si ergo attendas diſtinctiones naturarũ, Filius Dei de cælo deſcendit, & Filius hominis crucifixus eſt in terra. Idem in ſequentibus: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia. Vbi reſurgit, niſi in eo quod potuit cadere? Vbi reſurrexit, niſi in eo vbi mortuus? Quęre mortem in Verbo; nunquam eſſe potuit: quære mortem in anima: nunquam ibi fuit: quære mortem in carne; plane ibi fuit: & ideò ibi fuit, quia mors vera fuit. Et paulò poſt: Quid miraris? Certè vita eſt Chriſtus: quare mortua eſt vita? nec anima mortua eſt, nec Verbum mortuum eſt? Caro tantùm mortua eſt. Quare? Vt in ea mors moreretur. Idẽ in expoſitione Ioannis Euangeliſtæ. Quis ergo eſt, per quem factus eſt mundus? Chriſtus Ieſus; ſed in forma Dei. Quis eſt ſub Pontio Pilato crucifixus? Idem ipſe Ieſus Chriſtus, ſed in forma ſerui. Beatus quoque Leo Apoſtolicæ Sedis Antiſtes in ſua epiſtola, quam ſcripſit ad Flauianum Cõſtantinopolitanum Epiſcopum, ſic ait: Salua ergo proprietate vtriuſq; naturæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reſoluendum conditionis noſtræ debitum, inuiolabilis natura eſt vnita naturæ paſſibili; vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus, atque idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, & mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis, perfectaq; natura, verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Et paulo poſt: Qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma ſerui factus eſt homo. Tenet enim ſine defectu proprietatem ſuam vtraque natura. Et ſicut forma ſerui Dei formam non ademit, ita forma Dei formam ſerui non minuit. Item paulò poſt: Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium eſt; Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs. Et ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit. Sanctus quoque Fulgẽtius in libro, quem de Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcripſit, inter alia ſic intulit: Dico itaque vobis iuxta ſanctorum Patrum traditionẽ, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in duabus inconfuſis naturis, ideſt, diuinitatis, & humanitatis, vnam perſonam, ſiue ſubſiſtentiam confiteri. Idem poſt alia: Si quis ergo in Domino noſtro Ieſu Chriſto, aut duas naturas, aut vnam noluerit, ſiue dubitauerit credere, aut prædicare perſonã; vel ſi quis noluerit confiteri Deum, atque hominem; ideſt, Verbum incarnatum de Maria Virgine, pro noſtra ſalute veraciter natum, à Catholica fide deprehenditur, ac demonſtratur extraneus, vt ſacramento redemptionis humanæ reſiſtat ingratus. Et paulò poſt: Verbum caro factum vnus, & plenus eſt Chriſtus, vnus ex vtraque, & in vtraque, ideſt, in humana, diuinaque

naque

Digitized by Google

naque natura; in quo ſic vtriuſque naturæ prorſus vnitio glorioſa perſiſtit, vt ſiue diuinitati Chriſti humanitatē quis demat, ſiue humanitati Diuinitatem detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate, & blaſphema prædicatione diſſoluat. Itē paulo poſt: Chriſtus pro nobis carne eſt paſſus, qui de Deo Patre natus ſolus eſt impaſſibilis Deus. Ipſum itaque Chriſtum Filium Dei, pro nobis mortem carne guſtaſſe, falſa immortalitate Diuinitatis eius, veraciter credimus. Iterum poſt hoc: Quia non eſt alter Deus, alter homo, ſed idem vnus eſt Chriſtus, Deus & homo, profectò idem Deus Chriſtus eſt, qui & mortem ſua carne ſuſcepit: & idē homo Chriſtus eſt, qui mortem ſua Diuinitate deſtruxit. Idem quippe Chriſtus Dei Filius, qui Diuinitate mori non potuit, carne mortuus eſt, quia mortalem Deus immortalis accepit, & idem Chriſtus Dei Filius carne mortuus reſurrexit, quia immortalitatem ſuæ Diuinitatis carne mortuus non amiſit. Hinc eſt quòd etiam poſt reſurrectionem ſuam, ſicut in cicatricibus veris; & in vera commiſtione piſcis, & mellis, ſoliditatem in ſe veræ carnis edocuit, ita clauſis foribus ingrediens, veram in ſe virtutem ſempiternæ Diuinitatis oſtendit, vt agnoſceretur, & naturalis fuiſſe Chriſti morientis infirmitas, & eidem reſurgenti naturalis ineſſe maieſtas. Hæc quidem, quæ tam diuinæ Scripturæ, quàm etiam Sanctorum Patrum eloquia docuerunt, decretis noſtris breuiter inſerta protulimus, demonſtrãtes geminam carnis, & Deitatis naturam in vna Domini, & Saluatoris noſtri perſona: paſſum quoque eundem in ea natura, quæ corporis eſt; nō paſſum in ea natura, quæ Deitatis eſt. His ergo concordi ſententia in tribus Secretarijs definitis, pro confirmatione ſui, proprias ſubſcriptiones ſubiecimus.

1 Iſidorus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Spalenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

2 Biſinus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Eliberitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

4 Fulgentius, in Chriſti nomine Eccleſiæ Aſtigitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

5 Cambra, in Chriſti nomine Eccleſiæ Italicenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

6 Fidentius, in Chriſti nomine Eccleſię Tuccitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

7 Theodulphus, in Chriſti nomine Eccleſiæ Malacitanæ Epiſcopus, ſubſcripſi.

8 Honorius, in Chriſti nomine Eccleſiæ Cordubenſis Epiſcopus, ſubſcripſi.

Liberabit hoc Concilium, fidem meam. Quod ſi ſummi viri deſideret lector iudicium, ſubdo Loayſæ ſententiam, quæ gratior erit, quòd eruditione plena eſt.

In Ciuitate Spalenſi. Anno nono Regni Siſebuti celebratum eſt, ſub D. Iſidoro Metropolitano ſecundum Concilium Hiſpalenſe, pro Eccleſiaſticis negotiis, & contra Acephalos Hæreticos negantes temerè in Chriſto duas naturas, in vna Diuina perſona. Acephali ſine capite dicti, quia nullus reperitur erroris huius author, à quo exorti nomen, & ſectam ſibi arrogēt, vt Iſidorus inquit, lib. etymolog. 8. cap. 5. & Auguſtinus. De his etiam multa

Digitized by Google

tradit Nicephorus lib. 18. Eccleſiaſt. hiſt.cap.45.plura infra. Interfuit huic Concilio Epiſcopus quidam Syrus. ſtolidus huius hæreſis propugnator, qui poſt longam diſputationem, rationibus & argumentis D. Iſidori, & aliorum Patrum victus, ad rectam, & orthodoxam fidem conuerſus eſt: vt ex 12.actione huius Concilij conſtat. Eſtque Concilium eruditum, & doctum, iuris ciuilis, & Canonici ſapientia refertum; ita vt appareat à viris eruditione Diuina, & ſæculari præſtantibus eſſe editum.

Ex hæreſi Acephalorum. De Acephalis multa tradit Nicephorus lib. 18. Eccleſiaſt. hiſtor.cap.45. Eodem tempore, & Acephali, quorum dux Seuerus Antiochenus fuit, vnam Verbi & carnis naturam malè prædicantes. Et mox: Acephali autem ob eam cauſã dicti ſunt, quòd ſub Epiſcopis nõ fuerint. Proinde Epiſcopis, & Sacerdotibus apud eos defunctis, neque baptiſmus, iuxta ſolemnem, & receptum Eccleſię morem apud eos adminiſtratus, neque oblatio, aut res aliqua Diuina facta, miniſteriumue Eccleſiaſtiſticum, ſicuti mos eſt, celebratum eſt. Communionem verò illi à plurimo tempore aſſeruatam habentes, ferijs Paſchalibus in minutiſſimas inciſam partes conuenientibus ad ſe hominibus dederunt. Quo tempore, quam quiſque voluiſſet, placitam ſibi ſumebat poteſtatem. Et propterea, quod quilibet, quod ſibi viſum eſſet, fidei inſertum volebat, quam plurima de ſectorum, & hæreticorum turba exorta eſt, &c.

Lege Iſidorum lib. Etymolog. 8. capit.3.

Equidem cùm video hanc hęreſim Acephalorum ex tot conſtare hæreſibus, ſuſpicor eo nomine appellatam, quod nullius certi erroris caput ei ſectæ, nec author fuit, ſed omnium veterum hæreſiarcharum collectio ea, & compendium euaſit. Vnde ex ea multitudine, & confuſione inter ſe capitum Acephala dicta, & Acephali ſectatores, quod nullum certum caput habere voluerunt: ſed ex capitibus membra hæreſum fecerunt. Ferat ſaltem coniecturam Lector, ſi minus probet. Sanè ferre poteſt, quod non eſt ineptum. Cum præſertim vulgò eà hæreſis principem, & authorem habuiſſe dicatur Seuerum Antiochenum, qua ratione Acephala eo ſenſu, quòd capite, & authore certo careat, dici nequit.

Quòd autem iis Epiſcopi non fuerint, quibus obedirent, id minus conſtare video: nam ex ijs, quæ habentur in Concilio, vbi eorum ſcelera, & flagitia, erroreſque numerantur, apparet Epiſcopatus, & geſſiſſe, & ambiiſſe, & vſurpaſſe. Profero nonnulla, quæ rem contineant hinc inde deprompta, vt obiter item dicam quãta apud eos barbaries, & immanitas fuerit. Sic igitur in Conc. Conſtantinop. ſub Agapito, & Mena. *Non enim poſſibile eſt, omnia quæ ab ipſis, & qui ſimilia iſtis ſapiunt ab Eutychete, & Dioſcoro, Acephalis hęreticis deſcendentibus contra Sanctã Dei Eccleſiam in hac Regia Vrbe, & alijs Ciuitatibus præſumpta ſunt, & attentantur diſputere*. Ecce qui à Dioſcoro Patriarcha Alexandrino venerant Epiſcopos non reiiciebant. At poſtea reiecerunt. Minimè. Sequitur enim, *Totum Orientem perturbarunt. Dira omnia aduerſus Chalcedonenſem Synodum, & B. Papam Leonem protulerunt. Alter Theopolitarum (ideſt Antiochiæ) aliter vero Apameæ Eccleſiarum thronum illicitè, & contra omnem Sacrum Canonem ſubripuerũt,* &

& *contaminauerunt*. Qui alienos Epiſcopatus ambiebãt,& inuadebant, proprios habuiſſe veroſimile eſt. Nec opponas eos Leonem Papam excommunicaſſe, atque adeo ob id Acephalos dictos: id quippe aliorum etiam hæreticorum fuit, imò & Schiſmaticorum, nam cum Dioſcoro egerunt. Nec illud rurſus obijcias eos dictos Acephalos, quod Epiſcopis Catholicis non parebant. Hoc enim nomine omnes hæretici, & Schiſmatici Acephali appellandi, ac imprimis Donatiſtæ. Itaque non eſt improbabilis mea cōiectura: quam tamen modeſtè propono, nec communem illam, quam ex Nicephoro ſcriptore idoneo, idoneus item author Loayſa ſentētiam produxit, exploſam volo. Addo ex meo penu teruncium, & ad inſtitutum reuertor.

CAPVT XVI.

Schema Concilij Epheſini.

MOrtuo Conſtantinopoli *Siſinio*, qui quartus à Chryſoſtomo illius Sedis Epiſcopus ſucceſsit, ex Antiochena Eccleſia vocatus Neſtorius dicendi,& ſimulandi callidus Artifex, qui ſecum inde Anaſtaſium quendam Presbiterum Comitem amiciſſimum duxit, eo imbutum errore; vt ſentiret Beatam Virginem minime *Theotocon*, ideſt; *Deiparam* eſſe,& dici debere. Hic inaugurato Neſtorio peſtilentem hanc doctrinam è ſuggeſtu in Eccleſiam Conſtantinopolitanam euomuit. Turbato populo ſuperuenit Neſtorius, & cognita cauſa turbationis aduocat Concionem, defendit errorem, affirmans in Chriſto duas eſſe, & diſtinctas perſonas, alteram diuinam, alteram humanam, atque adeò Beatam Virginem matrem eſſe hominis, non Dei, qui Matrem habere non poterat. Itaque *Chriſtotocon* duntaxat eſſe vocandam. Acceſſit auctoritas Dorothei circulatoris cuiuſdam Epiſcopi, qui eãdem hęreſim confirmauit.

Prodita & comperta hæreſi inſurgit in Neſtorium tota fideliũ Eccleſia; furit ille, & in omnes præſertim Monachos ſibi reſiſtentes ſæuit: Sed poſtea ſerpente iam illa per Aſiam, & Africam hęreſis quo eam ſcripta vexerant, Cyrillus Alexandrinus fidem catholicam tuendam ſuſcipit & Neſtorio velut Antagoniſta opponitur. Cōfutatus à Cyrillo Neſtorius ad Cæleſtinum Pontificem tum Romæ, auſus eſt prouocare, & epiſtolam hæreſeos ſuæ plenam mittere. Eo comperto Cyrillus ad eundem Pontificem litteras dedit. Cęleſtinus arbiter Controuerſiæ factus Neſtorium hæreticum vituperat, Cyrillum Catholicum laudat, partesque ei ſuas, vicesque Legati nomine mandat, & iniungit, vt Neſtorium, niſi reſipiſcat, loco moueat,& proſcribat. Is coacta Alexandriæ Synodo rem contra Neſtorium definit ex pręiudicio Cęleſtini,& quatuor poſtea epiſcopos mittit ad Neſtorium cum formula fidei, quam ſequatur. At hic vti erat ſuperbus, Epiſcopos nec admittit, nec audit,& in ſuo propoſito obſtinatus perſtat.

Eo ventum vt generali Concilio opus eſſet. Indixit Cæleſtinus, Theodoſius Imperator Epheſum condixit. Conuolant in Vrbē Neſtorius, & Cyrillus, ſumma belli in ſe ſuſcepta, de sũma rei Eccleſiaſtica, tanquam duo duces dimicaturi: ſed tergiuerſante Neſtorio, & detrectante pugnam, cũ iam numerus Epiſcoporum iuſtus conueniſſet, cępta celebrari Synodus eſt, ad quam ipſe licet ſæpè inuitatus ve-

Digitized by Google

venire noluit. Congregati ſunt Epiſcopi plus minus 200. Omnium calculis damnatur Neſtorius, & aſſeclæ manifeſtæ hæreſeos. Confirmatur fides ab Arcadio, & Proiecto Epiſcopis, & Philippo Presbitero miſſis, poſt coactam Synodum, à Cæleſtino Roma Legatis.

Diſplicuit hoc Ioanni Patriarchæ Antiocheno eo prætextu, quòd ſe abſente, & inconſulto res acta fuerat. Itaque Neſtorio ſe adiungens vocatis triginta circiter è fæce Epiſcopis coegit Conciliabulum, in quo reſcidit acta Concilij, & Cyrillum Alexandrinum, & Memnonem Epheſinum Epiſcopum priuauit cõmunione fidelium. Quo cognito Patres Epheſini rurſum congregantur, & Ioannem edicto compeſcunt, & ad rationem reddẽdam cogunt. Confugiunt hi ad Theodoſium, qui ab ijs deceptus ratam habet damnationem Cyrilli, & Memnonis, eoſque in cuſtodiam trudi iubet; ſed eorum Cauſa ſuſcepta Patres Concilij octo Epiſcopos Legatos ad Imperatoré mittũt, qui lectis actis Synodi, & audita Legatione, ſentẽtiam mutat; liberat duos innocentes; Neſtorium damnat, & relegat, & alium Conſtantinopoli Epiſcopum ſuffici à legatis præcipit. Is fuit Maximianus Monachus, vir notæ ſanctitatis, & quoniam Ioannes Antiochenus adhuc reſtitabat, compulſus eſt ab Imperatore probare acta Concilij, & cùm Cyrillo in gratiam redire. Ita pace redintegrata nomen Neſtorij Auguſtali lege faſtis eraſum. Ipſe in ordinem redactus, & in deſertum Oaſim dictũ, ſeu Ibin, oppidum primùm, & inde Elephantiriam Thebaidis vrbem relegatus. Sed nihil cum regionibus mutauit animum, & in nefaria hæreſi perſeuerauit, donec tandem incerta morte, vel ad terram eliſus, vel eà dehiſcente abſorptus interijt.

Celebratũ iſtud eſt Conciliũ in Eccleſia S. Mariæ Virginis Epheſi, nempè *Matris Dei*, cuius cauſa agebatur, quæ quòd in ea Vrbe cum Ioanne Euangeliſta habitauit, illam debuit habere vindicem ſuæ dignitatis, vt domicilij hoſtimentum acciperet.

Oecumenicum, & legitimum fuiſſe liquet. Oecumenicum, quia omnium penè totius Orbis Catholici Prouinciarum Epiſcopi interfuerunt, vt ex eorum Cathalogo apparet. Legitimum, quia authoritate Cæleſtini congregatum fuit, & quæ in eo agenda erant ab eodem præſcripta, & præſidendi partes Cyrillo demandatæ, & decreta in eo facta ex præiudicio ipſius Cæleſtini fuerunt; quod teſtantur Iuuenalis Hieroſolymæ, & Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi in ſuis ad Patres Concilij concionibus, quæ habentur act. 2. propè finem, & monſtrat Epiſtola Synodalis ad Imperatores actione 1. longè poſt medium, & altera epiſtola ad eundem actione 3. prope finem. Imo & ipſimet Legati palàm in Concilio affirmant act. 4. circa medium ſe ad deponendum Neſtorium Romæ anathematizatum de mandato Cæleſtini veniſſe. Quare Patres Concilij, quæ iudicarũt à Cæleſtino Papa præiudicata ſe accepiſſe fatentur act. 2. & 5. prope finẽ. Quin ſua item decreta, & acta ad Cæleſtinum Romam confirmanda miſerunt, ſed quia ille iam è viuis exceſſerat à Sixto Succeſſore ſunt cõfirmata. Eam verò grauis auctor Vicentius Lirinẽſis, qui eo tẽpore vixit *Beatam Synodum* appellat. A Græcis fuiſſe receptam teſtatur Florent. ſeſſ. 3. & 6. Tantæ auctoritatis fuit, vt etiam

Lu-

Digitized by Google

Luthero Sancta & rata fuerit, vel Magdeburgenſium teſtimonio Centuria 1. cap. 1.

Habuit hæc Synodus actiones 7. Prima tribus ſeſſionibus abſoluta. In prima 22. Iunij habita ſeſſ. citatus accuſatus, conuictus, depoſitus Neſtorius. In 2. ſeſſione 23. Iunij habuit Concionem Cyrillus, & Epiſtola Synodalis ad Imperatorē Theodoſium ſcripta, & miſſa, ſed a Candidiano Comite prodita, & intercepta. In tertia, 27. Iunij ob repulſos legatos Concilij Ioanni Antiocheno obuiam miſſos, ipſemet Ioannes excommunicatus, qui irę impotens conciliabulum coegit, quæ Pſeudoſynodus & vana fuit, & Cyrillum, & Memnonem perperam condemnauit. His abſoluitur 1. Act.

Secunda ſexto Idus Iul. 10. eiuſdem die habita exhibet Legatos Roma miſſos cum litteris, & mandatis Cæleſtini: Lectę palam litteræ, vt erant ſcriptæ, latinè ob Sedis Apoſtolicę dignitatem. Et lata primò in Neſtorium ſententia denuò confirmata. In tertia actione v. Id. Iul. xi. eiuſdem Legati Romani Pontificis ſuo calculo condemnant Neſtorium. Pręfatur ex ijs Philippus presbyter multa de Primatu Summi Pontificis, & ſuprema Papę auctoritate, & ab eo dicta ab omnibus approbantur, & ipſe Philippus ſubſcribit primus decretis Concilijs, & Epiſcopi duo Legati poſt ipſum, quod minus pręcipui erant Legati, ideò Presbytero ceſſerunt. Cęteri omnes in eandem iurauerunt ſententiam.

In quarta act. 16. Iulij agitur de modo liberandi Cyrillum, & Memnonem à calumnijs Neſtorianorum, quas hi auctore Ioanne illi intēderant. Quinta actio 16. Kal. Auguſt. 17. Iul. habita continet iuſtas Cyrilli querelas de Charta contra eum publice affixa. Citatur 16. Kal. Auguſt. 17. Iulij ter ad comparendum in Concilio Ioannes Antiochenus, pertinax anathematizatur cum gregalibus pertinaciæ, demū acta Conciliabuli reſcinduntur. Actio 6. xi. Kal. Aug. 22. Iul. habuit duas ſeſſiones, primam 22. Iulij, in qua lecta fuit confeſſio quædam à Neſtorianis concinnata, quæ omninò prohibita eſt, & cautum à Patribus ne qua præter Nicenam alia vulgaretur. Secunda habita 23. Iulij, in qua damnata eſt hæreſis Pelagiana, & decretum ne Hieroſolymitanus Epiſcopus Cęſarienſi anteferretur, repulſo Iuuenale Hieroſolymitano Epiſcopo, qui contradicebat. Ceſareæ Epiſcopo primatus Syrię delatus, & ſtatutum, vt vni Metropolitano duo ſaltem ſubeſſent Epiſcopi.

Actione ſeptima prid. Kal. Septemb. 31. Aug. agitata lis eſt de ordinatione Epiſcoporū Cypri, quam ad ſe trahere conabantur Patriarchæ Antiocheni, qui iuriſdictionē in eius Prouincię Epiſcopos vſurpare tentabant. Contra eos actum à tribus Epiſcopis Cypriorū Reginone, Zenone, & Euagrio oblato Patribus Concilij ſupplici Libello, in quo querebantur ſe vim pati à Patriarcha Antiocheno, qui ſubijci ſibi contēdebat Epiſcopos illius Inſulæ cōtra Apoſtolicos Canones, & definitiones Sanctæ Nicenæ Synodi. Accepto libello, & auditis Epiſcopis conſtitutum à Patribus nullum ius eſſe Patriarchæ Antiocheno in Epiſcopos illius Inſulæ, ac proinde illorum ordinationem minimè ad eum pertinere, quia Cyprus eſſet Prouincia diſtincta, & nullatenus ſubiaceret ditioni Antiochenæ. Vnde Zeno Epiſcopus Cyprius dixit. *A Sanctis Apoſtolis nunquam poſſunt oſtendere Patriarchæ An-*

Digitized by Google

Antiocheni, quod adfuerit Antiochenus vel ordinauerit, vel communicauerit vnquam Inſulæ ordinationis gratiam, neque aliàs quiſquam. Et poſtea inquit. *Synodus noſtræ Prouinciæ congregata inſtituebat Metropolitanum.* Hoc comperto decretum fuit, vt ne liceret Patriarchæ Antiocheno ordinare Epiſcopos Cyprios, quia ſecundùm Canones Patrum Niceæ congregatorū, non licebat tranſgredi terminos Prouinciarum. Itaque cùm Cyprus diuerſa eſſet Prouincia ab Antiochena, non poſſe ibi Patriarcham Antiochenum Epiſcopos ordinare; *Memor*, ait, *ſit ſancta Synodus Canonis Sanctorum Patrum in Nicea congregatorum, qui ſenſerunt vnicuique Eccleſiæ priſcam dignitatem, hic etiam memor ſit Antiochiæ*.

Ex his apparet nothum eſſe illum canonem Arabicum 37. inter Arabicos Nicenos, qui decernit, vt Patriarcha Antiochenus conſtituat Archiepiſcopum Cypri loco mortui: vel permittat, cum conſtitui à 13. illius Prouinciæ Epiſcopis, perindè ac Cyprus ſit Prouincia ſubdita Antiochiæ, cùm manifeſtè conſtet ex actis huius Synodi Epheſinæ Cyprum non eſſe ditionis Antiochenæ, nec vnquam Antiochenum Patriarcham Epiſcopos in Prouincia Cypro conſtituiſſe; quod ſi Synodus Epheſina, vt obſeruat Binius in Notis ad illum Canonem 37. Arabicum ait; *Morem eſſe antiquum, vt Patriarcha Antiochiæ ordinationes in Cypro faciat*. Certè hic mos cæpit introduci multò poſt tempora Concilij Niceni, & Epheſini, nam ad vſq; illud tempus nec mos, nec Canon fuit id ſtatuens, vel permittens, vt liquidò ex hac 7. actione conſtat, quod fatetur ipſemet Binius in notis ad hanc actionem 7. vbi ſic: *decretum fuit ne Ioannes Antiochenus Cyprias, nec alij Epiſcopi alias inuaderent Eccleſias*. Ac ne quis vtatur argumento ad tuendum Canonem Arabicum, aduerto, licet id moris fuerit, non fuiſſe iuxta Canonem Niceni Concilij, quo id ſtatueretur, imò ille mos cōtra Canonē Niceni Concilij inualuit, &c. Quod autem obijcitur vulgo de epiſtola Innocentij primi ad Alexandrum Patriarcham parùm habet momenti, quia Innocentius in ea epiſtola, quæ eſt 18. cap. 2. refert ſe ad teſtimonium Alexandri Patriarchæ. *Cyprios, inquit, aſſeris non retuliſſe Nicænos Canones in ordinandis ſibi Epiſcopis:* vnde conditionatè ad alienam fidē dixit. *Perſuademus eis vt curēt iuxta canonum fidē, fidem Catholicam ſapere*, & quidem iſta perſuaſio reſpondebat aſſertioni Antiocheni, ceù diceret: *Si ita eſt, vt aſſeris, perſuadebo illis*, vt tuæ iuriſdictioni pareant. Deindè non extat iſta perſuaſio Innocentij, nec vllum eius veſtigium in eiuſdem epiſtolis, decretiſue inueniuntur; quare retorquetur coniectura. Innocentius non perſuaſit, ergo re diligenter examinata minimè veram eſſe comperit. Addo inſuper ibi non agi de ſubiectione tantùm Eccleſiarum, ſed de illa ſubiectione, quæ cum fide catholica erat coniuncta, vtpotè introducta ab Arianis, vti apparet ex verbis Innocentij. *Curent iuxta Canonum fidem, fidem catholicam ſapere, atque vnum cum cæteris ſentire Prouincijs, vt appareat Sancti Spiritus gratia ipſos quoque vt omnes Eccleſias gubernari*. Erat igitur coniunctum illud ſchiſma (ſi tamen erat) cum hæreſi, & defectione à vera fide, cui Innocentius volebat obuiare. Hæ ſunt coniecturæ, & quidem probabiles, ſed ratio valida elidendi vim iſtius obiectionis eſt, quia Patriarcha Alexandrinus

verum

Digitized by Google

verum non aſſeruit Innocentio, ſed vſus eſt artificio, vt Prouinciæ Cypri Epiſcopos, eius ſibi auctoritate ſubijceret, quod vſitatum fuiſſe apud illos Patriarchas Antiochenos liquet, ex hoc loco Epheſini Concilij vbi dicuntur, *Subornaſſe ducem: nihil non audere: inuenere nouitatem*, & ſimilia; imò totũ hoc negocium *tragædiam* vocant, ex quo apparet abuti voluiſſe illa diuiſione iuris dictionum, vt ſibi arrogarent poteſtatem ſuper Epiſcopos Cyprios. Quod vero aiunt qui contrà ſentiunt, eam iuriſdictionem competere Patriarchæ Antiocheno virtute Canonis ſexti Niceni, verum non eſt, imò contrarium ex eo elicitur. Sic enim habetur: *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Egyptum, Libyam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteraſque prouincias ſuis Priuilegia ſeruentur Eccleſijs*. Primùm ex hoc Canone non conſtat de certis Prouincijs Antiocheni; cur igitur ei attribuitur Cyprus? Iam verò illa particula, *apud Antiochiam, cæteraſque prouincias*, manifeſtè declarat alias eſſe præter Antiochiam, quæ illo Priuilegio exemptionis fruerentur, inter quas erat Cyprus: & quidem meritò, tum propter Inſulæ dignitatem, & frequentiam, quæ Macharia vocata, & nouem Regna intra ſe habuit, tum propter prærogatiuam ortam ex eo, quod in ea natus eſt Barnabas, a quo ipſa illuſtrata doctrina, luſtrata expeditione, eiuſque Martyrio, & ſepulcro nobilitata, vnde Apoſtolica Eccleſia euaſit, quòd fuerit fundata ab Apoſt. ac proinde eximenda à regula generali, cùm præſertim eius Inſulæ ditio Epiſcopis abundaret; nã tredecim eius Epiſcopi numerãtur à Nilo Doxapatrio hoc ordine: Conſtantienſis, qui Metropolita, Curienſis, Amathuntius, Paphienſis, Arſinoenſis, Solenſis, Lapithenſis, Cyrenienſis, Thamaſſenſis, Cythrenſis, Trimithuntenſis, Carpathenſis, ex quibus in hoc Concilio adſuerunt, Conſtantienſis, Solenſis, Curienſis. In Concilio verò Conſtantinopolitano primo reperiuntur quatuor Paphenſis, Trimithuntis, Thamacenſis, Scithienſis. Ex his conſtat ius, & ratio iuris, quo Cyprus Inſula autocephaliam, quoad auctoritatem eligendi ſibi Metropolitam obtinebat, & corruit tota machina Antiochenæ molitionis, & apparet iniuria, & vis in vſurpanda iuriſdictione Prouinciæ Cypriæ. Id autem obſeruandum, integrum Epheſinum Concilium audita cauſa rem adiudicaſſe Epiſcopis Cypri ſine vlla aduerſariæ partis contradictione, adeò vt ne ipſe quidem Ioannes Patriarcha Antiochenus Vir factioſus, & qui tot modis ſe oppoſuit Patribus Epheſinis legitimè congregatis, iiſque calumnias pleraſque impoſuit, vllum aliquando verbum de re tanta facere auſus fuerit, quæ ſi minus eſſet rectè iudicata, arriperet ſanè rixandi, & contendendi, imò & exprobrandi occaſionem. Miror autem eruditiſſimum auctorẽ notarum in Canones Conciliorum in ſuo doctiſſimo ſcholio contrà ſentire, & affirmare hanc ſubiectionem Prouinciæ Cypri erga Patriarcham Antiochenum fuiſſe à S. Petro ordinatam, ita vt vna ex Prouincijs ſubditis Patriarchatui Antiocheno eſſet *omninò Cyprus*, & ita docere Canonem ſextum Nicenum, cùm oppoſitum ſit veriſſimum, negantibus in hac Synodo Generali Epheſina eam Petri inſtitutionem Epiſcopis, & ita iudicantibus vniuerſis Patribus, & nulla prorſus in Ca-

none ſexto facta huiusce ſubiectionis, mentione: ſolius quippe Patriarchæ Alexandrini in eo Prouinciæ numerantur. Miror autem magis eundem præclarum auctorem, vt infirmet teſtimonium Epiſcoporum Cypri dicere: *Oſtendere viſi ſunt*, quòd re vera non oſtenderint, quaſi minus fideliter proceſſerint, cùm in Decreto contineatur eos rem illam *Libellis, & proprijs vocibus docuiſſe*: vtitur enim hoc verbo Concilium; *Docuerunt, &c.* Maneat itaque ius Cyprium inuiolatum, & auctoritate Epheſini Concilij confirmatum.

Annum Concilij certum, me auctore, ac indubitatum diuerſi ſupputantium ſcriptorum calculi incertum, dubiumque fecerunt. Onuphrius ponit annum 430. Bellarminus ſtatuit 434. Vterque ſuos ſectatores habet. Neuter ſcopum attigit. Nō Onuphrius, quia Concilium habitum fuit Anno poſt Cōſulatum tertiumdecimum Theodoſij Iunioris, tertium Valentiniani: à quibus euocati ſunt Patres eo ipſo anno 430. 13. Kal. Nouemb. in proximum annum 431. ad Pentecoſtem, quæ ſolemnitas incidit in diem 7. Menſis Iunij, cuius Menſis die 27. inchoatum eſt. Non ergo potuit eius annus eſſe ille 430. cum is fuerit Indictionis Concilij ante Celebrationem, ita refutatur Onuphrius. Non Bellarminus, qui longius multò recedit à ſcopo, dum deſignat annum 434. adeò vt ego putem mendoſos numeros eſſe. Nam triennium iam exierat poſt celebrationem Concilij. Patet quia conſtat illud fuiſſe congregatum Cęleſtino viuo; at Cæleſtinus mortuus eſt anno 432. nona die Aprilis. Prętereà ipſemet Bellarminus affert verba Vincentij Lirinenſis clariſſimi eius temporis ſcriptoris, quibus refellitur eadem Bellarmini ſententia: cum ſic ſcribat de ſuo inſigni Commonitorio; *Ante triennium fermè in Aſia apud Epheſum celebratum Concilium eſt Viris clariſſimis Baſſo, Antiochoq; Cōſulibus.* Scribebat autem hæc Vincentius anno 434. quemadmodum deducitur ex actis Lirinenſibus. Manet igitur annus certus 431. quem ego figo clauis trabalibus, nimirum indictione Concilij anno antè, ideſt, Conſulibus Theodoſio decimùm tertiùm, Valentiniano Tertiùm. Morte Cęleſtini quę non patitur in eum annum 434. trahi. Teſtimonio Vincentij Lirinenſis, qui triennium decurſum ait à Concilio ad ſui ſcriptionem Commonitorij. Huius ſententiæ ſunt Cardinalis Baronius, & Spondanus, & Seuerinus Binius in ſuis notis, & erudítiſſimus auctor Notarum Concilij.

CAPVT XVII.

Schema Concilij Chalcedonenſis.

THeodoſio Iuniore Eutyches Archimandrita Senex Monaſterij Vrbis Dorylæi zelo, vel prætextu impugnandi Neſtorij, qui in Chriſto duas perſonas finxerat, vnam ex duabus naturis fecit, vt vna in Chriſto eſſet tum perſona, tum natura; quò longiùs à Neſtorij errore diſtaret, de quo ſuprà ſatis dictum. Cuius hæreſis Euſebius conſecratus Epiſcopus Dorylæi Eutychetem amicè corripuit; ſed cùm is corrigi nollet, rem detulit ad Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui tum coegerat Concilium triginta Epiſcoporū ob alias tamen cauſas, quorum vnus erat iſte Euſebius. Vocatus eſt ad reddendam ſui rationem Eutyches, ſed eo cunctante, & tergiuerſante creuit ſu-

ſuſpicio; ac proinde maiore vi compulſus eſt in Concilio adeſſe. Venit ſtipatus manu armatorum, vti Dux bellator, non Archimandrita; palam coram Patribus dixit ſe duas naturas diuinam, & humanam in Christo per Incarnationem in vnam coijſſe affirmare, ita vt in Chriſto eſſet vna vſia, & vna hypoſtaſis. Quo audito damnatus eſt à Synodo: cùmque ad Leonem Papam ſe purgans, & accuſans Patres Concilij ſcripſiſſet, ſcripſit etiam ad eundem condemnans Eutychen, & defendens Acta Synodi Flauianus.

Repulſus à Leone Eutyches ad Imperatorem Theodoſium nefario auſu prouocauit, qui precibus aulicorum Eutycheti fauentium annuens recognoſci acta Concilij iuſſit; ſed ea recognita maiorem veritati fidem fecerũt. Eutyches ea ſpe deiectus ad Dioſcorũ Patriarcham Alexandrinum hominem callidum, & Flauiani æmulum confugit. Suſcepit is cauſam, & vti erat corruptis moribus peſtilentem doctrinam facilè admiſit. Eutychianus factus Theodoſio impoſuit, & Synodum Epheſi propria auctoritate cõgregauit, quæ ſecunda Synodus Epheſina ab Hæreticis dicta fuit, verè Conciliabulum, ſiue Latrocinium, in quo bellatum magis, quàm diſputatum fuit. Omnia per vim acta, multi Epiſcopi Catholici pulſati, nonnulli comprehenſi, Flauianus calcibus contritus, & tandem necatus. Legati Apoſtolici à Leone miſſi fugati, gaudente Dioſcoro, & triumphante, lugente Eccleſia, & gemente. Interim mortuo Theodoſio Pulcheria eius Soror afflictis rebus ſubuenit, Virgo iam natu 45. annorum grandis: nupſit Marciano, vt Viro pijſſimo Imperium in dotem deferret. Ille pro ſua, & Vxoris pietate orauit Leonem, vt Conciliũ Generale indiceret. Legati poſtularunt, vt ipſe Concilio intereſſet. Indictum ergo fuit Concilium Nicæam, eò venerũt 630. Epiſcopi cum Paſchaſino Lilybetano, Licentio Aſculano, Iuliano Coenſi Epiſcopis, & Bonifacio Presbytero Legatis Leonis, qui vt faciliùs Imperator adeſſet Nicæam Vrbẽ Chalcedone mutarunt Conſtantinopoli vicina, ibi congregata Synodus Chalcedonenſis à loco appellata, Leone primo Papa, Marcianò Auguſto, eodemque Conſule. Annus dubius eſt. Onuphrius 451. Sigebertus 452. Aloander 454. Bellarminus nihil determinat. Cum Onuphrio ſentit Binius. His ſubſcribo.

Habuit Concilium 13. Seſſiones; Actiones 17. Nam vna Seſſio plures actiones comprehendit.

Prima Seſſio fuit oct. Idus Octobr. Anni 451. In ea Dioſcorus accuſatus, quòd auſus ſit Concilium propria auctoritate conuocare, ac ei præeſſe. Stetit in medio vti reus. Libelli cõtra eum ab Euſebio lecti, & Acta Conciliabuli abrogata, damnatus Eutyches de hæreſi, Dioſcorus de vi, ſeditione, & nece Flauiani conuictus, cùm excuſare ſe vellet, repulſus eſt, & cum Iuuenali, & ſuæ factionis Epiſcopis proſcriptus. Flauianus innocens declaratus.

In ſecunda ſeſſione recitata ſunt Symbola fidei Nicenæ, & Conſtantinopolitanæ, cum epiſtolis Cyrilli, & Leonis. Aclamatum eſt Leoni, tanquã fidei oraculo, vna omnium Patrum vox fuit, *Petrus per Leonem locutus eſt*.

In tertia iudicium publicum de Dioſcoro habitum. Ter vocatus venire renuit, abſens accuſatus; ac de hæreſi item conuictus, deque horrendis criminibus, vnanimi conſenſu damnatus: ſententia ad Imperatores miſſa, &

ad Clerum Alexandrinum.

Quarta Seſſione producti Epiſcopi, & Archimandritæ ſocij Dioſcori, qui agnito crimine, & petita venia abſolutionem impetrarunt. Nonnulli tamen Epiſcopi Ægyptij, & quidam Archimandritę damnationi Dioſcori obſtiterunt.

Quinta Seſſione Hęretici ad Imperatorem Marcianum prouocantes reiecti. Cauſa Photij Metropolitæ Tyri contra Euſtachium Berythi Epiſcopum, qui eius ditionem inuaſerat iudicata iuxta Canones Nicenos de iure, ac diſtinctione prouinciarum.

Sexta Seſſione profeſſio veræ fidei contra Dioſcorum legitur.

Septima Seſſione, quæ in diem S. Euphemię incidit præſentibus Auguſtis illa profeſſio fidei confirmata, & cautum, vt qui contra eam ſentiret damnaretur hæreſis; & leges Monachis & Presbyteris pro eorum reformatione latę.

Octaua Seſſione Controuerſia de iuriſdictione inter Patriarcham Antiochenum, & Hieroſolymitanum terminata, vt Antiocheno Phænicia, & Arabia cederet. Hieroſolymitano tres Paleſtinæ Prouinciæ obedirent. Præterea Theodoretus Epiſcopus Cyri, & Ibas Epiſcopus Edeſſæ abſoluti, quod ab hæreſi reſipuerant.

Nona Seſſione abſoluta eſt cauſa Ibę: abrogatum eſt conciliabulum Epheſinum à Dioſcoro congregatum, & Decretum, vt quia Domnus priuatus fuerat Antiochena Cathedra à Dioſcoro, eaq; priuatio à Leone approbata erat, re factus in ordinem deinceps viueret: ea tamen lege, vt ei alimenta neceſſaria darentur.

Decima: lis mota inter Baſſianum depoſitum ex Epheſina Sede, & Stephanum in ea poſitum cæpit agitari.

Vndecima terminata eſt Decreto vt neuter eſſet Epiſcopus, ſed tertius crearetur, is autem de reditibus Eccleſiæ duos alios in dignitate manentes ſuſtētaret. In eadem acta eſt cauſa Eunomij Nicomedienſis, & Anaſtaſij Niceni Epiſcopi, ſtatutum vt Anaſtaſius ſubditus eſſet Eunomij ſecundum ius à Nicena Synodo conſtitutum.

Seſſione duodecima Sabinus, ſiue Sabinianus Perenorum Epiſcopus reſtitutus, & in eius locum ſubſtitutus Athanaſius remotus, & ſi quid inde dubium emergeret ad Maximum Antiochenum arbitrium delatum.

Seſſione decimatertia habita diſſolutum eſt Concilium. Verùm Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus abeuntibus Patribus Occidentalibus, retinuit Orientales, quibus cum 39. nouos Canones ſtatuit; quorum vno 28. decretum, vt Conſtantinopolitana Sedes ſecundum poſt Romanam locum obtineret, quod antea fruſtrà tentatum fuerat.

Igitur noua Seſſio, & vltima idib. Nouemb. habita eſt à Legatis Pontificijs, qui cum antea clam ſe factã agnoſcerent, exhiberi ſibi eam poſtularunt, & palam decretum illud de Conſtantinopolitana Sede expunxerunt; ſed re ad iudices delata cùm vidiſſent eos Anatolio fauere, prouocarunt ad Sedem Apoſtolicam, & appellationem inter acta Concilij referri petierunt. Ita ſolutum Concilium. Acta ad Leonem cũ Epiſtola Synodi miſſa, & ab eo ſic approbata, vt quę de fide contra Eutychen, & Dioſcorum erant conſtituta, ea confirmaret: quæ autem de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ decreta fuerant, ea improbaret; quę conſtãt ex epiſtola ipſius Leonis ad Synodum Chalcedonenſem, & ad Pulcheriam Auguſtam, & ad ipſummet Anatolium

Digitized by Google

rolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Ad calcem nonnulla aduerto. Primùm Romanæ Sedis dignitatem hoc Concilio fuiſſe recognitam neſcio an admodum ſincerè; nam in nouiſſima parte huius Concilij recedentibus Legatis Romanis aiunt Epiſcopi ſe Sedi Romanæ propter imperium Ciuitatis illius Primatus priuilegium reddidiſſe. Perinde ac ille primatus non tam Collatus eſſet ex iure Cathedrę, & diuino, quàm ex beneficio Canonum Patrum. Pręterea Legatis præſentibus Seſſione 13. & pro Romana dignitate pugnantibus, & proferente Paſchaſino Legato Canonem Niceni Concilij, vbi ſic. *Trecentorum decem & octo Patrum Canon Sextus. Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Teneat autem & Ægyptus &c.* Conſtantinus Concilij Secretarius legit alium textum ex codice ſibi dato ab Aetio Archidiacono Conſtantinopolitano, in quo nõ erat illa particula, *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*. Sed incipiebat abſolutè ab illo puncto, *Antiquæ Conſuetudines teneant in Egypto*, illa particula capitis iugulata. Prætereà Iudices ad finem pronunciant; *Primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ, Dei Amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari. Oportere autem Santiſſimum Archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ eiuſdem primatus honore frui, & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinare Metropolitas ex Aſiana, & Pontica, & Thracia diæceſibus.* Tandem Lucentius ad finem Concilij queritur de Iniuria in hoc facta Romanæ Eccleſiæ, & Canonibus Nicenis.

Aduerto 2. illud rectiſſimum eſſe, quòd dicenti eidem legato, Lucentio, qui *Vicarius Sedis Apoſtolicæ* nominatur: *Apoſtolico Viro Vniuerſalis Eccleſiæ Papæ acta illa eſſe referenda*, acclamauit Ioãnes Sebaſtiæ Epiſcopus illius dictum probans nemine cõtradicente. Epiſt. Synodica Concilij egregium itẽ Romano Pontifici primatus ſui teſtimonium reddidit, dum ſe Patres *membra*, & Leonem *Caput* dixerunt, ſeque illius *ſummitatis filios* appellarunt.

Apparet itaque ex quo Imperator Conſtantinus Romã Byzantio mutauit, & hæc Ciuitas Cõſtãtinopolis dici, & noua Roma appellari cæpta eſt Epiſcopos Conſtantiſtopolitanos criſtas, vt aiunt, ſubſtuliſſe, & nouum Patriarchatum affectaſſe. Ac inter alios Orientis Patriarchas eminere voluiſſe, ea ratione quòd dixerint Primatum ſequi nobilitatem vrbium, ac vt id perſuaderent Patriarchæ Romano primas dederunt propter urbis præſtantiam, vt ſecundas poſt eum ſibi vindicarent. Fatebantur ergo Romanum Pontificem primatum habere inter cæteros, quòd ſcilicet erat Epiſcopus illius Vrbis, quæ totius Orbis princeps eſſet. Vnde illum Canonem 6. Concilij Niceni qui erat Acephalus reſtituerũt appoſita illa particula, *Quòd Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*, ſiue iſtud caput ineſſet Canoni à principio edito, ſiue non. Moliebantur enim hoc modo irrepere ad primatum totius Orientis conciliando ſibi beneuolentiam Pontificis Romani, qui conceſſo ſibi primatu non grauaretur ſecundum locum Conſtantinopolitano Patriarcha relinquere. Hoc ſtudium deprehenditur in Neſtorio tempore primi Concilij Conſtantinopolitani, cum primùm cõditus fuit ille Canon de ſecundo loco poſt Romanum Põtificem Patriarchæ Conſtantinopolitano deferendo: quod etiam molitus Anatolius in hoc Concilio Chalcedonenſi, vbi in-

inuenitur Canon Nicenus eo capitulo auctus *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Quin & in Synodo Trullana idem ponitur Decretũ Canone 36. Verùm ſuboluit noſtris aſtutia. Itaq;ob ſtiterunt ambitioni illorum Põtificum retinendo primatum collatũ Petro ratione Sedis, nõ autem ratione vrbis, vt ita aſſererent debitum ſibi iure diuino locum, & irrepentem ambitionem Conſtantinopolitani Pontificis præciderent; nam primatus Petri nitebatur altiori titulo, ideſt Primatu ei cum clauibus collato, & ad ſucceſſores in Sede Romana trãſmiſſo. Hoc autem obſeruant diligenter duo Eccleſiaſtici ordinis lumina purpurea Baronius, & Bellarminus, & alij ex noſtris, & ego inter eos lib.1.de Clauibus Petri, & in Scholis Theologicis, & in Medulla Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Neque id Græci ignorarunt; nam reperitur Epiſtola Archimandritarum inter Epiſtolas Hormiſdæ, vbi ſic ſcribitur. *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo orbis terræ Patriarchæ* Hormiſ*dæ continenti Sedem Principis Apoſtolorum Petri*, & in lib. Vitas Patrũ p.2.de Humilitate Religioſi viri manifeſtè teſtantur Patriarcham Romanum (hoc enim nomine vtuntur) Caput eſſe omnium Patriarcharum his verbis: *Tu es caput omnium.* Id omnino eſt ponderandum ipſosmet æmulos Romani Pontificis nunquam auſos fuiſſe Primatum ei Eccleſiæ denegare, vndecunque fontem, & originem ſumerent: imò eum confirmare ſua ambitione voluiſſe. Dum enim ſecundum ab eo locum ſibi vindicare ſtudebant, fatebantur Romanum Põtificem Primum, & Primatem omnium eſſe: cui æquare ſe nollent, neç auderent: contenti ſi poſt eũ ſederent. Vt doleant oculi Heretici s noſtri temporis, qui non ſolùm ei Primatum adimunt, ſed in ordinem redigunt, & denegant locum Pontificis, nec Vicarium Chriſti volunt agnoſcere, imo & Antichriſtum per ſummam ſtultitiam appellant. Legant hi, quando quidem eruditi, & eſſe, & videri amant Sacrorum Conciliorum Canones, & Eccleſiaſtica monumenta, & hanc vbique expreſſam inuenient veritatem. Spectat hoc ad gloriam myſterij Incarnationis, quòd Chriſtus inſtituit Romanum Pontificatum, in quo Petrus ſui vices gereret, & eiuſdem ſucceſſores continuata ſerie Eccleſiæ præeſſent, ac in myſtico ſui Corpore Capitis officio fungerentur. Quo argumento S. Auguſtinus aduerſus ſimiles ſui temporis hæreticos puta Donatiſtas vtebatur iure. Dum ex ſuccedente, ac in Romana Cathedra Pontificum ſerie veritatem, & vnitatem Eccleſiæ Catholicę deducebat, & confirmabat. Ita Epiſt. ad Generoſum, & in Pſalmo contra partem Donati. Non ille Conſtantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Hieroſolymitanos Patriarchas adduxit, quòd ſciret ſolum Romanum eſſe Caput omnium, & Primatem, atque adeo Epiſcopum Epiſcoporum, Patriarcharum Patriarcham. Iuuat claudere Schema Synodicis Conciliorum, de quibus proximè commemorauimus, Capitulis.

Concilij Conſtantinopolitani primi
Vniuerſalis ſecundi
Canon V.

Primæ editionis.

Conſtantinopolitanæ Ciuitatis Epiſcopum habere oportet primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd ſit noua Roma.

Idem

Idem ſecundæ editionis.

Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd vrbs ipſa ſit iunior Roma.

Concilij Chalcedonenſis Canon xxviij.

Sanctorum patrum decreta vbique ſequentes, & Canonem qui nuper lectus eſt, centum, & quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporũ agnoſcentes, eadem quoque & nos decreuimus, ac ſtatuimus de priuilegijs Sanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtãtinopolis nouæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quòd Vrbs illa imperaret, iure Patres priuilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi Epiſcopi, Sanctiſſimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, rectè iudicantes, Vrbem, quæ & imperio, & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima regina Roma priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli, ac magni fieri ſecundam poſt illam exiſtentem.

Synodi Trullanæ Canon 36.

Renouantes quæ à Sanctis Patribus 150. qui in hac Vrbe Regia conuenerunt, & à ſexcentis triginta, qui Chalcedone conuenerunt conſtituta ſunt, decernimus, vt Thronus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ Throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotijs vt illa emineat, ſecundus poſt illam exiſtens. Poſtquam Alexandrinorum Metropolis numeratur Thronus. Deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ Ciuitatis.

Summæ certè, qua eſſe non poterat altior, dignitas Romani Pontificis erat: à quo ambitioſiſſimi homines ſecundi eſſe voluerunt. Quid hic Græci Schiſmatici? Degenerant a ſuis Maioribus dum præciſi à Romano Capite, ſuo Conſtantinopolitano Patriarchæ ad, hæreſcunt. Igitur collo, & trunco ſine Capite; non viuo, & integro Eccleſiæ corpori vniuntur. Moneo illos peramanter (quòd meum in eos ſingulare ſtudium eſt) vt velint Romano Pontifici tanquam iuſto Capiti obedire, & præſtare quod in Lugdunenſi, & Florentino Concilio promiſerunt. Sequantur Sereniſſimæ Reipub. Venetæ (cuius quidem ſe, ac meritò ſubditos teſtantur eſſe, & gloriantur,) exemplũ, ſub hoc Religioſiſſimo Aloyſio Contareno Principe, qui Diuina Prouidentia recens ſumma omnium & conſenſione, & gratulatione electus eſt, vt ferreum iſtud ſeculum ſuis eximijs virtutibus inauraret. Eum nacti ſunt Pontificem quo meliorem optare non poterant Virum omnibus, & animi, & corporis dotibus inſignem, Optimi Paſtoris Ideam, Innocentium XI. à quo beneuolè excipientur, humaniter habebũtur, & inter primaria Romanæ Eccleſiæ lumina reponentur. Nihil hoc Pontifice vel ad præſidium, vel ad refugium, vel ad ſolatium, vel ad ornamentum, vel ad gloriam deſiderabunt.

COLLATIO PRIMA
DE MYSTERIO INCARNATIONIS. IN TERTIO SENTENTIARVM

Differentia I. inter S. Thomam, & Scotum.

De Suppoſito, quidnam ſit: Vtrum Poſitiuum, An Negatiuum?

IN hac celeberrima quæſtione minus perſpecta eſt mens vtriuſq; Angelici, & Subtilis Doctoris. Nam illius videtur obſcura: huius ambigua. Ille non ſatis ſuam declarat ſentẽtiam: hic cum ambas ponat dum probabiles iudicat neutram definit. Verum cùm Thomiſtæ poſitiuo adhęreant: Scotiſtę negatiuo: noſque ita exiſtimemus, afferamus teſtimonia Sancti Thomæ pro Poſitiuo. Scoti pro Negatiuo: nec propterea omittemus inquirere cur Diuum Thomam Authorem Poſitiui: Scotum Negatiui faciamus?

SECTIO I.
Proponuntur Doctorum Sententiæ.
Textus S. Thomæ

In 3. p. q. 17. a. 2. ad 1. *Dicendum quòd eſſe conſequitur naturam, non ſicut habentem eſſe, ſed ſicut qua aliquid eſt: Perſonam autem ſiue hypoſtaſim, ſicut habentem eſſe: & ideo magis retinet vnitatem ſecundum vnitatem hypoſtaſis, quàm habeat dualitatem naturæ.* Quo in loco Caietanus duo tradit; vnum: ſuppoſitũ eſſe poſitiuum: alterum eſſe *intimius*, vt ait, *naturæ*, quàm exiſtentiam, atque adeo prius perſonari, quàm exiſtere, ſic in Comm. art. 2. §. *Ad Euidentiam*.

Rurſus 3. p. q. 35. a. 5. In Corp. Vbi docens in Chriſto eſſe vnam tantùm Filiationem realem. *Quia ſubiectum*, inquit, *Filiationis non eſt natura, aut pars naturæ, ſed ſolùm Perſona, vel hypoſtaſis; in Chriſto autem non eſt hypoſtaſis, vel perſona niſi æterna, non poteſt in Chriſto eſſe aliqua Filiatio, niſi quæ ſit in hypoſtaſi æterna.* Deinde paulo infra. *Si autem attendamus ad ſubiectum Filiationis, quod nõ poteſt eſſe niſi ſuppoſitum æternum, non poteſt in Chriſto eſſe realiter, niſi Filiatio æterna.* Tandem in fine. *Quantum ad aliquid in Chriſto eſt tantum vna Filiatio realis.* Ex quo item colligitur ſuppoſitum eſſe quid poſitiuum, cùm ſit ſubiectum Filiationis, quale non eſt quid negatiuum.

Apparet, quod animaduerti, mentem Sancti Thomæ non hic haberi expreſſam, ſed inſinuari, cùm præſertim ſit alius locus, in quo ille tradit ſuppoſitum eſſe quid negatiuum. Videlicet lib. 1. Contr. gent. c. 25.

Digitized by Google

Textus Scoti.

In 3.d.1.q.1.nu.6 §. *Ideo propter. Quid autem illud ſit proprium, quo natura eſt perſonata, duæ videntur viæ probabiles. Vna quod perſona ſit perſona per aliquid poſitiuum: alia via quod per ſolam negationem additam naturæ.* Itaque probabilem vtranque Scotus dicit; verùm cùm adducat argumenta contra primam, eaque non ſoluat, ſatis indicat velle ſe aliter ſentire. Quod autem proponat multa contra ſecundam, & inter ſoluendum eandem deſerere videatur vti primam, id argumento eſt aliquid velle addere negationi ſecundæ viæ, quæ erat ſolum vnica actualis dependentiæ, quæ non ſufficiebat ad rationem ſuppoſiti ſine altera aptitudinali qua completur. Et hæc eſt via media, quam arripit, & proponit nu.9. §. *Non aſſerendo* Vbi, *Nec concedendo*, inquit, *cum prima via aliquam entitatem poſitiuam, nec cum ſecunda concedendo, quòd ſola negatio dependentiæ ad perſonam extrinſecam eſt completiuum formale in ratione perſonæ creatæ.* Vnde ſubiungit. *Licet igitur ſola negatio dependentiæ actualis non ſufficiat ad rationem perſonæ, neque independentia tertia poſſet poni in natura creata ad verbum:* Tunc. *Tamen negatio dependentiæ aptitudinalis poteſt concedi in natura perſonata per ſe ad Verbum.* Itaque duæ ſunt apud Scotum viæ negatiuæ; altera vnius ſolum dependentiæ actualis, & hanc ille non probat, altera duarum dependentiæ actualis, & aptitudinalis: quam probat, & concludit ibidem: *Talis complet rationem perſonæ in natura intellectuali.*

Iterum in eodem 3.d.5.q.2.n.4. §. *Ad aliam quæſtionem. Patet ſecundum dicta in 1. quæſt. primæ diſt. quòd perſonalitas creata dicit negationem dependentiæ actualis ad aliud vt ad ſuppoſitũ illius naturæ, & etiam aptitudinalis, quæ quantum eſt ex parte ipſius aptitudinis ſemper eſſet in actu, ſicut anima ſeparata ſemper dependeret à Corpore quantum eſſet ex aptitudine naturali eius.* Et mox. *Sed qui ponerent perſonalitatem creatam dicere aliquam entitatem poſitiuam vltra naturam ſingularem, propter quam repugnet ſibi aſſumi, non tamen naturæ ſingulari, eos oporteret aliam cauſam quærere, quare perſona non poſſet aſſumi: ſed iſtud ſuppoſitũ eſt improbatum. quæſt.* 1. Hunc locum omnino expreſſum puto pro negatiuo: idq; patet ex illa particula *qui ponerent*, quæ alijs tribuit illam ſentẽtiam, quaſi à Scoto alienam: & altera *oporteret quærere aliam cauſam* nempe diuerſam ab ea, quæ petitur ex negatiuo.

Preterea in Quodlib. quodlib. 18. q. 12. alias 19.a.3.n.19.pag.508. *Poteſt dici quòd noſtra natura eſt perſonata perſonalitate creata, non aliquo poſitiuo tanquam ratione formali, quia vltra ſingularitatem non inuenitur aliqua entitas poſitiua, qua ſingulare completiuè ſit incommunicabile: ſed tantum ſingularitati ſuperadditur negatio communicabilitatis, ſiue dependentiæ, quæ eſt incommunicari.* Pergit hoc ipſum clariſſimè explicare. *Poteſt intelligi ſimplex negatio communicabilitatis, ſiue dependentiæ, ſicuti enim poſſumus intelligere dependentiam actualem perſonalem, & aptitudinalem, ſic poſſumus intelligere negationem actus dependẽdi, & negationem aptitudinis ad dependendum. Prima Negatio eſt nuda, ſiue ſola: Secunda eſt cum repugnantia ad actum: Tertia eſt cum inclinatione oppoſita, ſiue aptitudine contraria.* Progreditur ad exemplum. *Primo modo ſuperficies ſi eſſet ſine colore omninò eſſet*

non

Digitized by Google

non alba, quia haberet ſolam negationẽ albedinis. Secundo modo Angelus non eſt albus, quia ſibi repugnat albedo. T*ertio modo lapis eſt non ſurſum; quia in lapide eſt negatio aptitudinis ad ſurſitatem, cum inclinatione ad non ſurſitatem, ſicut ad ſuum oppoſitum.*

Poſtea concludit, *Ad perſonalitatem propriam, ſiue creatam oportet concurrere duas negationes primam, & tertiam; ita quòd tertia eſt quaſi habitualis neceſſariò conueniens naturæ, cui conuenit, ſiue ſit perſonata in ſe, ſiue in perſona aliena; ſed alia negatio, ſcilicet actualis dependentiæ ſuperueniens illi negationi complet perſonalitatem propriam.*

Hùc faciunt quę Scotus habet in 1. d.2.q.7.n.38.pag. 346. vbi ait, *Conſiſtit ratio ſuppoſiti in duplici incommunicabilitate:* & rurſum initio pag.347.*Suppoſitum eſt incommunicabile duplici Incommunicabilitate ſibi oppoſita*, & quàquam hic ſermo ſit de Incommunicabilitate, *vt quo*, & *vt quòd*, tamen eò redit, vt ſicut hæc duplex Incommunicabilitas fit per negationes, non per poſitiuam entitatem in ſuppoſito, ita & in ratione ſubſiſtendi non oportet interuenire aliquid poſitiuum, vnde proueniant negationes. Atque hoc etiam teſtimonio vtitur Lychetus in 3.d.1.q.1.n.6.pag.14.

SECTIO II.

Quomodo intelligant D. Thomam Thomiſtæ, & Scotum Scotiſtæ, & ſequaces de ratione in qua conſiſtat ſuppoſitum.

MAior diuerſitas eſt inter Thomiſtas, quàm inter Scotiſtas. Nàm iſti quamuis inter ſe diſſentiant de Poſitiuo, & negatiuo alijs ſtatuentibus negatiuum (quæ maior pars eſt) alijs Poſitiuum, qui pauci ſunt. Omnes tamen qui negatiuam adſtruunt conueniunt de duplici negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ. At vero Thomiſtæ cùm in Poſitiuo conueniant, multum tamen in ſtatuendo quid illud ſit diſſentiunt. Heruæus quodlib. 3. qu. 6. & Iauell. 7. Meth. qu.17. aiunt eſſe proprium quiddam adueniens eſſentiæ collectum ex accidentibus naturæ. Capreolus in 3. d. 1.q.3. a.3. tradit ſuppoſitum conſtitui per ipſammet eſſentiam in obliquo connotatam: quam tamen nonnulli eiuſdem ſectatores in recto, ac per ſe eſſe contendunt. Caietanus hoc loco q. 4. a. 2. inducit quandam entitatem ſubſtantialem intrinſecam contrahentem naturam, & determinantem ad rationem ſuppoſiti antequàm intelligatur exiſtere; atque adeò quid medium inter naturam, & exiſtentiam; & hanc contendit eſſe ſententiam S. Thomæ.

Suppoſitũ in poſitiuo conſiſtere cõmunis ſenſus Thomiſtarũ eſt. Ita Ferrat. cõt. gent. c.43. Rip. de ent. & eſſent. c.5.q.3. Med. 3.p.q.4. Zumel. q.3.a.3. Argentin. in 3.d.6.q.1.a.1. Vaſquez de Incarn. d.31. cap.6.&7. Suarez. Ibid. 8.ſ. 3. & in Metaph. d. 32. ſ.2. p.6. Lorca in 3. p. qu. 4. a. 2. Lugo ibidem d. 12. ſ. 2. Auerſa. d. 18. Philoſ. ſ. 2. Arriaga d. 4. Metaph. ſ. 11. Hurtado d. 11. Metaph. ſ.3. Ouiedo Cont. 6. Metaph. p.2. Ioannes à S. Th q.7. phy. a.2. Blaſ. à Conceptione d.8. Metaph. q. 2. qui omnes tenent eſſe modum quendam ſubſtantialem aduenientem naturæ per ſe exiſtenti, terminantem, & complentem illam. Scotiſtarum nonnulli ad eos defecerunt. Mauritius Centinus, & Gauatius in opuſculis Theol. opuſculo 3. cap.2. qui duo accepto Epiſco-

Digitized by Google

patu renunciauerũt Scholæ. Aſſertur etiam Rada in cont. 3. p. 1. At is quamuis eam latius probet, & ſatis probabilem dicat, tamen in fine fatetur Scotũ negatiuam sepè ſæpius tradere, quo ſignificat probariâ Scoto. Laudatur itẽ Lychetus Interpretum Clariſſimus, in quo magnam iacturam ſchola noſtra faceret, ſi is eum deſereret. Verùm ſecus eſt. Nam licet Lychetus cum vtranque proponit in 3. d. 1. q. 1. a. 6. inclinet in eam, quòd ſit facilior, ac propterea ſoluat argumenta negatiuæ, non tamen eam huic præfert, quam aliàs ſolam adducit. Videtur ſane optare, vt Scotus poſitiuam traderet, non autem eam proponit. Ambas in medio relinquit, vti probabiles, neutri addictus, ne Scoto aduerſetur negatiuæ adhærenti; poteſt enim ex duabus, quas quis ſentiat probabiles vnam deligere, quæ magis arrideat. Equidem vt verum fatear optarem cum Lycheto tradi à Scoto partem de poſitiuo, quod in eam magis propendeam animo: & antequam Scoti literam profundè penetrarem, videbar mihi eò eundem trahere me poſſe, ſed cùm ſtudioſiùs, & accuratiùs locos inſpicerem, eoſque penſiculatiùs examinarem comperi Scotum totum eſſe partis negatiuæ, ac eius tantùm in ſua ſchola rationem haberi voluiſſe: quod ipſum alienæ profeſſionis authores viderunt, qui communi conſenſu ſententiam ſibi oppoſitam de negatiuo Scoto attribuunt. Certè mihi quanquam inuito, & repugnanti oculi legendo mentis aſſenſum extorſerunt. Eoque maior mihi habenda eſt fides, quo eram ab aſſentiendo remotior. Experior nunc quod aliàs ſum expertus verum eſſe illud Auguſtini: *Nihil fortius deſiderat anima, quàm veritatem.*

Igitur ſententiam de negatiuo amplectuntur Baſſolis in 3. d. p. q. 1. ad 1. Meuriſſe lib. 3. Metaph. q. 4. Aretinus in 3. d. 1. q. 1. a. 12. Vulpes Tomo 3. p. 1. d. 63. a. 2. Faber in 3. d. 1. q. 1. d. 2. *Pontius* Tomo 3. ſui Curſus d. 18. q. 6. num. 91. & in 3. diſt. 5. qu. 7. Bellutus tractatu de Incarnat. Maſtrius in Metaph. 11. qu. 4. art. 2. Delgadillo cap. 3. diff. 1. dub. 2. a quo immeritò citatur pro contraria de poſitiuo Lychetus, & Rada, Addo antiquos. Hi ſunt Occam quodl. 4. q. 11. Ricardus in 3. d. 6. q. 1. Maior q. 1 Gabriel in 3. d. 1. a. 3. Ex alijs Salmeron tomo 2. tract. 27. Molina 1. p. q. 29. a. 2. d. 3. qui non improbat aliam. Omnium acerrimè eandem defendit Pater Vuadingus Ieſuita d. 4. de Incar. dubio 2. §. 5. affirmans eum eſſe Sancti Thomæ, ac Patrum, inter hos ego cenſeri volo; & quidem cum ijs qui ſentiunt hanc eſſe veram, ac genuinam Scoti mentem, ac doctrinam, & prorſus in Schola tradendam.

Hactenus de authoribus. De modo intelligẽdi, quòd attinet ad Angelicum Doctorem, nihil certi aſſignari poteſt: nec enim conſtat in quo poſuerit formaliter rationem poſitiuam Suppoſiti. Vnde orta eſt illa diuerſitas opinionũ in Scola Thomiſtarum. Quod autem contendunt nonulli cum Patre Vaſq. d. 31. c. 6. n. 32. eam ſatis explicari a D. Thoma q. 2. a. 2. ad 3. & a. 5. ad. 1. & ſæpè alibi, dum docet de ratione Suppoſiti eſſe non tantũ Indiuiduũ quia nõ quodlibet Indiuiduũ eſt ſuppoſitũ, ſed etiam per ſe ſubſiſtere: quis non videt inane eſſe, ac futile? nec enim declarat quid ſit illud ipſum. *Per ſe ſubſiſtere.* Vtrum ne Poſitiuum quid, an negatiuum? quod ſi admittatur Poſitiuũ, redit quæſtio: Quale illud ſit, Proprietas ne intimius indita? An extrinſecus adueniens; modusne, an entitas? Manet itaque ſuſpenſa ſententia, nec quid ſtatuatur

inno-

Digitized by Google

innoteſcit, quia retorquetur dictum. Ex eo ſequitur potius D. Thomam poſuiſſe ſuppoſitum in Negatiuo. Ait enim 1. Cont. gent. cap. 25. ratiocinando: *eſſe per ſe, quod conuenit Subſtantiæ eſſe negationem, non aliquid poſitiuum.* Vnde apparet eum contra ſenſiſſe: videlicet rationem ſubſiſtendi eſſe negatiuam, non poſitiuam; nec enim illa negatio quadrat in eſſentiam, aut exiſtentiam ſubſtantiæ, quę ſane eſt poſitiua: ergo ſolum conuenit ſubſiſtentiæ, atque adeo erit negatio. Iam vero in opinione Caietani, nequit aſſignari ratio illa ſuppoſiti, cùm antecedat exiſtentiam, quæ cum Immediate afficiat naturam non poteſt pati aliud immediatius, & intimius naturæ, quàm ſit ipſa exiſtentia. Quid enim, quęſo, illud erit entitas, an modus? Entitas eſſe nequit, cum in natura nihil ſit præter eſſentiam, & exiſtentiam; Modus eſſe non poteſt, quia modus aduenit rei exiſtenti, non anteuenit exiſtentiam, ac per illum modũ ſubſiſteret antequam exiſteret, & eſſet prius in ordine ad aliud, quàm eſſet in ſe ipſa, & ſubſiſteret actu extra cauſam, priuſquam exiſteret: Certè ante actum exiſtentiæ impoſſibile eſt naturam eſſe in actu, quicunque ille demum ſit. Non apparet igitur illa ratio ſubſiſtentię poſitiua. Scrutentur licet Thomiſtæ latebras omnes naturæ, altè in eius gremium deſcendãt, penetrent arcanos illius ſinus, nullam rimam inueſtigare poterunt, per quam ad illam poſitiuã rationem perueniant; quò altiùs ſe demittant, eò minus propter denſiores tenebras videbunt. At non ſic Scotiſtæ: in ſua negatione, & quidem duplici perſpicuam lucem reperiunt, & quid ſit ſuppoſitum percipiunt, & perſpiciunt. Nec opus eſt alia face, quàm Textu Scoti. Produco quod lib. 19. q. 19. n. 17. ſ. *De tertio articulo.* ſic. *Loquendo de dependentia ad hypoſtaſim extrinſecam, & ſpecialiter diuinam, de qua modo loquimur, Sola Negatio actualis dependentiæ non ſufficit ad hoc quod aliquid dicatur in ſe perſonatum, vel perſona, quia Anima Petri habet talem negationem, & tamen non eſt perſona. Secunda Negatio* (repugnantiæ ad actum) *non inuenitur in natura creata perſonali, quia nulli poteſt omnino repugnare dependere ad Perſonam Diuinam. Imo quæcunque entitas poſitiua in tali natura eſt in potentia obedienitali ad dependendum ad ipſam, & per conſequens illa negatio non conſtituit perſonam Creatam. Tertia negatio.* cum inclinatione oppoſita, ſiue aptitudine contraria) *non ſufficit: quia illam habet natura aſſumpta: ipſa enim cũ ſit eiuſdem rationis cum mea natura habet aptitudinem eiuſdem rationis, & ita habet aptitudinem ad ſubſiſtendum in ſe, & non habet aptitudinem ad dependendum ad perſonam extrinſecam; nec eſt inconueniens poſſibilitatem eſſe ſine aptitudine: quia ad formas ſupernaturales, & ſi ſit potẽtia aliqua in ſuſceptiuo, non tamen propriè aptitudo, quia illa non eſt propriè niſi ad formam naturalem perfectiuam: ad perſonalitatem igitur propriam, ſiue creatam oportet concurrere duas negationes, primam, & tertiam: ita quod tertia eſt quaſi habitualis neceſſariò conueniens naturę cui conuenit, ſiue ſit perſonata in ſe, ſiue in perſona aliena, ſed alia negatio ſcilicet actualis dependentiæ, ſuperueniens iſti negationi, complet perſonalitatem propriam.*

Euidentiùs hoc ipſum exponit Scotus in 3. d. 1. q. 1. ſ. *Non aſſerendo* n. 11. pag. 16. vbi diſtinguens rationem perſonæ diuinæ à creata docet Diuinã conſtitui per Poſitiuum, cui repugnat communicatio, quam conſequuntur duæ negationes, vna actualis, altera poſ-

poſſibilitatis; nam Diuinę Perſonæ repugnat omnino communicatio, & communicabilitas, quia per ſe vendicat incommunicabilitatem. Contrà creatæ non repugnat communicari per ſe; ſed tantùm ſecundum quid, ac proinde per ſolas negationes nullo interueniente Poſitiuo, ſicut in diuinis. Audiamus Scotum ſubtiliter ac perſpicuè iſta exprimentem. *Perſona Diuina*, inquit, in 1. d. 1. q. 1. *nõ tantùm habet negationem communicationis actualis, & aptitudinalis: ſed etiam habet repugnantiam ad comunicationem, & vt quod, & vt quo; & repugnantia talis nunquam poteſt eſſe niſi per entitatem poſitiuam: & ideo ſequitur Perſonam iſtam nunquam eſſe ſine tali entitate: ſed Perſona creata, quia non repugnat ei communicari, cùm ſit in potentia obedientiali, non eſt ſic incommunicabilis; & ideo non oportet ſibi tribuere talem entitatem perſonalem*. Adiungit. *Iſtud dictum faciliter videri poteſt: Si videamus differentiam inter negationem nudam actus, & negationem aptitudinis, & negationem quæ requirit repugnantiam. Prima eſt in graui exiſtente ſurſum reſpectu vbi eſt in centro. Secunda eſt in ſuperficie nigra reſpectu albedinis, ſi eſt in potentia neutra ad ipſam. Tertia eſt in homine reſpectu irrationalis*. Malui hęc dicere verbis Scoti, quàm meis; quia nec ego poteram melius; & maiorem fidem lectoribus eram facturus ſi Scotum ipſum loquentem inducerem. Nihil enim in eo deſideraui. Adducit rationem, adducit exempla: addit quod poſſit opponi ex diuina perſonalitate, quod cum ſoluat exploratam, & munitam ſuam de negatiuo ſententiam relinquit.

SECTIO III.

Argumenta pro Thomiſtarum de Negatiuo ſententia.

ABſtrahendo ab eo, in quo ſpecialiter, ac propriè conſiſtat iſta ratio Poſitiui: vniuerſim probatur non poſſe illud eſſe Negatiuum: ſed omninò Poſitiuum. Hæc autem ſunt argumenta.

Primum veluti à priori. Natura humana, quæ eſt ſubſtantia rationalis debet compleri, & terminari in ſuo eſſe, prout conſtituit ſuppoſitum per quiddam congruum additum preciſè humanitati in abſtracto, per quod fiat concreta, & exiſtat homo. Hoc autem non poteſt eſſe negatio, ergo erit quid Poſitiuum. Maior eſt Idonea. Minor oſtenditur: quia Homo eſt eiuſdem nominis, & rei cum humanitate, qualis non eſt negatio, igitur neceſſario erit aliquid Poſitiuum: Homo enim dicit complementum in eodem genere, atque adeo poſitiuum. Ecquis enim affirmet Humanitatem tranſire in hominem per negationem?

Secundum item à priori: Natura humana duas habet independentias intrinſecas: vnam ab alio tanquam à ſubiecto: alteram ab alio tanquam à ſuppoſito; ſed primam habet immediatè à ratione ſubſtantiæ, quæ eſt ratio eſſentialis, & per ſe, quæ repugnat ſubiecto inhærentiæ; igitur & ſecundam à ſuppoſito, ſiue termino alieno habebit à ratione poſitiua, quæ illam reddat independentem per ſe, & terminatam efficiat, & completam in eo genere ſuſtentantis.

Tertium adhuc à priori. Subſiſtẽtia ſiue perſonalitas eſt perfectio comitãs naturam, cui affert complementum

vt

vt nihil vlteriùs deſideret, & anhelet; id autem non eſt pura negatio, quę aduenit naturæ iam vltimò conſtitutæ; ac perfectæ in ſemetipſa, ac ſibi ſufficienti ex ſuis intrinſecis principijs naturalibus.

Quartum ex alio principio ſumitur, & formatur in hunc modum à priori. Omnis negatio, quę aduenit rei conſtitutæ ſupponit aliquid Poſitiuum in quo fundetur: ſed hæc ratio negatiua perſonalitatis eſt negatio aduenien naturæ conſtitutæ in genere ſubſtantialis, ac per ſe exiſtentis: igitur debet ſupponere aliquod poſitiuum in quo fundetur. Syllogiſmus eſt in Darij, & maior probatur, quæ ideo firmata eſt cautè, atque prudenter per illam particulam, quæ ait *aduenien rei conſtitutæ*: quia ſunt quædam negationes primæuę, quæ anteuertunt omne ſubiectum, vt nihil, inuiſibile, impoſſibile, de quibus non loquimur. In cæteris maior verſatur, & eſt indubitata: Minor patet in Scoti Schola: Conſequentia omninò colligit, & argumentum conuincit.

Quintum ex abſurdo deducitur. Si perſonalitas eſſet ſola negatio, ſiue vna, ſiue duplex, ſequeretur Verbum Diuinum nihil contuliſſe humanæ naturæ aſſumendo eam: imo ei detraxiſſe: patet, quia ſuſtuliſſet negationes tantùm, & nihil addidiſſet, cùm nuda natura capax non eſſet alicuius perfectionis poſitiuæ alienæ, cùm propriæ expers eſſet, ac proinde non poſſet ſublatis negationibus eſſe in alieno ſuppoſito poſitiuo, quomodo enim acciperet cõplemẽtum à ſe abhorrens, & alienum? neque illud negationum loco venire poſſet, ac proinde nulla eſſet futura, imo nec poſſibilis Incarnatio, & periret tanti Myſterij Sacramentum.

Sextum ſumitur ab inconuenienti. Si ſatis eſſet negatio ad conſtituendãm Perſonalitatem, ſequeretur inde, multa alia entia, quæ admittunt, & exigunt rationes poſitiuas poſſe per negationẽ ſuppleri: qualis eſt exiſtentia per ſe, quam etiam dicemus eſſe negationem, & ratio ſingularitatis, quam etiam ponemus in negatiuo, & ratio durationis, & vbi, & ſitus, quas etiã negationibus aſſignabimus, & huiuſmodi alia, quæ facile poſſunt òccurrere. Quæ ſequela inconuenientium ſi negetur, aſſignanda eſt maior ratio, cur huiuſmodi perſonalitas, cõſiſtat in negatione, non verò aliæ entitates.

Septimum trahitur ab exemplo: Perſonalitas Diuina conſiſtit in Poſitiuo, quod conſequitur negatio communicabilitatis, vti fatetur Scotus. Et ſolùm eſt differentia, quòd diuina conſtituitur per Poſitiuum relatiuum, Perſona verò creata per abſolutum: Igitur ad ſimilitudinem diuinæ ponẽda eſt perſonalitas creata poſitiua, vel differentia aſſignanda.

Octauum ducitur ab auctoritate Patrum, qui dicunt Verbum non aſſumpſiſſe hominem, ſed humanitatem ſine perſona, quod prorſus eſt definitum contra Neſtorium. Hic autem modus loquendi ſupponit perſonalitatem eſſe partem conſtituentem hominem, & aliquid poſitiuum, de quo poſſet dubitari, an eſſet aſſumptibile? Ecquis autem de pura negatione, ita loqueretur, Aſſumpſit naturam, non perſonam? Ex hoc autem dicto Patrum exiſtit validum Argumentum.

Nonum. Si ſuppoſitum eſt quid purè negatiuum, & nihil addit poſitiuũ naturæ per ſe actu exiſtenti, ſequitur Verbum aſſumpſiſſe hominem, atque adeo ſuppoſitum: cum aſſumpſerit quidquid eſt in natura Poſitiuum, & poſitum in actu, quod non poteſt

eſse

eſſe niſi completum, & certum, & determinatum, affectum illis negationibus, quæ conſequuntur naturam perfectam, & exiſtentem in ſingulari, quod quid eſt niſi ſubſiſtentem?

Hæc ſunt argumenta aduerſariorũ diligenter collecta, & perſpicuè propoſita, quæ videntur efficacia, & quæ fortaſſè obiecta noſtris, nonnullos deterruerunt à ſententia Scoti germana de negatiuo, & coegerunt ad Caſtra Thomiſtarum defficere ſpecie problematis à Scoto præmiſſi, vt honeſtior eſſet tranſitio. Equidem arbitror Lychetum propterea dixiſſe hanc viam faciliorem eſſe, quòd Scoti negatiua tot eſſet obnoxia difficultatibus, quot in hiſce argumentis continentur.

SECTIO IV.

Argumenta pro Scoti ſententia de Negatiuo.

ORdine procedo, & propria vtor Methodo argumentandi. Primum, vt par pari reponã Thomiſtis, eſto à priori. Natura humana vt in actu poſita per ſe exiſtens non indiget alia entitate, vel modo per quem compleatur, & terminetur, ſed per ſe ipſam eſt terminata & completa in eo genere: idque patet ex eo quod non exiſtit à parte rei abſtracta, ſed in concreto. In concreto autem eſt hic homo. Igitur non expectat aliud complementum ſubſtantiale poſitiuum vltra ſuam illam certam entitatem, & exiſtentiam actualem, &, ſingularem, & terminatam.

Secundum etiam à priori. Exiſtentia per ſe naturæ ſubſtantialis ſatis eſt ad conſtituendam eam independentẽ ab alio ſine aliqua noua entitate, vel modo, quem omnino excludit cum ab intrinſeco habeat, ergo neque ad ſubſiſtendum per ſe requiret aliud præter ſuammet intrinſecam entitatem, ac per eam excludet alienum ſuppoſitum. Hoc argumentum valet in ſententia Caietani, & ſectatorum ponentium ſubſiſtentiam eſſe priorem, & intimiorem eſſentiæ, quàm exiſtentiam.

Tertium, & validum ſit. Hæc ſubſiſtentia adueniens naturæ ita conſtitutæ in ratione naturę eſt aliquis modus, vt affirmat vulgaris ſententia, ſed hic modus non eſt probabilis, ergo nulla eſt illa ſubſiſtentia poſitiua. Probatur minor, quia ille modus non poteſt tribuere naturæ rationem hominis, cùm ſit aliud naturæ hominis adueniens vti diſtinctus. Quare conſtituetur homo per id quod non habet rationẽ humanitatis, imo eſt extra rationem humanitatis.

Quartum. Si illa perſonalitas eſſet modus ſubſtantialis intrinſecus, & intimus naturæ, vnum per ſe cum illa efficeret. Hoc autem eſſe non poteſt, Igitur ea modus non eſt. Maior conſtat cum homo ſit ens per ſe, & in prædicamento, vt talis eſt, ponatur. Minor ſuadetur, quia ex entitate, & modo non conſurgit vnum per ſe, cùm modus non concurrat tanquam forma cum materia ad compoſitionem totius ex æquo, ſed ſit inſtar aduenientis rei iam conſtitutæ. Deinde quia modus non eſt entitas, ſed multò minoris, & ignobilioris rationis inſtar accidentis afficientis rem conſtitutam. Vnde ſolus iſte modus conducit ad faciendum vnum per ſe, qui eſt vnio inter ea, quæ exiguntur ad compoſitum ex materia, & forma. Secus habet iſte modus ſuppoſitalitatis, qui immediatè aduenit naturæ iam per ſe exiſtenti, & eſt alterius rationis ab illa, ſecernens, & ſeparans

rans

Digitized by Google

parans illam ab alijs non ordinans, & vniens eam illis.

Quintum eſt proprinm Scoti nixũ authoritate Damaſceni. Si ſuppoſitum eſſet aliquid poſitiuũ, vel eſſet aſſumptibile à Verbo, vel non? Si non eſt aſſumptibile ſequitur eſſe aliquod ens quod careat potentia obedientiali ad Deum, & nequeat aſſumi à Diuina perſona. Si autem eſt aſſumptibile non eſt autem aſſumptũ cum aſſumi poſſit non eſt ratio cur non aſſumatur. Præterea ſequitur eſſe aliquid in homine, quod nõ ſit redemptum à Chriſto Domino, ſiue quod pugnet cum vnione ad verbum, ſiuè quòd non ſit vnitum verbo, cum minime ei repugnet. Ac proinde patet inconueniens quod reperitur in poſitiuo.

Sextum: Si ſuppoſitum adderet aliquid poſitiuum naturæ, ſequeretur eã à Verbo dimitti non poſſe ſine reditu ad illud quod reliquid poſitiuum, vel ad aliud alienum in quo ſubſiſteret: Hoc autem eſt inconueniẽs cùm illud poſitiuum non pertineat ad conſtitutionem eſſentialem, atque adeo poſſit conſeruari ſine illo. Si autem maneat ſine vllo ſuppoſito, ſequitur menſurã eſſe incompletam, & interminatam in rerum natura, gemente iſta, & violentata contra ſuam inclinationem, & exigentiam naturalem, Igitur ſola negatio eſt ratio conſtitutiua ſubſiſtentiæ, cùm inde non ſequatur ſimile inconueniens.

Septimum; Illud poſitiuum ſi ponatur in natura erit omnino prouenienſ ex principijs intrinſecis naturæ, vnde non poterit illo priuari ſine repugnantia eiuſdem, dolebit quippe de iactura proprietatis ſuę, ac ex conſequẽti dum eſt vnita Verbo erit coacta, & propẽdebit ex naturali inclinatione ad propriam ſubſiſtentiam, eamque ſemper deſiderabit, & ſub diuinà minimè conquieſcet.

Octauum ab exemplo. Dona gratiæ nihil adimunt, nec minuunt de naturalibus, ſed illa perficiunt reponendo in ſtatu ſupernaturali addendo dignitatem, & perfectionem, vt apparet in viſione beata, & iuſtificatione. Vnde, & in Angelis vulgo dicitur mãſiſſe integra naturalia, quæ tum ſunt inuiolata in bonis, tum in malis illibata. Vnde colligitur in Incarnatione ſi ponatur illud poſitiuum quodcunque demum ſit perſonale in natura non eſſe addimendum illi, nec detrahendum, ſed relinquendum, & eleuandum ad ſupernaturalem ſtatum perfectionis.

Nonum, & vltimum, ac meo iudicio inuictum eſt. Si ſuppoſitum per illud intrinſecum poſitiuum, emanans à principijs naturæ conſtituitur; Sequitur non poſſe naturam eo priuari quod ſit neceſſario requiſitum ab ipſa natura, ac proinde fieri impoſſibilem Incarnationem Verbi, quæ cum duas perſonas minimè patiatur cum eo modo ſubſiſtentiæ inſeparabili nequeat ſimul conſiſtere; præſertim ſi illud poſitiuum, auctore Caietano, & aſſeclis tam eſt intimum naturæ, vt mediet inter eſſentiam, & exiſtentiam, quo ſenſu erit prorſus inſeparabilis à natura. Verum vt cumque ſit, dummodo ſubſtantialis ſit, & ortus ab intrinſecis principijs naturæ nequit eo natura priuari, ac proinde eum quocunque, vadat comitabitur; qua certè ratione videtur reddi impoſſibile myſterium Incarnationis: Saltem ita difficile vt præſtet à Poſitiuo ad negatiuum tranſire. Declaratur exemplis. Verbum non potuit, non aſſumere exiſtentiam, & ſingularitatem huius naturæ quia ſunt proprietates neceſsariæ naturæ aſſumptibilis, quibus priuari nequit. At qui ita

Digitized by Google

ſe haberet ſuppoſitũ intimum naturæ: igitur ſine illo aſsumi nõ poteſt. Addo ad excludẽdã reſpõſionẽ, adue rariorũ qui dicũt illum modũ eſse ſeparabilem a re cui ineſt, quemadmodum vbi, & ſitum, & relationem negando ſimilitudinem, quia iſta ſunt accidentia mutabilia, & reſpectiua, ille autem modus eſt ſubſtantialis, & abſolutus affixus naturæ, & illam intimè coercens, ac terminans conferendo illi complementum, & perfectionem ſubſtantialem. Vnde apparet penitus eſse diuerſæ rationis ab vbi, ſitu, relatione, & prorſus inſeparabilem à natura, & neceſsario cum eadem quando aſſumitur aſſumendum.

SECTIO V.
Soluuntur Argumenta Contraria Negatiuo.

PRimo reſpondetur negando neceſſitatem termini poſitiui, cùm ea nulla eſſe probetur: nam vt ex humanitate ſingulari in abſtracto fiat homo in concreto, ſatis eſt vt ea ponatur exiſtens per ſe actu ſingularis poſitiuè cum annexa negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ, qua completur, & ſeparatur ab alio ſuppoſito excludendo illud actu, & non appetendo illud, qua ratione redditur terminata, & ſibi ſufficiens ad ſubſiſtẽdum ſine alio ſuppoſito, & independenter ab illo. Non eſt autem opus vt terminus ille efficiens concretum homo, ſit aliquid poſitiuũ adeueniens, ſed ut ratione illius ſit terminatus, & incommunicabilis, ac indepẽdens ab alio ſuppoſito. Sub ea igitur negatione natura humana redditur per ſe ſubſiſtens, & exiſtit homo in concreto, quia poſita negatione ſatis terminatur, completur que independenter, & incommunicabiliter. Res declaratur exemplo. Accidens in Euchariſtia amiſſo modo inherentiæ manet in ſe independenter à ſubiecto inhæſionis inſtar ſubſiſtentis, nec propterea tamen indiget aliquo modo poſitiuo. Inſuper vnio efficit compoſitum, nec tamen eſt pars compoſiti, ſicuti ſunt materia, & forma, quæ ſine illa tamen componere vnum nequeunt. Imo ſunt qui exiſtiment non eſſe opus inter media vnione, quod maxime iuuat noſtram ſententiam.

Secundum diluitur dicendo verum eſſe independẽtiam ſubſtantię à ſubiecto inhæſionis fundari in poſitiua ratione, quia eſt independentia eſſentialis orta immediatè ex repugnantia poſitiua. At vero negatio exiſtendi per ſe complete, ac ſine ſuppoſito alieno non manat ex principijs eſſentialibus naturæ, ſed ex ſtatu, & ratione ſequẽte eſſentiam conſtitutam in ſuo eſſe, quæ non habet repugnantiam intrinſecam cum ſuppoſito, ac proinde poteſt conſtitui in negatione: quod amplius declarabitur in ſolutione ad argumentum ſumptum, ab exemplo ſuppoſiti diuini.

Tertium ſoluitur concedendo ſuppoſitum complere quidem, ac terminare naturam, non quod ſit noua, & adueniens perfectio, ſed quod poſita negatione manet ſibi ſufficiens, & independens ab alia ſubſiſtentia aliena, quæ non eſt noua perfectio, ſed indicium perfectionis illius naturæ poſitæ in actu ſingulariter ſine additamento entitatis, aut modi poſitiui, monſtrantis ſe eſſe talem per ſe ipſam, cui non ſit indigentia vlterioris termini, ſiue complementi.

Quarto ſatisfit diſtinguendo inter negationes; quædam enim ſunt, quæ ſupponunt poſitiuam repugnantiam in ſubiecto cum alio adueniente; quædam

dam autem non eam ſupponunt. Sed ſolum innuunt carentiam rei aduenientis, ad quam non habent repugnantiam per excluſionem poſitiuam. Illæ priores fundatur in poſitiuo, ſicuti eſt negatio eſſendi in alio ſubiectiuè, quæ immediatè oritur ex natura ſubſtātiæ, eamque neceſſariò, & per ſe comitatur. At verò poſteriores quæ ſequuntur ſubiectum non repugnant poſitiuè rei aduenienti. Sed tantum carent re, quæ aduenire poteſt ſine vlla læſione, aut mutatione eſſentiali, qualis eſt negatio albedinis in ſuperficie, & aſcenſionis in lapide; hæ non fundantur in poſitiuo; ſed ſubiectum conſequuntur, ac per ſe inueniuntur in præciſa negatione, ſiue carentia rei vlterioris aduenientis, & talis eſt illa negatio dependendentiæ, & communicabilitatis in ſuppoſito reſpectū alterius ſuppoſiti.

Quintum facilè expeditur: ſi dicamus naturam humanam amiſſis negationibus actualis, & aptitudinalis dependētiæ accipere vnionem cum perſona Verbi omninò poſitiuam & perfectam, imo melius intelligitur iſta ratio perficiendi, & complendi ſublatis negationibus, quàm ſublato aliquo poſitiuo, quod cum inſit intimè naturæ non apparet quomodo auferatur, & ſuppleatur, qui certè modus apparet, ſi ſolę negationes tollantur, & illis ſublatis adueniat noua vnio loco negationum: ſicuti lux ſuccedit tenebris, & illuminat aerem antea obſcurum.

Sexto reſpondemus non confundi diuerſitatem negationum: nam aliæ negationes neceſſariò comitantur entitates poſitiuas iam in ſuo eſse conſtitutas per aliquid intimum eſsentiale, qualis eſt negatio eſsendi in alio in ſubſtantia, quæ talis eſt per ſuammet ſubſtantialem exiſtentiam, cui annexa eſt negatio immediatè ſequens ex principio eſsentiali: alię non poſsunt facere effectus improportionatos, qualis eſt ſingularitas naturæ exiſtentis actu, quę eſt ratio poſitiua: qualis item eſt figura in quantitate extēſa, & affectiones vbi, & ſitus, quæ non ſunt negatiuę, cùm ſint effectus poſitiui & entitates pręDicamentales. At verò iſtę negationes dependentię actualis, & aptitudinalis non dicunt effectus aliquos poſitiuos, quemadmodum patet eas conſideranti.

Ad ſeptimum ſumptum ab exemplo Perſonarum Diuinarum ſatis ex doctrina Scoti apparet, quid ſit reſpondendum: videlicet perſonas diuinas conſtitui per poſitiuum, quia ijs prorſus repugnat independentia, & complemētum mutuatum à negationibus, ita vt fit in ſuppoſitis creatis: ſunt enim diuinæ relationes, & productiuę cum eſsentia, & ſubſtantiales manantes ab eſsentia. Addo in rem appoſitè, Perſonas Diuinas prouenire ex perfectione, ac fæcunditate naturę diuinę, atq; adeo neceſsariò eſse poſitiuas ex abundantia, cùm perſonalitates creatę ſint ex limitatione, & anguſtijs naturę creatę ſeſe aſtringentis, & coercentis ne communicetur, ac effundatur, idque negationibus conficitur, quę ſunt naturę malignantis, & limitatę, & intra ſe anguſtè, & ſtrictè habitantis.

Octauum potius retorquetur in aduerſarios, quàm nobis opponitur: quia Patres quando dicunt Verbum naturam non perſonam aſsumpſiſse, rectiùs intelligendi ſunt, quaſi dicerēt aſsumpſiſse quod erat aſsumptibile in natura, ideſt omne poſitiuum, non autem id quod erat inaſſumptibile, ideſt negationes. Imo illud Axioma Patrum melius procedit in noſtra ſententia; nam ſi illud poſitiuum pertinet

ad naturam intimè, debuit aſſumi cum natura, vt tota, & integra natura aſſumeretur. Et qui dicit aſſumpſit naturam, non perſonam, videtur indicare perſonam potuiſſe aſſumi, quod nolũt aduerſarij. Et quidem ſi illa eſt poſitiua valet conſecutio, quòd poſſet aſſumi, & tantùm relicta eſt, quia Verbum noluit aſſumere perſonam, non quòd ea cum perſona Verbi pugnaret. At verò in noſtra ſententia de negatiuo patet ſolam naturam eſſe aſſumptibilẽ, cum enim ſit entitas poſitiua eſt aſſumptibilis, cũ negationes inaſſumptibiles ſint. Itaque Verbum aſſumpſit totam naturam cum omnibus ſuis partibus poſitiuis, nulla prorſus excluſa, præter negationes, quæ non continebant rationem naturæ.

Noni exigua vis eſt, & potius repetit dicta, quàm de nouo quidquam dicit. Verbum non potuit in noſtra ſententia hominem aſſumere, ideſt perſonã, quæ conſtituitur per negationes incapaces aſſũptiones, & omnino auferũtur, & pereunt in aſſumẽdo naturam, prout illis ſubſtabat ſingularis, & exiſtens actu, & per ſe independenter à ſubiecto inhæſionis, cum tota ſua poſitiua entitate, negationibus ambabus excluſis, quas amiſit in ipſo puncto aſſumptionis. Itaque vana eſt obiectio, & ad ſpeciem terroris compoſita, ac nullius difficultatis. Curret igitur inoffenſo pede Scoti de negatiuo ſententia: nec eſt quod ei nocere poſſit, cũm omnibus quæ ab aduerſarijs opponuntur in contrarium argumentis ex integro ſatisfactum ſit, nec quidquam de nouo alicuius momenti excogitari poſſit: quod ex dicendis manifeſtiùs apparebit.

IVDICIVM.

SI conferantur inter ſe Doctoris Angelici, & Subtilis ſententiæ, quòd attinet ad obiectum manifeſtior eſt Scoti mens, qui perſpicuè expreſſit materiam quæſtionis de conſtitutiuo perſonæ, eamque in duas partes de poſitiuo, & negatiuo diſtinxit, & de vtraque diſputauit, cùm D. Thomas nuſquam ex profeſſo queſtionem agitauerit, ſed tantùm ſignificauerit, quod eſſet perſonalitas: quemadmodum apparet ex locis initio adductis 3. p. q. 17. a. 2. & q. 35. a. 5. & ex alijs minutis teſtimonijs in 3. d. 2. a. 2. ad ſecundum, & a. 5. ad primum; nec ea ſigna ſunt perſpicua pro poſitiuo: cum ipſe p. 1. cont. gent. c. 25. ſatis ſignificet perſonalitatem eſſe negationem, vt animaduertit Vaſquez d. 31. c. 6. nu. 33. Quare ſenſum ſuum ambiguum reliquiſſe videtur. Iam verò retento, quod cõmuniter Thomiſtæ aſſerunt, poſitiuo, non ſatis conſtat, in quo conſtituat rationem perſonæ, vnde orta eſt occaſio diſſenſionis inter interpretes de mente Magiſtri, quemadmodũ ſuprà oſtendimus ſect. 1. & quidem inter eos ſunt Principes Thomiſtarũ Capreolus, & Caietanus, qui diuerſi abierunt, ſecumque Scholam in varias partes traxerunt. Nec obijcias Scotiſtas etiam minimè inter ſe conuenire de ſenſu Scoti, cùm aliqui ſententiam de poſitiuo complectantur. Reſpondeo quippe id non prouenire ex obſcuritate, vel ambiguitate doctrinæ Magiſtri, ſed ex eo quod ille liberum reliquiſſe videtur ſuis, vtram ſententiam ſequẽdi vtrouis modo quis vellet. Itaque non fuit defectus perſpicuitatis, ſed abundantia doctrinæ. Cæterum Scotus prudenter ſe geſſit cum dixit in 3. d. 1.

q. 1.

q.1.n.6.*duas videri vias probabiles*,nec enim negare potuit probabilitatem ſententiæ de Poſitiuo. Non idcirco tamen eam elegit,nec in biuio reliquit, vt quam quiſque ex ſuis vellet ſequeretur,ſed aliis optionem fecit ſuam iam præiudicatam tuendi. Suis autem ſatis declarauit, negationem eſſe amplectendam, quemadmodum nos inter referendum textus obſeruauimus, & poſtea monuimus viam de negatiuo eſſe arripiendam. Quare paucis Scotiſtis placuit à negatiua recedere, quæ verè Scotica eſt, nec ego eam auſim deſerere, quòd exiſtimem ſi deſeram me à via regia deflexurum, meoſque Scotiſtas hortor ne velint ad poſitiuũ diuertere: manifeſtè quippe in ſuo contextu Scotus ſignificat ſibi cordi eſſe ſententiam de negatiuo,idque animaduertet quicumque ſimplici,& minimè præoccupato affectu accedat ad legendum Scotum, quod eo magis mihi perſpectum eſt, quòd cum aliter affectus veniſſem cõſenſum mihi vel inuito lectio extorſit,atq;adeo negatiuo adhæſi.

Cæterùm de ſententiarum diuerſitate hactenus. Nunc ad veriſimilitudinem veniamus. Si authoritas conſideretur,par ea propè vtrinq;eſt,niſi quod plures Scholæ Scoto adhærent. Nominales enim cum Occamo negatiuum adſtruunt. Durandus parum differt. Henricus haud procul eſt. Thomiſtæ externi fauent, qualis eſt Molina,Salmeron, & alij pleriq; cum Patre Vuadingo Societatis Ieſu, qui in ſuo tractatu de Incarnatione d. 4. laudat 37. auctores, de quo Pontius, & Maſtrius. Verum quidem eſt Thomiſtas domeſticos ſuo Doctori, quem faciunt poſitiui auctorem, aſſentiri, diuiſi tamen ſecundum varios modos exponendi conſtitutiuum illud perſonæ. E' noſtris Scotiſtis, exceptis ijs paucis, quos anteà nominauimus, reliqui negatiuum amplectuntur. Lychetus non deſerit Scotum, nec Rada: tantùm inclinant magis in oppoſitũ, quòd eam exiſtiment faciliorem. Par ia tamen ſint momenta auctoritatis. Certè rationibus noſtra vincit, ſicuti apparet ex argumentis ſuperius propoſitis: ac ex eo item quòd Scotus ſoluit ea quæ pro poſitiuo referebãtur contra negatiuum, non autem ea quæ militabãt aduerſus poſitiuum; itaque videtur ea probaſſe, & confirmaſſe ſuo ſilentio, quaſi aut ſolui non poſſent,aut ea ipſe nollet ſoluere,quòd oppugnabant alienã ſententiam. Equidẽ expendens quidquid pro vtraq;parte diſputatũ eſt,mihi perſuadeo veriſimiliorẽ multò eſſe Scoti de negatiuo ſententiã.Imo & iudico eandẽ faciliorẽ,eo quia illa entitas poſitiua qualis qualis ſit, minimè perſpecta, & explorata in Philoſophia eſſe videtur, ac nc in Theologia quidẽ facilis, cùm illa vel nõ poſſit perdi ſi tam eſt intima naturæ, vel non repugnet alienæ perſonalitati præſertim diuinę eã eleuanti per obedientialẽ potentiam ad recipiẽdam vnionem ad alterum ſuppoſitum perfectiſſimum,ſicuti eleuatur põtẽtiã intellectiua per lumen gloriæ ad vidẽdum Deum, & volũtas per gratiam ad eundem ſupernaturaliter amandum, retenta integra ratione naturali, quin ex ea quidquam deperdatur, vel auferatur: quæ difficultas nulla prorſus eſt in Scotica de negatiuo ſententia, vbi remanet natura tota poſitiua integra, quantacunque eſt, per ſe ſubſtantialiter exiſtens ſingularis, vt tota ex integro ſumatur nulla ſui parte relicta, & ſolùm negationes eam ſtringentes, & terminantes, quæ cum perſonalitate aliena ſtare nequeunt, quòd ei ſint contradictoriæ, auferantur.

COL-

Digitized by Google

COLLATIO PRIMA
DIFFERENTIA II.
Super Controuerſia: Vtrum Tres Perſonæ poſſint aſſumere eandem Naturam?

Ad Quæſtionem 3. p. D. Thomæ a. 6. & ad diſt. 1. q. 2. in 3. Scoti.

SECTIO I.

Producuntur textus Doctorum.

Textus S. Thomæ

IN 3. ſent. d. 1. q. 2. a. 4. ante corpus §. *Sed contra. Humanæ naturæ conuenit eſſe aſſumptibilem ſecundum quod eſt ad imaginem Dei; ſed eadem numero natura eſt ad imaginem trium Perſonarum: ergo humana natura eadem numero à Tribus aſſumi poteſt*. Deinde infra in corpore. *Quod natura aſſumpta à Tribus Perſonis ſit vna vnitate Naturæ non eſt impoſſibile loquendo de potentia abſoluta.* Et rurſus. *Sic Tres perſonæ in vna natura aſſumpta conuenirent, ſicut conueniunt in natura æterna*.

Idem 3. p. q. 3. a. 6. In corp. *Dicendum quod ſicut ſupradictum eſt ex vnione animæ, & corporis in Chriſto non fit neque noua Perſona, neque noua hypoſtaſis, ſed fit vna Natura aſſumpta in perſonam, vel hypoſtaſim diuinam: quod quidem non fit per potentiam naturæ humanæ, ſed per potentiam Diuinæ perſonæ: Eſt autem talis diuinarum perſonarum conditio, quòd vna earum non excludit aliam à communione eiuſdem naturæ, ſed ſolum à communione eiuſdẽ Perſonæ. Quia igitur in Myſterio Incarnationis tota ratio facti eſt potentia facientis, vt Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Voluſianum, magis circa hoc eſt iudicandum ſecundum conditionem Diuinæ Perſonæ aſſumentis, quàm ſecundum conditionem naturæ humanæ aſſumptæ. Sic ergo non eſt impoſſibile Diuinis perſonis, vt duæ, vel tres aſſumant vnam naturam humanam.*

Contrà Scotus in 3. d. 1. qu. 2. §. ad quæſtionem nu. 5. *Non videtur quòd vna Natura poſſit ſimul aſſumi à Tribus perſonis; quia in omni dependentia eſſentiali vnum dependens non dependet præcisè niſi ad vnum quod totaliter terminat eius dependentiam: in iſta vnione eſt dependentia eſſentialis vnius naturæ: & vna perſona terminat totaliter eam: igitur non poteſt idem dependere hoc modo ad plures tales perſonas. Maior probatur in omni dependentia cauſati ad cauſam;*

cauſam; quia impoſſibile eſt idem cauſatum habere plures cauſas totales in eodem genere cauſandi, à quibus dependeat. Sequeretur enim quòd eſſentialiter dependeret ab illo, ut à cauſa quo non exiſtente nihilominus eſſet. Si non habeat A, pro totali cauſa efficiente, & cum hoc B, ſimiliter A: ſufficienter efficeret ipſum quocumque alio circunſcripto; aliàs non eſſet eius totalis cauſa: igitur effectus eſſet ab A, B non exiſtente, & ita non dependet à B. Conſimilter arguitur è conuerſo de A, ſi B. ponitur cauſa eius totalis; igitur ſi A ſit cauſa totalis, & B ſimiliter, vtrunque erit cauſa totalis & neutrum: ita videtur in omnibus dependentijs, etiam quæ non ſunt cauſatorum ad cauſas, quòd cum dependentia alicuius fuerit totaliter terminata ad aliquid ipſum non poteſt dependentia eiuſdem rationis dependere ad aliud. Confirmatur hoc de accidente reſpectu plurium ſubiectorum primorũ. Minor probatur: quia perſonalitas creata totaliter terminaret ipſam; & illa ſtante non poſſet ſimul eſſe in alia perſona creata, vel increata. Non minus enim terminat naturam, & dependentiam eiuſdem, perſonalitas quæcunque perſonæ diuinæ, quàm terminaretur in ſe: Igitur, &c.

SECTIO II.

Proponitur, & munitur ſententia S. Thomæ Authoritate, & ratione.

SEquuntur S. Thomam Diſcipuli Caietanus hic latiſſimè, & accuratiſſimè reſpondendo ad argumenta Scoti. Capreolus q. 1. ex antiquis Ægidius q. 5. Heruæus d. 1. q. 2. ante D. Thomam eam tradiderat Aexlāder 3. p. q. 2. n. 4. quo cum ſentit Bonauentura in 3. a. p. 1. q. 3. Henricus quodl. 6. q. 7. Varro d. 1. q. 5. Occamus d. 1. q. 1. a. 3. Durandus q. 3. Gabriel q. 1. a. 3. dub. 3. Marſilius q. 2. a. 3. Almaynus d. 1. q. 1. Palludanus d. 1. q. 3. a. 2. qui dicit probabilem. Suarez 1. to. in 3. p. d. 13. ſect. 2. Vaſquez d. 29. cap. 2. ad 4. Lorca d. 25. Orlandus Tract. 1. d. 6. q. 7. ex Scotiſtis Baſſolis d. 1. q. 4. & ex parte Pontius d. 37. q. vlt.

Non ſunt hic accumulādæ rationes. Hac vna probatur ſentētia, ſi excludatur Cōtradictio, quæ nulla videtur eſſe, nec enim ſumitur ex parte perſonæ, nec ex parte naturę. Nā perſona eſt infinita, & habet capacitatē ad aſſumēdā naturam creatam ſingillatim ſingulæ ſuam. Cur ergo non potuerunt omnes eandem naturam ſimul aſſumere? Ex parte naturæ non repugnat, quia illa habet ſe ad illas aſſumptiones indiferenter, & per potentiam obedientialem recipit illas vniones, quæcunque illa ſint. Quare igitur non poterit terminari pluribus ſubſiſtentijs diuinis?

Suadetur primò, quia vt ait D. Thomas initio corporis. *Perſona Incarnata ſubſiſtit in duabus naturis diuina, & humana: ſed Tres perſonæ poſſunt ſubſiſtere in vna natura Diuina; ergo etiam poſſunt ſubſiſtere in vna perſona humana, ſcilicet quod ſit natura humana à Tribus perſonis aſſumpta.*

Suadetur ſecundò, quia illa aſſumptio non eſt cauſalitas, nec coniuncta cum cauſalitate erga naturam, quæ ponat in ea aliquam formam intrinſecam talem, quæ non poſſit compati aliam, ſed ſolum eſt terminatio, & cōpletio naturæ in genere ſubſiſtentis, quæ multiplex eſſe poteſt in vna & eadem natura.

Suadetur tertiò, quia illæ perſonæ non terminarent eodem modo; nec eadem

eadem ratione; ſed diuerſimodè ſecundum oppoſitionem quam habent relatiuam, ac proinde non eſſent ob ſuperfluitatem incompoſſibiles, cùm ſingulæ ſuo peculiari modo concurrerent.

Suadetur quartò, quia ſecundum Doctorem Angelicum hic etiam in corpore nulla eſt repugnàtia partium perſonæ cum natura, neque naturæ cum perſona; ſed perſonæ cum perſona. Cùm igitur hic tractetur de aſſumenda natura ad Tres *D*iuinas Perſonas nulla eſt repugnantia ex parte naturæ, quæ non ſumitur perſonata; ſed ſine perſona.

Suadetur quintò, natura Diuina poſtulat plures perſonas, & in his ſubſiſtitit, quòd ergo illa poſtulat, ferre poterit natura creata eleuata per omnipotentiam Diuinam: etenim ſecundum Auguſtinum Epiſtola tertia ad Voluſianum in hac materia Incarnationis *Tota ratio facti eſt potentia facientis*.

Suadetur ſextò, non repugnat vnum numero accidẽs ineſſe in tribus ſubiectis per tres modos inhærentiæ. Cur ergo repugnabit vnam naturam ſuppoſitari per tres ſubſiſtentias?

Suadetur ſeptimò, Vnum, & idem corpus poteſt eſſe in duobus locis, & pluribus adæquatè: ſicut etiam vnum ſubiectum capax eſt multarum relationum: nihil igitur implicabit quò minus vna natura poſſit à pluribus ſuppoſitis præſertim diuinis terminari.

Præſcindimus interim ab ea quæſtione, Vtrum vnus effectus poſſit dependere à pluribus cauſis totalibus per diuinam potentiam abſolutam: de qua magna eſt inter Philoſophos controuerſia quoniam in noſtro caſu nulla eſt cauſalis dependentia. Hæc ſunt fundamenta ſententię Thomiſtarum, omnia ad tollendam implicantiam ordinata.

SECTIO III.

Oppoſita Negans Scoti Doctrina aſſertur, & roboratur.

HÆc Scoti, & Scholæ propria eſt. Habet auctorem Anſelmum, cuius teſtimonio hic Scotus vtitur, quod tã eſt perſpicuum vt aduerſarij etiam id fateantur Lorca d.25.n.6. Ariaga d. 27. ſec.3. propterea Cardinalis de Lugo fatetur ſe Scoto adhærere d. 12. ſec.6. Traditur ab Alberto q.2.a.10.& Ricardo a.1.q.3. & 4. eum ſequitur Lugo citatus. Paſqualigus d.79.ſec.4. Scoti interpretes Lychetus, Tataretus, Rada cont. 1. a.4. Centinus d.8.c.3. Aretinus d.1.q.2.a.1. Gallus d.1.q.2. Acaſtrius d.1.qu. 8.a.1.2.3. Delgad. c. 2. dif. 2. dub.2. Felix cap.6. dif.3.

Probatur primò à priori. Effectus, vel quaſi effectus, qui fit totus ac totaliter ab vna cauſa, vel quaſi cauſa non poteſt fieri ab alia eiuſdem rationis: huiuſmodi eſt ea ſuppoſitatio naturæ creatæ facta per vnam perſonam, & eſt ab ea tota, & totaliter, ergo non poteſt fieri per alias perſonas. Syllogiſmus eſt in forma, & ſi penetretur ſenſus propoſitionis planè conuincit. Maior quippe certa eſt, nam poſito effectu toto, & totaliter in re, & actu non eſt capax natura alterius acceſſionis, cùm habeat omne id quod poni poteſt. Quid enim de nouo accedat ei, cui nihil deeſt? aut quomodo accipiet id quod iam habet? Certè ſi accipit deerat, ſi deerat non habebat: at ſupponitur habere, ergo contradictio, ſi quid accipiat; itaque maior conſtat. Minor patet, quia illa natura aſſumpta ab vno ſuppoſito

per

Digitized by Google

per illud tota, & totaliter ſubſiſtit, & ab eo completur, & terminatur, ſicuti per proprium completa erat, & terminata: igitur cum eundem quaſi effectum accipiat ab aliena perſona, non poterit eum accipere ab alia. Conſequentia rectè colligit. Equidem demonſtrationem puto. Voca quomodocunque velis illam aſſumptionem, & effectum eius, ſiue ſit terminatio, ſiue completio, ſiue ſuppoſitatio ſemper erit totalis, & totaliter poſita in re effectio, igitur erit impoſſibilis noua effectio.

Secundò probatur à Scoto ſic d.1.q.2.n.4.§. *Hoc dicitur*. Illa natura ſi poſſet per tres Diuinas Perſonas ſubſiſteret, eſſet in poteſtate naturali, & obedientiali ad illas, ac eas ferre poſſet infinitas, quia ſi pluralitas non repugnat, nulla erit limitatio plurium, ac proinde poterit infinitè accipiendo procedere: hoc autem eſt abſurdum. Ecquis enim illationem admittat? Hac ratione acutè ſolet argumentari Scotus in 1.d.2.p.1.q.3. inferendo ex pluralitate Deorum infinitatem eorundem. Et in eodem 1.n.2.p.2.q.4. vbi colligit, ſi in Deo eſſent plures filij, poſſe eſſe infinitos. Et rurſum quodlib.2.q.2. ſimile quiddam ex pluribus productionibus diuinis deducit; & quidem hoc argumentum maiorem in propoſito vim habet, quia natura in his aſſumptionibus nihil amittit de virtute ſua intrinſeca, ſed tantum accipit per potentiam obedientialem illas rationes terminantes, & complentes, quæ non fiunt per aliquam virtutem, vel affectionem intrinſecam, atque adeo ſi poſſent multiplicari ſine repugnantia; quæ veniat aliunde, certè propter numerum repugnare non poſſunt.

Tertiò. Si natura illa poſſet ita ſubſiſtere per plures ſuppoſitalitates diuinas, poſſet etiam per increatam & creatas, & per plures alienas creatas, quod non videtur concedendum. Sequela patet, quia illa natura de ſe non ſatiatur vna perſonalitate, nec per eam ſatis efficitur independens, igitur apta eſt ad recipiendas plures, tum proprias, tum alienas, donec totaliter ſit indepēdens, & compleatur in eo genere perſonæ. Nec obijcias perſonalitates illas eſſe diuinas; hoc enim rem non continet, quia ibi nihil facit diuinitas, vel infinitas perſonæ, ſed ratio perſonalitatis in ratione independentiæ, & terminationis, & complementi, ad quem effectū per accidens ſe habet infinitum ad finitum. Nec enim natura recipit in ſe quiddam perfectum infinitè quando aſſumitur ad Verbum, & ſubſiſtit in Verbo, cum in ſe maneat limitatè finita: alioquin impoſſibile eſſet ſuppoſitari per infinitam perſonam: imo nec perſona in ratione perſonæ dicit perfectionem aliquam poſitiuam. Igitur nō ſatiatur, nec perficitur per diuinas perfectiones, ita vt non poſtulet alias, non tot quin plures, atque adeo infinita numero. Et hoc argumentum ſumitur ex parte perſonarum.

Quartò admiſſa illa pluralitate ſuppoſitorum, ſequitur perfectio infinita in illa natura aſſumpta, quia quantum eſt de ſe reſpicit infinitas perſonalitates, ex quo arguitur capacitas infinita in re finita, & limitata. Quod autem illa natura non accipiat perfectiones à ſuppoſitis intrinſecè non obeſt huiuſmodi perfectioni, quæ ſumitur ex parte naturæ: hæc enim ſubſiſtens in ſuppoſitis infinitis communicaret ijs ſuum eſſe, dum in iis ſubſiſteret, ac proinde infinitas perſonalitates perficeret, fieret quippe illimitata; & quemadmodum natura diuina infinita eſſe colligitur ex eo, quòd fundat tres per-

ſonalitates increatas, quibus ſe intimè communicat, ita ſuo modo illa natura humana ſubſiſtens in pluribus, ac infinitis perſonis, quamuis non eſſet intima illis, nec eadem cum illis, extrinſecè tamen illis correſponderet, & aliquali modo perficeret, ac proinde in eo genere perficiendi eſſet infinita, ſeruata diſparitate diuinæ naturæ, ac perfectionis eſſentialis infinitæ præciſe conſiderando illimitationem naturæ creatæ, & rationem extrinſecè perficiendi perſonalitates. Quod aduertimus, vt remoueamus obiectiones intercurrentes aduerſariorum ſimiles Varronianis, quas Scotus hic refellit, & Lychetus latiùs refutat. Itaque admiſſa illa pluralitate ſuppoſitorum, ex ea arguitur infinita communicatio vnius naturæ tot ſuppoſitis eam terminantibus. Adde hanc repugnantiam ſuperiori proximæ ex perſonis deſumptæ, cùm iſta deſumatur ex parte naturæ ſe communicantes.

SECTIO IV.

Diluuntur argumenta Thomiſtarum.

PRimum ex D. Thomam ſumptū facile ſoluitur, quia magna diuerſitas eſt, tum in exemplo, tum in explicatione illius. Exemplum quippe vim non habet. Certum eſt Perſonam Diuinam Verbi in duabus naturis Diuina, & humana ſubſiſtere: Sed noſtra quæſtio eſt diuerſa de vna natura humana ſubſiſtente in duabus, vel tribus perſonis Diuinis: Vbi vnitas ex parte naturæ creatæ, & finitæ eſt reſpectu ſuppoſitorum diuinorum vt patet. Præterea in eo exemplo natura, & ſuppoſitum ſunt diuina, & ſola natura eſt aliena, & hęc comparatur ad ſuppoſita prorſus aliena, & Diuina: Vnde ruit proportio inter comparata, & perit virtus comparationis. Deinde alia illatio: Natura diuina poteſt ſubſiſtere in Tribus perſonis diuinis, ergo etiam natura humana poterit in Tribus perſonis diuinis, non eſt idonea, imo maximè ab inſtituto abhorrens, & aliena: quia natura diuina ex ſe exigit illam Trinitatem perſonarum, & ſine illis nequit eſſe propter neceſſarias productiones. At vero natura humana non exigit vllam ſubſiſtentiam diuinam, ſed ſuam tantùm ſingularem, & proportionatam. Imo habet negationem actualem ſuppoſiti alieni, nec non habet aptitudinalem, inclinationem, ſed tantùm habet quandam non repugnantiam in ordine ad potentiam obedientialem, quæ eſt ſupra illius naturam. Vnde argumentum non vrget, imo potius retorquetur hoc modo. Natura diuina ideo ſubſiſtit in tribus perſonis, quia eas exigit intrinſecè ad ſuas naturales productiones ob ſuam eſſentialem fæcunditatem: ſed natura humana non exigit, nec appetit illas perſonalitates, & omnino ab ijs eſt aliena, ergo per eas ſubſiſtere non poteſt.

Secundum quod continet euaſionē implicationis Scoticæ, quam nos obijcimus Thomiſtis, ita diluitur. Ille effectus quicunque ſit, eſt omnino adæquatus, & non relinquit locum vlteriori augmento, ac proinde redditur impoſſibilis ob ſuperfluitatem, & implicantiam ex ea natam. Nihil enim vbi tota eſt, & totalis completio deeſt, nec poteſt addi, augeriue, vbi non eſt locus accipiendi, & creſcendi. Coruitque tota moles, quam ſoluendo ſtruit hoc in loco Caietanus, qui machinam ſubtilem Scoti ſuo ſe reſponſo putat euertere. Stat firma hæc, & nullo Ariete, aut Catapulta quatitur. Ratio eſt inuicta, eamque nos ſatis in primo argumento Scoti ſectione proxima mu-

muniuimus, & roborauimus. Legat qui volet, Caietani excogitata effugia, contemnet. Mirè ſe torquet, & vexat diſtinctionibus ſeſe inuoluens, & magis, & magis ſe impedit, & intricat, & veluti labyrinthæis ambagibus implicatur, nec filium inuenit, quo euoluto euadat. Quanta ſit vis rationis Scoti ſenſit acutiſſimi vir ingenij Gabriel Vaſquez, à quo d. 29. accuratiſſimè recenſentur varij modi ſoluendi illam, & ſpecialiter modus Caietani, quem ipſe conatur accommodare ad tollendam difficultatem: Verùm ne is quidem potuit ſuo ſe ſatis acumine expedire, ſicuti in proxima ad Tertium reſponſione apparebit.

Tertium ita expeditur negando illas perſonas diuerſos modos ſubſiſtendi allaturas eſſe naturæ in ratione complendi, & terminandi, atque adeò non eadem ratione naturam ſuppoſitandã per eas: quia rationes paternitatis, & filiationis, & ſpirationis aliò pertinent nimirum ad productiones, non autẽ ad terminationes, quæ vna eſt ratio ſuppoſiti, in qua conueniunt, ac ac proinde quæcunque ſint illæ diuerſitates nihil tribuunt naturæ diuerſum, per quod diuerſimodè ſubſiſtat. Quid enim quæſo eſt ratio ſuppoſiti, niſi id per quod natura ſit independens, & incommunicabilis alijs in genere complementi? Hoc autem poſita vna ſubſiſtentia perfectè ac completè habetur. Nec eſt locus terminandi, & complendi per aliam ſubſiſtentiam, quæ ſuperuacanea eſt, & incompoſſibilis cum effectu totali, & totaliter perfecto, & completo, & incapax vlterioris augmenti. Declaratur: quia illæ rationes paternitatis & ſpirationis, relatiuæ prorſus ſunt, & in ordine ad terminos relatiuos, & non pertinent ad naturam aſſumendam: Igitur nihil conferunt ad ſubſiſtendum; niſi in quantum conueniunt in vna ratione ſuppoſitandi omnibus communi. Secundum hanc igitur ſupplent ſuppoſitum creatum, quod per vnam perſonalitatem adæquatè conſtituitur.

Quarto reſpondetur, non oriri repugnantiam, ex eo quòd ſtatus naturę pugnat cum perſona, ſed ex eo quòd vna natura debeat aſſumi cum pluralitate perſonarum: quod eſt incompatibile propter incapacitatem naturæ, & propter pugnantiam inter ſe perſonarum, quæ nequeunt plures ad eum effectum concurrere, qui iam ſupponitur totus, & totaliter, per vnam completus, & perfectus. Sicuti non datur repuguantia, inter materiam, & formam debitam, & proportionatã quando eſt vna; datur verò repugnantia, ſi duæ, vel tres formæ eiuſdem rationis aduenirent eidem numero materiæ, quia hæc illarum capax non eſt. Ita natura humana minimè pugnat cum vno ſuppoſito diuino, v.g. Filij, ſed cũ alijs duobus pugnat, propter incompatibilitatem.

Ad quintum de natura diuina ſubſiſtente neceſſariò in tribus perſonis, iam reſpondimus ex parte in ſolutione primi, ſed quoniam illud diuerſum quiddam habet ab hoc quinto, petẽdo, cur id, quod conuenit diuinæ naturæ, non poteſt etiam per diuinam potentiam, & miraculum attribui naturæ humanæ, addo de nouo, implicare contradictionem illas plures ſubſiſtẽtias in natura limitata, & finita propter eius incapacitatem, & perſonarum inter ſe incompoſſibilitatem, cùm, vt ſæpè dictum eſt natura, per vnam ſolum tota, & totaliter perſonetur. Ad auctoritatem verò Auguſtini, quam Diuus Thomas affert, & Caietanus

inculcat, dico tanquam in eo verſatus, illum in epiſtola, quæ eſt tertia ad Voluſianum, reſpondere difficultatibus, quas homo ethnicus mouebat, Miſterio Incarnationis de facto, & effectibus, indè ortis, quos ille putabat abſurdos, & indecoros, & indignos Deo, qui perſpicuè in ea epiſtola numerantur, & proponuntur, & Auguſtinus ſubtiliſſimè, & ſolidiſſimè exponit, & liberat à calumnijs hominis gentilis, perſuadens multis rationibus & exemplis, nihil ibi inueniri, quod ſit à diuinitate abhorrens, & alienum; vtitur autem ea præclara ſententia, quam affert S. Thomas. *Demus, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus rebus, tota ratio facti eſt potentia facientis*. Quo declarat non loqui ſe de alijs quæſtionibus, quæ in alijs materijs excitari poſſent, ſed tantũ de his talibus, quales excitabant gentiles, & in epiſtola Voluſiani continebantur, audiamus Auguſtinum. *Miror*, inquit, *vtrum Mundi dominus & Rector intemeratæ Feminæ Corpus impleuerit, pertulerit decem menſium longa faſtidia Mater, & tamen enixa ſit ſolemnitate pariendi, & poſt hæc Virginitas intacta permanſerit*. His, & alia ſubnectit, *Intra Corpuſculum uagientis infantiæ latet: parua putatur Vniuerſitas; patitur puerilitatis annos, adoleſcit, iuuentute ſolidatur: tandiù à ſedibus ſuis abeſt ille regnator, atque ad vnum Corpuſculum totius mundi cura transfertur, deinde in ſomnos reſoluitur, cibo alitur, omnes mortalium ſentit affectus: nec vllis competentibus ſignis tantæ maieſtatis indicia clareſcunt; quoniam larualis illa purgatio, debilium curæ, reddita vita defunctis; hæc, & alia, ſi cogites, Deo pauca ſunt*.

Quàm hæc diſtent ab illis quæſtionibus, quas noſtri Theologi excogitant, ecqui s non videt? & quanquam Auguſtinus altiùs mẽtem humo tollat, & ſublimiùs euolet ingenij ſui diuinitus eruditi aliis nihil tamen de his quę nos modo in ſcholis excitamus controuerſijs de poſſibili, vel impoſſibili cogitauit. Retinemus tamen eius egregiam ſententiam *tota ratio facti, eſt potentia facientis* in factis quidem, & quæ nos docet fides miſteriis, de quibus loquitur Auguſtinus. At vero in aliis, quæ in arcanis poſſibilitatis ſinubus conduntur, cum multa ſint, quæ contradictionem inuoluant ad illa, hæc Auguſtini ſententia nec trahi debet, nec poteſt. Nam ad impoſſibile non eſt potentia. Oſtendimus autem argumentis Scoti aſſumptionem iſtam ad tres perſonas diuinas vnius naturæ creatæ omninò implicare contradictionem.

Ad ſextum negandum aſſumptum: nec enim vnum, & idem numero accidens poteſt in tribus ſubiectis primis poni propter rationem ſuperiùs factã, & ſæpius repetitam; cùm vna inhærentia ſatis ſit ad ſubiectandum accidens, & ſit omnis vlterior ſuperuacanea, ac proindè incompoſſibilis, & natura accidẽtis non habeat capacitatem ad plures ſuſtentationes, vnde ſic Scotus in hac quęſtione ad quartum *Nego*, inquit, *aſſumptum de accidente in ſubiectis*; dixi primis, ac immediatè: Secus eſt enim, quando vnum accidens reciperetur in vno ſubiecto communi tribus alijs: tunc enim mediante iſto poſſet recipi ab alijs, nec primis, nec immediatis.

Septimo conſequenter reſpondetur; negando alia duo exempla, tum de Vbi, tum de relatione, accommodatè loquendo ad propoſitum. Primum de Vbi ſumendo pro immediato, & proprio corporis, duo quippe non poſſunt

afficere

afficere vnum corpus, ob eandem repugnantiam ſuperfluitatis formæ, & limitationis, & incompoſſibilitatis ſubiecti. Secundum, ſi ſermo ſit de ſuperficie ambiente extrinſeca, tunc ſi duo Corpora eſſent penetrata in eodẽ loco, collocarentur in eadem ſuperficie, quia tollitur diſtinctio localis diſtantiæ, non autem aufertur vbicatio, & præſentia intima, & propria, & immediata. Idem de relationibus aptè dicendum. Vnum formale, & immediatum fundamentum, non poterit referri per duas, vel plures relationes eiuſdem prorſus rationis: videlicèt relatio Patris fundata in hac generatione Filij ſatis erit vna ad referendum Patrem generantem ad Filium genitum, nec poſſunt eſſe plures, quia conſumitur capacitas, & completur, & adæquatur effectus relationis, ac proinde non relinquitur locus aliis relationibus eiuſdem omnino rationis ſuperuacaneis, ſeque excludentibus. Hæc quidem mihi ſunt certa, & indubitata, & proptereà ſemper duxi improbabilem opinionem eorum Philoſophorum, qui affirmant vnum, & eundem effectum poſſe per Diuinam potentiam abſolutam pendere à duabus cauſis totalibus, in qua video eſſe aliquos modernos cũ Patre Suarez, quem cùm ego noſſem, ac penè audiſſem Conimbricæ hac in re deſerui, & ad Vaſquez Æmulum eius, eiuſque, opinor, parem, tranſiui, qui contra ſentit hoc in loco 1. p. d. 29. quem inuenio in hac multiplicatione formarum, Scoto adhærentem: quò magis miror hominem acutum, & ſuarum tenacem opinionem, cum Sancto Thoma, & Caietano, quem magna ex parte oppugnat, de pluralitate harum in vna natura ſubſiſtentiarum ſentire maluiſſe. Vt vt ſit noſtraditam à Scoto doctrinam, vniuerſum, ac vniformiter retinemus, & omnes contrarias obiectiones refutamus.

SECTIO V.

Vtrum ad Diuinam Naturam abſolutam ſecundum communem ſubſiſtentiam poſſit fieri aſſumptio Naturæ creatæ.

SEquuntur duæ quæſtiones breuiter expediendæ, cùm de ijs non appareat diſſidium inter hos duòs Principes Scholarum, etſi leuiter diſſentiant, & ac proptereà non ſint prætermittẹndæ. Quoad primam Caietanus ingenuè fatetur in Comment. ad a.3. 3. p. Nullam videre in hac materia diſſenſionem inter auctoris, ideſt Sancti Thomæ, doctrinam & Scoti in 3. ſententiarum q. 2. ſic allegat, vbi monet cauendum eſſe Durandum. Verum eſt tamen Sanctum Thomam, minus clarè locutum, nam q. 3. a.2. & 3. ad 1. & 2. & a.5. q.4. ad 1. indicat naturæ diuinæ *non conuenire aſſumere niſi ratione perſonæ*, vnde fortaſſe Capreolus in 3. d. 1. q. 1. quamuis admittat ſubſiſtentiam abſolutam, negat poſſibilitatem huius aſſumptionis, propter ſuam communicabilitatem. Scotus perſpicuè dixit, & diſtinxit, inter ſubſiſtentiam, quam vocant abſolutam, & communicabilem tribus relatiuis, & relatiuas incommunicabiles: & primã dixit eam, quæ in natura diuina conſideratur tanquam coplens eam, & conſtituens in ſe, ac per ſe perfectiſſimam ante omnem proprietatem relatiuam, qualem deſcribit hoc loco in 3. d. 1. q. 2. *§. contra iſtud*, & n. 5. *§. Ad quæſtionẽ*, & quodl. 1. q. 1. vocans naturam diuinã, vti à ſuppoſito præſcindit, *eſſentiam per ſe ſubſiſtentem*, quemadmodum vidit Lychetus, & Tataretus hic, aliique in-

Digitized by Google

interpretes, Scotum ſine vlla diſſenſione ſequuti; Verùm ne in hoc quidem diſcrepauit Scotus à D. Thoma, qui manifeſtè q.3.a.3.ad 1.ait. *Sicut nũc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo dicimus tres perſonas: ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remanebit in conſideratione noſtra natura diuina, vt ſubſiſtens, & vt perſona & per hunc modum poteſt fieri, quod aſſumat naturam humanam, ſub ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, vel perſonalitatis.* Vnde patet quo ſenſu dixerit S. Thomas, id quod videtur turbaſſe Capreolum, *naturæ diuinæ, non conuenire aſſumere, niſi ratione perſonæ*: ſumpſit enim perſonam pro illa ſubſiſtentia abſoluta, qua natura ante conceptus relatiuos intelligitur in ſua illa ratione perfecta, & completa, ac in ſe, & pro ſe ſubſiſtens, cùm nihil in ea deſideretur perfectionis.

Hoc habemus à D. Thoma. A Scoto illud amplius accipimus; quòd natura humana aſſumpta ad naturam Diuinam ſic abſolutè ſubſiſtentem futura eſſet *mediatè ratione naturę in tribus perſonis, ſicuti vna Albedo poteſt eſſe in tribus corporibus, ſi vna ſuperficies in qua eſt, eſſet in eis*, cum prius negaſſet vnam naturam à tribus Perſonis immediatè poſſe aſſumi. Obſeruandũ tamen eſt, Scotum cautiùs, & diſtinctiùs locutum: non enim vnquam illam ſubſiſtentiam abſolutam vocauit perſonalitatem; nec naturam ita ſubſiſtentem perſonam, ſicuti D. Thomas: Imò oppoſuit rationem perſonæ, rationi eſſentiæ dicens; hoc in loco ſ. *ad quæſtionem* num. 5. diſtinguendo. *Aut poteſt intelligi primus terminus iſtius vnionis eſſe perſona, aut eſſentia ſubſiſtens*. Quod ipſum confirmauit num.6. dum aſſignat modum iſtius aſſumptionis. *Quod autem ipſa Eſſentia per ſe exiſtens poſſit eſſe totalis terminus proximus illius vnionis, videtur, quia ipſa nullum eſſe habet à Perſona, ſed eſt priùs naturaliter, quàm ſit in perſona, & dat eſſe perſonæ: eſt enim natura de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens, licèt non incommunicabiliter. Videtur autem, quòd incommunicabilitas, non ſit ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtentia ſingularis.* Quæ ſanè explicãt modum quo fieri poſſit aſſumptio immediatè ad naturam diuinam, prout eſt completa, ac perfectè in ſe, exiſtens, ac ſubſiſtens abſolutè ante perſonarum conſtitutionem. Quod ſi, Theologi, qui negant hanc ſubſiſtentiam abſolutam maturiùs conſiderarent minus ab hac ſententia abhorrerent. Qualis eſt Vaſquez cum ſua Schola domeſtica Complutenſi excludens à Deo hunc modum ſubſiſtendi abſolutè. 1.p.d.125.c.2.& 156. c.2.& 3. p.d.27. c.2. quia non diſtinxit ſubſiſtẽtiam à perſonalitate, & omninò requirit ad rationem ſubſiſtentiæ incommunicabilitatem, cùm tamen appareãt duæ rationes ſatis perſpicuè, diuerſæ, ac ſeparabiles, quemadmodum poſuit Scotus, & induxit Sanctus Thomas; & vidit Suarez, hoc in loco 3. p.d.11. ſec.3.& diſp.13.ſec.1. à quo hæc ſubſiſtentia abſoluta, validè, ac ſolidè probatur, vt mihi locum non relinquat quidquam adijciendi. Laudat verò inprimis Scotum multis in locis, & communem vocat Theologorum ſententiam, & plurimis teſtimonijs Patrum eam munit, & remouet quæcunque fieri poſſunt obiectiones. Quos inter numerat Auguſtinum; & quidem iure: hunc enim mihi ſemper vendico, cuius Verba afferre volo aduerſus Vaſquez; ijſque confirmare Scoti doctrinam. Igitur Libro 7. de Trinit.c. 4. expreſsè Auguſtinus fatetur ſubſiſtentiam

Digitized by Google

ſtentiam eſſe quid abſolutum, & ad Eſſentiam accommodari, ac proinde diſtingui eo ſenſu à perſonis relatiuis *ſi hoc*, inquit, *eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere, ita non erant dicendæ tres ſubſtantiæ, vt non dicuntur tres eſſentiæ, quemadmodum, quia hoc eſt Deo eſſe quod ſapere, ſicut non tres eſſentias, ita nec ſapientias dicimus.* Pergit dicere manifeſtiùs. *Si autem aliud eſt Deo eſſe, aliud Patrem eſſe, vel Dominum, quod enim eſt ad ſe dicitur, Pater autem ad Filium, & Dominus ad ſeruiẽtem Creaturam dicitur, relatiuè ergo ſubſiſtit, ſicut relatiuè gignit, & relatiuè nominatur. Ita iam ſubſtantia, non erit ſubſtantia, quia relatiuum erit. Sicut enim ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere ſubſtantiam dicimus; abſurdum autem eſt, vt ſubſtantia, relatiuè dicatur. Omnis autem res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quanto magis Deus?* Perſpicuè Auguſtinus accipit verbum *ſubſiſtendi* pro abſoluto, & ſubſiſtentiam pro eſſentia, ſiue ſubſtantia ex parte ſua, & ad ſe minimè relatiuè, qui eſt Scoti germanus ſenſus, quem ipſemet Scotus ſumpſit ex hoc loco Auguſtini, quem cum ego ante vidiſſem, & proprium meum exiſtimaſſem, pro mea in legendo Auguſtino diligentia, eum poſtea reperi in Scoto in 1.d.5.q.2.n.16 ac miratus ſum me à Scoto fuiſſe præuentum. Affero verba Scoti. *In primo*, inquit, *ſigno naturæ, omninò primò occurrit eſſentia diuina, vt eſt eſſe per ſe, & de ſe, quod non competit alicui naturæ creatæ, quia nulla habet eſſe prius naturaliter, quàm in ſuppoſito. Iſta autem eſſentia ſecundum Auguſtinum 7. de Trin. eſt quà Pater eſt, & quà Filius eſt, licet non ſit quà Pater eſt Pater, & quà Filius eſt Filius, & in iſto priori occurrit, non vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis, ſed vt infinita perfectio potens in ſecundo ſigno naturæ communicari alicui, non vt forma informans naturam, ſed vt quidditas communicatur ſuppoſito, tanquam formaliter exiſtenti per eam, & ità pullulant (vt quidam dicunt) relationes ex ea, & perſonæ in ea, non quaſi quædam formæ dantes eſſe ſibi, vel quaſi quædam ſuppoſita, in quibus recipiat eſſe, cùm ſit ſimpliciter ens. ſed quibus ſuppoſitis dat eſſe, vt quo formaliter, talia ſuppoſita ſunt, & quo ſunt Deus.* Non adducit Scotus verba Auguſtini, quæ nos adduximus, ſed doctrinam traditam refert. Verum quidem eſt Auguſtinum, hæſiſſe ad vocem ſubſiſtentiæ, cum addidit. *Si tamen dignum eſt vt Deus dicatur ſubſiſtere.* Duriuſculum enim illud verbum videbatur, non quòd non poſſit ſignificare ſubſtantiam, & eſſe in ſe, ac per ſe perfectum, ſed quòd verbum ſubſiſtere videtur ſonare quiddã veluti ſuſtinens, & ſuſtentans ſeſe, & ad ſe quodammodo rediens, & ſecum cohærens ex indigentia, quales ſunt naturæ creatæ, cùm Diuina ſit fęcunda, & communicabiliter ex abundantia ſubſiſtens in ſe, & ad ſe, ac erũpens in alias ſubſiſtentias, & Perſonas relatiuas.

Hic locus Auguſtini eſt Achilles contra Vaſquium, & ſectatores. Non nego tamen in Concilijs, in quibus agitur de diuinitate Verbi, & Spiritus Sãcti, & Myſterio Incarnationis, diſtingui ſemper inter ſubſiſtentiam, & eſſentiam; perſonam, & naturam, quaſi vna non ſit alia, idque apparet in Epheſino, & Chalcedonenſi, & in ſexta Synodo, quas ego attentiſſimè legi; vnde locus Agathonis in Synodo ſexta adductus à Suario, non continet rem de qua loquimur: nec enim ibi legendum eſt *ſubſiſtentiam*, ſed *ſubſtãtiam*, quemadmodum cautè obſeruat idem Suarius

rius diſp. 11. ſect. 3. Nec id tamen quidquam officit ſententiæ noſtræ, quia Concilia voluerunt omnem occaſionem hæreticis auferre confundendi ſubſiſtentiam cum ſubſtantia, ſiue hypoſtaſim cum Vſia, vt tutiſſimè procederent, & perſpicuè refellerent hæreſim Sabellij diſtinctionem Perſonarum auferentis, & Neſtorij negantis veram naturæ humanæ vnionem ad perſonam Verbi, & Eurychetis ponentis vnam tantùm in Chriſto naturam. In Scholis verò licet de his ſubtilitatibus diſputare. Itaque Auguſtinus acutiſſimus mortalium, qui facem præibat ſcholaſticis, illum ſenſum expreſſit, qui Scholam ſaperet. Nec alij Patres defuerunt: de quibus Suarez d. 11. ſect. 3. ad finem. Ego meo more Auguſtinum vindicaui. Scio Vaſquez habere ſuę ſententiæ Patronos Alenſem 3. p. q. 2. m. 3. & qu. 7. m. 2. & 3. Bonauenturam in 3. d. 1. a. 1. q. 3. Henricum quodl. 5. q. 8. Marſilium in 3. q. 2. a. 3. dub. 3. & alios. Verùm non mihi arridet eius opinio, propter hoc argumentum, quo planè conuincor. Deitas eſt natura Diuina in abſtracto ante omnem conceptum perſonalem relatiuum, ac ex Deitate formatur Deus, & ex hac Deitate, hic Deus, qui eſt quiddam concretum, & mutat ſtatum abſtractum Deitatis. Hic autem Deus indicat quiddam completum, non autem per Deitatem præcisè, igitur per aliquid complens illam, & ponens in ſtatu completionis: id autem eſt aliquid ad modum ſubſiſtentiæ in eo genere Deitatis abſolutum, & tamen cõmunicabile; ergo hic Deus infert, & includit ſubſiſtentiam, ſeù quaſi ſubſiſtentiam abſolutam. Quo argumento vrgeri debet Vaſquez homo ſubtiliſſimus, & tenaciſſimus ſuorum principiorum. Ille quippe p. 1. d. 156. cap. 2. fatetur admittendum eſſe hoc *indiuiduum*, ſicut vocat, Deitatis concretum. Vnde nequit, meo iudicio, negare illud conſtitui per aliquam ſubſiſtentiã, vel inſtar ſubſiſtentiæ, atque adeo dari in Deo huiuſmodi abſolutam, & communicabilem ſubſiſtentiam. Inſiſto de nouo. Omnes illę tres Perſonæ relatiuæ conueniunt in vno Deo concretè ſumpto, & de ſingulis, & de omnibus prædicatur hic Deus: igitur in quoddam ſubſiſtente abſoluto, & communicabili. Equidem hac ſola ratione conuictus, ſi in ea Vaſquij eſſem ſententia, ab ea planè demouerer, nec enim vlla mihi occurrit via euadendi.

Ac, vt ad inſtitutum redeam. Poſita huiuſmodi ſubſiſtentia ponitur ratio ſufficiens, & apta complendi, & perficiendi naturam creatam, ac proinde eam aſſumendi, quia ratio aſſumendi non petitur ab incommunicabilitate, vt ait Scotus, ſed ab entitate completa, ac ſubſiſtente, in quocunque ſit ſtatu, & modo proportionato ad complẽdum, & perficiendum, & terminandum, quemadmodum dicit Suarez cum Scoto, cuius illa eſt præclara ſententia: *Videtur quod incommunicabilitas, non ſit neceſſariò ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtentia ſingularis*, ita hic d. 1. q. §. ad quæſt. n. 6. in fine.

SECTIO VI.

Vtrum vna Perſona Diuina poſſit aſſumere plures naturas?

PArs affirmatiua eſt D. Thomæ in 3. d. 1. q. 2. a. 6. & 3. p. q. 3. a. 3. Eſt item Scoti diſt. 1. q. 3. & ibi diſcipuli vtriuſque. Quapropter de ea non eſt laborandum, cùm ii conueniant, &

in

in ratione principali probandi, nempe quòd nulla ſit cõtradictio, fundentur, non enim eſt exhauſta per vnam aſſumptionem facultas terminandi alias, nec finitum poteſt comprehendere infinitum, illudve extinguere, & vna cauſa poteſt terminare dependentias multorum effectuum, licet vice verſa non poſſit vnus effectus dependere totaliter à pluribus cauſis totalibus, quod eſt argumentum Scoti ſoluentis obiectionem cõtrariam ab exemplo, quòd nequeat vna natura eſſe in tribus Perſonis: quam quæſtionem ſupra negatiuè reſoluimus cum Scoto contra D. Thomam. Vnum eſt tamen in quo diſcrepat Scotus, nimirum in ſolutione argumenti importuni, quod eſt huiuſmodi. Illa aſſumptio plurium naturarum ad vnam Perſonam, vel conſtitueret vnum hominem, vel plures: non vnum; non plures, ergo nulla poteſt eſſe aſſumptio. Huius duplicem affert Scotus ſolutionẽ: Vnam Richardi in 3.d.1.a.1. dicentis, nec fore vnum, nec plures homines: alteram Sancti Thomę 3.p.q.3.a.7. fore vnum hominem propter vnitatem ſuppoſiti, ſicut vnus ſciens, licet habeat plures ſcientias. Vidit hanc obiectionem Caietanus in Comment. ſed non vidit, aut diſſimulauit ſe videre aliter ſoluiſſe hoc argumentum S. Thomam in 3. d. 1.q.2.a.5.ad 2.& 3.vbi ait, fore tres homines, ſicuti hìc dixit Scotus. Quod notauit Suarez d.13.ſect.2.aiens illum in 3.p.ſententiam, quam in 1. tenuerat retractaſſe. Sẽtit igitur Scotus cum D.Thoma in loco ſententiarum d. 1.q. 2.a.5.ac illum impugnauit, vti à ſe diuerſum in 3.p. q.3. a.7. vbi eum defendit Caietanus. Docet igitur Scotus ex illa aſſumptione plurium naturarũ, plures homines orituros, & arguit ab inconuenienti, quòd ex ratione D. Thomæ ſtatuentis ex vnitate ſuppoſiti vnitatem concreti ſequeretur ex multiplicitate eiuſdem ſuppoſiti fore multiplicitatem compoſiti, ac proinde, fore tres Deos in Diuinis propter Perſonas numero tres. Quare Scotus ſimpliciter reſpondet, fore tres homines, non vnum, ac id declarat, exemplo ſpiratoris, reſpectu Patris, & Filij; ſeque remittit ad Doctrinam traditam lib.1.ſententiarum d. 12. de vno ſpiratore, & duobus ſpirantibus. Lychetus in Comment. affirmat tanquam probabilem Scoti Doctrinam, ex ac aſſumptione ſequi, nec vnum hominem, nec plures, quæ erat reſponſio Richardi reiecta a Scoto; & in ea probanda, multum moratur expenſa Doctrina de Spiratore, ac Spirantibus; & concludit in eo caſu illam perſonam terminantem plures naturas, fore habentem plures humanitates, non autem plures homines, & ſoluit rationem Scoti contra Richardum de oppoſitione vnius, & plurium immediatè diuidentium ens, & ex ea concludentis. *Neceſſe* inquit, *eſt, quòd ſit vnus homo, vel plures, aliter quippè non eſſet homo*. Miror Lycheto hanc doctrinam placere potuiſſe: quamquam eam tradat nomine aliorum expoſitorum ad finem Comment. eaque ſuam occultare velle videatur expoſitionem, quam primùm vocarat *imaginationẽ*. Quòd ad me attinet, ego ſolùm probo quod hic perſpicuè dicit Scotus, fore plures homines, propter rationem eiuſdem Scoti, quã Lychetus vocat *ſecundum expoſitionem, & magis ad propoſitum*: quam reſponſionem demum fatetur eſſe ſecundum Verba, & mentem Doctoris in 1.d.12. quem locum indicauerat ipſemet Scotus.

Quam ſi conſtanter ſuſtineret ibidem Lychetus, confecta planè res eſſet;

verùm ille adhuc in fine ſubdubitat, quaſi allectus ſubtilitate primæ imaginationis. Ego diſertè, ac firmiter pronũtio, cũ Scoto fore plures homines, & Caietanum, & Suarium, & Thomiſtas alios refuto hac ratione. Quando formæ ſubſtantiales multiplicantur in ſe, ac per ſe ſunt plures, ac diſtinctæ numero ſingulari, nõ debent regulari ab vnitate ſuppoſiti, ſed à concretione cũ illo; ita vt ſatis ſit ſuſtentari ab illo vt maneant, tot, quot erant in ſe: non autem eſt neceſſe, vt ſuppoſita in ſe ipſis ipſa multiplicentur. Patet, quia ſicuti ad ſuſtentationem, & terminationem naturæ concurrit ſuppoſitum, nihil detrahendo de naturis, ſed tantum iuuando eas, & ſuſtinendo extrinſecùs vt maneant concretæ, ac terminatæ, ita ſinunt eas in ſe manere diſtinctas, & terminatas, ac proinde multiplicatas. Patet, quia illæ naturæ, ſcilicet tres humanitates accipiunt ab vna illa perſona quidquid acciperent à tribus perſonis, id eſt ſuſtentationes, & terminationes tres, ergo manent ſufficienter conſtitutæ in eſſe concreto ad efficiendum totidem concreta, quot efficerẽt, ſi eſſent ſuſtentatæ, ac terminatæ à tribus perſonis. Igitur, tot erunt homines, quot fuerint humanitates. Quid enim ijs deeſt vt ſint tres, cum ſubſiſtant ſufficienter, & illa vnitas perſonę tribuat diuerſas rationes terminandi, & ſuſtentandi? vnde licet perſona materialis vna ſit, triplex tamen eſt effectus, & facultas vnius. Accedit, quòd denominatio hominis non prouenit à perſona, quæ in ſe non eſt homo, nec quidquam habet humanitatis, ſed tantùm modificat humanitates. Quomodo ergo debet regulare illas vnitates, quas non continet? Præterea tunc nulla eſſet diſtinctio inter aſſumptionem ad plures, quod eſt maximè abſurdum

Exemplum D. Thomæ, quod item adducit Suarez de pluribus ſcientijs in vno homine, quæ non efficiunt plures ſcientes, non eſt aptum, cùm ſcientiæ accidentia ſint homini mediante intellectu in Anima, non ſubſtantiæ, quæ in ſe, ac per ſe exiſtunt, & ſolùm accipiunt ſuſtentationem, & terminationem à ſuppoſito, & habent ſuas integras actiones, & operationes; quemadmodum apparet in natura humana Chriſti Domini aduerſus Monothelitas. Iam verò, quod obijciunt apud Lychetum illi primi expoſitores Scoti, ſequi ex hac poſitione, quòd idem ſuppoſitum diuinum cum includat diuinam, & humanam naturam, quæ ſunt plura entia perfecta, poſſint dici plura entia perfecta, & quòd ſi ponantur duæ formæ ſubſtantiales in vna materia, poſſet concedi quod ipſa materia ſint plures ſubſtantiæ, nihil obſtat. Nã in primo exemplo eſt ſumma diuerſitas, cùm perſona Verbi ſit intrinſeca naturæ diuinæ, & propria illius, non ſit autem propria, & naturalis, nec intrinſeca humanitatis, vt cũ ea æqualiter vniatur, atque adeò longe ſit diuerſa ratio ac in noſtro caſu, vbi omnes illę ſubſiſtentiæ eſſent alienæ, ac extrinſecę dantes ſolum terminationem, & ſuſtentationem. Et quamuis Lychetus admittat ſuppoſitum Diuinum eſſe plura entia perfecta, ego certè non admiſerim: tantùm dixerim. In Chriſto ſunt plures naturæ, & plura entia perfecta, & ipſum eſſe compoſitum ex duabus naturis in vno ſuppoſito. Similiter in ſecundo exemplo plurium formarum in vna materia diuerſa ratio eſt, quia materia eſt pars eſſentialis compoſiti, & ex æquo componit cum forma intrinſecè, & eſt pars intrinſeca illius compoſiti, in quo intimè includitur: at verò ſuppoſitum

tan

tantùm ſuſtentat, & terminat extrinſecus, nec efficit compoſitionem eſſentialem, per modum actus, & potentię, ac proinde minime concludit. Nec Lycheti liberalitas hac in re mihi arridet; non improbo tamen illius reſponſionem, ſed non probo neceſſitatem, qua putat teneri ſe concedere illas duas illationes, quas Auctores primæ expoſitionis, ſiue imaginationis aduerſus Scoti doctrinam fecerunt. Nunc venio ad reſponſionem Caietani, qua diluere conatur argumentum Scoti contra D. Thomam; nimirum ſequi vnam naturam diuinam in pluribus ſuppoſitis eſſe plures Deos. Negat ſequelam Scoti Caietanus, & cum eo Suarez d. 3. ſec. 2. ex eo quod non conuertitur: ad multiplicationem concretorum requiritur multitudo ſuppoſitorum, & ſufficit multitudo ſuppoſitorum ad multiplicationem concretorum. Verum quidem eſſe, aiunt, non poſſe multiplicari homines non multiplicatis perſonis, ſed non eſt verum multiplicari homines ad multiplicationem ſuppoſitorum, ſi vna ſit in eis humana natura. Vnde ad multitudinem compoſitorum ſemper requiritur pluralitas vtriuſque, tum formæ, tum ſuppoſiti: Sola autem multiplicatio ſuppoſiti, ſine multiplicatione naturarum, non facit pluralitatem hominum. Quare, inquit, Suarez, ſi in vna perſona exiſtant duæ humanitates, v.g. Ioannis, & Pauli, non erunt duo homines, ſed vnus, ſicuti hodie in Chriſto ſunt duæ naturæ, & tamen non eſt, niſi vnus homo.. Ita reſpondent Scoto hi duo Doctores iuxta doctrinam Sancti Thomæ in eo art. 7. qu. 3. ad 2. Nos autem ſuſtinendo obiectionem Scoti dicimus D. Thomam ibi abſolutè dixiſſe: *Nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum*. Et idem dixerat in ſolutione ad primum. Quæ verba videntur ſonare totam rationem diſtinctionis prouenire à ſuppoſitis. Etenim quid mirum eſſet ſi ad pluralitatem nominum requireretur pluralitas etiam formarum? Debuiſſet dici. Ad vnitatem ſufficit vnitas ſuppoſiti, & ad pluralitatem non ſufficit pluralitas ſuppoſiti, ſed neceſſaria etiam eſt pluralitas formarum. Vnde Scotus rectè, & acutè obiecit; acceptis verbis D. Thomæ. Vt vt ſit retorqueo reſponſionem Caietani, & Suarij. Si vnitas ſuppoſiti aufert pluralitatem nominum concretorum ex forma quæ præcipuè ſpectatur, & immediatè ſignificatur per nomen, à fortiori, pluralitas ſuppoſiti debet inducere pluralitatem nominum concretorum trahendo ad ſe vnitatem formæ, & diuidendo per rationes diuerſas ſuppoſitorum. Cur enim vnitas ſuppoſiti, tollet multiplicitatem formarum, & pluralitas non auferet vnitatem illarum? Par eſt igitur vis conſequentiæ ad vtranque partem. Quare dicendũ; ſi vna Perſona aſſumeret tres naturas eſſent tres homines, iuxta numerum, & pluralitatem naturarum, accepta concretione ab vna perſona ſufficienter illas ſuſtentante, ac terminante. Nam ſi ea in ſuſtẽtando, facit id quod facerent tres numero diſtinctæ perſonæ, cur non efficiet earum pluralitatem? Idque viderat Sanctus Thomas in 3. d. 1. q. 2. a. 5. ad 2. *Quamuis Ieſus, & Petrus eſſent vnum ſuppoſitum, tamen propter diuerſitatem naturarum dicerentur duo homines, ſed diuerſitas naturarum non impediret, quin de ſe inuicem prædicarentur*. Neſcio quomodo hic locus fugit Caietanum; fortè illum ſciens, & prudens omiſit, ne Magiſtri antilogiam, quòd non

Digitized by Google

curauit Suarius aperiret.

IVDICIVM.

QVod attinet primam Controuerſiam de aſſumptione vnius naturæ à pluribus perſonis, veriſimilior apparet Scoti negantis ſententia, propter illum, quod videtur irrefragabile fundamentum, petitum ex incompoſſibilitate entitatum adæquatè vnam rem afficientium, quæ ſe ita excludunt, vt ſimul non poſſint conſiſtere. In quo ſoluendo mirè ſe vexant Thomiſtæ cum Caietano in Comm. & Suario 3. p. diſput. 18. & Vaſquio ibi diſp. 29. c. 4. Quin ipſe Sanctus Thomas in 3. diſ. 1. q. 2. a. 4. in fine corp. probabilem iudicat oppoſitam ſuæ, quæ poſtea fuit Scoti ſententiam. Ait quippè. *Quidam verò contrariam opinionem tenent. & ſecundum vtranque poteſt ad obiecta reſponderi*. Quod nos acuratè præſtitimus, tum refellendo rationes, tum exempla refutando ſec. 3. Ea verò, quæ ſunt adducta pro Scoto ſec. 2. tam valida eſſe mõſtrauimus, vt integra prorſus, & inconcuſſa manere videantur.

Quo ad ſecundum de aſſumptione naturæ creatæ ad ſubſiſtentiam, communem abſolutam naturæ diuinæ, vbi non erat diſſidium inter Magiſtros duplicis Scholę, oſtendimus perſpicuitatem, & copiam Scoti in ea enucleanda, & locupletanda, & de mira Scotiſtarum cum Scoto conſenſione commemorauimus, cum Thomiſtarum Principes, minus in ſua Schola conueniant. Suſtulimus autem inuidiam vocabuli ſubſiſtentiæ, quam nonnulli cum Vaſquio auctore conantur obiectis Concilijs, & Patribus, concedendo quidem Cõcilia propter hæreticos, Neſtorium, Eutychetem, Monothelitas, & antiquiorem Sabellium ab eo modo loquendi abſtinuiſſe, non idcircò tamen vetuiſſe, quin liberum, ac licitum eſſet Chriſtianis Scholaſticis, nomen, & rem ſubſiſtentiæ in Scholas inuehere, & ſano ſenſu explicare, vt poſſet quadrare in naturam Diuinam; in quo certè plus vidit Scotus, qui defixo in Auguſtini Sole obtutu introſpexit ſubſiſtentiam abſolutas, prēter relatiuas, verē Aquila, qualem ſemper ſe ſolet, & exhibere, & probare. Locum verò Auguſtini, quem inſinuarat Scotus, totum produximus, vt eius fides appareret. Conſtituta huiuſmodi, quæ ſummam perfectionem continet, ſubſiſtentia, quam proſpicuè ponit Scotus, quæſtionem inde ortam excitauimus, oſtendimuſque, eiuſdem argumentis veriſimile prorſus eſſe poſſe ad ad eam fieri creatæ naturæ aſſumptionem, & obſeruauimus ſufficere ad aſſumptionem illã rationem ſubſiſtendi abſolutam, communemque relatiuis, citra incommunicabilitatem, quæ non eſt neceſſaria præciſè ad ſuſtentationem, vt ita dicam, ſiue terminationẽ, in qua enucleanda veritate, longe expeditiùs, conſtantiùs, & explicatiùs procedit Scotus, nulla prorſus obſcuritate infuſa. Omnes difficultates amputat, & nihil dubium, vel ambiguum relinquit, cùm Doctor Angelicus moram afferat aſſentiendi, obiecta remora ambiguitatis ortæ ex illa diſtinctione compoſitionis, & reſolutionis, quæ mirè vexat Caietanum in Comment. ad a. 3. q. 3. ʃ. *In reſponſione*, & animaduertit Suarez; in ſuo item comment. ad a. 3. q. 4. vbi etiam laborat in exponenda mente Sancti Thomæ, & inquirit, quæ ſit abſtractio, per modum reſolutionis? In Scoto contrà niuenies impeditum, nihil implexum,

quod

Digitized by Google

quod te vel offendat, vel retardet ab aſſenſu doctrinæ adhibendo, vt in hac ſubſiſtentia nemo ſubſiſtat dubitando, ſed vltra currendo progrediatur, vbi tutò conſiſtat.

Alterius quæſtionis exitus facilis eſt apud Scotum, quem videas firmiter aſſerentem tres ab vna perſona poſse aſſumi naturas; eaſque ita aſſumptas fore plures, atque adeò tres homines, impugnata, & quidem iure obiectione in oppoſitum Sancti Thomæ, quem comperimus, aliud in lib. 3. ſent. aliud in 3. p. qu. 3. docuiſſe, quam retractationem Suarez appellauit diſput. 13. ſec. 2. Fortè Doctor Angelicus imitari voluit Sanctum Auguſtinum ſuam reuocando priorem ſententiam, quod aliàs feciſſe meminimus. Hoc tamen nunquam placuit Scoto, qui cum ſit addictiſſimus Auguſtino, nunquam eum in retractationibus imitari voluit: ſui ſemper tenax, & ſequax, quod ſemel aſſeruit nunquam negauit, imitator Verbi Diuini, quòd Verbum id quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit, & hoc ſanè perbellè cadit in materiam Incarnationis, in qua nunc verſamur. Atque, vt obiter emolliamus Suarium. Is diſput. 13. ſect. 2. *§. nihilominus*, negans cum D. Thoma pluralitatem naturarum in vno ſuppoſito, inficiatur Chriſtum Dominum poſſe dici duas ſubſtantias, & affirmat vnam dici oportere, quamuis in eo ſint duæ naturæ ſubſtantiales, quod tamen verum non eſt: nam licet Chriſtum dicere duplicis naturæ, ſiue ſubſtantię, non autem perſonæ. Chriſtus vna perſona, non duplex dici omninò debet aduerſus Neſtorium, nec ſecus, aut ſentire licet, aut loqui. Licet verò dicere, ac ſentire Chriſtum duas eſſe naturas, ſiue ſubſtantias in vna perſona, & ita appellare ſolet Magnus Auguſtinus cum Ambroſio: *Geminæ Gigas ſubſtantiæ*, quod mihi exploratum eſt, & inferiùs ſuo loco dicemus. Scotus ſentit cum Auguſtino, & Gigantæo paſſu graditur, quem nos conamur ſequi, non tamen paſſibus æquis. Tandem obſeruo circa hanc opinionem Suarii negantis duplicem ſubſtantiam in Chriſto, Maſtrium diſp. 1. qu. 3. a. 5. num. 140. affirmare Scotum in 3. d. 6. p. 2. negare *Verbum diuinum poſſe dici plura entia, propter naturam diuinam, & humanam, quæ ſunt plura entia perfecta. Scotus inquit, quòd licet Chriſtus duas naturas habeat ſubſtantiales, & viuentes, & poſſit dici Deus, & homo, adhùc tamen dici debet vna ſubſtantia, & vnum viuens ob vnitatem ſuppoſiti*. Quæ non ſunt in Scoto, nec ille in ea quæſtione, ita loquitur, ſed ſolùm negat Chriſtum eſſe *duo*, pro vt *duo* inuoluit ſuppoſitum. Iſque ſenſus eſt Scoti: legat qui volet, vt excludat pluralitatem perſonarum contra Neſtorium. Nihil autem ponit, quod officiat modo loquendi de pluralitate naturarum, vſque adeò concordat cum dicto Auguſtini, & cum expoſitione Lycheti, quem ſupra adduximus, comment. in hunc locum, à quo diſcordat Maſtrius, quem òpinor non legiſſe Lychetum, vti legit Fabrũ, & Aretinum, imò ne Scotum quidem accuratè legit: hac enim quæſtione nihil dicit continens opinionem Maſtrij. Aliquid habet ſimile in illa d. 6. q. 1. quod poſtea examinabimus. Vt vt ſit nihil contra phraſim Auguſtini celebrem aſſerit Scotus. Illud denique animaduerto: non poſſe propriè dici Chriſtus eſt duplex natura, ſiue duplex ſubſtantia, ſed in Chriſto eſt duplex natura, vel Chriſtus eſt duplicis

Digitized by Google

naturæ, ſiue duplicis ſubſtantiæ, nam illa propoſitio Chriſtus eſt duplex natura ſiue duplex ſubſtantia falſa in recto eſſe videtur, cum prędicata ſint abſtracta, & ſubiectum concretum; nec enim dicimus Petrus eſt humanitas, ſed Petrus eſt homo; & hęc eſt propria Scoti in eo quem citat Magiſtrius loco Doctrina.

COLLATIO

COLLATIO PRIMA

DIFFERENTIA III.

Vtrum Suppoſitum Creatum poſſit ſuſtentare hypoſtaticè aliam naturam creatam?

Ad a.1. ad 2.q.3.in 3.p.Sancti Thomæ, & ad q.4.in 3.ſent.Scoti, num.1.

SECTIO I.

Proponitur ſententia vtriuſque.

TExtus hic eſt Sancti Thomę negantis ſuſtentare poſſe poſſe, qui huiuſmodi eſt, & quidē perſpicuus, quæſt.3.a.1.ad 3. *Hoc autem,* inquit, *proprium eſt Diuinæ perſonæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concurſus naturarum, non quidem accidentaliter, ſed ſecundum ſubſtantiam*, quæ verba continent rationem poſſibilitatis in Deo, & impoſſibilitatis in natura creata, ſcilicet quia terminare alienam naturam eſt proprium infinitæ perſonę. Cum D. Thoma ſentiunt Varro in 3.d.1.q.2. Henricus quodlib. 11.q.10. Durandus in 3.d.1.q.5. Caietanus, & Medina in Comment. Suarez diſp.3.ſect.4. & Vaſquez diſp 25.c.2. & Thomiſtæ communiter; imò ipſemet Scotus D. Thomam de ſententia negante intelligit, cùm eius rationem ab infinitate ſumptam impugnet.

Textus Scoti eſt in illa quæſtione 3.in 3. §.*poteſt dici. Si igitur nulla ratio inueniatur impoſſibilitatis, quare ſuppoſitum creatum non poſſit ſuſtentare naturam ſibi extraneam, Deo tamen efficiente illam dependentiam in natura ſic vnita, & ſuſtentata, & in ſuppoſito alterius naturæ, non videtur ponendum hoc eſſe impoſſibile*. Cùm igitur Scotus citatas rationes impoſſibilitatis ſoluat, & poſſibilitatem huius aſſumptionis oſtendat, ſequitur eum affirmatiuam partem docere.

Verum quidem eſt Scotum partem negatiuam proponere, vti probabilem, & diluere argumenta contrariæ ſentētiæ. Vnde liberum relinquit, vtrum quis velit, eam ſequatur. Itaque Lychetus in fine comment. ſic ait. *Doctor licet ex intentione teneat partem affirmatiuam, videlicet, quòd ſuppoſitum creatum poſſit terminare dependentiam alterius naturæ, tamen ſi pars negatiua teneatur, reſpondet ad argumenta facta pro parte affirmatiua.* Hoc ipſum tradit Scholiaſtes ibi *magis*, inquit, *inclinat in partem affirmatiuam*. Itaque hanc ſequuntur Occamus in 3.q.dub.86. ad

14 Ga-

Digitized by Google

14. Gabriel q. 2. dub. 5. Maior. q. 5. Almainus. q. 2. Rubion. d. 2. q. 2. a. 3. Baſſolis q. 6. Aretinus diſp. 1. q. 3. a. 3. Gauatius opuſc. de ſubſiſ. c. 3. dif. 3. nec multùm repugnat grauis Auctor Valentia to. 4. diſp. 1. pun. 6. Maſtrius territus difficultate argumenti ducti à terminatione per negationes ſi ſuppoſitum per eas conſtituatur, iudicat Scotum non inclinaſſe in affirmatiuam. Itaque cum eo ſentit negatiuam eſſe probabiliorẽ: Ita de Incarn. diſp. 1. q. 3. a. 4. Vbi Gauatium, Lychetum, & Aretinum affirmatiuam partem ſequentes impugnat.

Mihi perſpectum eſt Scotum cùm vtranque partem veriſimilem duxerit, ac neutram excluſerit, prætuliſſe tamẽ affirmantẽ. Idq; colligo primò ex ſolutione impoſſibilitatum, quas cùm ſubtiliter inueſtiget, & dilucidè proponat, fatetur eas nihil vrgere, nec quidquam affirmanti ſententiæ nocere. Deinde fundamenta Varronis, & D. Thomæ quibus negantem ſtatuunt prorſus infringit dicens non concludere ∫. *reſpondeo* n. 2. Tertia ſuas quas indagauit rationes ſingulatim expendit, & reijcit. Primam quòd non ſatis probet: Secundam quod non videtur vera: Tertiam quòd non apparet probabilis; & concludit. *Si igitur nulla inueniatur ratio impoſſibilitatis, non videtur ponendum hoc eſſe impoſſibile abſque omni ratione.*

Sed quod me maximè mouet argumentum ad credendum Scotum affirmatiuam præferre ſententiam, illud eſt, quod tradit quodlib. 19. §. *de ſecundo* num. 11. vbi ait. *Solam diuinam perſonam eſſe per poſitiuum incommunicabilem*, & mox n. 12. ∫. *Præterea. Suppoſitum non videtur eſſe, niſi negatio*; & poſteà loquens de dependentia accidẽtis ad ſubſtantiam: *Ratio*, inquit, *Suppoſiti vltra ſubſtantiam ſingularem, non addit niſi negationem*. Demum quærens, quomodo ſubſtantia terminet dependentiam accidentis per ſuppoſitum, cum iſtud ſit negatio, reſpondet num. 14. ∫. *Et cum*, ad finem, *vltimatè terminare: dicit duo, ſcilicet terminare, & ſic terminare, quod nihil vlterius terminet. Ratio igitur terminandi eſt aliquod poſitiuum, ſed ratio iſtius, quod terminatio ſit vltimata, eſt illa negatio, quia ſcilicet terminans non eſt communicabile*. Quæ doctrina traditur generaliter à Scoto, vt applicanda terminationi accidentis, quemadmodum obſeruat Lychetus, quem hac in parte ſequitur Gauatius, qui immeritò impugnatur à Maſtrio proximè laudato.

Accedit quòd Auctores Scholæ Thomiſticæ, & alij, qui ſequuntur D. Thomam, Scotum pro hac ſententia ſolent afferre: qualis eſt Suarez diſp. 13 ſect. 4. vbi dicit Scotum magis inclinare in hanc partem, & quidem Caietanus, & Thomiſtæ hoc ſibi perſuaſum habent, quòd videant Scotum impugnare fundamentum ſui Doctoris ſumptum ex ratione infinitatis perſonæ diuinæ. Vnde deducit ſolius diuinę perſonæ, non createę id eſſe propriũ. Hactenus de expoſitione, & ſenſu vtriuſque Doctoris.

SECTIO II.

Aſſertur ſententia Thomiſtarum negatiua, & ſuadetur.

OMnium fermè ingenua confeſſio eſt: difficile eſſe inuenire implicationem cõtradictionis. Idque ſubtilis duo Viri ingenij, qui hac in re Thomiſtis adhærere voluerunt, Vaſquius, & Suarius fatentur.

Ar-

Digitized by Google

Argumentantur tamen ſic.

Primò. Terminare eſt perfectio, communicando ſe alteri naturæ, eamque ſuſtentando. Huius non eſt capax natura creata, neque per potentiam diuinam abſolutam: ergo implicat fieri. Maior non eget probatione: Minor oſtenditur, quia ſubſiſtentia creata eſt finita, & limitata, & ſibi proportionata, per iuſtam adæquationem, & complementum, & in re ipſa tota conſumitur, & quodammodo exhauritur. Hoc eſt argumentum Durandi.

Secundò. Solius Diuinæ perſonæ proprium eſt ſuſtentare, ac terminare naturam creatam, ergo nequit hoc ei eſſe commune cum creatura. Antecedens probatur, quia ſuſtentare, ac terminare naturam alienam non eſt virtutis finitæ, cùm ſit communicare eſſe completum, & perfectum per ſe in ſuppoſito. Hoc autem non continetur in virtute creaturæ, ac proinde nequit ab alio, quàm à Creatore præſtari. Ita D. Thomas argumentatur.

Tertiò. Si creatura in genere ſuppoſiti poſſet ſuſtentare, ac complere naturam creatam, id præſtaret per aliquam virtutem eleuantem illam: ſed hæc virtus eſt impoſſibilis, ergo nulla. Maior conſtat: Minor ſuadetur, quia eleuatio eſt tãtùm ad effectus in genere cauſæ, vel materialis, vel formalis, quæ non ſunt capaces eleuationis, nec enim Deus poteſt in eo genere concurrere, nec eleuare, quandoquidem non concurret in genere effectiuo. Hoc argumento vtitur Vaſquez.

Quartò: Perſonalitas cum ſit modus proprius, & intrinſecus, qui afficit intimè naturam, quam modificat, nequit præſtare quidquam extra ſe in alio ſubiecto illud modificando: ſicuti patet in figura, quæ cùm ſit modus quantitatis, nequit niſi, quantitatem propriam, in qua eſt, modificare. Idem dic de Vbi, & Situ, & alijs. Vnde colligitur conſequenter perſonalitatem, cùm ſit modus poſitiuus non poſſe afficere, neque terminare aliam naturam. Sic arguit Suarez diſp. 13. ſec. 4.

Quintò. Si naturæ creatæ non repugnaret ab intrinſeco terminare alienam naturam, ſequeretur poſſe hanc terminare, non vnam tantum naturam, ſed plures atque adeò infinitas, cùm eadem ratio ſit vnius, & plurium. Hoc autem eſt inconueniens minimè admittendum. Hoc inſinuat Caietanus in Commentario, vbi deducit, ex eo quod Verbum diuinum ſubſiſtat in duabus naturis, poſſe in infinitis ſubſiſtere. Nec obijcias: Chriſtum Dominum eſſe infinitæ virtutis: nam virtus infinita, nihil facit ad illam ſuſtentationem, cum terminatio nõ ſit aliquid à cauſa efficiente, per virtutem actiuã, ſed per modum ſuſtentantis, ad quem per accidens ſe habet virtus infinita. Itaque terminata prima natura per vnam ſubſiſtentiam, cęteræ terminationes conſequenter procederent in infinitum.

Sextò. Nõ apparet vllus modus poſſibilis, quo natura creata ſuſtentet, & terminet aliam naturam creatam: Igitur hoc eſt impoſſibile. Antecedens patet à partium enumeratione. Nam ille modus, vel fit per vnionem intrinſecam naturę ad ſuppoſitum alienum, vel per appoſitionem extrinſecam; vel per illapſum ſuppoſiti in natura. Horũ nullus eſt poſſibilis: non primus, quia non eſt vnio realis extremorum, cum ipſum ſuppoſitum non ſit aliquid vnibile naturæ aduenienti: non ſecundus quia illa extrinſeca appoſitio non facit vnum ſuppoſitum per ſe, ſed vnum compoſitum per accidens: non tertius,

quia hic nullus eſt illapſus à natura in naturam, ſed ſuſtentatio, & terminatio: & dato quòd eſſet illapſus, hic eſt proprius ſolius Dei in creaturam: nihil autem aliud ſupereſt. Ergo.

Septimò, & propriè aduerſus Scotum, & Scholam. Suppoſita illius de perſona in negatiuo poſita doctrina. Illæ duæ negationes, nequeunt obire munus ſuſtentationis, nec terminationis naturæ creatæ aduenientis alteri ſubſiſtenti per negationes: Igitur vel neceſſe eſt, vt corruat doctrina de negatiuo, vel cadat ſententia affirmatiua ſuſtentationis à ſuppoſito alieno creato: ac proindè ſolius Diuinæ perſonæ proprium ſit ſuppoſitare naturã creatam. Aſſumptum patet, quia negatio non eſt capax ſuſtentandi, & terminandi, tum quia hic effectus eſt realis, & poſitiuus, quem præſtare non poteſt negatio: tum quia negatio non terminat, neque afficit naturam aduenientem, imò cum ea non poteſt conſiſtere, quod liquet ex eo quod negatio, vtraque, tum actualis, tum aptitudinalis perit in aſſumptione alterius naturæ, & cum ea pugnat. Deniq; nihil eſt ad quòd natura aſſũpta terminetur, niſi nuda negatio, quæ nequit immediatè, nec ſe, nec aliam ſuppoſitare: quo argumento labefactatur tota moles oppoſitæ Scoti affirmatiuæ ſententię, quæ à ſuiſmet principijs euertitur.

Confirmatur ex doctrina ſuperius inſinuata de lib. quodlib. quodlib. 19. vbi Scotus agens de ſuſtentatione accidentis in ſubiecto ſubſtantiali negat fieri poſſe à negatione, & adducit ſuam de ſuppoſito negatiuo opinionem, ac eam videtur oppugnare. Ait quippè Scotus. quodl. 19. §. *Nec tamen*. nu. 14. pag. 503. *Et cum arguitur quòd ratio ſuppoſiti, vltra ſubſtantiam ſingularem non addit, niſi negationem*. En argumentum proximè adductum ſumptũ à negatione, quam dicit ſuppoſitum: Videamus reſponſionem. *Reſpondeo ſi hoc verum ſit, tamen illa negatio prius conuenit ſubſtantiæ ſingulari, quàm terminare dependentiam accidentis: nec eſt inconueniens aliquam negationem imperfectionis prius conuenire alicui quàm aliquod poſterius dependere ad ipſum*. Tum. *Cùm dicitur Negatio non eſt ratio terminandi. Reſpondeo: terminare duo dicit, ſcilicet, terminare, & ſic terminare, quod nihil vlterius terminet. Ratio igitur terminandi eſt aliquod poſitiuum, ſed ratio iſtius, quod terminatio ſit vltimata eſt illa negatio; quia ſcilicet terminans non eſt communicabile*.

Ex quo apparet dari in natura terminante poſitiuam entitatem præter illas negationes, quæ ſit ratio ſuppoſitandi naturam aſſumptam, aliter non poſſet à negationibus ſolis terminari. Vnde Lychetus virtus difficultate eo in loco ad finem commentarij, ſic *Doctor, inquit, dubitatiuè loquitur*, & mox. *Reſpondet, quòd vltimatè terminare dicit duo, &c*. Ratio ergo terminandi abſolutè eſt aliquid poſitiuum, ſcilicet ſubſtantia ſingularis, ſed ratio terminandi ſic, ſcilicet, vt terminatio ſit vltimata, eſt illa negatio. Hoc argumentum validum videtur: propterea quidam Scotiſtæ minus firmi ſunt in illa ſententia de poſitiuo. Vti Lychetus in 2. d. 1. q. 2. & hic. quodl. 19. in comment. ad §. *de ſecundo* nu. 19. ad finem quodlibeti, & contrà alij inclinant in ſententiam negantem poſſibile eſſe naturam creatam aſſumi ab altera natura creata, qualis eſt Maſtrius de Incarn. diſp. 1. q. 3. a. 4.

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

Argumenta quæ probant partem affirmantem Scotiſtarum afferuntur.

QVamuis non alio eſſet opus, argumento, quàm ſolutione obiectorum negando ſequi implicantiam contradictionis, tamen, vt ordinem conſuetum, ſolemnemque in Scholis ſeruemus, operæpretium erit noſtrã ſententiam ſuadere, & rationibus idoneis confirmare.

Prima eſtò. Vbi nulla cernitur contradictio, ibi non eſt Deo neganda potentia, ſed in hac aſſumptione naturæ ad perſonam creatam nulla cernitur contradictio, ergo ea non eſt neganda diuinæ potentiæ. Maior eſt nota. Minor ſuo loco ſolutis obiectionibus patebit. Conſequentia tenet. Verùm ne ſuſpenſa maneat minor, inclino eam momẽto auctoritatis duorum ſummorum hac in re Thomiſtarum externorum Suarij, & Vaſquij, quos video fateri difficultatem in afferenda implicantię ratione, Suarij diſp. 13. ſec. 4. Vaſquii diſp. 25. c. 2. Itaque infirmãt antiquorum, & ſuas introducunt proprias obiectiones, quarum tamen exigua vis eſſe videtur, ac non minori facilitate exploduntur, quàm eæ, quas ipſe ſtudioſè inueſtigaui.

Secunda; poſſibile eſt, imò & de facto creditur fide diuina aſſumptio naturæ humanæ ad perſonam increatã: ergo & erit poſſibilis aſſumptio creatæ naturæ ad creatam perſonam. Conſequentia currit, quia ratio perſonæ in eo genere abſtrahit ab infinitate, & diuinitate, nec in iis fundatur ratio ſuſtentandi, ſed in genere ſubſiſtentiæ, & complementi naturæ, quod inuenitur etiam in perſona creata: Igitur ſicut diuina potuit, ita & creata poterit aſſumere.

Tertia; in perſona creata, & natura aſſumenda ſunt omnia requiſita ad aſſumptionem, igitur hæc eſt concedẽda. Antecedens oſtenditur: nam in perſona creata eſt iuſtum complemẽtum coercens, & ſtringens, terminanſque naturam, valens eam potentem reddere ad aliam aduenientem complendam, & terminandam: ex parte autem naturæ aſſumptæ, eſt aptitudo, & diſpoſitio dimiſſa propria perſonalitate ad aſſumptionem, igitur poteſt fieri aſſumptio.

Quarta ab exemplo. Difficiliùs videtur, quòd accidens cui naturale eſt inhærere ſubiecto, & ab eo ſuſtentari, ſit per ſe independenter à ſubiecto, quam quòd ſubſtantia ab aliena perſona compleatur, ac terminetur: ergo poterit per eam compleri, ec terminari. Aſſumptum patet, quia magis pugnat cum natura accidentis ſubſiſtere per ſe ſine inhærentia, quàm naturæ ſubſtantiali ſubſiſtere in ſuppoſito alieno, cum hæc ſemper retineat propriam ſubſiſtentiam, & ſolum mutet propriam cum aliena; at verò accidens amittit prorsùs inhærentiam connaturalem, & ſibi debitam, & admittit modum & ſtatum omninò contrarium, & repugnantem. Liquet autem fidelibus in Euchariſtia accidentia ſine ſubiecto eſſe, ac per ſe exiſtere, ſiue per ſe ſubſiſtere, quacumque demum id ratione fiat, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè acceptomodo aliquo poſitiuo.

Quinta: omnes difficultates, quę occurrere poſſunt in aſſumptione naturę creatę ad perſonam creatam ſunt ablatæ per myſterium Incarnationis de facto; quod credimus fidei diuina; nõ eſt ergo cur dubitãdũ ſit de aſſumptione creata. Antecedens patet ex

modo illius incarnationis, vbi nihil fuit arduum, nec difficile omnipotentiæ Dei, & quidquid naturalis ratio non attingebat, id omne Deus re præſtitit; nam perſona filij terminauit, & ſuſtentauit, vt ita dicam, naturam humanam, hæc non habuit propriam perſonalitatem, ſed per alienam ſubſtitit, & ſubſiſtit, & in vnam perſonam cum Verbo Diuino tranſijt: quæ ſunt difficultates arduæ, & ſupra humanæ rationis imbecillitatem, & capacitatem: ablatę ſunt tamen per diuinam potentiam. Quid ergo difficultatis remanet in aſſumptione naturæ creatæ ad perſonam creatam, quod non ſit victum in miſterio Incarnationis?

Sexta. Nihil implicat ex parte efficientis, nihil ex parte terminantis, nihil ex parte terminati; ergo eſt poſſibilis hæc aſſumptio. Probo ſingula. Efficiēs eſt Deus, qui eſt omnipotens infinitè, nam creatura ibi nihil agit efficienter. Terminans eſt perſonalitas, quæ non pugnat cum natura aſſumpta denudata propria ſubſiſtentia: terminare autē nihil eſt intrinſecum, & quaſi infuſum, & immiſſum intra naturam, ſed tantum vnitio, & relatio intima quidem, ſed extra naturam, quæ manet in perſona, diſtincta tamen à natura, quæ aſſumitur. Terminata vero, & ſuſtētata nihil amittit de ſua natura ſubſtantiali, quia ſolùm amittit ſubſiſtentiam, quę vel eſt negatio, vel modus poſitiuus amiſſibilis, quem accipit ab alterius creatæ, & completæ naturæ ſuppoſito. Nihil itaque perdit de eo quod eſt ſubſtantia, & in eius ratione includitur. Ita enumerando ſingula, omnia conſtant probata, & explorata, & tota implicantia ablata, vt nemo æquus rerum æſtimator ambigat de aſſenſu: cum omninò comperiat viam ad aſſentiendum apertam, & expeditā.

Septima rurſus ab exemplo: Qui conſideret Sacroſanctum Euchariſtię myſterium, plures, & maiores difficultates inueniet, quàm in propoſito huiuſce aſſumptionis naturæ creatæ ad ſuppoſitum creatum: ſed tamen illud creditur fide diuina; ergo & hoc ſuadetur per rationem probabilem. Aſſumptum facile apparebit conſideranti, & in materia de Euchariſtia tractatur & conferenti ex collatione conſtabit de maioribus difficultatibus; igitur admittet conſequentiam de faciliori poſſibilitate.

SECTIO IV.

Reſpondetur argumentis Thomiſtarum.

PRimo Durandi de perfectione, aſſumendo, & ſuppoſitādo alienam naturam, cuius illa ſit incapax, negatur minor, quia illa perfectio nihil ponit intrinſecum in perſona aſſumente, cum aſſumptio ſit ſolùm terminatio, & completio naturæ aſſumptæ, non per receptionem, vel illapſum aliquem in aſſumentem factum à Deo, neque per influxum, immiſſionemue alicuius virtutis in aſſumptam, ſed tantùm per exhibitionem quandam ſuę perſonalitatis ad ſuſtentandam alteram naturam, terminando, & complendo eam, atque adeo extrinſecus ſe habendo, in quo non eſt perfectio intrinſeca perſonæ exerentis virtutem inlrinſecam, ſed terminatio, & ſuſtentatio naturæ aſſumptæ per vnitionem, ſiue relationem, quæ non prouenit ex intrinſeca mutatione ſubſtantiæ, ſed ex coniunctione vnius cum alia, ideſt perſonæ cum natura.

Secundū ſoluitur dicendo aſſumi in ar-

argumento quod erat probandum, videlicet proprium ſolùm eſſe perſonæ diuinæ aſſumere naturam creatam: nec enim concedendum eſt cùm ratio infinitatis ſe habeat in aſſumptione per accidens, quæ quòd eſt immediatè, & adæquatè ad perſonam extra infinitatem manet. Quid enim confert ad terminandum ratio infinitatis? Hac igitur præciſa fit aſſumptio ad perſonam, quatenus perſona eſt. Quinimo retorquetur argumentum ex Scoto in aduerſarios hoc modo. Perſona diuina non eſt formaliter infinita, nec infinitè perfecta etiam apud Thomiſtas. Præterea vrgeo affirmantes. Si perſona diuina ſuppoſitat, vt eſt infinita communicabit infinitatem hanc naturæ quam aſſumit, quæ ex eo euadet etiam infinita; quod eſt falſum. Itaque hoc argumentum, quo vtitur Sanctus Thomas nō arridet pluribus eiuſdem ſententiæ ſectatoribus, inter quos ſunt Vaſquez, & Suarez.

Tertij ſolutio eſt: hic non requiri virtutem eleuantem ad quem concurrat actiuè creatura, ſed ſolus Deus efficiens aſſumptionem habentibus ſe paſſiuè natura, & perſona. Perſona quippe ſolùm præſtat terminationem, & completionem formaliter, non autem efficienter. Natura etiam ſumitur, & vnitur, & ſuſtentatur, & completur nihil agendo, vti patet: quare argumentum nihil euincit.

Quartum diluitur dicendo ſupponere quod non eſt, nimirum ibi fieri aliquam communicationem modalem per intrinſecum illapſum in naturam aſſumptam à perſonalitate aſſumentis, quod nec verum eſt, nec in ſententia Scoti conceditur talis modus, cùm negationibus res tota conficiatur; deinde exemplum figurę eſt abſurdum, quia figura eſt quid reſultans ex partibus quantitatis, neque eſt capax terminandi alias res per vnitionem, qualis eſt modus perſonę ſubſtantialis, & indifferens ad terminandam, & complendā naturam alienam, non afficiendo illam per modum accidentis, ſicuti figura & vbi, & ſitus, qui aliter ſe habent cum ſint modi accidentales, qualis non eſt perſonalitas: atque ita corruit argumentum cum ſuis exemplis, etiam in cōtraria, quam nos minime ſequimur, ſententia de poſitiuo.

Quinto ſumpto ex Caietano non deſunt qui reſpondeant ex ipſiſmet Thomiſtis, teſte Vaſquio d.25. cap. 2. concedendo poſſe vnam perſonam infinitas terminare naturas, cùm ea non ſit perfectio. Verùm melius, & facilius reſpondetur negando id ſequi propter limitationem rei creatę. Et quia non ſequitur ex eo quod terminare poſſit vnam poſſe terminare infinitas, quia à minori ad maius non valet argumentatio. Concedendum eſt tamen quantum ſpectat ad terminationem non eſſe repugnantiam vllam intrinſecam ad infinitatem terminationum, cum ex eo non arguatur perfectio infinita. Ad inſtantiam de perſona Chriſti infinita; iam ſatis diximus: non terminare perſonam Verbi prout eſt infinita, ſiue ſit, ſiue non ſit perfectio, ſed quatenus eſt perſona in tali ratione conſtituta.

Sexto reſpondemus ex doctrina noſtrę tertię, & ſextæ rationis, vbi dilucidè expoſuimus modum, quo perſona creata aſſumat naturam creatam, ſine vlla implicatione, imo & ſine magna difficultate, quemadmodum expendendo ſingula demonſtrauimus.

In ſeptimo plus eſt immorandum; cùm hoc videatur difficilius in ſententia Scoti de negatiuo conſtitutiuo ſuppoſiti per duas negationes: & quidem

eo

Digitized by Google

eo deterreri ſolent nonnulli ad recedẽdum ab iſta denegatiuo, & ad aliam partẽ de poſitiuo confugiendũ ſẽtentia. Igitur reſpondeo clarè, ac perſpicuè nihil obſtare negationes illas duas ſuppoſitales ad aſſumptionẽ. Ac primùm ſuppono contra id quod aliqui arguendo aſſumunt aliquam earum deperdi, ſiue detrahi perſonæ aſſumenti: vtraq; enim manet vti erat in aſſumente, imo repugnat amitti, nam ea remanet in ſuo eſſe perſona, & ad eam aſſumit naturam ſuppoſitandam, quam non poſſet ſuppoſitare, ſi careret ſuppoſito. Nunc videamus quomodo terminent illæ negationes propriæ perſonæ aſſumentis naturam venientem ad ſuppoſitum? Dico terminari ad ſuppoſitum à parte rei; vti eſt complctum per eas duas negationes, quæ formaliter conſtituunt ſuppoſitum in eſſe negatiuo; ſicuti ſub ijs negationibus independẽter ab alio ſuppoſito ſubſiſtit; nam ſic eſt natura independens, & incommunicabilis alteri, atque adeò vna, & in ſe exiſtens, & ſubſiſtens complete, ac perfectè ſine indigentia alterius, per quod fiat independens, & incommunicabilis. Neque dicas hanc naturam aſſumentem communicari tunc alteri, nam hæc communicatio eſt ex abundantia, non ex indigentia propriæ ſubſiſtentiæ, qua gaudet, & fruitur, adeo vt virtute ſuæ propriȩ ſubſtantiæ poſſit terminare alteram ſibi aduenientẽ nudatam ſubſiſtentia. Itaque remanet cum ſua ſuppoſitalitate propria, & ſub ea terminat alienam naturam. Non ſunt ergo negationes ſolæ, quaſi in abſtracto, quæ terminant venientem naturam, ſed in concreto, prout reddunt completam, & terminatam in ſe, & ſubſiſtentem ad ſe, & per ſe perſonatã naturam; nec enim perſona ſolùm dicit ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtentem naturam. Ad hanc igitur aſſumitur natura aliena nuda, vt ſubſiſtat per alterius ſubſiſtentiam. Currit ergo ſine vlla offenſione, vel difficultate hic modus dicendi: nihilque in oppoſitum afferri poteſt, quod ſit vllius momenti. Imò in alia de poſitiuo ſententia eſt par difficultas: quoniam dato ſubſiſtentiam eſse modum poſitiuum naturȩ, nequit ad ſolum modũ fieri terminatio, quia cùm nõ habeat entitatem ſeparabilem à natura, quam modificat, neceſsario debet terminare in natura, & cum natura. Et declaratur in ſentẽtia Thomiſtarum de aſsumptione naturæ humanȩ de facto ad perſonã Filij, cuius terminum nolunt eſse relationem perſonæ filij, ſed ſimul cum abſoluto, ita ut abſolutũ ſit de ratione termini in Verbo diuino. Vt vt ſit illud: ſiue natura ipſa diuina cum Durãdo, ſiue exiſtẽtia cum Capreolo, ſiue ſubſiſtẽtia abſoluta communis tribus perſonis cum Victoria, & Soto, ſiue ratio perſonalis, vt eſt quid abſolutum in ratione *in* cum Caietano, ſicuti dicemus Collatione ſequenti, ita in noſtro caſu aſsumptio naturæ creatæ ad ſuppoſitum creatũ terminabitur ad naturã affectam duabus negationibus, ac vti eſt ſub illis arcta, & coercita, & in ſe collecta, & ſubſiſtens, non vt terminetur ad ſolas negationes, quæ non ſunt capaces terminationis illius ſolitariè ſumptæ, ſed ad naturam ſub illis, prout eſt completa, & terminata per illas. Hac ratione ſoluitur argumẽtum, & tollitur difficultas. Longior fui in hac reſponſione, quia hic eſt Achilles aduerſariorum, & terror noſtrorum. Deſinant ergo & aduerſarij terrere, & noſtri timere. In tuto eſt Scoti de negatiuo ſententia, & cum ea ratio aſſumptionis naturæ creatæ ad ſuppoſitum alienum rectè conſiſtit.

IVDI-

IVDICIVM.

APparet in hac quæſtione ingenium Scoti ſubtile cum maturo iudicio coniunctum. Vidit quippe omnes, quæ in vtranuis partem occurrere poterant rationes, & plurima de nouo excogitauit, eaſque grauiter, & ſeriò expendit; & inter ſe commiſit, & contulit, & poſtquam contuliſſet, vtraſque probabiles, atque adeò ambas ſententias veriſimiles iudicauit. Inclinauit tamen magis in affirmantē, quòd non apparebat implicatio, quæ ſola diuinæ potentiæ obſtare poterat ne fieret propter impoſſibilitatem. Cęterùm in difficultate proponenda in afferendis argumentis, & ſoluendis accuratiſſimè ſe geſſit; vt quòd S. Thomas curſim attigit, ille ſtudiosè, ac prolixè tractarit: & quidquid Thomiſtæ Doctori ſuo addiderunt ipſe Scotus occuparit; adeo vt vix vllum ij momentum adiecerint pro Thomiſtica opinione negante, quod à Scoto non ſit præuiſum, & indicatum. Quidquid autem Scotiſtæ ſubtiliter ſe excogitaſſe putarunt, id ego omne in Scoti tractatione inuenio. Nihil enim in eius ratiocinatione deſideratur; imò potius omnia ab alijs adducta enucleatiùs & diſtinctius à Scoto explicantur. Nec minus ſe animoſum prębuit in luctando cum difficultate componendi poſſibilitatem aſſumptionis cum ſua dilecta de ſubſiſtētia in negatiuo doctrina, inueniendo modos conciliandi aſſumptionem ad illud ſuppoſitum creatum per duas negationes conſtitutum: vt qui illud impugnare Thomiſta velit, neceſſe ſit eum à ſua Schola recedere, quæ terminū aſſumptionis naturæ creatæ ad perſonam increatam nō ponit in relatiuo præcisè, ſed in abſoluto non ſub relatiuo: quemadmodū Scotus ponit in negatiuo ſimul cum poſitiuo naturæ. Quare nihil eſt timendum ab ijs, qui ita nos impugnant vt ſuiſmet ipſorum armis oppugnentur. Non improbat tamen Scotus negantem ſententiam: ſinit eam ſua veriſimilitudine frui: tantùm rationē D. Thomæ ſumptā ex infinitate perſonæ reijcit, & alias ſubſtituit quibus fulciat ruituram ſententiam, quæ ſi ea ſolum ratione nititur facile collabetur. Quid enim, quæſo, confert infinitas perſonæ ad ſuppoſitandam naturam? cùm pręſertim etiam in Schola D. Thomæ ratio formalis perſonæ præſcindat ab infinitate, & perfectione. Suſtinet igitur Scotus alijs fundamentis eam ſentententiam, ne cadat, nouis indagatis ingenio felici rationibus; quamquam eam non amplectatur, ſed affirmatiuā: nec enim is eſt Scotus, qui ſuſpenſus hærere velit, & velut auribus lupum tenere, cùm volare ſolitus ſit, & Aquilam agere, nec litare Triuiæ in Triuio, ſed Solem in Cęlo irretorta oculorum acie intueri. Illud eſt palmare, quòd ſuas ita negationes ſtabiliat, vt non minus in ijs ponderis, & momenti ponat, quàm Thomiſtæ in ſuis terminis poſitiuis. Adeo ingenioſus eſt Scotus, vt quod Thomiſtæ fundamentum in poſitiuis quærunt, illud Scotus in negationibus inueſtiget, & reperiat.

COLLATIO

Digitized by Google

COLLATIO PRIMA

DIFFERENTIA IV.

Circa rationem formalem terminandi vnionem hypoſtaticam. An ſit proprietas relatiua, vel non? Sed aliquid abſolutum?

SECTIO I.

Quid ſentiant D. Thomas, & Scotus.

Conueniunt hic de re D. Thomas, & Scotus; videlicet rationem terminandi eſſe perſonam in ratione perſonę. Ita D. Thomas 3. p. q. 2. a. 2. ſub Titulo. *Vtrum vnio Verbi incarnati ſit facta in perſona?* Et hic q. 3. a. 2. ſub alio Tit. *Vtrum diuinæ naturæ conueniat aſſumere?* Vbi ſic in Corp. *Eſſe*, inquit, *terminum aſſumptionis non conuenit naturæ diuinæ, ſecundum ſe ipsā; ſed ratione perſonæ, in qua conſideratur, & ideo primo quidem, & propriiſſimè perſona dicitur aſſumere. Secundario autem poteſt dici, quod etiam natura aſſumpſit naturam ad ſui perſonam.* Iterum ad ſecundum *Aſſumere conuenit ei*, id eſt, naturę, *ratione perſonæ Verbi ſicut dictum eſt; & ideò ſoli illi perſonæ conuenit.* Art. item 4. eiuſdem q. ad 2. *Dicendum, quod natura dicitur incarnata, ſicut & aſſumens ratione perſonæ, ad quam terminata eſt vnio, non autem pro vt eſt communis tribus perſonis.* Eandem Doctrinam tradiderat Doctor Angelicus in 3. d. 1. q. 2. in corp. vbi dixit, *Solùm in perſona.* Tandem hoc ipſum docet manifeſtè, 3. p. q. 2. a. 2. & alibi.

Scotus perſpicuè in 3. d. 1. q. 5. §. *in iſta quæſtione*: n. 4. ſic. *Dico ergo quòd eſſentia non eſt formalis ratio terminā di iſtam vnionem, ſed proprietas perſonalis, quod probo ſic: In quocunque ſuppoſito eſt ratio formalis terminādi iſtam vnionem ipſum terminat eam: Pater, in quo eſt eſſentia diuina, non terminat eam: igitur, &c. Probatio maioris: ſuppoſitum non terminat niſi quia habet rationem formalem terminandi. Sicut non creat, niſi quia conuenit ei formaliter ratio creandi, & propter hoc in quocunque eſt ratio formalis creandi proximè creat, vnde neceſſe eſt tres perſonas ſimul creare.*

Verùm enim verò diſcrepātes Thomiſtarum ſententiæ fecerunt, vt minus eſſet certa, & indubitata ſui Doctoris ſententia. Nam in diuerſa abierunt. Propterea, quod eſt, capitale in hac cauſa, rationes Sancti Thomę non

non videntur doctrinam ab eo traditam ſtabilire, imo eam reducere ad contrariam de termino abſoluto. Vti videbimus inter diſputandum.

Primùm Durandus dicit in 3. diſt. 5. q. 1. Naturam humanam primò terminari ad naturam diuinam, & ei vniri, ac deinde perſonæ, quia ratione illius conuenit naturæ diuinę vnire ſibi humanam, & eam terminare, ratione cuius humana natura pendet ab ipſa: primò autem pendet natura humana à perſona diuina ratione naturæ diuinæ, non ratione proprietatis relatiuæ. Itaque illa vnio fiet primario in communi diuina ſubſiſtentia, quamuis ſecundariò non fiat in omnibus perſonis.

Capreolus in 3. d. 1. qu. vnica art. 3. Admiſſa ſubſiſtentia illa communi ait. Primariam vnionem naturæ humanę cum diuina fieri ratione perſonæ: ſecundariam vero fieri cum ſubſiſtentia communi, quæ non poſſet fieri niſi ratione primariæ ad perſonam, ac Durãdum reprehēdit quòd modum terminandi inuertit: quem modum dicendi videntur approbare Franciſcus Victoria, & Dominicus Soto ambo inſignes Thomiſtæ.

Caietanus verò in Commētarijs ad a. 2. q. 3. Docet rationē formalem terminandi eſſe perſonam, non vti eſt relatio, ſed vti perſona ſubſiſtens, quod eſt quid abſolutum *In*: non autem relatiuum *Ad:* & admittit rationem ſubſiſtentię diuerſam quidem à relatione, quæ non eſt, nec dicitur ad ſe. Addit deinde non eſſe hanc ſubſiſtentiam perſonalem illam communem abſolutam eſſentialem naturę ſubſiſtentiam, ſed ab ea in perſonam relatiuam promanare, in qua radicaliter continetur, & hanc proprietatem eſſe relatiuæ perſonæ per modum *In*, hoc eſt in ſe ſubſiſtens, non autem *Ad*, in ordine ad aliud, quod eſt relatio. Itaque excludit à ratione ſubſiſtentiæ relationem, admittit proprietatem.

Ex alia parte Sanctus Thomas, quãuis ponat terminum formalem in perſona, non videtur tamen afferre modū relatiuo congruentem, ac proinde redit ad placitum Caietani de termino abſoluto. Si enim recolamus quæ dixit q. 2. art. 2. & q. 3. art. 1. ad 2. & art. 7. in corpore de perfectione, & infinitate diuinæ perſonæ, apparet eum referre terminum formalem ad id, quod eſt perfectum, & infinitum; eiuſmodi autem non eſt perſona in Schola D. Thomæ. Igitur ſentit D. Thomas eſſe quid abſolutum, non autem notionale, ac relatiuum. Et quidem Scotus hoc in loco 3. ſent. dum impugnat Varronem afferentem pro ratione formali terminandi continentiam perfectionis ſuppoſiti creati, eumque ob id cogens ad dicendum conſequēter fore eſſentiam rationem terminandi, contra Diuum Thomam pariter procedit, ſicuti apparet in Scoto d. 1. q. 1. *§. de ſecundo* nu. 4. vbi ad marginem citatur Varro, & S. Thomas. Propterea difficultas eſt de mente Angelici Doctoris, & ſententia Thomiſtarum: quod etiam video animaduerſum à Suarez, & Vaſquez inferiùs allegandis.

SECTIO II.

Oppugnatur ſententia Sancti Thomæ accepta in ſenſu horum Thomiſtarum.

QVòd attinet ad modum, quem tenet Durandus facilè euertitur; ſed quòd hic defecit ab Schola, & à Caietano, Capreolo, & alijs tum antiquioribus, tum recentio-

Digitized by Google

tribus acriter impugnatur, non eſt cur hic operam ponamus, & perdamus.

Capreolus eodem penè reuoluitur cum Victoria, & Soto, quia inuoluunt eſſentiam in termino aſſumptionis. Contra hos militat hæc ratio. Si eſſentia includitur in hoc termino formali, omnes perſonæ concurrũt formaliter in ratione terminandi, cùm ea ſit communis tribus perſonis, & in tribus vna vna, & eadem, vnde fiet vt natura humana ſubſiſtat in Patre, & Spiritu Sancto, quemadmodum in Filio; quæ ratio prorſus conuincit, cùm præſertim hi Thomiſtæ ſint auctores ſubſiſtentiæ communis abſolutæ, quæ eſt ratio ſubſiſtendi huic perſonę, & illi, atque adeo Patri, & Spiritui Sancto, quibus cùm ea communicetur, communicatur etiam formalis ratio terminandi.

Cautiùs, & ſubtiliùs ſe geſſit Caietanus. Hic quamquam admittat cum alijs eam communem abſolũtam ſubſiſtentiam, illam tamen excludit à termino formali aſſumptionis naturæ, & recurrit ad perſonam, in qua cõſtituit rationem formalem terminandi, ſed quia vidit relationẽ alienam eſſe à terminanda hypoſtaticè natura, diſtinxit ſubtiliter in eadem perſona duas rationes, vnam perſonalitatis, ſiue ſubſiſtẽtiæ, quæ ſit ratio ad ſe, non ad aliud, alteram relationis ad aliud, non ad ſe. Hanc igitur negat eſſe terminum formalem terminandi, alteram affirmat. Multus eſt, & prolixus in hac doctrina exponenda in Comment. in 3. p. qu. 3. art. 1 vbi adducit obiectiones Scoti, eaſque ſoluere conatur, & rurſum magis propriè, & explicitè art. 2. vbi Durandi opinationem refutat.

Aduerſus eum ſic arguo. Illa ratio perſonę, prout à relatione diſtinguitur, eſt magis vniuerſalis, quàm relatio, & in ſententia Caietani non diſtinguitur ab ea formaliter. At aſſumptio eſt quid factum in re, & à parte rei, vbi non eſt locus præciſionis, nec abſtractionis, igitur non potuit immediatè, nec formaliter terminare naturam, priuſquã relatio; quæ eſt propria, & proxima in reſpectu naturæ aſſumendę; nam quod eſt magis remotum à prędicato communi eſt propinquius aduenienti naturæ; vnde hęc aſſumitur immediatè ad immediatum, quod eam adueniẽtem à parte rei terminat realiter, vti eſt in re ſingulare, non commune. Occurret tamen Caietanus propriorem quidem eſſe rationem relatiuam, & propriè ſingularem eius perſonę, verùm, quia non eſt proportionata ad hypoſtaſim, idcirco non poſſe habere rationem termini formalis terminandi. Contrà: quia illa ipſa relatio eſt quid ſubſtantiale, ac reale, & includitur in ratione perſonę, & conſtituit talem perſonam, ideſt perſonam Filij formaliter, igitur neceſſe eſt, vt terminet ſub ea ratione relatiua, & notionali, ne ſit communis cum alijs perſonis ratio terminandi, qualis eſt ratio perſonalis *In*, quę conuenit Patri, & Spiritui Sancto, ad quos aſſumptio minimè terminatur. Nec quicquam proficit obtendere rationem *In*, vt eſt diſtincta à ratione *Ad* ne ſit relatio pura: nam illa ratio *In*, ita diſtincta pertinet ad communem conceptum perſonarum, quòd ſit conceptus non relatiuus, qui ſolus eſt notionalis, & proprius quarto modo, excludens alias perſonas. Vnde ſi ad rationem illam *In* precisè terminatur aſſumptio, ad aliquid commune omnibus terminatur. Confirmatur ex eo quod in diuinis, & eccleſiaſticis literis ſolus Filius dicitur Incarnatus, & perſona Verbi ſemper exprimitur, vt in illa venerabili Ioannis ſententia *Verbũ Caro factum eſt*, quę perſonam Filij pro-

propriè, ac genuinè deſignat in ratione notionalis proprietatis, per quam genitus, & Filius ſignificatur, & Patri opponitur relatiuè, ac directo. Quod autem Caietanus dicit eam vocem *In*, indicare ſubſiſtens, non verò, *Ad*, ac proinde ad illud ſubſiſtens terminum immediatum, & formale fieri oportere, ineptum videtur, & abſurdum, quia ſapit illam ſuam ſubſiſtentiam abſolutam, quam ponit in eſſentia, per quam dicitur *Hic Deus*. Vnde ſequitur omnes perſonas in ea conuenire, cum de omnibus dicatur, *Hic Deus*, atq; adeò ſit terminus communis, & abſolutus. Quoquo ſit modo, illa ratio *In*, in opinione Caietani ſecernitur, & diſtinguitur à ratione relatiua, & ad hoc ipſum inducitur. Manet igitur abſoluta, & communis, & facit terminationem communem omnibus perſonis, non propriam, & notionalem vnius: Qua ratione penitus refellitur Caietanus.

SECTIO III.

Eadem ſententia redarguitur in ſenſu Sancti Thomæ.

ETſi Doctoris Angelici ſenſus mitior ſit, & ſuauior, & accedat magis ad proprietatem relatiuam, tamen, vt animaduertit Scotus, non euitat inconueniens. Etenim fundat terminationem in infinitate, & perfectione perſonę, quæ continet eminentialiter omnem perfectionem creatã. Hęc ratio fauet abſoluto, non relatiuo: cuius conceptus abſtrahit ab infinitate, ac perfectione, præſertim apud ſerios, & ſeueros Thomiſtas, qui negant proprietates relatiuas dicere perfectionem, quemadmodum nos in 1. ſent. lib. oſtendimus adducto magno numero Thomiſtarum, Doctorem Angelicum ſic interpretantium, & ſequentium. Conſequens igitur eſt, vt hac poſita recepta doctrina ratio terminandi aſſumptionem ſit abſoluta, ſicuti aduerſus Caietanum euicimus. Et quidem efficaciter, quia illa infinitas, & perfectio in perſona non eſt in relatione, ſed ratione abſoluta, eòque communis eſt omnibus perſonis, ergo & ratio terminandi erit eiſdem communis, non vnius tantùm perſonæ propria & ſingularis, & æquè quadrabit in perſonam Patris, & Spiritus Sancti, qui in hoc conceptu communi infinitatis & perfectionis conueniunt cũ Verbo, & trahunt ad ſe aſſumptionem naturæ. Hoc cùm acutè vidiſſet Scotus refutauit ſenſum Doctoris Angelici, & Varronis, & ſtatuit rationem formalem aſſumendi, & terminandi eſſe relationem. Qua in re diligenter obſeruandum Scotum aliàs probabilẽ iudicaſſe ſententiam de ratione perſonæ in diuinis per quiddam abſolutum conſtituta, eamque à contrarijs argumentis defendiſſe, & ibi multam mentionem de iſto abſoluto feciſſe, vti nos accuratè mõſtrauimus in primo tomo Collationum: non quòd eam ſententiã probauerit, ſed quòd non reprobauerit, & vtcunq; tolerauerit. At vero hic in 3. qu. 5. totus eſt in relationibus adſtruendis nulla facta mentione abſoluti, quòd vidit in hac via non poſſe rectè incedi ad terminum proprium aſſumtionis. Exprimit initio quæſtionis proprietatem relatiuam: eandem mox repetit n. 1 & ∬. *contra* n. 2. *Proprietas relatiua*, rurſum nu. 4. ait. *Pro parte iſta, quòd relationes conſtituunt perſonas*. Præterea ibidem ∬. *in iſta quæſtione* ad finem ponit hanc clauſulam. *Minor negatur ſecundum communem opinionẽ tenendo perſonas eſſe relatiuas*. Timuit nempe Scotus ne admiſſa ratione abſoluta

Digitized by Google

ſtita perſonæ confunderet terminum aſſumptionis, & confundendo euerteret. Non ergo toleranda eſt vlla ratio infinitatis, ſiue perfectionis, quæ aliena ſit à relatione, & trãſeat in abſolutum: ne ad eam contingat fieri terminationem naturæ aſſumptæ. Neque hoc latuit vigilantiſſimum interpretem Lychetum, qui in calce commentarij. *Hic*, inquit, *tenet Scotus quod proprietas relatiua ſit formalis ratio terminandi tenendò communem opinionem*.

Iuuat hic confirmare hanc doctrinam Scoti ſic à me explanatam contra ſenſum commemoratum auctoritate inſignis noſtrę ætatis Theologi, quem ego puer in Societate Ieſu Conimbricę noui, & colui, Franciſci Suarij hoc loco 3.p.q.3.d.12.ſect.2. prope finem. *Scotus* inquit, *q. 1. & 4. propter argumentum concedit perſonalitatem diuinam, quam putat ſecundum propriam rationem nullam dicere perfectionem, non continere eminenter perſonalitatem creatam: repugnat enim hic modus continendi ſine aliqua perfectione. Vnde ad argumentum negat hoc eſſe neceſſarium, vt vna perſonalitas ſuppleat perſonam alterius. Quã ſententiam impugnat Caietanus hic art. 1. Sed cùm ipſe cum Scoto ſentiat relationem vt ſic nullam dicere perfectionem vix poteſt vitare, quin uel relatio habeat vim terminandi formaliter à perfectione abſoluta, quam habet ratione eſſentiæ, quod videtur incidere in opinionem* Durandi, *vel certè quin relatio terminet prout nullam perfectionem dicit, quod Scotus intendit*.

SECTIO IV.

Conſtare terminũ formalem aſſumptionis eſſe proprietatem Verbi relatiuam.

EXcluſis omnibus, quæ interuenire poſſint per rationes hactenus adductas abſolutis, quod ſint communia, ſupereſt aſſerere ſolam relationem, ſiue proprietatem relatiuam eſſe rationem formalem terminatiuam aſſumptionis. Hæc eſt ſententia communis Alexandri 3.p.q.4.n.1. Bonauenturæ in 3.d.1.art.1.q.2.& d.5.art.1.q.1. Gabr. d.1.q.vn.art.1. Richard.a.1.q.1. Palud. d.1.q.2.art.3.& 4. Occam.q.1.art.3. Almain.d.1.q.1.art.3. Medin. in 3.p.q.3.a. 1. Caiet. & aliorum Thomiſtarum ibi. Sequuntur Suarez; 1.tom.in 3.p. diſp. 12.ſect.2. Vaſquez diſp.26.c.3. Lorca diſp.16. Orland. tract.1.d.4.ſect.2. Veniamus ad noſtros cũ Scoto hic d. 1. q. 5. quemadmodũ initio diximus. Ac illud in Scoto eſt maximè obſeruandũ, quòd cùm admittat ſubſiſtẽtiam illam abſolutam in Deo nullam illius rationem habet ad eiuſmodi aſſumptionẽ, nec vllius alterius abſoluti. Scoto adhęrent interpretes Lychetus, Tartaretus, Mayronus in 3.d.2.q.12. Rada controuerſia 1.a.3. Aretinus diſt.1.q.5. art.2. Delgadillo c.1.diffic.7.dub.2. Merin.& Caſtil. quos citat, & ſequitur Felix c.5. diffic.4. Maſtrius item, & Pontius.

Patet hæc veritas primò ex Symbolis fidei Chriſtianæ. Nam in omnibus ita deſcribitur Incarnatio perſonæ Filij, vt exprimantur proprietates illius characteriſticæ, idest Verbi, vt eſt talis perſona in indiuiduo. Sic in Symbolo Apoſtolorum dicitur: *& in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, qui conceptus eſt*. Ecce proprietas relatiua filij expreſſa in ordine ad Patrem. Quid hoc eſt niſi relatio? Rurſum ſymbolum Concilij Niceni, & Conſtantinopolitani: *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei Vnigenitum. Et ex Patre natum*. Mox *Genitum, non factum, per quem omnia facta ſunt*; tum *Qui propter nos homines. & Filius vnigenitus ex Patre*

Patre natus, genitus, per quem omnia facta ſunt. Hoc eſt *Verbum*, quæ omnia ſunt notionalia. Tandem Symbolum Athanaſij: *Incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat*; &: *Dominus Ieſus Chriſtus Dei filius Deus & homo eſt*, & iterum *Æqualis Patri ſecundum diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*. Nihil non eſt proprium, & ſingulare Verbi, & Filij ſub ratione relatiua. Ita loquuntur Concilia. Duo ſunt inter cætera præclara teſtimonia. Alterum Concilij Toletani 6. quod huiuſmodi eſt. *Et cum tota Trinitas cooperata ſit formationem ſuſcepti hominis, quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolus tamen Filius in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id eſt in eo quod proprium eſt Filij, non quod commune eſt Trinitati.* Videtur dictare nobis Concilium doctrinam hactenus traditam, nec in vnitate naturæ, nec in eo quod eſt commune Trinitati fundari aſſumptionem, vt excluderet naturam diuinam, vt eſt vna in ſe, & ad ſe per vnam abſolutam ſubſiſtentiam, & vti eſt vna in perſonis, ſiue in eo quod communicant perſonæ, qualis eſt ratio perſonalis, prout eſt conceptus *In*, ſcilicet, in quo omnes tres perſonæ conueniunt, vt nihil ſit formalis termini aſſumptionis præter puram, putamque relationem. Alterum teſtimonium eſt Concilij Toletani 11. vbi ſunt hæc verba. *Solus tamen Filius formam ſerui accepit in ſingularitate perſonæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id quod proprium eſt Filio, non quod commune eſt Trinitati.* Equidē non potuit manifeſtiùs, nec expreſſiùs dicere relationem ſecundæ perſonæ. Hoc etiam ſignificauit ſexta Synodus act. 8. Cum enim dixiſſet. *Solum Verbum eſſe Incarnatum*, addidit: *Quia Pater, & Spiritus Sanctus nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam voluntatem*, quod ſpectat ad cauſam antecedētem Decreti de incarnatione operanda, quod eſt commune omnium perſonarum, vti & effectio Incarnationis, nō autem ad terminum aſſumptionis, eo ſenſu quo dicitur in cap. *Firmiter* de ſum. Trin. *Filius à tota Trinitate communiter Incarnatus*, exponit Gloſſa ibi, *quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis*, de Conſecratione d. 3. c. vlt. Expriimente iſto capite *Firmiter* ſenſum Concilij, dicendo: *Vnigenitus Dei filius Ieſus Chriſtus propter terminum aſſumptionis formalem, qualis erat genitus ſecundum relatiuam proprietatem.* Quod egregiè omnino exponit Epiſtola poſita in fine Actionis 10. ſexta Synodi. Eundem terminum aſſignāt Patres Damaſcenus lib. 3. de Fid. cap. 6. Anſelmus de Incarn. Verbi c. 4. Auguſtinus cùm aliàs, tum ſermone de tempore, *Suſcepit*, inquit *Filius carnem in proprietate*: & rurſus: *In carne ſola Filij proprietas*. Tertium *Impleuit quidem carnem Chriſti & Pater, & Spiritus Sanctus, ſed maieſtate, non ſuſceptione.* Probat hanc doctrinam tum attribuēdo Filio terminū aſſumptionis carnis, tum remouendo ab ea Patrē, & Spiritū Sanctum, & diſtinguendo operationē in faciendo myſterio, quæ communis erat tribus perſonis à ſuſceptione humanitatis, quæ erat ſolius Filij propria, & genuina. Alio in loco Auguſtinus, ideſt oratione ad Catechumenos *Verbum*, inquit, *procedens de corde Patris ſuſcepit carnem, vt eſſet homo de vtero matris*, & infra: *Filius Dei de corde Patris: hominis Filius ex vtero Matris*. Libro autem de Catechizandis rudibus c. 19. *Ipſe Vnigenitus Dei Filius Verbum Patris, per quod facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt*, quæ

verba continent, ac proferunt characteriſticas proprietates. Mitto alia in ſermonibus ad Catechumenos, & in lib. de ſymbolo ad eoſdem. Nec opus eſt longiori diſcurſu. Summa ſit: terminum Incarnationis formalem ex parte aſſumentis perſonæ eſſe præciſo omni conceptu abſoluto proprietatem notionalem relatiuam perſonæ Filij, per quam is conſtituitur in ordine ad Patrem, ſibi correſpondentem in relatione, non autem in ratione perſonæ, prout diſtinguitur quo vis modo à relatione: quia hæc ratio perſonalitatis per ſe ſumpta continet quiddam abſolutum ſiue ſapiens abſolutum, atq; adeo commune, non proprium, & ſingulare, quæ eſt propria ratio terminandi iuxta germanam Scoti doctrinam.

IVDICIVM.

SI conferantur hæ duæ ſummorũ in Theologia Principum ſententiæ in ſuis fontibus natę, ac purę, vna fortaſſe, & eadem mens eſt amborum: videlicet relatiuam proprietatem perſonæ Filij eſſe formalem rationem terminandi. Verum turbatis fontibus à Thomiſtis inuecta communi ſubſiſtentia, & ratione *In* perſonali diſtincta à conceptu *Ad* proprio, & genuino relationis, & in varia aquarum diuortia deflexis, non conſtat de mente, ac ſenſu Doctoris Angelici, quem interpretes dubium, & ambiguum reddiderunt. Scotiſtæ aliter, ac meliùs. Seruarunt purum, & illibatum Scoti fontem, & hauſerunt ex eo germanam doctrinam de proprietate relatiua perſonæ, & à communi eam diſcreuerunt, vt genuinum terminum retinerent. Putauit Caietanus ſubtilis, & acutus interpres magnum ſe aliquid feciſſe diſtinguendo in perſona duas rationes *In*, & *Ad*, & attribuendo primæ formalem terminationem: ſed ſuametipſe ſubtilitate nocuit: nam dum diuiſit in duas rationes perſonam, confudit quod diuiſerat cum communi ratione perſonæ diuinæ, & ſecreta relatione reiecit proprietatem, & in terminum abſolutum incurrit; quod prorſus eſt ab aſſumptionis termino alienum, quòd ſit commune tribus perſonis conuenientibus in ea præciſa ratione *In*, quam tanto ſtudio excogitauit Caietanus. Scotus tamen eo acutior, & cautior, cùm admiſiſſet primum ſubſiſtentiam eſſentialem in natura diuina redegit eam ad abſolutum, nec cum perſona commune quicquam ad terminandum habere voluit. Deinde comperta ratione quadam Ioannis de Ripa in perſonis abſoluta, tametſi non improbabilem exiſtimaſſet, eam tamen prorſus à termino formali aſſumptionis exclusit, quòd communis eſſet omnibus perſonis, retenta ſola proprietate relatiua. Vt multò ſubtilius ſe gesſerit Caietano, qui diſcernendo communicauit quod diſcreuerat cum abſoluto. Scotus vero hoc ipſum quod abſolutum nouerat prorſus à ratione perſonæ diſcreuit. Similis mihi videtur Caietanus Protogeni pictori ſecanti ſubtiliter lineam Apellis, Scotus Apelli lineam ſubtilem Protogenis ſubtiliùs interſecanti, & ſubtilitates diuidenti, ac monſtranti nullum eſſe arti vlteriorem locum. Itaque in linea rem acu tetigit. Quare duo illa ſumma ingenia Suarez, & Vaſquez Scoto adhæſerunt, & Scotiſtæ hac in re eſſe maluerunt. Sentit igitur ſubtiliter Scotus, & cum Conciliis, Patribuſque concordat con-

Digitized by Google

conſtituentibus formalem aſſumptionis terminum in relatiua proprietate, & ſecundum quam filius ad Patrem reſpicit, & à Patre, reciproco veluti intuitu, reſpicitur, nulla interpoſita communi, & abſoluta ratione.

COLLATIO SECVNDA

DIFFERENTIA I.

Circa vnionem Hypoſtaticam, vti eſt formalis ratio vniendi naturam, & perſonam.

SECTIO I.

Animaduertuntur quædam, & mens Doctorum inquiritur, & aſſertur.

OPortet primùm enucleare, ac perſpicuè præmonere nonnulla, eaque expedire, quæ reddunt ſtatum quæſtionis difficilem, ac obſcurum. Expendi debent quinque hic concurrentia. Natura humana, quæ aſſumitur. Perſona Filij, ad quam aſſumitur. Actio, ſiue aſſumptio, qua fit vnio; & vnitio dici poteſt. Terminus iſtius vnionis formalis, & immediatus, qui eſt vnio naturæ in facto eſſe cum perſona. Effectus reſultans ex iſta vnione. Quoad primum de natura, quæ eſt velut terminus à quo, patet eam eſſe hanc humanitatem, non ſuppoſitatam, nec perſonatam propria perſonalitate, ſiue ſubſiſtentia, ſed vti natura eſt humana, non ſubſiſtens in ſe, ſed perſonanda ſuppoſito Verbi Diuini. Quoad ſecundum iam diximus, perſonam Verbi eſſe inſtar termini formalis, ad quem fit aſſumptio, ſiuè vnitio. Quo ad tertium actio, ſiue affectio iſtius vnionis in facto eſſe eſt actio à tota Trinitate profecta, cùm ſit in genere cauſæ efficientis. Quo ad quartum eſt vnio in facto eſſe, ac permanenter, quæ mediat inter duas naturas diuinam, & humanam, eaſque nectit, & copulat inter ſe hypoſtaticè: eſtque quaſi nexus, & vinculum ambarum. Quo ad quintum eſt effectus reſultans ex iſta vnione inter naturas, compoſitum ex duabus naturis, & vna perſona, ideſt Deus homo. Prætermiſſis tribus primis, quorum eſt facilis explicatio, & quinto in ſuum locum reſeruato, mihi vendico quartum, de quo diſputatio multiplex, & acris eſt in Scholis, & implexa quæſtio, & explicatio difficilis videtur.

Mens, & ſenſus Scoti apparet, tum quòd ipſe perſpicuè, & promptè expe-

dit

Digitized by Google

dit quęſtionem: tum quòd Schola eum tota eodem modo interpretatur, & ad illius ſe iudicium vnanimi conſenſu accommodat. Textus hic eſt in 3.d.1. q.1.§.*de primo*, n.3. *Dico*, inquit, *quòd iſta vnio non dicit per ſe aliquid abſolutum, quia quocunque abſoluto intellecto in altero extremo non intelligitur perfecta ratio vnionis, quia vnio non intelligitur ad ſe: ſiue igitur concomitetur abſolutum in vno extremo, ſiue in duobus, cum non ſit nihil, ſaltem dicit vnio relationem, non autem communem, quæ ſit eiuſdem rationis in vtroque extremo: qualis eſt ſimilitudo, quia non eſt habitudo eiuſdem rationis in natura aſſumpta, & perſona aſſumente. Perſona autem aſſumpta nullam habet relationem realem ad naturã creatam ex diſt.30. 1. lib.* Ita Scotus enucleatè, ac præclarè ſuam ſententiam expoſuit.

Sanctus Thomas idem videtur ſentire, ac docere 3.p.q.2.art.8. vbi ſic in corpore. *Dicendum quòd ſicut dictum eſt art.7. importat relationem quandam diuinæ naturę, & humanæ ſecundum quod conueniunt in vna perſona. Omnis autem relatio quæ incipit eſſe ex tempore ex aliqua mutatione cauſatur: mutatio autem conſiſtit in actione, & paſſione.* Et iterum. *Vnio importat ipsã relationem: aſſumptio autem actionem.* Rurſum. *Aſſumptio dicitur ſicut in fieri, vnio autem ſicut in facto eſſe.* Præterea in ea quæſtione ſecunda art. 7. dixerat ante corpus: *Omne quod incipit eſſe ex tempore eſt creatum:* & mox in corpore. *Omnis relatio, quæ conſideratur inter Deum, & creaturam realiter quidem eſt in creatura (per cuius mutationem talis relatio innaſcitur) nõ eſt autem realiter in Deo, ſed ſecundum rationem tantùm.* Dilucidè S. Thomas mentem ſuam declarat Scoto conformem.

Redeamus ad iſtum. *Eſt*, inquit loco citato, §.*de primo*, n.3. *iſta vnio relatio diſquiparantiæ realis in vno extremo: cui in altero nulla relatio correſpondet, vel ſaltem nulla realis: & ita relatio iſta eſt ordinis in vno extremo relato: non eſt autem ordinis cauſati ad cauſam, quia illa eſt communis ad totam Trinitatem. Neque cauſati poſterioris ad cauſatum prius, quia Verbum nõ eſt aliquid cauſatum. Eſt igitur relatio ordinis, ſiue dependentiæ alterius rationis ab omni dependentia, & ordine cauſati ad cauſam, & cauſati poſterioris ad cauſatum prius, quia illa eſt vniuerſaliter ratione naturæ in vtroque extremo.* Prolato autem exemplo accidentis ſine imperfectione tamen potentialitatis, & receptionis in ſubiecto ſic ait. *Huic ſimillima eſt iſta habitudo, quæ eſt dependentia naturæ humanæ ad perſonam diuinam, quæ eſt extra omnem dependentiam cauſati ad cauſam. Hæc etiam non habet pro termino naturam, ſed perſonam in quantum perſona; ita quod entitas naturæ eſt alterius rationis ab entitate propria perſonæ vt perſona, ita dependentia ad tale ens, & tale eſt alterius, & alterius rationis.*

Reuertamur ad Sanctum Thomã art.8.q.2. in vltima parte corpor. *Ex eadem etiam ſequitur tertia differentia, quòd relatio præcipuè æquiparantiæ non magis ſe habet ad vnum extremum, quã ad aliud: actio autem, & paſſio diuerſimodè ſe habent ad agens, & patiens, & ad diuerſos terminos. Et ideo aſſumptio determinat terminum à quo & ad quem: dicitur enim aſſumptio, quaſi ab alio ad ſe ſumptio. Vnio autem nihil horum determinat, vnde indifferenter dicitur quod humana natura eſt vnita diuinæ, & è conuerſo.*

Nihil hic eſt in ſe oppoſitum, quamuis ſint aliqua verbis diuerſa. Senſus

rectè

rectè idem videtur, & ambo ſtatuunt vnionem eſſe relationem realem ex parte naturæ aſſumptæ, videlicet diſquiparantiæ. Verum vt animaduertit Caietanus in tertio dubio hoc intelligendum eſt, quoad denominationem, nō quoad entitatem, cùm relatio vnionis in humanitate ſit realis: in Verbo autem ſit rationis: quòd etiam obſeruat Suarez. d. 7. ſect. 2. ſ. *tertia differentia*, quod omnino eſt quod dixit Scotus. Vnde Caietanus allegatus in Cōmentariis ait: *Secundum eſſe reale non eſt relatio æquiparantiæ*. Hoc etiam vidit Lychetus, vt parem pari referam interpretem, hoc in loco d. 1. q. 1. vbi ſic *Dicitur diſquiparantiæ quãtum ad hoc, quod non eſt realis in vtroque extremo: ſed non dicitur diſquiparantiæ quantũ ad ſimile nomen, quia dicimus vnitum vnito vnitum, ſicut ſimile ſimili ſimile*. Manent igitur duo principes Magiſtri & verbis, & ſenſibus conformes.

SECTIO II.

Terminum formalem aſſumptionis eſſe quid abſolutum ſentiunt Thomiſtæ cum Caietano.

DIſtraxerunt Scholas Thomiſtæ, ac inter ſe diſcrepantes ſua diſſenſione principes illarum fecerunt, cùm conſentire videbantur. Itaque ſtatuerunt terminum actionis, qui eſt aſſumptio naturæ humanæ ad Verbum, hoc eſt ipſiuſmet Incarnationis eſſe, non vnionem illam immediatam, quam relationem dicũt ambo doctores, ſed quiddam abſolutum ab ipſa omninò diuerſum. Audiamus Caietanum in Commentarijs ad 5. dubium. Propoſuerat antea §. *ratio vero dubij* ſententiam Scoti, ſcilicet *terminari ad relationem vnionis*: cui reſpondens in propria opinione ſ. *ad quintum*. *Dicitur*, inquit, *quòd aſſumptio habet pro termino ſuo propriſſimè loquendo ens abſolutum, ſuper quod fundetur relatio vnionis*. Quale verò ſit hoc abſolutum exponit Caietanus *Filium Dei eſſe hominem: quia hoc fit per aſſumptionem: acquiſiuit enim Dei filius eſſe hominem per aſſumptionem, quod eſt eſſe in genere ſubſtantiæ, & non in genere relationis, aut cuiuſuis reſpectus*. Vt diſſentiat à Scoto Caietanus à recto tramite deuiat. Non enim attigit immediatum, & proprium terminum formalem, & quò illius acquiſitionis Filij Dei, vt eſſet homo. Quæritur quid ſit illud, per quod illa acquiſitio facta fuit, an per vnionem, an per modum, an per relationem, an per aliquid aliud? Nam illa conſtitutio ex perſona filij, & natura humana fieri non potuit ſine aliquo medio coniungente vtranque inter ſe: quod perinde eſt ac quærere, quod nam ſit illud medium, quo nexæ ſunt perſona, & natura, quæ anteà non erant vnitæ, & modo vnitæ ſunt. Itaque Caietanus fugiẽs relationem vnionis deuiauit à ſcopo quęſtionis. Non enim agimus de reſultante per illam vnionem, quando ponitur, ſed de eo per quod fit vnitio duorum extremorum tam inter ſe diſtantium, qualia ſunt natura humana, & perſona diuina: quæ nihil abſolutum in ſe acceperunt: cùm perſona nihil acceperit, nec vllam mutationem intrinſecam ſubierit. Natura vero eſſe acceperit in Verbo, hoc eſt, ſubſiſtere in perſona illius, non tamen quicquam ſubſtantiale abſolutum accepit præter vnionem hypoſtaticam, quæ quidem eſt relatio, cùm ſit ad aliud, & cum alio. Neceſſe igitur eſt ſtatuere aliquod medium, per quod fiat aſſumptio ad hypoſtaſim Verbi, quod tum Diuus

dit queſtionem: tum quòd Schola eum tota eodem modo interpretatur, & ad illius ſe iudicium vnanimi conſenſu accommodat. Textus hic eſt in 3.d.1. q.1.§.*de primo*, n.3. *Dico*, inquit, *quòd iſta vnio non dicit per ſe aliquid abſolutum, quia quocunque abſoluto intellecto in altero extremo non intelligitur perfecta ratio vnionis, quia vnio non intelligitur ad ſe: ſiue igitur concomitetur abſolutum in vno extremo, ſiue in duobus, cum non ſit nihil, ſaltem dicit vnio relationem, non autem communem, quæ ſit eiuſdem rationis in vtroque extremo: qualis eſt ſimilitudo, quia non eſt habitudo eiuſdem rationis in natura aſſumpta, & perſona aſſumente. Perſona autem aſſumpta nullam habet relationem realem ad naturã creatam ex diſt.* 30. 1. *lib.* Ita Scotus enucleatè, ac præclarè ſuam ſententiam expoſuit.

Sanctus Thomas idem videtur ſentire, ac docere 3.p.q.2.art.8. vbi ſic in corpore. *Dicendum quòd ſicut dictum eſt art.7. importat relationem quandam diuinæ naturę, & humanæ ſecundum quod conueniunt in vna perſona. Omnis autem relatio quæ incipit eſſe ex tempore ex aliqua mutatione cauſatur: mutatio autem conſiſtit in actione, & paſſione.* Et iterum. *Vnio importat ipsã relationem: aſſumptio autem actionem.* Rurſum. *Aſſumptio dicitur ſicut in fieri, vnio autem ſicut in facto eſſe.* Præterea in ea quæſtione ſecunda art. 7. dixerat ante corpus: *Omne quod incipit eſſe ex tempore eſt creatum:* & mox in corpore. *Omnis relatio, quæ conſideratur inter Deum, & creaturam realiter quidem eſt in creatura (per cuius mutationem talis relatio innaſcitur) nõ eſt autem realiter in Deo, ſed ſecundum rationem tantùm.* Dilucidè S. Thomas mentem ſuam declarat Scoto conformem.

Redeamus ad iſtum. *Eſt*, inquit loco citato, §.*de primo*, n.3. *iſta vnio relatio diſquiparantiæ realis in vno extremo: cui in altero nulla relatio correſpondet, vel ſaltem nulla realis: & ita relatio iſta eſt ordinis in vno extremo relato: non eſt autem ordinis cauſati ad cauſam, quia illa eſt communis ad totam Trinitatem. Neque cauſati poſterioris ad cauſatum prius, quia Verbum nõ eſt aliquid cauſatum. Eſt igitur relatio ordinis, ſiue dependentiæ alterius rationis ab omni dependentia, & ordine cauſati ad cauſam, & cauſati poſterioris ad cauſatum prius, quia illa eſt vniuerſaliter ratione naturæ in vtroque extremo.* Prolato autem exemplo accidentis ſine imperfectione tamen potentialitatis, & receptionis in ſubiecto ſic ait. *Huic ſimillima eſt iſta habitudo, quæ eſt dependentia naturæ humanæ ad perſonam diuinam, quæ eſt extra omnem dependentiam cauſati ad cauſam. Hæc etiam non habet pro termino naturam, ſed perſonam in quantum perſona; ita quod entitas naturæ eſt alterius rationis ab entitate propria perſonæ vt perſona, ita dependentia ad tale ens, & tale eſt alterius, & alterius rationis.*

Reuertamur ad Sanctum Thomã art.8.q.2. in vltima parte corpor. *Ex eadem etiam ſequitur tertia differentia, quòd relatio præcipuè æquiparantiæ non magis ſe habet ad vnum extremum, quã ad aliud: actio autem, & paſſio diuerſimodè ſe habent ad agens, & patiens, & ad diuerſos terminos. Et ideo aſſumptio determinat terminum à quo & ad quem: dicitur enim aſſumptio, quaſi ab alio ad ſe ſumptio. Vnio autem nihil horum determinat, vnde indifferenter dicitur quod humana natura eſt vnita diuinæ, & è conuerſo.*

Nihil hic eſt in ſe oppoſitum, quamuis ſint aliqua verbis diuerſa. Senſus recte

rectè idem videtur, & ambo ſtatuunt vnionem eſſe relationem realem ex parte naturæ aſſumptæ, videlicet diſquiparantiæ. Verum vt animaduertit Caietanus in tertio dubio hoc intelligendum eſt, quoad denominationem, nō quoad entitatem, cùm relatio vnionis in humanitate ſit realis: in Verbo autem ſit rationis: quòd etiam obſeruat Suarez. d. 7. ſect. 2. ℱ. *tertia differentia*, quod omnino eſt quod dixit Scotus. Vnde Caietanus allegatus in Cōmentariis ait: *Secundum eſſe reale non eſt relatio æquiparantiæ*. Hoc etiam vidit Lychetus, vt parem pari referam interpretem, hoc in loco d. 1. q. 1. vbi ſic *Dicitur diſquiparantiæ quātum ad hoc, quod non eſt realis in vtroque extremo: ſed non dicitur diſquiparantiæ quantū ad ſimile nomen, quia dicimus vnitum vnito vnitum, ſicut ſimile ſimili ſimile*. Manent igitur duo principes Magiſtri & verbis, & ſenſibus conformes.

SECTIO II.

Terminum formalem aſſumptionis eſſe quid abſolutum ſentiunt Thomiſtæ cum Caietano.

DIſtraxerunt Scholas Thomiſtæ, ac inter ſe diſcrepantes ſua diſſenſione principes illarum fecerunt, cùm conſentire videbantur. Itaque ſtatuerunt terminum actionis, qui eſt aſſumptio naturæ humanæ ad Verbum, hoc eſt ipſiuſmet Incarnationis eſſe, non vnionem illam immediatam, quam relationem dicūt ambo doctores, ſed quiddam abſolutum ab ipſa omninò diuerſum. Audiamus Caietanum in Commentarijs ad 5. dubium. Propoſuerat antea §. *ratio vero dubij* ſententiam Scoti, ſcilicet *terminari ad relationem vnionis*: cui reſpondens in propria opinione ℱ. *ad quintum*. *Dicitur*, inquit, *quòd aſſumptio habet pro termino ſuo proprijſſimè loquendo ens abſolutum, ſuper quod fundetur relatio vnionis*. Quale verò ſit hoc abſolutum exponit Caietanus *Filium Dei eſſe hominem: quia hoc fit per aſſumptionem: acquiſiuit enim Dei filius eſſe hominem per aſſumptionem, quod eſt eſſe in genere ſubſtantiæ, & non in genere relationis, aut cuiuſuis reſpectus*. Vt diſſentiat à Scoto Caietanus à recto tramite deuiat. Non enim attigit immediatum, & proprium terminum formalem, & quò illius acquiſitionis Filij Dei, vt eſſet homo. Quæritur quid ſit illud, per quod illa acquiſitio facta fuit, an per vnionem, an per modum, an per relationem, an per aliquid aliud? Nam illa conſtitutio ex persona filij, & natura humana fieri non potuit ſine aliquo medio coniungente vtranque inter ſe: quod perinde eſt ac quærere, quod nam ſit illud medium, quo nexæ ſunt perſona, & natura, quæ anteà non erant vnitæ, & modo vnitæ ſunt. Itaque Caietanus fugiēs relationem vnionis deuiauit à ſcopo quæſtionis. Non enim agimus de reſultante per illam vnionem, quando ponitur, ſed de eo per quod fit vnitio duorum extremorum tam inter ſe diſtantium, qualia ſunt natura humana, & perſona diuina: quæ nihil abſolutum in ſe acceperunt: cùm perſona nihil acceperit, nec vllam mutationem intrinſecam ſubierit. Natura vero eſſe acceperit in Verbo, hoc eſt, ſubſiſtere in perſona illius, non tamen quicquam ſubſtantiale abſolutum accepit præter vnionem hypoſtaticam, quæ quidem eſt relatio, cùm ſit ad aliud, & cum alio. Neceſſe igitur eſt ſtatuere aliquod medium, per quod fiat aſſumptio ad hypoſtaſim Verbi, quod tum Diuus

Digitized by Google

Thomas, tum Scotus relationem ſiue æquiparantiæ, ſiue diſquiparantiæ dixerunt. Equidem video Caietanum non agnouiſſe aliam relationem, præter accidentalem, & prædicamentalẽ, quæ conſurgat ex ſuppoſito illo conſtituto abſoluto poſt aſſumptionem, & citat pro ſe Sanctum Thomam in 3.d.2.q.3. cùm citare non poſſet, nec auderet in hoc loco 3.p.art.7. & 8. vbi eum vocat vnionem, & relationem. Certè Diuus Thomas in primo loco producto à Caietano *§. ad tertiam quæſtionem* ita ſenſit, ſed mutauit, vti ſolet, ſententiam in Partibus, quemadmodum vidimus in textu, & meritò. Aſſignari quippe debet medium formale, quo fiat illa conſtitutio ex natura, & perſona filij, quod coniunctum anteà non erat, imò erat Filius Dei ſeparatus à natura humana, & ſolitarius ea nondum exiſtente, & tum per illam vnitionem, ſiue aſſumptionem in eodem puncto exiſtente, & vnita ad hypoſtaſim Verbi. Quare Caietanus improbatur non ſolum à Scotiſtis noſtris, ſed etiam ab alijs, qui Thomiſtis adhærere ſolent: qualis eſt Vaſquez d. 18.c.4.& Suarez d.7.ſect.5.& d.8.ſect. 2. Iure optimo hanc ſententiam deſerunt Thomiſtæ, quia hoc abſolutum Caietani eſt impoſſibile. Quid enim quæſo eſt hic terminus ita expoſitus ab ipſo: *Illud abſolutum eſt non perſona filii Dei ſola, non hæc natura humana ſola, ſed filium Dei eſſe hominem?* Hic eſt finis, & effectus incarnationis, quemadmodum quis cùm gignit filiũ in humanis generat vt ſit homo filius ſuus, ſed aliud eſt, quod generatur, & aliud per quod generatur, & ad quod terminatur iſta generatio antecedens illud eſſe Filij. Opus eſt vt nobis declaret Caietanus, per quid Filius Dei habeat eſſe hominem. Hoc enim antecedit ipſum eſſe coniunctum. Nil ſanè dabit: nec ex parte perſonæ, quæ aſſumit, nec ex parte naturæ, quæ aſſumitur in eſſe naturæ abſoluto, & vnitur. At iſta vnio eſt quid relatiuum, non abſolutum, niſi dicat cum Gregorio in 1.d.18.q.2.reſponſ.ad 17.&18. argumenta. Fieri hoc compoſitum Dei hominis eſſe huiuſmodi terminũ, quod item placuit Beccano in 3. d.1.q. 1.art.1. & videtur arriſiſſe Aureolo apud Capreolum in 3. d.1. qu. 1.art.2. Verùm iſta ſententia cõmuniter reiicitur teſtibus Rada Controuerſ.3.art.6. & Vaſquez.d.18. c.1. & Suarez diſp.8. ſect.2. hoc argumento. Fieri huius cõpoſiti naturæ, & perſonæ in genere ſuppoſiti eſt aliquid quod antea non erat, ergo præceſſit mutatio: ſi mutatio: ergo in extremis, quæ ſunt perſona, & natura: in perſona non fit mutatio: in natura etiam per abſolutum intrinſecum nihil mutatum eſt, ſed ipſa natura ſolùm fuit aſſumpta, & vnita ad perſonam Verbi: ergo ſola reperitur vnio de nouo adueniens qualem volumus; vnde proueniat illa mutatio in rebus anteà ſeparatis. Quòd ſi recurrat Caietanus ad aliquam mutationem diſpoſitionum requiſitam in natura ad vnionem: hoc duplici nomine falſum eſt: tum quia diſpoſitio eſt aliquid accidentale: tum quia natura non diſponitur, imo perdit propriam ſubſiſtentiam, atque adeo nihil habet abſolutum diſpoſitiuum. Vnde ruit tota machina huius abſoluti à Caietano tantis molibus fabricata.

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

Vnionem ipſam naturæ humanæ ad ſuppoſitum diuinum eſſe immediatam & formalem rationem illius ineffabilis compoſiti, quam relationis Scotus appellauit.

ILlud eſſe Dei, & hominis reſultans ex coniunctione naturæ humanæ cum ſuppoſito Verbi eſt finis,& effectus aſſumptionis per mediam vnionem relatiuam,ſiue relationem vnitiuam naturæ ad perſonam Filij,quę de nouo extitit in rerum natura . Itaque nihil abſolutum interceſſit præter illam vnionem,ſiue relationem,quæ eſt nexus vtriuſque naturæ & perſonæ. Hæc eſt genuina Scoti ſententia in 3.d. 1.qu. 1. Lycheti, Tatareti, & eorum quos ſupra adduximus, & cæterorum Scotiſtarum . Ex aliis ita ſentit Occam in 1.d.30.qu.4.art.3.'q.1. mutata in melius ſententia teſte Gabriele in 1. d.3.q. 4. Durandus d.5.q.1.& meo iudicio ipſemet Sanctus Thomas 3.p.q. 2.art.7. 8.& qu.16.art.1.ad quartum, vbi dicit *vnionem hanc importare relationem*, & ibidem art.6.ad ſecundum ait, *eſſe hominem conuenire Deo ratione vnionis, quæ eſt relatio quædam* derelicta ſentētia prius tradita lib. 3. ſent.quemadmodum ſupra notauimus . Sequitur item Scotum Vaſquez , diſp.18.c.3.& 4.& ex parte Suarez d.8.ſect.2.ne omninò cum Vaſquio conueniret.

Hæc doctrina Scoti eſt veriſſima, nec vlla poteſt alia inueniri , vel manifeſtior, vel facilior. Nihilominus eam obſcuram,& difficilem conatur reddere Caietanus cum alijs Thomiſtis propter nomen relationis , quaſi relatio ſolummodò ſit accidentalis, & prædicamentalis adueniens rei iam conſtitutæ, ac ex ea reſultans, non verò ſubſtantialis,& componens conſtitutum, & antecedens aliam accidentalem aduenientem,& prædicamentalem relationem . Monſtrandum igitur illis eſt dari relationes, quæ ſint modi ſubſtantiales vnientes extrema ſubſtantialia , & conſtituentes compoſita ſubſtantialia, ad quas detur actio,& paſſio . Patet hoc in vnione compoſiti ex materia , & forma ſubſtantiali, quæ eſt modus quidam relatiuus , cùm ſit ad aliud extremum , & tamen eſt nexus vtriuſq; ante omnem aduenictem relationem accidentalem, & prædicamentalem. Exemplo ſit Homo,quod eſt compoſitum ex corpore materiali , & anima immateriali : hoc conſurgit per vnionem animę ad corpus , quę producitur à generante per veram actionem; hęc autem vnio eſt relatio,cùm ſit ad aliud extremum , ad quod natura ſua ordinatur , & terminatur , vt illa mediante fiat compoſitum homo. Quo per eam conſtituto ponitur fundamentum ſimilitudinis iſtius hominis cum alio , quę eſt relatio accidentalis prędicamētalis. Ac ſicut ſe habet corpus ad animam , ita natura ad ſuppoſitum per vnionem hypoſtaticam . Vnitur enim natura humana ad ſuppoſitum diuinū pe relationem vnitiuam formaliter , quę eſt dependentię à ſuppoſito , qualem ponit Scotus in 3. d.1. qu.1. n.4. ac explicat exemplo dependentię, quam habet accidens à ſubiecto ſecundum habitudinem dependentię,non autem ſecundum cauſalitatem materialem , quę eſt informationis , quam excludit Scotus ad exēplū Incarnationis, in qua non eſt cauſalitas vnius ad aliud , ideſt ſuppoſiti ad naturam , quę non cauſatur à perſona diuina per aliquam informationem, ſed tantum eam terminat per ſuſtentationem , & dependentiam.

Digitized by Google

tiam, vnde concludit Scotus *Huic dependentiæ* (videlicet accidentis à ſubiecto ſecundum rationem prioritatis, & ſuſtentationis) *ſimillima eſt iſta habitudo, quæ eſt dependentia naturæ humanæ ad perſonam diuinam, quæ eſt extra omnem dependentiam cauſati ad cauſam*. Animaduerto autem non opus eſſe, vt vnio inſit in vtroque extremo ad faciendam compoſitionem, imo id impoſſibile interdum eſt, ſed ſufficit quod inſit in vno dependentia, & in altero terminetur, quemadmodum apparet in homine; vbi vnio ex parte animæ debet eſſe ſpiritualis, quæ non poteſt recipi, nec in eſſe in corpore, & è contra vnio eſt parte corporis non poteſt ſubiectari, nec ineſſe in anima cùm ſit materialis, & tamen fit compoſitum per ſe in genere naturæ. Ita vnio hypoſtatica ex parte naturę humanę ineſt ei, ac illam intrinſecùs afficit: ex parte tamen Verbi ſolùm terminatur, imo ei ineſſe non poteſt; & tamen fit compoſitum, & totum hypoſtaticum in genere naturæ, & perſonæ. Quid quæſo hic eſt, quod non ſit conforme rationi, & conſonum veritati? aut qua ratione melius potuit iſta vnio conſtitui, & enucleari?

Ne quis vero ambigat de hoc genere relationum ſubſtantialium facit celebris doctrina de relatione creaturæ ad Deum, quæ ſanè eſt eſſentialis dependentiæ à Creatore, & prorſus idẽtificata cum ipſomet eſſe creaturæ dependentis eſſentialiter à Deo. In quo nulla eſt relatio mutua ad creaturam, quę cùm ſola dependeat, ſola refertur, ac per id refertur, per quod dependet; hoc eſt perſemetipſam, & ſubſtantialiter. Quis non videt hanc relationem tranſcendentalem eſſe reſpectum, & tamen eſſe ſubſtantialem, non de genere prædicamentali, accidentalem, & terminare creationem? Ita ergo in Incarnatione vnio illa naturæ humanæ ad ſuppoſitum diuinum eſt relatio ad ipſum ſubſtantialis, & idẽtificata cum ipſamet natura ſuſtentata, & terminata à perſona verbi, à quo hypoſtaticè dependeat ſine correlatione ex parte perſonæ, quæ incapax eſt talis reſpectus ad naturam. Aliud eſt genus illarum relationum accidentalium, quæ adueniunt rebus conſtitutis, eaſque inter ſe referunt, quales ſunt ſimilitudines inter parietes albos, & ſimiles, qui ſunt puri reſpectus, & prorſus accidentales, qui in prædicamento ponuntur, & ſunt extra conſtitutionem compoſiti, vnde poſteriùs reſultant, nec pertinent ad ipſum, ſed illud ſupponunt, & ſequuntur, vt ad alia ſimilia illud referant. Quid? quòd in ipſomet ſubiecto, & compoſito accidentali rem hanc perſpicue oſtendo. Paries albus fit albus ab albedine, ſed mediante modo inhærentiæ, per quem albedo vnitur ſubiecto, & in eo recipitur, & ſuſtentatur, quæ inhærentia eſt modus, & relatio accidentalis, qualis eſt albedo quam afficit, & cui ineſt, per quẽ albedo vnitur ſubiecto; vnde reſultat compoſitum accidentale: eo autem conſtituto, ſcilicet pariete albo, conſurgit ſtatim ad alium parietem album relatio ſimilitudinis accidens parieti albo per aliam vnionem relatiuam inhærẽtiæ conſtituto. En duæ relationes, vna vnionis intra compoſitum ad illius cõſtitutionem requiſita, altera ſimilitudinis ſequens, & exiſtens ex compoſito albo ad alia compoſita alba. Itaque vna relatio poteſt vocari ad intra inter partes compoſiti, altera ad extra ad exteriora compoſita ſimiliter conſtituta.

Oppones tamen iſtam vnionem eſſe quidem modum, ſed non relatiuum;

verùm

verùm abſolutum, & ſubſtantialem modaliter tantum diſtinctum à ſubſtantia naturæ: ergo non eſſe relationem, quemadmodum dicit Scotus. Scio hanc eſſe ſententiam clariſſimi Theologi Franciſci Suarij d.8. ſect. 2. vbi refutata relatione Scoti, & Sectariorum aſſerit *Vnionem illam hypoſtaticam eſſe modum quendam ſubſtantialem humanitatis, quo intelligitur exiſtere in Verbo*. At ille ibidem fatetur eandem eſſe ſuam ſententiam reapſe, ac Scoti, qui alijs verbis vſus eandem tradit: igitur ſola appellatione vocabuli differt ab Scoto. Cur ergo illum impugnat? Cùm præſertim fateatur Durandum, qui Scoto conſenſit nihil à ſe diſcrepare, & trahit ad ſe Sanctum Thomam. Equidem Suarij ſententiam, in re puto eandem eſſe quæ Scoti: præterea exiſtimo multò meliùs Scotum, quam Suarium eſſe locutum. Hoc verò ita demonſtro contra eundem Suarium. Ille modus, quem ponit ſubſtantialis non eſt quid abſolutum, ergo eſt relatio. Probo antecedens, quia ille modus eſt vnio; vnio autem non eſt ad ſe, ſed ad alium, ergo relatiuum, non abſolutum. Confirmo per illum modum ſubſiſtit in alio, non in ſe, nec ad ſe: Igitur eſt relatio. Suadeo idipſum: modus per quem natura per ſe, & ad ſe ſubſiſtit eſt diuerſus ab illo modo, quo illa natura, quæ ſubſiſtit ad aliud, & per aliud; ſed ille primus modus eſt abſolutus, igitur iſte ſecundus eſt relatiuus. Non video quid reſpondere poſſit Suarius. Habeo autem quem fidenter illi opponam, nempe Gabrielem Vaſquium Antagoniſtam eiuſdẽ, à quo ille modus vnionis relatiuus ponitur, & omnino abſolutus eſſe negatur d.18.cap.2. quem ibi ſubſtantialem relationem appellat, quæ eſt germana noſtri Scoti ſententia. Imo ipſe Vaſquez c. 4. iterum vocat eum modum relationem, & diſtinguit à relatione prædicamentali, quemadmodum antè docuit Scotus, & nos proximè expoſuimus.

SECTIO IV.

Vtrum hæc vnio, ſiue relatio ſit ſubſtantialis, vel accidentalis? accuratè diſquiritur.

ETſi non deſint qui parum intereſſe putent ad compoſitum ſubſtantiale quali vnione illud conſtituatur, accidentali ne, an ſubſtantiali, dummodo conſtet per eam vniri ſubſtantiæ. Tamen ego qui aliter ſentio hanc quæſtionem excitare debui. Et quidem Scotiſtæ noſtri communiter aſſerunt hanc vnionem eſſe accidentalem, & ſupponunt ita ſentire Scotum. Inter quos Rada Scotiſta nobilis controuerſia tertia art. 6. concl. 5. *§. reſpondeo* affirmat vnionem hanc de qua quærimus formalem humanitatis cum Verbo *eſſe accidens ſecundum omnes doctores*. Quod puto verum non eſſe, quamuis eſſet verum quod addit, aliud eſt vnionem eſſe accidens, aliud verò accidentale in ratione vnionis: ſed inde non ſequitur, quòd ſit accidentalis, & ſi ſit accidens, quod item notant cæteri Scotiſtæ quos infrà memorabimus. Video, & capio diuerſitatem, ſed in terminis proprijs loquendo de vnione intrinſeca conſtitutiua compoſiti ſecus exiſtimo, & hãc hypoſtaticam vnionem omnino cenſeo eſſe ſubſtantiam modalem, ſiue modum ſubſtantialem, quod de omnibus huiuſmodi vniuerſim pronuncio, cùm ſint modi afficientes intrinſecè naturam, atque adeo ſimiles, & ejuſdem rationis cum ipſamet natura: inſunt quippe ei,

&

& cum ea identificantur, nec poſſunt ab ea ſeparari, & faciunt vnum per ſe cum ea, quæ conditiones ſunt contrariæ accidentibus diſtinctis, & quæ adueniunt ſubiectis conſtitutis. Et patet exemplis, etiam in modis accidentiũ, quæ idem ſunt realiter cum iis, videlicet inhærentia, qui eſt modus accidentis in ſubiecto: hęc etenim eſt eiuſdem naturæ cum accidenti cui in eſt, & ab eo ſeparari nequit, nec per ſe cõſeruari, quemadmodum alia accidentia, quæ adueniunt toti iam conſtituto ex albedine, & ſubiecto. Ratio eſt quia ii modi ſunt dependentiæ intimę, & media dependendi, ac proinde comitantur, & ſequuntur eſſe ſui principalis, cui adhærent. Redeamus ad vnionem ſubſtantialem. Inter corpus, & animam datur modus vnionis, qui nectit duo extrema, quæ ſunt ſubſtantię, & cum vno eorum eſt identificatus, ergo ſubſtantialis, quale eſt illud quo cum identificatur. Accedit aliud argumentum. Illi modi requiruntur omninò neceſſariò ad conſtitutionem compoſiti, quod nequit ſine vnione componi, ergo accidens eſſe non poteſt. Quomodo enim accidens neceſſario veniet ad formalem conſtitutionem compoſiti ex ſubſtantiis? Præterea abſurdum erit modum, qui eſt nexus intimus ſubſtantiarum, & cum iis componit vnum per ſe, & manet intra ipſum, & compoſitum, accidens eſſe. Itaque erit pars cõpoſiti. Nam quomodo illa vnio inter media erit accidentalis, cùm ſit tamen in corde, & medio compoſiti collocata? Non equidem arbitror illud, quod eſt per nexum ſuum intimum, efficiens compoſitum ſubſtantiale, poſſe alterius eſſe naturæ, quàm ſubſtantialis. Perſuadeãt hoc ſibi alii: mihi certè nemo perſuaſerit. Compendio dico. Accidens eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione: At vero iſtud accidens non poteſt abeſſe ſine corruptione ſubiecti: dum adeſt neceſſariò eſt ſubiectum, cùm abeſt neceſſariò diſſoluitur, & corrumpitur, ac prorſus euertitur. Longè igitur abeſt à natura accidentis, & eſt quiddam omnino ſubſtantiale; ac eiuſdem naturæ cum partibus, quas nectit, & coniungit.

Exemplum verò, quo hìc vtitur Rada, nõ eſt aptum, ne dicam ineptũ, ſcilicet hominis veſtiti, qui cum ſit amictus veſtibus, quæ ſunt ſubſtantiæ, tamen accidentaliter eſt veſtitus. Nam vnio ibi nulla eſt veſtis cum homine; ſed ſolùm circumpoſitio externa, artificialis; & quidem extrinſecùs veſtes ſe habent cum induuntur. Secus ſe habet modus intrinſecus afficiens intimè ſubſtantiam, eamque cum alia ſubſtantia nectens, & copulans, ac vtranque vinciens, & vniens, & in vnum compoſitum redigens. Non eſt proportionata circumpoſitio illa, quæ ſit accidens ad tribuendum effectum ſubſtantialem. Quomodo enim accidens quod eſt natura ſua dependens ab alio dabit eſſe per ſe? Sanè cum accidens cum ſubſtantia faciat vnum per accidens efficere non poterit, vt duæ ſubſtantiæ diuerſæ, & ſeparatæ ſua copula, & nexu in vnum per ſe coeant, & coaleſcant. Ego certè non aſſentior, ne ſi Pythagoras quidem dicat; huius oraculis non habeo fidem. Corradat Rada vndecunque velit rationes, & teſtimonia, ratum non erit. Rarus erit qui credat. Radat ille iter ſuum, ſed non liquidum, quod minimè liquet.

Venio ad vnionem hypoſtaticam, quæ meæ ſunt partes. Affirmo eam eſſe modum relatiuum, ſiue modalem relationem ſubſtantialem: idque ex generalibus hactenus poſitis principiis de-

Digitized by Google

declaro. Hęc vnio eſt modus naturæ ſubſiſtẽtis in perſona Verbi, per quem ei vnitur natura denudata propria ſubſiſtentia, & ad ſuppoſitum alienum aſſumitur, vt in illa ſubſiſtat, ergo debet eſſe proportionatus ad finem, quò dirigitur, eſſendi per ſe, & independenter ſubſtantialiter ab omni ſubiecto, & quaſi ſubiecto. Hic autem non eſt modus accidentalis, qui natura ſua poſtulat contrarium, ac proinde eſt improportionatus ad tales effectus, ſed ſubſtantialis, ſimilis naturæ, quam afficit, & affectam vnit cum perſona, vt vnum ex duabus efficiat in genere perſonæ in vtraque ſubſiſtentis. Confirmatur, quia ille modus vnitiuus eſt nexus, & vinculum vtriuſque naturæ in perſona Verbi, & manet in ipſamet natura humana identificatus, & terminatus ad hypoſtaſim Verbi: vnde apparet non poſse eſſe accidẽs, cùm hoc ſit mediũ cõponendi per accidens, non per ſe: imo eſset indignum eo conſtituto ex natura humana, & perſona diuina, quòd ſecum afferret copulam vinculi accidentalis, & pugnaret cum illa vnione ſubſtantiali.

Nec obijcias eſſe relationem cum Caietano, & Thomiſtis: nam hæc relatio non eſt ex ijs, quæ reſultant ex compoſito, & non pertinent ad conſtitutionem illius, ſed illud ſupponunt, & ſequuntur, quales ſunt relationes prędicamentales, quæ referunt conſtituta, & hoc ipſo monſtrant ſe eſſe accidentia relatiua, quia reſpiciunt aliud, non autem nectunt, nec conſtituunt in ordine ad ſe, vt intima extrema. Itaque diſtinguendum eſt inter has relationes, quemadmodum diſtinguunt Scotus, & Scotiſtæ. Alios eſse modos intrinſecos intimè afficientes, & copulantes inter ſe partes quas vniunt, alios ſuppoſita vnione, & vnitis partibus compoſitum ad extra referentes. Hæ ſunt prædicamentales, & mera accidentia, illæ reducuntur ad prædicamentum ſubſtantię. Quod aptiſſimè explicatur exemplo relationũ tranſcẽdentalium, quæ cum reſpiciant, & referãt res, quibus cum identificantur, nõ ſunt tamẽ accidentia, nec reapſe diſtinguũtur à ſubſtãtiis, quę referũtur, cùm ſint intrinſecę depẽdẽtię, qualis eſt, vti diximus, relatio Creaturę: de qua nos multa to. 2. Collat. Collat. 1. aduerſus Thomiſtas, qui ſolas relationes prædicamentales, & merè accidẽtales agnoſcunt, & nobis Scotiſtis obijciunt, tanquam abſurdum, hoc genus relationũ ſubſtantialium, quod certè eſt congruens rationi, imò & neceſſarium, ac ex media Philoſophia, Theologiaque petitum.

Equidem reperio in Viro acutiſſimo, & inſigni Theologo Gabriele Vaſquez extra Scoti ſcholam expreſſam noſtram hanc de relationibus ſententiam diſp. 18. c. 3. cum iſta diſtinctione relationum, & habitudinum adhibito exemplo reſpectus tranſcendentalis creaturæ ad Deum: qui cùm eſſet excellentis ingenij, non potuit non Scoto mortalium ingenioſiſſimo aſſentiri, eumque obijcio Patri Radæ affirmanti omnium Doctorum placitum eſſe: hanc vnionem in ſe ſumptam accidentalem eſſe; cui ego me cum Patre Vaſquez fidenter oppono, & exiſtimo eã eſſe germanam Scoti ſentẽtiam, quam indicant illa verba Scoti in 3. d. 1. q. 1. n. 3. *Eſt relatio ordinis, ſiue dependentiæ alterius rationis ab omni dependentia, & ordine cauſati ad cauſam*; & exemplum, quod affert de dependentia bipartita accidentis ad ſubiectum idem ſignificat. Addo Lychetum ibi exponere eam dependentiam adducto exemplo dependentiæ creaturę à Creatore,

vt

vt ſicuti hæc ſe habet ad Deum creantem, ita & illa ad perſonam ſuppoſitantem. Ecquis autem dubitet relationem creaturæ ad creatorem in Schola Scoti eſſe ſubſtantialem, & minimè diſtinctam ab ipſomet eſſe creaturarũ?

Præter hæc argumenta ducta ex ratione, moueor maximè ad aſſerendum, & adſtruendum hoc placitum de relatione ſubſtantiali, modo loquẽdi Conciliorũ, & Patrum appellantiũ vnionem ſubſtãtialem; quamuis enim perſpicuè loquantur de vnione in facto eſſe cùm vnitate ex ea reſultante compoſita in Chriſto ex duabus naturis, & vna perſona, multò, & tamen æquius eſt, & rationabilius nihil in hoc compoſito admittere accidentale. Dico in hoc compoſito, quòd ſcio illam coniunctionem naturæ ad Verbum dici accidentalem, tum quia contingenter aduenit, & in tempore Verbo, tum quia aliunde, & extrinſecus accidit eidem Verbi Perſonæ.

SECTIO V.

Quid ſentiendum ſit in Schola Scoti de huiuſmodi vnione?

HÆc mihi ſatis erant ad probandum non eſſe accidens iſtam vnionem, ſiue relationem extra Scholam Scoti: ſed quoniam noſtri Scotiſtæ videntur ſentire Scotum cõtrà ſentire, & communiter loquuntur de vnione accidentali, neceſſe eſt quęſtionem refricare, & cum ijs contendere intra ſpatia Scholæ, ne videar cõtra Scotum opinari, à quo mihi iam pridem iuratum eſt non recedere.

Igitur ſententia affirmans hanc relationẽ accidens eſſe è genere relationũ prædicamẽtalium, communis eſt apud noſtros; quorum neminem inuenio, qui auſus ſit ſubſtantialem conſtituere, & appellare, vno excepto Caſtillo hic diſtinctione 5. qu. 4. n. 27. qui putat pertinere ad prædicamentum habitus, cùm cæteri arbitrentur ſpectare ad prædicamentum paſſionis, vti videre eſt apud Delgadillum cap. 1. dif. 3. n. 29. Fateor Caſtillo parum nobis fauere, cum habitus ſit accidentalis quædam appoſitio à prædicamento ſubſtantiæ aliena, & in vltimo prædicamẽto accidentiũ conſtitutus. Eo tantũ nos iuuat quod ait, non improbabile eſſe de prædicamento ſubſtantiæ, addens Scotum non contradicere. Huic ergo Scotiſtæ adhærere volo, & quia ex alijs pro eadem ſententia laudaui Gabrielem Vaſquem, cum eo malo ſentire, & pronuntio hanc ſententiam eſſe probabilem, & non ſolum non aduerſari Scoti doctrinæ, ſed etiam ei maximè congruere. Probo autem nouo argumento. Si illa relatio eſt accidens non ſubſtantia, ſubiectatur, & recipitur in humanitate, eique inhæret, & cum illa conflat compoſitum per accidens: Sed ex hoc ſequuntur duo grauiſſima inconuenientia, ergo negandum eſt talem eſſe. Maior eſt certa: Minor oſtenditur quo ad primum incõueniens; quod eſt huiuſmodi. Intra illud compoſitum, quod eſt per ſe ad ſuppoſitum Diuinum inſeritur quiddam compoſitum per accidens ex ſubſtantia, & accidente, quod ego admittere non audeo, ſunt enim inter ſe contraria iſta duo compoſita vnum ex ſubſtantia, & accidente, & alterum ex ſubſtantia & perſona, non enim eſt medium aptum illa vnio accidentalis ad faciendum vnum ſubſtantiale. Alterum inconueniens eſt morale; indignum quippe videtur illo compoſito habere intra ſe vnionem accidentalem, quo mediante reſultet vnum per ſe in genere ſuppoſiti ex

Digitized by Google

quo ſequitur dari occaſionem Neſtorianis de hoc myſterio detrahendi. Rurſus inculco. Illud accidens cum ſit inhærens non eſt accomodatum ad vnitionem per ſe, cùm ei ſit natura ſua contrarium; & declaro vim argumenti; nec enim curo, quomodo relatio, & vnio accidentalis concurrat ad illam vnionem ſubſtantialem in perſona Verbi. Nam illud accidens eſt ex ſe inhærens naturæ, & impotens ad emigrandum è ſinu illius, & ad illam redit, & ad illam dicitur, & totum, & totaliter dependenter ſe habet ad ſubiectum, quomodo ergo habebit virtutem vnionis ſubſtantialis? Dices prout eſt vnio, & relatio id efficere, cùm etiam ſit modus abſolutus. Verùm de hoc ipſo ego contendo, & repugno, negans poſſe eſſe vnionem formalem, & relationem accidentalem, quæ non poteſt vnire extrema ſubſtantialia per modum inhærentis, ſed per modum ſubſiſtentis. Ponatur igitur ſubſtantialis, vt poſſit habere vim vniendi ſubſtantiam cum perſona. Nec obijcias eum modum etiam ineſſe naturæ, nec poſſe exire à natura. Reſpondeo enim verum eſſe, quod non poteſt ſeparari à natura, habere tamen virtutem ſubſtantialem ad vniendum ſubſtantialiter, quia non inhæret ſicut accidens, ſed ineſt naturæ per modum ſubſtantię, & habet eandem entitatem, per identificationem, vnde eſt accommodatior ad vniẽdum inter ſe ſubſtantias, cùm pręſertim ſit ordinatus ad nexum, & vinculum duorum in genere ſuppoſiti, & perſonæ per ordinem quemdam, vt ait Scotus d. 1. q. 1. & alterius rationis, quia pertinet ad conſtitutiuum intermedium illius compoſitionis ex materia, & ſuppoſito. Itaque redeo ad propoſitum: malo quippe ratione aſtruere hanc relationem vnientem non eſſe accidens, ſed ſubſtãtiam: Fateor quidem, vt ſupra dixi eſſe accidentalem in adueniendo naturæ ab extrinſeco per nouam actionem, non tamen reſultare ex ſubiecto, ſed poni in ſubiecto liberè, & contingenter à Deo, qui liberè hoc myſteriũ eſt operatus. At nego eſſe accidentalem vnionem, quaſi ſit ex natura ſua accidens prædicamentale, quod aduenit rebus iam conſtitutis, & omninò eſt reſpectus, & relatio reſpiciens terminos iam connexos, non eos nectens & componens. Hac ratione vindico Scoti ſententiam, & Scholæ contra Caietanum, & Thomiſtas dicentes eam eſſe à Patribus, & Concilijs alienam.

Nunc veniamus ad Scotum. Non dubito quin ſi Scotus non contradicat liceat eam ſuſtinere, quod hactenus non auſi ſunt facere Scotiſtæ propter Magiſtri reuerentiam; ſi autem ego ſcrupulum euellam, & monſtrem Scotum non repugnare, non ambigẽt ij eam ſuſtinere, ac recipere. Duo loci afferuntur in contrarium. Primus à Delgadillo c. 1. diffic. 5. dub. 5. in fine ex Scoto in 3. d. 7. q. 2. *§. hæc quæſtio* verſu *ad primum* quæ citationes apud Delgadillum ſunt mendoſæ: verùm dabo veras: ibi §. *ſed tantam* linea *reſpondeo quod hic* num. 5. pag. 195. in fin. in edit. Cãpagnæ, vbi Scotus dicit *Iſtam vnionem fuiſſe factam per factionem paſſiuam realem*, & ait expreſsè: *Hæc paſſio fuit in natura humana, et terminus eius erat Verbum*. Hinc deducit Delgadillo illam vnionem ſpectare ad prædicamentum paſſionis. Cui reſpondeo nihil concludere: nam Scotus ibi non dicit vnionem formalem eſſe paſſionem, nec talem ibi nominat, ſed ſolùm dicit fuiſſe in Incarnatione vnam factionem actiuam realem totius Trinitatis, *Cui correſpondebat factio paſſiua*

Q *realis,*

realis, qua homo factus eſt Deus; quæ fuit vnio paſſiua naturæ humanæ ad Verbum, & hæc paſſio fuit in natura humana, & terminus eius erat Verbum: in quibus non habetur vnionem illam paſſiuam habuiſſe pro termino Verbum, præſcindendo ab vnione formali, qui erat terminus immediatus paſſionis. Vndè non bene colligit Delgadillo hanc vnionem ſpectare ad prædicamentum paſſionis; ac miror vehementer hominem acutum pro eodem poſuiſſe paſſionem, & terminum paſſionis. Nam ex eo quod eſt paſſio accidens, non ſequitur terminum illius eſſe paſſionem: etenim actio qua Deus producit aliquid ſubſtantiale eſt accidens, & paſſio illius eſt etiam accidens, non tamen terminus productus eſt accidens. Non diſtinxit Delgadillo inter paſſionem, & terminum illius, cùm maximè diſtinguendum ſit inter paſſionem, quæ eſt fieri, & terminum qui eſt in facto eſſe. Quare vnio non eſt paſſio, ſed aliquid manens in facto eſſe poſt paſſionem: nec ea quæ fiunt per paſſionem ſunt paſſiones: alioqui quidquid producitur per paſſionẽ erit in prędicamento paſſionis, & quidquid fit per actionem erit in prędicamento actionis: quod omnino pugnat cum Philoſophia. Nihil ergo hic locus nobis officit: poteſt quippe eſſe factio paſſiua, & tamen ponere terminum ſubſtantialem: ac proinde poteſt illa vnio produci per paſſionem, ac eſſe ſubſtantialis.

Secundus locus adducitur ex Scoto in 4.d.12.q.2.§.*ad quæſtionem* ad quartum dubium, vbi dicit: *Quòd omnis vnio abſoluti ad abſolutum eſt reſpectus extrinſecus, is autem tales reſpectus eſt illi cui ineſt accidens per accidens*. Reſpondeo nihil hoc loco concludi, quia illa verba *accidens per accidens* non ſignificant reſpectus accidentales, qui natura ſua ſint accidentia, ſed ſignificant aduenire, ſiue accidere illis abſolutis, quæ à ſe non dependent, & quibus non adueniunt de foris, ac proinde per accidens ſe habent ad abſolutum, vnde talis reſpectus eſt illi accidens, non autem natura ſua eſt accidens, ſed adueniens per modum accidentis, ideſt non per ſe, nec neceſſariò, ſed aliunde, & per accidens, cum minimè pertineat ad naturam abſoluti, ad quod per accidens & ab extrinſeco venit. Imo retorquetur ex Scoto, qui d.7. q.1. §. *ſed de iſta* in fine ait, *Naturam humanam poſſe aliquo modo dici accidere Verbo inſtar accidentis in habitudine ad ſubſtantiam, quia iſta natura temporaliter aduenit Verbo perfecto in ſe naturaliter exiſtenti* Et ſupra §. *quinto videndum* vocat prædicationes per accidens eas, in quibus vnum accidit alteri, ideſt non neceſſaròi. Et in eadem quæſtione eiuſdem diſt.7. perſpicuè dicit ſubſtantias accidere ſubſtantijs, atque adeo efficere in accidendo prædicationes accidentales. Itaq; auctore Scoto, vt aliquid dicatur de alio per accidens nõ eſt neceſſe vt ſit accidens, ſed ſufficit quòd ſit extra eius rationem, quo pacto vna ſubſtantia poteſt accidere, & aduenire alteri, ſicut veſtis homini. Qua ratione dixit Caſtillo hanc prædicationem *Deus eſt homo* eſſe ſimilem illi *Homo eſt veſtitus*, & propterea reuocat vnionem ad prædicamentum habitus, non prorſus abſurdè, vti exiſtimat Delgadillo hoc illi exprobans cùm minimè abſurdũ ſit, ac ille pro ſe laudet Maironem, & Bonetum, & ſit cõforme Scoto in eo §.q.1.d.7. quod omnino obſeruandum cum ibi dicat prædicari per accidens ea, quæ ſunt *extra intellectum ſubiecti*. Itaque hic locus inanis eſt. Explicatis teſtibus Scoti, vrgeo aduerſarios

ſarios vno eiuſdem teſtimonio ſumpto ex hac ipſa q. 1. §. *quinto:* vbi dicit hanc vnionem *Deus eſt homo*, quamquam ſit de prædicato aduenientecõtingente, & ſit per accidens, non tamẽ eſſe dicendam accidentalem, ſed ſubſtantialem: *Vnio*, inquit, *extremorum non conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis*, idque probat auctoritate Damaſceni. Scio Scotum agere de vnione prout vnit, & nectit duo extrema ſubſtantialia naturæ humanæ, & ſuppoſiti diuini, non autem de ipſomet nexu formali vnionis, quo inter ſe vniuntur. Verùm conſequenter deduco non debuiſſe Scotũ admittere accidentalem vnionem formalem in illo compoſito ſubſtantiali, ne cogeretur dicere vnionem ibi eſſe accidentalem, & fieri vnum per accidens: eſt enim Scotus Vir religioſiſſimus, ac eo ſcrupulo pungeretur, quòd intra illud ineffabile compoſitum accidens prædicamentale formaliter extrema vniret, & inter ſe necteret, nec benè reſponderet Damaſceno, & Patribus abſolutè vnionem illam ſubſtantialem appellantibus. Cui penitus aſſentitur Lychetus in ſuis Commentariis ad eum locum. *Iſta*, inquit, *non eſt per accidens: Verbum eſt homo*; *de rigore ergo ſermonis conceditur, quòd iſta vnio non eſt eſſentialis, nec accidentalis, ſed eſt magis ſubſtantialis*. Non me latet loqui de prædicatione vnius de alio: ſed inde arguo, quòd ipſamet vnio materialis, quę intercedit eſt ſubſtantialis. Quod ſi obſtinatè negent aduerſarij, hoc ſaltem mihi concedant neceſſe eſt, argumento negatiuo à me ſaltem probari vnionem illam nuſquã à Scoto vocari accidens, aut quid accidentale; & id obſeruo, cùm toties hanc vnionem nominauerit nunquam eam nomine accidentis affeciſſe. Imò in fine loci producti docet aliquid dandum huic vnioni, quod non ſit commune cum aliis *ſecundum diuerſitatem huius vnionis ab omni alia poteſt poni diuerſa ratio huius inhærẽtiæ ab omnibus aliis*. Conuerte hoc ad vnionem formalem, & me ab omni nota liberabis.

IVDICIVM.

Dubium non eſt, quin Scotus, & Schola certiùs, & conſtantiùs in hac queſtione ſe geſſerint. Nihil Scotus aſſeuerantiùs tradidit, nihil enucleatiùs expoſuit. Scotiſtæ verò Magiſtrum ſecuti de præcipuo controuerſiæ puncto penitus conſenſerunt, ac penè de nihilo in reliquo diſceptarunt. S. Thomas in Sententiariis aliud dixiſſe, aliud in partibus conſtat; vnde diſſidium Thomiſtarum extitit; quod cùm facile tolli poſſet accipiendo Diuum Thomam in congruo, ac manifeſto (me auctore) ſenſu de vnione relatiua, vti ex locis à me productis 3. p. q. 3. & 16. videtur apparere, non permiſit Caietanus deſiderio impugnãdi Scotum, ne videretur cum eo ſentire. Hoc ductus, & conturbatus hæſit ad aquam, vt aiunt, & quaſi magnum quiddam faceret, in hoc ſuæ diſputationis curſu, quaſi lampada poſt ſe currentibus traderet, controuerſiam reliquit, veriùs pomum diſcordiæ futurũ. Verùm ille fruſtrà impugnauit Scotũ noſtrum, & ſui iudicij pęnas luit; nam minus in ea controuerſia vidit, & à via Regia deuiauit: quod ei ſubtilis vir ingenii Vaſquez non ſemel exprobrat d. 18. & 19. nec ei parcit mitiſſimæ indolis auctor Suarez, tum in Commẽt. tum in diſp. ad hanc q. 2. 3. p. tum q. ſeq. tum q. 16. eiuſdem 3. p. S. Thomæ. Miror autem voluiſſe Thomiſtas hoc in loco, vbi erat vnio, tanto ſtudio à Scoto

diſſidere: id autem rurſum mirari deſino, quòd ij relationes Scoti homines abſoluti iudicij faſtidiosè aſpernantur, nec alias concoquunt niſi prædicamẽtales, ac propterea quòd ſe Prædicatorum nomine inſignitos vident, licere ſibi putant in prædicamentis dominari. Omnia igitur ad prædicamenta reuocant. Noſtri autem Scotiſtæ, vt aliquid liberum habeant, quod ſibi vindicare poſſint, negant omnes relationes prædicamentales eſſe & hunc ſibi fundum parant cum fundamento rationis, ne ſemper mendicare compellantur, cùm nihil inde detrahant paupertati, quòd ea ferat reſpectiuum, quod nihil habeat ſubſtantiæ præter modum.

Ad inſtitutum Scotus, & Schola ponunt vnionem terminum formalem actionis vnitiuæ naturæ humanę cum perſona Verbi diuini in relatione dependẽtię à ſuppoſito; Cuius terminus à quo ſit natura ipſa humana, terminus ad quem ſit perſona diuina, finis compoſitum ex vtraq; natura, & cum perſona, mediante illa relatione vnitiua, qui eſt immediatus terminus vnitionis, ſiue actionis vnitiuę. Quæ videtur eſſe doctrina S. Thomę 3. p. in his quæſtionibus, & articulis productis, quam Caietanus noluit ſequi ſublata de medio hac media vnione, cuius non meminit, ne admitteret modum aliquẽ relatiuum, ſed ſtatim progreſſus eſt ad abſolutum eſſe Chriſti ſubſiſtentis in vna perſona cum duabus naturis, altera propria ęterna, & diuina aſſumente, altera aſſumpta temporali, & humana, qui eſt finis vnitionis, vnde illud compoſitum ineffabile reſultauit. Hęc quoad Thomiſtas. Quoad quæſtionem verò cum Scotiſtis de vnione agitatã, ſit ne accidentalis? An ſubſtantialis? ſentio non ſolum cum Caſtillo ſentẽtiam à me traditam non eſſe improbabilem, nec aduerſariam Scoto, ſed etiã probabilem, & iuxta Scotum, & rationi congruam, & Chriſti dignitati conuenientem; idque argumento confirmo. Illa relatio, & natura ſimul producuntur per vnam, & eandem actionẽ, nec enim poteſt poni natura ſine modo, nec modus ſine natura, ſed vtrunq; ſimul, ergo per eandem rationem intrinſecam, quę nequit eſſe ſubſtantialis ſimul, & accidentalis, ergo ſine dubio ſubſtantialis eſt, non accidentalis, cùm terminus ſit ſubſtantia. Vtcunque ſit de aliis vnionibus, conſtat hãc eſſe ſingularem, quòd nulla ei ſimilis ſit in rerum natura, ac proinde hanc ei prærogatiuam eſſe concedendam, quòd ſubſtantialis ſit, idque Verbis Scoti contineri d. 7. q. 1. §. *quinto*. n. 7. pag. 192. *Vnde iſta vnio extremorum, nec conceditur eſſe eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis*. Et citato Damaſceno cõcludit, *Ita ſecundum diuerſitatem huius vnionis ab alia poteſt poni diuerſa ratio huius inhærentiæ ab omnibus aliys*. Secundum Auguſtinum epiſt. 3. ad Voluſian. *Si ratio quæritur non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur non erit ſingulare*. præſertim in hoc myſterio, in quo nihil non eſt ſingulare.

COLLATIO

Digitized by Google

COLLATIO SECVNDA

DIFFERENTIA II.

DE DIGNITATE VNIONIS HYPOSTATICÆ.

Vtrum vnio hypoſtatica ſit maxima vnionum? & an ſit neceſſariò coniuncta cum fruitione, ita vt implicet contradictionem vniri hypoſtaticè, & non frui?

SECTIO I.

Adducuntur ſententiæ Magiſtrorum.

COniungo has duas quæſtiones, quia prima exigua eſt, & obiter ſolum tangitur à Scoto in 3.d.6. q.1. §. *contra rationes*. linea *Ad aliud Bernardi*. n.9.pag.175. Quare adijcienda fuit alia, quæ ſuſcepto ſtudio, & operoſiùs agitaretur.

Quod attinet primam Sãctus Thomas 3.p.q.2.a.9. ſic ait. *Dicendum quod vnio importat coniunctionem in aliquo vno. Poteſt ergo dupliciter accipi. Vno modo ex parte eorum quæ coniunguntur, alio modo ex parte eius in quo coniungũtur: & ex hac parte huiuſmodi vnio habet præeminentiam inter alias vniones: nam vnitas perſonæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ eſt maxima: non autem habet præeminentiam ex parte eorum quæ coniunguntur.*

Scotus in 3.d.6.qu.1.initio cùm propoſuiſſet auctoritatem Bernardi *Hæc eſt maxima vnitas poſt illam, quæ eſt in Trinitate:* Reſpondet poſtea §.*contra rationes* linea nona: ad aliud Bernardi ita. *Dico quod vnitas poteſt dici maxima, vel ex priuatione diſtinctionis, vel ex perfectione illorum vnitorum in ipſa vnitate. Primo modo non eſt hic maxima vnitas, quia maxima eſt diſtinctio naturarum. Secundo modo poteſt concedi maxima vnitas poſt vnitatem Trinitatis, quia ipſa vnita ſunt perfectiſſima, quia vnum eſt infinitum, & alterum eſt ſubſtantia perfecta in ſe, & ex vnione ad reliquum eſt perfectiſſimum per communicationem idiomatum, quia eſt Deus.* Conferendo Textus non admodum diſſentire videntur duo Magiſtri, nam Diuus Thomas dum ait in ſuo Textu; *Ex parte eorum, quæ coniunguntur non habere præeminentiam*

inter

inter alias vniones, perſpicuè ſignificat non eſſe maximam reſpectu iſtius, puta vnionis materiæ, & formæ ſubſtantialis ad compoſitum. Quod idem dicit Scotus dum ait: *Non eſt hic maxima vnitas, quia hic maxima eſt diſtinctio naturarum*: Vbi obſeruandum neutrum locutum de vnione reſultante ex partibus vnitis, ſed de diſtantia naturarum, quod ſit diſtinctio maior: ergo manet inter naturam humanã, & perſonam diuinã maior vnitas, quàm inter materiam, & formã coniunctas, de quo nemo dubitat. Vnde videntur ambo loqui de vnione per reſpectum ad cõiunctionem extremorum magis minuſue diſtantium. Quam diſtantiã non tollit vnio, ac proinde comparant vnitatem ſecundum identitatem, & diuerſitatem extremorum. Vnde oportet dicere magis eſſe vnitas materiam, & formam inter ſe, quàm naturam humanam, & perſonam diuinam, quę ſunt diſtantes infinitè. Ex alia parte videtur maior fore vnio, quæ fit ex magis diſtantibus extremis, quia eſt fortior vis vnionis, quæ ea coniungit, quàm quæ minus diſtantia connectit. Itaque non multum differunt in ſentiendo Diuus Thomas, & Scotus: nec video cur noſtri Scotiſtæ tantum in hac quæſtione laborent.

SECTIO II.

Proponitur ſententia D. Thomæ ſicuti vulgò intelligitur.

SEntentia D. Thomæ eſt vnionem hypoſtaticam eſſe maximam omnium vnionum propter auctoritatem Auguſtini lib. 1. de Trin. cap. 10. dicentis, *Quod homo potius eſt in Filio Dei, quàm Filius in Patre*, quod ita exponit S. Thomas qu. 2. a. 9. ante corpus, *Homo potius eſt in Filio Dei, quàm Filius in Patre. Filius autem eſt in Patre per vnitatem eſſentiæ. Homo verò eſt in Filio per vnionem Incarnationis. Ergo maior eſt vnio Incarnationis, quàm vnitas diuinæ eſſentiæ.* Hinc eſt, quod Diuus Thomas ad primum ait: *Vnitatem Diuinæ perſonæ eſſe maiorem, quàm numeralem.* Et ad tertium, *Vnitatem diuinæ perſonæ eſſe maiorem, quàm vnitatem, & naturæ, & perſonæ in nobis*, & rurſum ibi ait: *Vnio Incarnationis eſt maior, quàm vnio Animæ, & Corporis in nobis*. Ita intelligunt Thomiſtæ, & Suarez diſp. 9. ſect. 1. citato Paludano in 3. q. 3. a. 2. & Capreolo q. 1. Concl. 3. & ex Patribus Cyrillo lib. de Incarnatione Vnigeniti cap. 4. ſic etiam Medina in hunc locum D. Thomæ, quos ſequitur Hurtado diſp. 2. dif. 11. Rada illam tribuit Caietano, & cæteris Interpretibus S. Thomæ. Eum ſequitur Delgadillo, & alij, quibus tamẽ iraſcitur Vaſquez diſp. 20. c. 2. qui indignatur hunc ſenſum tribui D. Thomę, vt obiter pungat æmulum Suarez. Ego licet cum Vaſquio ſentiam, recipio tamen Thomiſtarum ſententiam, quando ita volunt ſuum Magiſtrum interpretari. Igitur ſenſus D. Thomæ eſt: hanc vnionem eſſe omnium maximam: quod videtur ſuaderi poſſe his rationibus.

Prima. Hæc vnio format cõpoſitũ ex natura humana nudata ſua ſubſiſtentia, & ex perſona Verbi, quæ per vnionẽ terminat naturã, & ſupplet propriã illius ſubſiſtentiam: Vnio autem ex natura, & ſubſiſtentia eſt maxima vnionum, ergo ea quæ hanc ſupplet erit maxima vnionum. Debeant hoc mihi argumentum Thomiſtæ, quod ego pro eorum ſententia excogitaui, & quidem videtur eſſe forte, ac Idoneum.

Se-

Digitized by Google

Secunda. Illa vnio terminatur ad terminum maximè vnum, qui eſt Diuina perſona Filij & Vnigeniti, quo nihil eſſe poteſt magis vnum, nec magis incommunicabile, & ex parte creaturæ eſt terminus natura minime perſonata, quæ habenda eſt pro natura ſimplici in eo genere. Igitur, & ex parte naturæ eſt maxima. Nec opponas naturam eſſe compoſitum ex materia, & forma, ſiue corpore & anima, quia iſta compoſitio habet ſe per accidens ad vnionem illam, quæ fit ad naturam, pro vt eſt natura, non autem vt componitur, vel non componitur.

Tertia. Illa vnio facit vnum per ſe perfectiſſimum in genere perſonæ, quæ cum naturaliter deberet eſſe duplex, ſcilicet vna naturæ humanæ, altera naturæ Diuinæ, tamē de facto eſt vna tantum perſona in duabus naturis, & fit ſumma vnio ſublata diuerſitate connaturali duarum perſonarum.

Quarta. Quia comparando hanc vnionem cum vnione Corporis, & Animę inter ſe, hęc vnio apparet maior; quia vnio animæ, & corporis videtur eſſe vnio partialis, reſultans ex vnione materiali corporis, & ſpirituali animæ, quæ ſunt vniones duæ, non autem vna hypoſtatica. Si autem neges duas vniones, & dicas eſſe vnam tantùm, adhuc vrget argumentum, quia Anima, & corpus habent ſuas particulares veluti ſubſiſtentias. At verò natura humana, & natura diuina habent vnam tantum ſubſiſtentiam Verbi, ſiue vnū ſuppoſitum diuinum.

Accedit Auctoritas Bernardi lib. 5. ad Eugenium Papam cap. 8. *Inter omnia,* inquit, *quæ vnum rectè dicuntur, arcē tenet vnio Trinitatis. Secundo loco illa præcedit, qua è cōuerſo tres ſubſtantiæ vna perſona in Chriſto ſunt.*

SECTIO III.

Oppoſita ſententia probatur.

AVctoritate Durandi in 3. d. 3. q. 3. Scoti hoc loco, quem noſtri allegare ſolent cum Rada, Delgadillo, & alijs. Imò, & ipſe Thomiſtæ, quibus ob id ſuccenſet Vaſquez, diſput. 20. c. 1. Quòd omnem volunt concordiam vnius cum altero auferre, etiam cùm de vnione & quidem maxima, diſputatur; Deinde probatur ratione hoc modo.

Primùm. Illa vnio maxima eſt, quæ proximè accedit ad vnitatem, ſiue idētitatē: ſed datur alia vnio, quæ propior ſit identitati, quàm hypoſtatica, ergo hæc hypoſtatica non eſt maxima. Maior eſt indubitata. Minor probatur, quia Vnio compoſiti ſubſtantialis ex materia, & forma ſubſtantiali eſt ſimilior, ac proprior identitati, cùm ſit ex potentia, & actu, & efficiat vnum per ſe primitùs in genere naturæ: At qui vna natura magis eſt eadem in ſe, quàm ſit compoſitum ex natura, & perſona.

Secundùm. Vnio hypoſtatica aduenit alteri vnioni iam factæ ex partibus naturę vnitis in ratione naturæ, & eſt noua vnitas in alio genere. Igitur non eſt tam ſimplex, quàm ſit prima vnitas, quæ ſimplicem naturam conſtituit.

Tertiùm. Vnio hypoſtatica minùs intimè vnit, quàm vnio ſubſtantialis animæ, & corporis: Igitur hac eſt minor. Patet quia hæc vnit iam vnita inter ſe in genere naturæ, quæ eſt vnio magis intima, quàm hypoſtatica, quæ conſtituit ſuppoſitum.

Quartùm. Vnio hypoſtatica non eſt vnio mutua intrinſeca. Nam Verbū

non

Digitized by Google

non vnitur per aliquid ſuum propriũ, ac intrinſecum, ſed tantum terminat extrinſecus, non recipiendo vnionem naturæ ſibi hypoſtaticè vnitę. Non eſt igitur maxima, ſi comparetur cum vnione compoſiti ſubſtantialis, quæ fit per intrinſecam receptionem, & informationem.

Quintum. Vnio hypoſtatica aduenit extrinſecus, per factionem, & veram actionem ad rem, quę non eſt naturaliter propenſa, nec inclinata ad extremum cui vnitur: Vno Verbo, eſt ſupernaturalis, igitur non poteſt eſſe maior, quàm illa vnio quę fit, ſiue per naturalem reſultantiam, qualis eſt modorum ſubſtantialium in natura, ſiue per naturalem generationem inter partes, quæ naturaliter appetunt vniri, & modo connaturali vniuntur.

Sextum. Illa ſunt maximè vnita, quæ amant vniri, & horrent ſeparari, nec vllo modo appetunt ſeparationem & tanquam in centro in ſemetipſis cõquieſcunt. Taliter non vniuntur natura, & perſona Verbi. Liquet. Tum quia natura non appetit illam perſonã, ad quam ſolam ſe habet obedićtialiter: Tum quia à perſona diuina non appetitur natura; tum quia illa natura non horret ſeparationem à perſona diuina, imò fortaſſe etiam ſub illa appetit perſonam creatam, & inclinatur ad illam, & ſi relinqueretur naturæ ſuæ rediret naturaliter ad ſuam ſubſiſtentiam, nec omninò eſt quieta ſub illa perſona diuina ſecundum probabilem opinionem, quam ſequor. Igitur magis eſt vnita ſecum, & cum ſua propria ſubſiſtentia naturali, quàm ſit cum perſonalitate diuina aliena. Vnde ſequitur non eſſe maximam vnionem iſtam hypoſtaticam.

Tandem minus vniuntur, quę ſunt magis independẽtes: Verbum eſt omninò independens à natura, & nulla ad eam habitudinem dicit, quemadmodum dicunt partes compoſiti; ergo ſtrictiùs inter ſe huiuſmodi partes, & arctiùs vniuntur; Quomodo igitur eſt maxima, vnio hypoſtatica? Nam quod ait S. Thomas, eam ſumi ex termino, in quo fit vnio, qui eſt ſummè vnus, & magis vnus, quàm ſit numerus vnus, rem non videtur continere, quemadmodum vidit Caietanus, qui in expoſitione torquetur, & ſudat, & cum eo etiam Vaſquez diſp. 20. c. 12. & apparebit in reſponſione ad argumenta Thomiſtarum. Ante quam obſeruo; iſtam comparationem fieri, vel inter naturas vnitas diuinam, & humanam in perſona, vel inter naturam humanam, & perſonam diuinam. Vtrouis modo ſumatur, ſemper vnio eſt minor maxima, nam cùm minor ſit vnio immediata cum perſona, quàm eſt vnio ſubſtantialis materiæ, & formæ intra naturam, ſequitur multo minorem fore mediatam naturæ diuinæ cum natura humana vnionem. Propterea in argumentis vim fecimus in demonſtrando vnionem inter naturam humanam, & perſonam diuinam non eſſe maximam, quia inde manifeſtè ſequebatur naturarum inter ſe vnionem eſſe minorem.

SECTIO IV.

Argumentis oppoſitis reſpondetur.

Primò ſic. Auctoritatem Auguſtini alia ratione eſſe intelligendam, quam miror nec Suarium, nec Vaſquium attigiſſe, nec Radam, nec Delgadillum, nec alios Scotiſtas ſoluere curaſſe, cùm tantùm in ea momenti Sanctus Thomas poſuerit. Omnes

Digitized by Google

nes laborant in auctoritate, qua non eſt vſus Doctor Angelicus. Reſpondeo igitur Auguſtini ſenſum eſſe ſumendum ex eo quod ibi agebat. Agebat autem de vnione Filij Dei Incarnati cum hominibus, quibus cum vnum corpus fecerat in ordine ad Beatitudinem ijs communicandam mediante natura humana, quam reapſe ad perſonam aſſumpſerat. Tunc ait, ratione aſſumptionis naturæ noſtræ vnum eſſe factum nobiſcum: propterea ad ſe pertinere conducere nos ad fruendum viſione beata, quòd iſtud munus non erat commune Patri, nec Spiritui Sancto, qui non erant incarnati; & ideo ad hanc vnionem exaggerandam dicit Verbum ita ſe hominem feciſſe, vt in vnionem perſonæ tranſiret humanitas, ac proinde Filius eſſet Deus, & homo, quæ cum eſſent duæ naturæ diuerſæ, tamen conuenerant in vnam perſonam; adeo vt maior eſſet vnio Filij, vti erat homo cum homine, quàm cùm Patre, cum realiter eſſet in perſona alius à Patre, & non eſſet alius ab homine, ſed vnus, & idem homo. Itaq; non contulit vnionem cum vnione, ſed vnionem cum diuerſitate, nempe vnionem in perſona Filij, & hominis, qua erat vnus in vtraque natura Deus, & homo, cum diuerſitate perſonæ Patris, & Filij; qua ratione erat realiter diuerſus à Patre, quamquam per eſſentiam eſſet vnus. Vnde potius retorquetur argumentum. Hic non comparatur vnitas ſuppoſiti cum vnitate, ſed cum diuerſitate ſuppoſiti; & concluditur vnitas in perſona Filij, & diuerſitas perſonæ Filij, & perſonæ Patris, quæ non ſunt vnum, & idem inter ſe, imo diſtinguuntur realiter. Igitur non inde colligitur vnitas, ſed diuerſitas perſonarum. Si Auguſtinus compararet vnionem perſonæ, & in perſona cum vnitate in natura diuina, vel in aliquo abſoluto concluderet argumentum. At comparatio verſatur inter vnionē hypoſtaticam, & reſultantem ex ea vnitatem ex vna parte, & ex alia inter perſonarum diuinarum diuerſitatem, monſtrando Patrem, & Spiritum Sanctum non aſſumpſiſſe naturam humanam, & neutrum factum eſſe hominem, quia aſſumptio terminata fuerat ad perſonam Filij, quæ realiter diſtinguebatur à perſona Patris, & à perſona Spiritus Sancti, vnde ſequebatur ad ſolum Filium pertinere hominem, quorum ſe caput fecerat, beatificare.

Primo argumento à ratione ſatisfit dicendo verum eſſe vnionem naturæ humanæ ad Verbum afficere illam nudatam partiali, & totali ſubſiſtentia, & aſſumi ad ſubſiſtendum: verum inde non ſequi eſſe ſimpliciorem, & maiorem vnionem, quia natura ex parte ſua venit compoſita ex duabus ſubſtātiis materia, & forma ad ſuppoſitum, quæ vnio minor eſt alia vnione ſubſtantiali, quæ vnit corpus & animam immediatè vti compoſita ex duabus, non vti ſimplex, qualis eſt materia ſecundum ſe, & forma ſecundum ſe. Præterea ex parte perſonæ longè remotior eſt perſona Verbi à natura aſſumpta, quam non intimè afficit, nec copulat, quàm illa vnio materiæ, & formæ, quæ mutuò ſe afficiunt, & copulant, cum mutua dependentia cauſæ, & cauſati.

Secundum, ſoluitur concedendo terminum ad quem vnitur natura eſſe vnitum, imo & vnum in ſe, vt ſecum maximè vnitum: ſed negando ex eo ſequi vnionem aduenientis naturæ eſſe maiorem: quid enim magis vnum & vnitum, quam diuina eſſentia, & natura, & tamen tres perſonæ ſunt diſtinctæ realiter inter ſe, non vna, & eadem

dem perſona. Deinde nequis obiiciat de nouo illam eſſentiam diuinam eſſe communicabilem, at verò perſonam Filij eſſe incommunicabilem, & adducat exemplum Diui Thomę petitum ab vnitate numerali. Reſpondeo hoc nihil proficere, quia etiam indiuiſibile eſt quid vnum, & ſummè vnum, & tamen terminat partes diuerſas realiter: non ergo prouenit ex indiuiduitate, & vnitate tertij vnitas extremorum.

Tertij hæc eſt ſolutio, Fatemur vnã exiſtere perſonam in duabus naturis: quibus conueniebant duæ perſonalitates ſupplente vna vicem ambarum; ſed hinc non euincitur maior vnio, quàm illa alia, quę compoſitum ex materia, & forma conſtituit, cùm perſona, quæ ſupplet perſonalitatem propriam naturæ humanæ ſit remotior, & in ſecundo genere ſuppoſiti, non naturę.

Quintum diluitur dicendo primùm non eſſe duas vniones partiales in cõpoſito humano, ſed vnam tantum. Dato autem eſſe duas, nihil inde deducitur contra vnionem extremorum. Imo colligitur contrariũ, quia plures vniones vniunt magis extrema, ſicuti plura uincula fortius ligant ea quæ uinciũt. Tandem unio hypoſtatica terminatur ſolùm extrinſecè ad perſonam Verbi ſolummodo terminantis, non informantis, nec recipientis.

Ad auctoritatem S. Bernardi, quæ ſola ſupereſt, reſpondet Scotus d. 6. q. 1. §. *contra* propè finem n. 9. *Quod vnitas dici poteſt maxima, vel ex priuatione diſtinctionis, vel ex perfectione illorum vnitorum in ipſa vnitate. Primo modo non eſt hæc maxima vnitas, quia maxima eſt diſtinctio naturarũ. Secundo modo poteſt concedi maxima vnitas poſt vnitatem Trinitatis, quia ipſa unita ſunt perfectiſſima, quia vnum eſt infinitum, & alterum eſt ſubſtantia perfecta, & in ſe, & ex vnione eius ad reliquum eſt perfectiſſimum per comunicationem idiomatum, quia eſt Deus*. Summa eſt, Maximam unionem eſſe, quia unita sũt perfectiſſima, & media unione hypoſtatica ita uniuntur, ut unum de altero prædicetur, quaſi foret una natura dicendo *Deus eſt homo, homo eſt Deus*, ac eodem modo actiones utriuſque naturæ communicentur ratione unius ſuppoſiti diuini. Hęc tamen expoſitio non admodum placet viro acri, & ingenioſo Gabrieli Vaſquez diſp. 20. c. 3. ubi eam nomine Durandi infringit. Sed utcunque ſit de Durando, certè uti eam adducit Scotus, improbari nequit: non ſolum quippe intellexit eam de perfectione unitorum, ſed etiam de unione illorum in una perſona tali, ut ex ea oriretur communicatio idiomatum, qua ratione euadit ſimillima unioni Trinitatis, per quam omnes perſonæ ſunt unus & idem Deus, & idem eſt de attributis. Scio non parum ſudare magnũ in Theologia Virum Franciſcum Suarez in exponendo Bernardo excluſo item ſenſu Durandi diſp. 9. ſect. 1. Verùm vt rectè ſoluat, non potuit melius, quàm Scotus exponere. Ego aliam meam propriam interpretationem ad iudicium reſeruo.

SECTIO V.

Vtrum hæc vnio in ratione Doni ſit maxima?

SAncti Thomæ certa mẽs eſt: Scoti dubia. S. Thomas 3. par. q. 2. art. 10. ad primum ſic: *Dicendum quòd gratia, quæ eſt accidẽs eſt quædam ſimilitudo diuinitatis participata in homine. Per Incarnationem autem humana natura*

tura

tura non dicitur participaſſe ſimilitudinem aliquam diuinæ naturæ, ſed dicitur eſſe coniuncta ipſi diuinæ naturæ in perſona Filij. Maius eſt ipſa res, quàm ſimilitudo eius participata. Et art. 11. in corp. *Vnio Incarnationis, cùm ſit in eſſe perſonali tranſcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ eſt per actum fruentis.* Quæſtione item 4. art. 1. ad ſecundum; vbi Caietanus, & alij ad ſecundum, eandem doctrinam tradit, quam etiam innuerat in 3. p. quæſt. 1. art. 1.

Scotum ambiguum nonnulli textus faciunt, qui diuerſa continere videntur. Nam in quarto d. 4. q. 11. §. *quod autem* verſ. *iſtarum* n. 7. fatetur hanc vnionē hypoſtaticam eſſe maius donū, quàm beatitudinem; quo loco moti Suarez, Vaſquez, Rada, & alij affirmant Scotum cum D. Thoma ſentire. Textus huiuſmodi eſt: *Aliquis illapſus ſimpliciter perfectior non eſt beatificus, alius ſimpliciter minus perfectus eſt beatificus. Exemplum. Perfectiſſimus illapſus in naturam humanam, vt perſonaliter vnitam Verbo: nec tamen ille eſt formaliter beatus. Illapſus autem Dei in Michaelem, qui eſt ſimpliciter minus perfectus eſt ſimpliciter beatificus.* In Reportatis autē in 3. d. 2. §. *in iſta quæſtione*, verſ. *ad aliud. Dico*, inquit, *quòd minus eſt quòd aliquis habeat gratiam quantum ad actum primum, quàm vnionem ad verbum: tamen ſimpliciter maius, habere gratiam cum operatione, quàm habere perſonam tantum. Mallem enim ſi daretur mihi optio, habere gratiam B. Virginis, & fruitionem, quàm eſſe ſubſiſtens cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ſine frui, hoc eſt niſi haberem operationem vt viſionem, & operationem.* Qui ſenſus continet opinionem contrariam. In 3. uero d. 2. q. 1. §. *ad argumenta principalia* uidetur dubius reſpondendo ad primum, quod procedebat ab eo quod *vnio hypoſtatica eſt maior quàm beatifica.* Sic enim ait. *Cum arguitur quantum ad primum membrū diuiſionis de comparatione duarū vnionum in ſe: Reſpondeo quod iſta eſt maior quantum ad actum primum, quia per hanc communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturæ aſſumptæ. Etetiam modo de facto iſta includit aliam vnionem, quæ eſt ad actum ſecundum, & operari. Sed de poſſibili ſi ſepararetur illa eſſet maior, quæ eſſet naturæ ad Verbum, vt terminum, quantum ad actum primum, licet non quantum ad actum ſecundum, & eſſe beatificum; quia beatitudo magis eſt in operatione, & illa eſſet maior, quàm ad operationem; vel magis propriè loquendo poteſt dici, quòd neutra eſt maior alia, quia ſunt alterius rationis, & cum neutra neceſſariò includat aliam poteſt vna eſſe altera.*

Hi textus diſtraxere in partes non modo externos, ſed etiam noſtros auctores; & quidem meritò, cùm diuerſa tradere videantur. Itaq; Scotum cum Diuo Thoma cōſentire putat Suarez disp. 9. ſect. 2. Vaſquez diſp. 20. c. 4. n. 37. ex noſtris Rada controu. 3. art. 5. conclu. 4. Delgadillo autem de Incarnat. c. 1. diffic. 6. dub. 2. ſequitur contrariam ſententiam propter locum in Reportatis, quod ſit poſtremò ſcriptus.

Ego quæſtionem ſic ſuſcipio; ac primum dicam de mente Scoti; deinde de re, quæ in diſputationem venit. Sentio Scotum docere voluiſſe vniones has duas hypoſtaticam, & beatificam eſſe in ſuo genere vtramuis ſummam. Si autem vna præſtare alteri debet, hanc eſſe beatificam. Primam partem ſatis expreſſit in loco tertij d. 1. quæſt. 1. vbi *neutra eſt maior alia, quia alterius rationis, & neutra neceſſariò inculdit aliam.* Quod obſeruat Aretinus d. 2. q. 5

art.5.in fine, & Lychetus in Comm. Secundam partem probo ex eo, quod Scotus dilucidè ſuam mentem explicauit illo vocabulo *ſimpliciter*, dum ait: *ſimpliciter maius eſt habere gratiam cum operatione, quàm habere vnionem ad perſonam diuinam tantum.* At etiam dixerat ſimpliciter in 4.d.49.q.2. Fateor, ſed non adiecit *Mallem ſi mihi daretur optio habere gratiam &c.* Addo eum minus enucleatè tractaſſe queſtionem in loco 4. d. 49. quàm in loco Report.in 3.d.2.q.2.& patet exemplo gratiæ Beatæ Virginis, & reſponſione ad Auguſtinum. Præterea ex diſcurſu facto in 3.d.2.q.1.de vnitione, & fruitione colligitur Scotum plus in hanc ſententiā inclinaſſe, dum negat neceſſariam connexionem vtriuſque, & negat vnionē hypoſtaticam eſſe perfectiorem vnione beatifica, quam defendit eo in loco facta comparatione cum hypoſtatica: nec auſus eſt quidquam contra perfectionem vnionis per beatitudinem definire. Adiungo his rationem Delgadilli, poſteriorem ſententiam meliorē, qualis eſt illa expreſſa in Report. præſertim cùm ibi eam explicatiùs tradat. Adijcio coniecturam, quòd Caietanus Commentarijs in q.4. art. 1. ait illam propoſitionem: Maior eſt vnio hypoſtatica, quàm beatifica non carere ſcrupulo, & *multos eam gloſſare, vel negare*, & affert locum celebrem de Beata Virgine: *quòd fuit beatior concipiendo fidem Chriſti, quàm carnem Chriſti*. Quo vtitur Scotus in Reportatis, quem videtur more ſuo Caietanus vellicare, quaſi ſit vnus eorum, qui gloſſant, vel negant illam propoſitionem S. Thomæ. Itaque ſtatuo mentē Scoti eſſe præferre abſolutè vnionem beatificam hypoſtaticæ; quòd attinet ad rationem doni, de qua eſt quæſtio.

SECTIO VI.

Vnionem beatificam in ratione doni non eſſe minorem hypoſtatica oſtenditur.

VT modeſtiùs loquar, ita quæſtionem propono. Probo autem meam, quam dixi eſſe Scoti ſententiam. Primo ſic. Qui rectè, ac ordinatè procedit per media ad finem, anteponit medijs finem, itaut finis ſit nobilior, quàm media, quæ applicat ad finem conſequendum, ſed eiuſmodi eſt Deus, qui ordinauit Incarnationem ad ſalutem hominum, eorumque beatitudinem tanquam medium ad iſtam, ergo Incarnatio non eſt nobilior, nec perfectior Beatitudine. Sapit hoc argumentum illā celeberrimam rationem Scoti, *Volens ordinatè finem.* in 3.d.7.q. 3. *§. Sed hic ſunt*.

Secundo in particulari: Deus prius intentione voluit Chriſto vti homini conferre ſummam gratiam, & ſummam gloriam, & poſtea intendit dare ei vnionem hypoſtaticam, igitur non eſt nobilior, & imperfectior vnio beatifica, quam hypoſtatica. Aſſumptum eſt Scoti in 3.d.7.q.3. *§. Sed hic*, vbi ait, *Deus voluit primò aliquam naturam habere ſummam gloriam, & ſecundò voluit naturam illam eſſe in perſona Verbi*.

Tertiò: vnio hypoſtatica ſecundum ſe non importat conceptum actiuitatis, nec vitalitatis, ſed tantum paſſionis, & receptionis doni, ad quod veluti materialiter, & paſſiuè ſe habet. At verò vnio beatifica eſt actiua, & viſionis beatæ principium vitale, igitur non eſt imperfectior vnione hypoſtatica.

Quartò: quæcunq; ſubſtantia creata etiam irrationalis, & inſenſibilis, in com-

communi ſententia, eſt capax vnionis hypoſtaticæ: non autem eſt capax vnionis beatificæ, quæ neceſſariò requirit intellectiuam ſubſtantiam. Ergò non minus eſt perfecta vnio beatifica, quàm hypoſtatica.

Quintò; argumentor exemplo Beatæ Virginis, de qua commune eſt illud effatum. *Beatior fuit mente, quàm ventre*. Concepit autem ventre, & fruitur mente: igitur ſecundum communē ſententiā non ſolum non eſt imperfectior vnio beatifica, quàm hypoſtatica, ſed nobilior & perfectior; vnde Scotus facta ſibi optione malebat beari à Deo, quàm ſuppoſitari à perſona diuina.

Sextò: magis accedit ad ſummum bonum viſio beatifica, quàm hypoſtatica; igitur non eſt poſtponenda hypoſtaticæ. Antecedēs ſuadetur, quia vnio hypoſtatica ſatiat omnino appetitum: at vero hypoſtatica non ſatiat, quia niſi ordinaretur ad Beatitudinem, & coniuncta eſſet cum ea in radice, non foret ſatis ad ſatiandum: vnde ſi ſumātur ſeparatim, beatifica eſt terminus, & finis hypoſtaticæ, in quo quieſcit: at verò hypoſtatica non quieſcit in ſuo ſtatu, ſed anhelat ad vlteriorem beatificum.

Ac ne quis deſideret auctoritatem Patrum, Affero teſtimonium Auguſtini, quem aduerſarij nobis obijciunt. Is ergo tradit quam in primo argumento poſuimus doctrinam de ordinatione Incarnationis ad hominum beatitudinem. Lib. 1. de Trinit. c. 7. *Incarnationem*, ait, *Verbi Dei pro noſtra ſalute reparanda factam eſſe*. Et vtitur frequenter illo teſtimonio Pauli *Tradidit regnum Deo, & Patri*. Perinde ac is fuerit finis Incarnationis. *Perducit*, inquit, *credentes ad contemplationem Dei, vbi eſt finis omnium bonarum actionum, & requies ſempiterna, & gaudium, quod nunquam auferetur a nobis*. Et iterum c. 10. *Cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, ideſt cum credentes, & viuētes ex fide, pro quibus nunc mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem cui percipiendæ ſuſpiramus, & gemimus, & cum tranſierit labor, & gemitus iam nō interpellabit pro nobis*. Libro autem Enchirid. ad Laurent. c. 108. *Neque per ipſum liberaremur vnum Mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum, niſi eſſet Deus*. Quod argumentum ibi proſequitur expendens ſubtiliter, commemorans accuratè, eleganter deſcribens effectus, & fines Incarnationis in ordine ad iuſtificationem, & beatificationem hominum; quod item alijs in locis exequitur. Confirmatur illa eiuſdem Auguſtini celeberrima ſententia lib. 10. de Trin. c. 19. *In donis Dei nihil maius eſt charitate, & nullum eſt maius Donum Dei, quàm Spiritus Sāctus*, nempe nobis per gratiam communicatus, quæ eſt vnio beatifica. Sed quoniam aduerſarij nonnulla teſtimonia eiuſdem Patris Auguſtini nobis opponant, ea oportet diluere, imo & retorquere.

Obijciunt igitur primò teſtimonium lib. de predeſt. Sanct. c. 15. in quo grauiſſimè de Myſterio Incarnati Verbi loquitur, eiuſque excellentiam exaggerat: Inter alia ſic: *Prædeſtinata eſt iſta naturæ humanæ tanta, & tam celſa, ſubuectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet, ſicut pro nobis ipſa diuinitas quouſque ſe deponeret humilius non habuit, quàm ſuſcepta natura hominis cum infirmitate carnis vſq; ad mortem Crucis*. His exaggerat Auguſtinus dignitatem illius naturæ humanæ per vnionem hypoſtaticam: quibus perſpicuè oſtendit in ſummo vertice conſtitutam,

Digitized by Google

tutam, nec vllum eſſet altius illo faſtigium, quò poteſt aſcendere. Igitur dādę ſunt manus, & cedendum Auguſtino, ingenuèque fatendum maximam eſſe in genere doni hypoſtaticā vnionem. Reſpondetur tamen eam ipſam dignitatem, quam ſummam facit Auguſtinus, nec nos inficiamur, ordinatā fuiſſe tanquam medium ad ſalutem, & beatificationem hominum, tanquam ad finem illius aſſumptionis; vnde apparet quanta ſit dignitas illius vnionis, per gratiam, & gloriam, vt non cedat primæ, quæ à Deo ad ſecundum tanquam finem fuit inſtituta. Audiamus Auguſtinum, & eodem capite, & ſequentibus. *Prædeſtinatus eſt ille vnus, vt caput noſtrum eſſet: ita multi prædeſtinati ſumus, vt membra eius eſſemus.* Et iterum c. 16. *Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui.* Aſſertque locum Pauli ad Epheſios primo vbi continetur finis illius prædeſtinationis Chriſti. Ita Auguſtinus c. 18. *In charitate predeſtinans nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit, &c.* Huc ſpectabat illa naturæ humanæ à Verbo ſuſceptio, vt ſequeretur hominum adoptio. Ille fuit filius naturalis effectus, vt nos adoptiui fieremus: *ſecundum bonam voluntatem ſuam, quam propoſuit in illo inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis ſunt, & quæ in terris in ipſo, in quo etiam ſortem conſecuti ſumus, Prædeſtinati quidem ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius.* Proſequitur Auguſtinus. Legat qui volet. Totus noſter eſt, cùm auctor ſit illius ſententiæ, cauſam Incarnationis Verbi fuiſſe redemptionem noſtram post præuiſum Adę peccatum, vt illa altitudo dignitatis hypoſtaticæ vnionis ad hanc Crucis humilitatem ordinaretur, per quam homines ad culmē illud gratię iuſtificantis, & gloriæ beatificantis aſcenderent.

SECTIO VII.

An cum vnione hypoſtatica tam ſit coniuncta fruitio, vt ſine ea ſtare nequeat?

COmmunis Thomiſtarū opinio eſt tam eſſe connexas has duas excellentias, vt vna neceſſariò inuoluat alteram, ac proinde fieri nequeat, vt prima ſine ſecunda cōſiſtat. Auctor eius præcipuus Hēricus Gandauenſis Quodlib. 6. art. 6. Diuus Thomas, & Thomiſtæ minus perſpicuè idem docent, quatenus videlicet docent, omnia dona ſupernaturalia cum illa vnione eſſe connexa.

Primum argumentum eſt. Homini habenti lumen gloriæ, ſiue vt aiunt, habitum, & principium illius connaturaliter debetur viſio, & fruitio beatifica, adeò vt implicet cōtradictionem eum priuari beatitudine, eſſet enim beatus, & non beatus: Sed vnio hypoſtatica in ſubiecto apto, qualis eſt natura humana, exigit neceſſario illam vnionem per lumen, & viſionem beatam, cùm ſit illius fons & radix, ergo implicat eſſe vnitam Deo, & non frui Deo.

Secundò. Proprietates naturales ſequentes eſſentiam nequeunt ab ea ſeparari, ſicuti riſibile, & diſcurſiuum à rationali: ſed illa fruitio eſt proprietas connaturalis reſpectu vnionis hypoſtaticæ, igitur ab ea erit inſeparabilis: atq; adeo ex ipſa neceſſariò cōſequetur.

Digitized by Google

Tertiò: illa natura eſt coniuncta intimè Deo per vnionem naturalem, & habet immediatè præſentem Deum, ergo debet neceſſariò illo frui, quemadmodum qui rem oculis ſubiectam habet, neceſſariò debet eam intueri.

Quartò: ſi natura illa vnita poteſt priuari fruitione erit miſera, non beata. Hoc autem quis dicat? Erit rurſum inquieta, & non ſatiata; imo fraudata debito bono, quod eſt impoſſibile, cùm ſit vnita intimè ſummo bono.

Quintò: ſi natura illa poſſet nō frui, poſſet etiam non ſanctificari, & peccare, quod eſt prorſus abſurdum, & impium. Igitur ne hoc admittatur neceſſariò frui debet.

Confirmatur ex Anſelmo *Cur Deus homo* c. 10. ſic arguente *Primus homo erat peccabilis, quia Deus non erat: hinc ſequitur: ſecundus homo quia erat Deus erat impeccabilis.* Impeccabilitas autem oritur ex beatitudine, vel cum ea eſt coniuncta, igitur Chriſtus neceſſariò eſt & impeccabilis & beatus.

Scotiſtæ contrà exiſtimant, & aiunt fruitionem non eſſe ex natura ſua neceſſariò coniunctam cum vnione hypoſtaticà, ita vt non poſſit ab ea ſeparari. Ita Scotus in 3. d. 2. qu. 1. diſtinguens has duas vniones Hypoſtaticam, & Beatificam, vt vna non includat alteram. Vnde non ſequitur; neceſſariò vnitur Verbo, ergo fruitur. Scotum ſequitur Baſſolis hac q. 2. Lychetus hic diſt. 2. q. 1. Tartaretus, Cauellus, & cæteri comment. Rada controu. 4. art. 2. Aretinus d. 2. q. 2. art. 1. Delgadillo cap. 1. diff. 6. dub. 2. & alij. His argumentis.

Primò: quando duo effectus non ſunt ſimul, & vnus eſt natura ſua prior alio, & alterius rationis ab illo, poſſunt inter ſe ſeparari, & vnus ſine alio conſiſtere. Ita ſe habent vnitio, & fruitio. Ergo. Maior conſtat. Minor patet, quia effectus vnitionis eſt naturæ ad perſonam vt terminetur, ac ſubſiſtat, & cōſtituit naturam perſonatam: at verò effectus fruitionis, eſt ſuppoſiti iam cōſtituti ad actionem, quæ aduenit naturæ perſonatæ, qui eſt effectus alterius rationis, & omninò ab alio diuerſus igitur cùm ſit talis poteſt vnus eſſe ſine alio.

Secundò: vnitio ad perſonam eſt paſſio; & natura quādo vnitur patitur; at verò fruitio eſt actio ſupponens illā paſſionem, nec eſt cum illa neceſſariò coniuncta, cum ſit ab ea diuerſa per diuerſam actionem.

Tertiò: vnitio ponitur à ſolo Deo in natura, non concurrente actiuè: Fruitio autem ponitur à natura operante Deo cum ipſa cooperante, quæ ſunt duo diſtincta, & ſeiuncta, igitur non nexa neceſſariò, nec copulata.

Quartò: vnio terminatur, & ſiſtit in Verbo, nec tranſit ad alia: aliter eſſet extra ſe, eaque completur in eſſe certo perſonali, quod eſt ſufficiens ſibi, nec ab altero dependens, nec ad aliud neceſſario ordinatur: igitur ſatis erit ſibi illa vnio ſine alterius ſocietate, atque adeo non poſtulabit fruitionem cum ſit alterius rationis.

Quintò: vnitio eſt actio ad ſuppoſitum, non ergò ad actionem ſuppoſiti: alioquin inuerteretur ordo philoſophicus, & rueret illud axioma *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, & verum eſſet contrarium, nempe ſuppoſitum eſt actionum: etenim ſi neceſſario connexa eſſet operatio cum ſuppoſito, non poſſet eſſe ſuppoſitum ſine actione.

Sextò: quid commercij habet vnitio ad perſonam Verbi cum intellectione, & volitione obiecti beatifici? Illa eſt actio ad perſonam conſtituens eam, & manens intra compoſitum; at verò intellectio, & volitio tendunt à ſuppoſito

in

Digitized by Google

in obiectum; quæ tendentia omnino eſt per accidens ad perſonam.

Septimo: ex vi vnionis ſolum Verbum eſt præſens animæ aſſumptæ ſecundum eſſe perſonale: igitur ſi ex alia vnione eſſet etiam præſens in ratione obiecti, ſequeretur Verbum ſolum, nō alias perſonas efficere cum anima viſionem, & fruitionem, cùm tamē hæc ſit actio communis omnibus perſonis, aſſumptio vero ſit vnitio ſolius Verbi, non aliarum perſonarum in facto eſſe, & prout eſt ſuſtentatio, & terminatio naturæ humanæ.

Octauo: apparet diuerſitas vnionū hypoſtaticæ, & beatificæ, & independentiæ vnius ab alia, ex eo quòd poteſt fieri vnio hypoſtatica ad naturam irrationalem, & inſenſibilem, vti communiter docent Theologi. Igitur ex ſua ratione intrinſeca nulla eſt connexio neceſſaria inter eas, quandoquidē natura irrationalis, & inſenſibilis non eſt capax beatificæ vnionis. Sequela de vnione hypoſtatica ad naturam irrationalem, & inſenſibilem admittitur ab aduerſarijs.

Hæc ſunt argumenta Scoti pro hac ſententia, quæ ſi cum alijs comparentur ſolida, & inuicta reperientur.

IVDICIVM.

De tribus hoc eſt ferendum Iudicium, vt cùm vnum ſit de tribus, ſingula cōplectatur, & vnitatem, quoniam in vno verſatur, præſtet, & guſtum quendam præbeat ſummæ illius, qua de agitur, de Trinitate perſonarum in vna eſſentię vnitatis. Ac primum, ſi meo arbitratu res eſſet decernenda, nulla eſſet Scoto cum Sancto Thoma diſcordia. Arbitror enim vtrunque reapſe idem ſenſiſſe de vnitate, & vnione maxima duarum in vna perſona diuinæ, ac humanæ naturarum; eo tamen excepto, quòd S. Thomas addidit ſumi poſſe ab vnitate termini, in quo vnitur vnitatem, quę certè ratio mihi minus probatur. Quorſum enim vnitas termini ab vnitorum trahitur vnitate? cùm diuerſa manere poſſint extrema vnita? vti apparet in partibus quantitatis, quæ in puncto, quo nulla maior eſt vnitas, copulantur. An non ideo realiter diſtinguuntur? quin ipſa natura diuina, & humana diuerſæ omninò ſunt, & & impermixtę aduerſus Eutychetem, qui eas permiſcebat ſimul, & confundebat: quam ſuo loco hęreſim expoſuimus. Quare ſicuti ex vnione partium quantitatis in puncto non deducitur maxima vnio illarum, ita neq; in perſona Filij ſumma vnio naturarum colligetur. Itaque in Scoto probandum, quòd ea ratione abſtinere voluit, & ſeruata diſtinctione naturarum ad vnitatem prædicationum recurrit, obſeruando ex illa vnione reſultare communicationem quandam ineffabilem inter ſe naturarum, & proprietatum, vt mutua fierat prædicatio ratione termini, in quo vniuntur, ideſt perſonæ: quamquam ſi velimus Diuū Thomam in eundem hunc ſenſum trahere, non deſit idoneum fundamētum hac q. 2. a. 9. in reſponſione ad tertium: vbi exponens Auguſtinum ait, *Humana natura non eſt magis in Filio Dei, quàm Filius Dei in Patre, ſed multò minus; ſed ipſe homo in quantum ſcilicet idem ſupponitur in hoc, quod dico homo, prout ſumitur pro Chriſto, & in hoc quod dico Filius Dei, non autem eſt idem ſuppoſitum Patris, & Filij.* Hic inuoluitur ratio Scoti de communicatione idiomatum virtute illius vnionis in termino, ratione cuius Deus dicitur homo, & homo Deus, quæ non militat

litat in Patre,& in filio pro vt ſunt perſonæ, cùm realiter diſtinguantur, ac formaliter, & realiter opponantur, & mutuam excludant prædicationem relatiuè de relatiuo, quod miror latuiſſe Caietanum in Commentarijs huius loci art. 9. q. 2. huius 3. p. Gratum me acturum eſſe puto Thomiſtis quòd iſtũ modum exponendi inueſtigarem, & attulerim pro meo in Doctorem Angelicum ſtudio ſingulari.

Quod attinet ad auctoritatem Bernardi, cuius expoſitionem ex Scoto adductam, quæ minus arridet Vaſquio, & Suario, ſed immeritò, eã ita expono. Bernard[9] eo in loco cùm enumeraſſet diuerſas ſpecies, & formas vnionũ, inter alias poſuit iſtam hypoſtaticam, tãquã ſecundã à prima Trium perſonarũ in eſsẽtia, & quoniã huic eſt ſimilis vnio hypoſtatica, quia iungit tres ſubſtãtias, vt *ille* ait in eadem perſona, idcircò eam proximam iudicauit. Nam ſicuti in vna, & eadem natura diuina vniuntur tres perſonę realiter inter ſe diſtinctæ; ita in ſuppoſito Verbi vniuntur tres ſubſtantiæ, videlicet natura diuina ex parte Dei, & anima & Corpus, quas diſtinctas ſubſtantias eſse vult ex parte hominis; & hæc pulcra comparatio placuit Bernardo, vt maxima eſset vnio, quæ plures ſubſtantias coniungeret in vnitate perſonæ, quòd ea maxime imitaretur vnitatem trium perſonarum in vna natura diuina, in qua eſsent vnum, cùm in ſe diuerſæ omnino, & oppoſitæ permanerent. Erat itẽ maior vis vnitatis, quę plures diſtinctas ſubſtantias coniungeret, quales erant in Deo tres perſonalitates, & in Filio tres ſubſtantiæ. Hæc germana mens eſt Bernardi ſecundum illius genium, & ingenium, quæ mihi ex aſſidua eiuſdem lectione perſpecta eſt, & explorata, quo refellitur Vaſquez diſp. 20. c. 2. n. 12. & Suarius diſp. 9. ſect. 1.

Quoad Donum. Vnio hypoſtatica in ſuo genere maxima, vt ait Scotus, exiſtimanda eſt, vt nulla ſit dignior perſona, quàm diuina. Cæterùm non ei cedit unio beatifica, cùm ſit quaſi finis illius à Deo ſibi propoſitus, cùm Incarnationem decreuit, & illa ita nos Deo coniungat per gratiam, & Viſionem, fruitionemque beatificam, ut nihil deſiderandum ſuperſit, in eaque ueluti in centro quieſcamus; quam ſanè prærogatiuam non habet unio hypoſtatica, quæ vlterius anhelat ad beatificam, cùm ea Scoto auctore non inferat neceſſario fruitionem.

Itaque ſingulis perpenſis quęſtionibus, Scoti ſententia conſtat, & probabatur, ac in eo ſit maxima unio ingenij, & ueritatis, quæ certè rara commendatio eſt, cum ſumma plerumque ingenia nouitatis amãtia à ueritate deflectant. à quo tamen uitio longè abeſt Scotus, qui cùm ſit mortalium acutiſſimus, ueritatis ſemper cuſtos fidiſſimus inuenitur.

S COLLATIO

COLLATIO SECVNDA

DIFFERENTIA III.

Vtrum Perſona creata poſſit, & potuerit aſſumi ad Perſonam Diuinam?

SECTIO I.

Inquiritur mens S. Thomæ, & ſtatus quæſtionis proponitur.

FIdes docet: Verbum diuinum non aſſumpſiſſe naturam perſonatam hypoſtaſi propria, & humana, ſed ſolam naturam ſine perſonalitate, quemadmodum definitum eſt contra Neſtorium. Igitur de poſſibili quæſtio excitatur, cuius triplex eſſe poteſt ſenſus. Primus. An natura perſonata poſſit aſſumi, ita vt in ipſomet actu aſſumptionis amittat prius perſonalitatem, atque hac ſpoliata aſſumatur? Secundus. Vtrum poſſit aſſumi ſimul cum perſona propria, & perſonata vniri alteri perſonæ: ita vt exiſtant duę perſonæ? Tertius. Vtrum ipſamet perſonalitas ſit per ſe res aſſumptibilis?

Circa primum ſenſum magna quęſtio eſt de mente Sancti Thomæ. Nam is 4. cont. Gent. c. 43. ſignificat in eo ſtatu, ſi natura perſonata aſſumeretur, amiſſa ſubſiſtentia corrumpendam eſſe naturam, atque adeò nullam fore aſſumptionem. Ratio eſt, quia tam eſt nexa cum perſona natura, vt ad illius deſtructionem, hęc etiam deſtruatur. Hoc verò animaduertit Suarez diſp. 14. ſect. 1. vbi ait hoc indicare D. Thomam, addens rationem eius parũ concludere, & ſubiungit: Sanctũ Doctorem mutaſſe ſententiam 3. p. q. 4. a. 2. Vaſquez autem diſp. 33. c. 1. nu. 2. affirmat Sanctum Thomam illius ſententiæ auctorem eſſe 4. cont. Gent. cap. 43. ſe autem non videre *qua id ratione probari poſſit*; refert hanc opinionem Pontius in Comment. diſp. 5. q. 2. nu. 3. §. dicendum, ac neutrum citat. Tātùm ait *mirum eſſe D. Thomam hoc docuiſſe*. Quod attinet ad huius mentem, ita eo in loco docuiſſe video; non ſolum *indicaſſe*, quod ait Suarez; cui concedo mutaſſe 3. p. q. 4. a. 2. ſententiam. Vaſquio reſpondeo, me videre rationem, qua D. Thomas id potuerit affirmare: nimirum, quia cùm Sanctus Doctor ſubſiſtentiam intimam efficiat naturę, & immediatam, & ante exiſtentiam, vti vult Caietanus, & plerique Thomiſtarum

miſtarum exiſtimant, inter quos eſt Piccinardus inſignis Thomiſta publicus Metaphiſicæ in hac Patauina alma Vniuerſitate Lector, conſequenter cēſuit naturam amiſſa ſubſiſtentia exiſtentiam quoque amiſſuram, ac proinde eſſe deſituram, & penitus euertendam; quæ ſanè ratio valet ſuppoſito illo principio *D.* Thomæ.

Redeo ad Suarium, cui aſſentiri malui in eo quod ait D. Thomam mutaſſe ſententiam: quia in 3. p. q. 4. a. 2. dixit D. Thomas reſpondendo ad 3. *Dicendum quòd conſumptio ibi non importat deſtructionem alicuius, quod prius fuerat, ſed impeditionem eius, quod aliter eſſe poſſet. Si enim natura humana non eſſet aſſumpta à Diuina perſona, natura humana propriam perſonalitatem haberet, & pro tanto dicitur perſona conſumpſiſſe perſonam, licet impropriè, quia perſona Diuina ſua vnione impediuit, ne humana natura propriam perſonalitatem haberet*. Qui modus loquendi perſpicuè indicat ſolam perſonalitatem corrumpendam, non verò totam naturam; idem tradit in 3. ſent. diſt. 5. art. 3. ad 4. *Dicendum quod conſumere propriè dicitur deſtruere quod extitit, & ſecundum hoc perſona conſumpſiſſet hominem primò exiſtentem*. Quæ verba reſtringuntur ad ſolam perſonam, non ad totam naturam perſonatam. Quo ſenſu accipit Caietanus Commen. in q. 4. a. 2. *§. patet quintò*. quem miror nihil de huiuſmodi diuerſitate locorum commemoraſſe. Circa alios ſenſus immorandum, ac primum tertius remouendus, ſi velit diſceptare: Vtrum perſonalitas, ſiue ſubſiſtentia ſolitariè ſumpta ſumpta poſſit aſſumi ſeorſim à natura? cùm ſit impoſſibile in omni ſchola eam ſeparari à natura, cui ineſt, & qua cum realiter identificatur, quemadmodum ij auctores docent, quos ſuprà laudauimus, cum dubium mouimus de poſitiuo, & negatiuo. Igitur tota vergit quæſtio in naturam perſonatā, videlicet, vtrum ea ad perſonam diuinam aſſumi potuerit, & poſſit? nam de Fide conſtat de facto aſſumptam non fuiſſe. Atque in hac diſputatione res nobis futura eſt cum Caietano, qui Scotum impugnat, adductaſque ab eodem obiectiones ſoluere contendit, & cum Scoto inuoluit Aureolum.

SECTIO II.

Afferuntur argumenta Scoti ad probandum poſſe aſſumi, ſi perſonalitas conſiſtat in poſitiuo.

EX Caietano primum eſto. Si ſubſiſtentia, quid poſitiuum eſt, curabile eſſe debet, & ſanabile cùm ſit pars naturæ: igitur, & aſſumptibile. Sequela eſt idonea, quia tota natura poſita in actu redimi, & potuit, & debuit, cuius cùm ſit pars ſubſiſtentia, curari eam, & ſanari oportuit. Hoc argumentum ponit Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. & exponit Aureolus apud Capreolum in 3. diſt. 5. q. 3. & quidem eſt validum. Nam propterea Deus incarnari voluit, vt hominem lapſum redimeret, & ſuæ in qua eum condiderat, gratiæ reſtitueret. Igitur quidquid in eo erat pertinens ad hominem debuit aſſumere. Erat autem ſubſiſtentia pars hominis, ergo eam debuit aſſumere. Quo probatur non modò poſſe aſſumi, ſed de facto aſſumendam eſse, ſi eſset capax aſsumendi. Quod verò eſset capax, ex eo liquet,

quod eſt pars poſitiua hominis, & apta ad redimendum. Sin minus aſſignetur noua ratio cur non ſit aſſumptibilis?

Secundum. Nulla inuenitur ratio implicantię inter iſtam aſſumptionem perſonæ createę ad perſonam Diuinam ſpectata ratione aſſumentis, & aſſumpti? Igitur eſt poſſibilis aſſumptio. Antecedens patet, quia perſonalitas cùm ſit quid poſitiuum, non repugnat perſonalitati poſitiuæ. Patet quia nõ ſunt qualitates contrariæ, ſed ſubſtantiæ, quæ non habent contrarium, imò conueniunt in ratione perſonæ: nam quòd ſint diuerſæ in eſſentia, ideſt vna diuina, altera humana, id non importat contradictionem, cùm perſona diuina retineat veram rationem perſonę, atque adeo conueniat cum perſona humana. Ratio autem relatiua non adimit rationem conuenientiæ cum perſona: magis enim pugnaret in diuinis, quàm in humanis; ſed nón pugnat in Diuinis: ergo nec in humanis. Prætereà relatio per accidens ſe habet ad aſſumptionem, quæ fit ad relationem, prout eſt ſubſiſtens, quo quidem modo accipit, & amplectitur naturam humanam aduenientem, ſibique coniunctam,

Tertium. Subſiſtentia eſt quid creatum, & poſitiuum, & habet entitatem creatam; ſed omnis entitas poſitiua creata habet potentiam obedientialem in ordine ad Deum eleuantem ad effectus ſupernaturales, igitur ea poteſt eleuari à Deo per hanc potentiã ae ſubſiſtendum in perſona Diuina: nec enim alius effectus aſſignari poteſt, ad quem habeat in ſe illam obedientialem potentiam. Quòd ſi negetur minor, neceſſario afferenda eſt ratio impoſſibilitatis, quæ nulla prorſus apparet. Auferre autem ei potentiam obedientialem non viſa implicantia in congruum & iniuſtum eſt. Dicere autem carere illa rem creatam, & poſitiuam, perinde eſt, ac negare Deo obedientiam creaturarum erga ipſum cum intrinſeca, & innata dependentia ad creatorem.

Quartum. Hæc aſſumptio naturæ perſonatæ humanæ ad perſonam Diuinam eſt poſſibilis ex ratione ſua ſimpliciter loquẽdo, poſita opinione Thomiſtarum; ergo admittenda de potentia Dei abſoluta. Antecedens patet examinãdo eam compoſitionem. Etenim vti perſona diuina terminatur, & terminat naturam humanam immediatè, ac directò præſcindendo à perſonalitate creata eiuſdem naturæ, ita & perſona humanæ naturæ poſſet terminari, & terminare naturam Diuinam immediatè non interueniente perſona Diuina, cùm naturę non excludant perſonalitates, nec cum iis pugnent. Igitur poſſet fieri iſta coniunctio. Quid enim, quæſo, eſt, quod impediat coniungi perſonam naturæ, non perſonæ omiſſa coniunctione cum iſta? Sed quæris quomodo fieri poſſit? Dico quia nòn implicat naturam vniri perſonæ: hic autem ita eſſet, nec enim fieret vnio ad perſonam, ſed ad naturam. Cum autem natura diuina ſit infinita, cur non poterit perſonam aduenientem admittere, & ad eandem terminari, ſi is terminus ſit perſonæ, non naturæ? Eſſent tunc duæ vniones hypoſtaticę: Vna ad naturam diuinam perſonæ humanæ; altera perſonæ Diuinæ ad naturam humanam. Reſultarent item duo compoſita hypoſtatica, vnum Diuinum, & alterum humanum; nempè naturæ diuinę cum perſona humana, & naturæ humanæ cum perſona Diuina, nexa tamen & coniuncta inter ſe cum duplici genere communicationis idiomatum, atque adeò cum

duplici

Digitized by Google

duplici vnione mutua, & ex duobus compoſitis hypoſtaticis reſultaret nouum quoddam compoſitum ſubſtantiale totale, & omnino completum, & incommunicabile conſumpto omni genere communicationis, quæ per vnam tantùm vnionem hypoſtaticam minimè ſatiatur.

Quintum. Illa vnio hypoſtatica perſonæ diuinæ ad naturam humanã perſonatam, non eſt cum hac incompoſſibilis: ergo eſt poſſibilis eius aſſumptio. Antecedens probatur, quia ideò eſſet incompoſſibilis, quia natura vltimo ſuo termino adæquato completa, & in eo genere perfecta non eſt capax alterius terminantis. Verum hęc ratio non valet, quia terminus naturæ humanæ ſubſiſtentis eſt alterius rationis à Diuino ſuppoſito, qui cum ſit terminus increatus, & relatiuus, & non naturalis, ſed gratuitus, & ſupernaturalis, eſt omninò diuerſus à ſuppoſito naturali abſoluto, & finito, quæ ſunt diuerſæ rationes, quæ afferunt capacitatem ſubiecto perſonato, quod in ſuo tantùm eſt genere completum, & aliàs incompletum, & indifferens ad nouas perfectiones, & terminationes. His argumentis probabilis redditur hæc affirmatiua de aſſumptione naturę perſonatæ opinio: quam Thomiſtæ difficile negare poterunt, ſemel admiſſo perſonalitatem eſſe quiddam abſolutum, & intrinſecum naturæ, ſiue ſit realitas, ſiue modus iuxta differentiam auctorũ inter ſe diſſidentium. Et quidè his argumẽtis preſſi Hurtado d. 11. Metaph. ſ. 8. Arriaga d. 4. Metaph. ſ. 13. ſub ſect. 4. Ouiedo contr. 6. p. 5. nu. 10. implicantiam contradictionis negant, & Scoti ſententiam amplectuntur.

SECTIO III.

Reſponſiones Caietani ad hæc argumenta proferuntur, & refelluntur.

His obiectionibus redactus ad anguſtias Caietanus ita conatur earum vim aut eludere, aut elidere, aut effugere. Primo reſpõdet diſtinguendo. Quod eſt incurabile eſt in aſsũptibile: in natura, & ſi ſit natura concedo: ſi ſit in perſona, & perſona ſit, nego. Itaque ſtringit ſanabile, & curabile ad naturam, non autem ſinit extendi ad perſonam, & ſic explicat locum Damaſceni obiectum à Scoto. Summa eſt: ſolum hominem quoad naturam eſſe curabilem, & ſanabilem, & hanc denominationem non quadrare in ſuppoſitum; quod quis nõ videt eſſe libere dictum? Nam ſi ſuppoſitum eſt quid intrinſecum naturę; per quod illa completur, & ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, eſtque perfectio maxima naturæ, eamque ſequẽs ex intimis principiis, & antecedit exiſtentiam, quomodo excluditur à ratione naturæ? Neceſſe eſt vt aliò ſe vertat Caietanus, & aliam excogitet ſolutionem. Sumit quippe id quod eſt probandum, ſuppoſitum non eſſe aliquid naturę, nec in natura contineri, cùm ſit res tam intima naturę, vt ſit naturale illius complementum, perficiens eam in ſubſiſtendo independenter ab exiſtentia, igitur nec exiſtentia naturę, nec ſingularitas illius per quam ſingularis eſt & exiſtens ſanabiles ſunt in ipſamet natura, & hęc ſola in abſtracto conſiderata, eſt curabilis & ſanabilis, quod neſcio quomodo ſtet cum acumine Caietani, quem eò adigit argumentum, vt recurrat ad exemplum filiationis, quę relatio, vel quaſi relatio

Digitized by Google

eſt reſultans extrinſecus, & merum accidens, quod nequit venire in exemplum naturæ, nec pertinere ad conſtitutionem naturæ. Huc deuenit ſubtilis Caietanus, reſpondendo argumento Doctoris ſubtiliſſimi: vnde nequeat euadere.

Ad ſecundum nihil adducit Caietanus, quod rem contineat. Tergiuerſatur, & confugit ad litteram S. Thomę, vbi docet oportere corrumpi perſonalitatem Angelicam, vel humanam, ſi præexiſtens natura perſonata aſſumeretur, quod nos negamus, & ille ſupponit in littera Sancti Thomæ, vbi res illa minimè probatur, ſed ſolummodo ſupponitur. Ac ne quis putaret ſe nihil habuiſſe quod argumento reponeret digreditur ad oppugnandos quoſdam modos loquendi Scoti, quos ait ſibi non placere; ſicuti eſt *realitas actualiſſima, & determinatiſſima*. Quod certè putidum, & rancidum eſt genus reſpondēdi. Iterumque redit ad diſtinctionem naturæ, ac perſonæ contendens non includi perſonam in natura, & eādem crambem recoquit, quam primum poſuerat.

Tertio reſpondet Caietanus *§. & propterea*. Verſu *ad ſecundum* negando quamlibet creatam entitatem habere potentiam obedientialē ad aſſumptionem, quoniam hoc ei repugnat entitati, quæ ſit perſona, quod eſt petere principium. De hoc enim quæritur, cur ei repugnet, cùm ſit entitas poſitiua? Cauſam verò Caietanus cùm debuiſſet afferre, nullam prorſus attulit, quo ſignificauit nullam eſſe implicantiam, ſi enim foret eam ſanè attuliſſet, homo præſertim acutus, & minimè timidus, & ad Scotum impugnandum promptus, vbi ſuppetunt argumenta.

Ad quartum non eſt cur Caietanus reſpondeat, cùm illud à nobis ſit excogitatum. Verùm quoniam ille reprehendit Scotum *§. ad tertium* & *§. quartum* impugnemus illum & nos, in eo quod affirmat *poſse Deum conſeruare naturā ſine vlla perſonalitate*: quod aduerſus ipſum retorqueo. Ad hoc habet potentiam obedientialem natura, cur ergo non habebit eandem ad perſonæ aſſumptionem ad diuinam perſonalitatem? Etenim non minus videtur difficile vnum, quàm aliud. Carere quippe naturam omni ſubſiſtentia eſt priuari ſuo termino, & complemento naturali, & neceſſario, ſine quo nequit exiſtere in rerum natura. Aliter erit abſtracta ſicuti idea Platonica, cùm careat ſingularitate, ſubſiſtentia, & exiſtentia, ac proinde ſit communis, & maneat in ſtatu abſtractionis. Sequitur autem ex opinione Caietani, qui tenet exiſtentiam eſſe ſubſiſtentia poſteriorem; vnde fit conſectaneum, vt quæ non ſit perſonata, non ſit exiſtens, ac proinde conſeruetur à Deo actu ſine exiſtentia, & ſine ſingularitate, quæ ſemper eſt cum exiſtentia coniuncta. Ex quo impoſſibilitas apparet huius conſeruationis per actionem certam, & determinatam, erga naturam non exiſtentem, nec ſingularem. Ecquis enim tunc eſſet terminus illius actionis Dei conſeruatiuæ? Mihi nihil occurrit præter ſpectrum quoddam omnino ſimile ideis Platonicis. Conſulat ſibi Caietanus, & norit cùm Scotum reprehendit, dignum eſſe qui reprehendatur.

Quinto, & vltimo non poteſt Caietanus reſpondere, quia iuxta ſua principia perſona Diuina terminat per virtutem infinitam, in qua continetur eminentialiter vis illa ſubſiſtentiæ naturalis, ergo poterit exerere illam infinitatem virtutis, & per eam vincere difficultatem naturæ. Adduco ſimilitudinem

tudinem

Digitized by Google

tudinem aptam ad conuincendum: Natura diuina habet ſimul plures perſonas, in quibus neceſſariò ſubſiſtit propter ſuam infinitam fęcunditatem. Igitur propter eandem efficere poterit, vt vna perſona naturæ creatæ aſſumatur ad perſonalitatem diuinam, ac ea virtus conſumet quamlibet repugnantiam illius humanæ perſonæ ad aſſumptionem ad Diuinam.

SECTIO IV.

In ſententia Scoti de ſubſiſtentia per duas negationes omnes hactenus adductæ obiectiones aptè, & facilè ſoluuntur.

QVi conſideret attentè Scoticam de negatiuo ſuppoſito doctrinam, is planè comperiet illam multo eſſe ad tollendam huiuſmodi difficultatem aptiorem. Ea quippe aufert omnem rationem dubitandi, quæ in poſitiuo fundabatur. Etenim conſtat negationes nullo modo eſſe aſſumptibiles, cùm non ſint termini poſitiui, qualis eſt illa ſubſiſtentia Thomiſtarum imbibita cùm natura, ſiue modus identificatus cum natura. Vnde, quę videbatur nõnullis minus probabilis, ea apparet expeditior, & maximè probabilis. Itaq; ad hoc myſterium fidei defendendũ, & explanandũ non poteſt excogitari opinio congruẽtior, in ea quippe nullus prorſus eſt locus errori Neſtoriano, ponenti in Chriſto duas eſſe perſonas, cùm duæ eſſe nequeant, quòd perſonalitas ſit negatio, quæ non poteſt cum ſuo poſitiuo contradictorio conſiſtere. Nec opponas ſatis eſſe ad errorem Neſtorianum ponere vnam tantùm perſonam naturalem vnitam alteri per gratiam. Nam cùm gratia non ſit nexus, nec vinculũ naturale, nequit vnire naturam non perſonatam, ac proinde ſemper debet interuenire perſona humana, quæ vniatur per gratiam ad naturam diuinam; vnde Neſtorius inducebat perſonas duas in Chriſto, vt eas vniret per gratiam, quod in ſchola Scoti fieri nequit, quia perſona cùm ſit negatio tollit vnionem ad perſonam. Secus eſt in ſententia de poſitiuo, vbi non eſt contradictio, vti inter poſitiuas entitates, quæ ſolum eſt contraria, quæ ſuperari poteſt per diuinã, & abſolutam Omnipotentiam; cùm contradictoria, qualis eſt inter formam, & quaſi formam, & negationem illius vniri non poſſit. Quare lõgiſſimè recedat à Neſtoriano errore Scotus, cui penitus aufert inductis negationibus occaſionem errandi duas ſimul perſonas intrudendo. Igitur in alia de poſitiuo ſententia multis conantur auctores oſtẽdere, Verbum non aſſumpſiſſe perſonam, quia vltra fidem, quæ id nos de facto docet inueſtigare rationes volunt, quibus demõſtrent impoſſibilem eſſe eiuſdem aſſumptionem. Verum ſudant in aſſignanda impoſſibilitate, & alij alijs minimè ſatisfaciunt, & ſingulis ſuas inueſtigant, & ineunt vias, quòd alienæ tritæ non ſunt, vtpote minus faciles, & expeditæ, quemadmodum videre eſt apud Caietanum in Comment. ad hũc locum, & apud Vaſquez diſput. 33. & Suarez diſp. 8. & Cardinalem de Lugo d. 12. ſ. 6. qui teſtatur difficile eſſe inuenire rationem efficacem. Itaque diuerſi abeunt in diuerſas ſententias, ſicuti minimè conueniunt in exponẽdo illo modo loquendi Sanctorum Patrum *Deus aſſumpſit hominem*. Cõcordant omnes, & quidem iure Verbũ aſſumpſiſſe naturam humanam non perſonatam. Sed cùm eos vrget Ludouicus Viues eruditus Grammaticus locis Conciliorum, & Patrum, quos alle-

allegat lib.9.de Ciuit.Dei cap.17. ac inter eos Auguſtinum ibi,& lib. de Agone Chriſtiano c.11.& Epiſt. 66.& lib. de Prædeſt.Sanct.c.15.& Anſelmum lib. de Incar. c. 5. laborant maximè in ſatisfaciẽdo.Nam cùm ille modus ſubſiſtendi ſit intra naturam, videtur eam neceſſariò comitari , nec ammitti per aſsumptionem , ex quo difficultas oritur reſpondendi,Cur non aſsumpſerit hominem,cùm ſuppoſitum ſit modus intrinſecus naturæ poſitiuus? At verò in ſententia Scoti vno ictu tota ea, quanta eſt, difficultas præciditur, reſpondendo ſubſiſtentiam non eſse aliquid poſitiuum ad hærens naturæ , nec illam intrinſecùs afficere , nec actuare, ſed ſolum eſse negationem, per quam natura ſtringitur ad ſe, ſeque coercet ,& complet, & ad ſe quodammodo rediens ſubſiſtit . & terminatur, & redditur incommunicabilis, & independens ab alio termino negatiuè . Quare cùm aſsumitur deponit negationem , quæ pugnat cum aliena perſona ſine vlla vmbra difficultatis , & omnino repellitur Viues,dicendo ei ex aduerſo obicienti,quidquid eſt poſitiuum in natura, omne id eſſe aſſumptum à Verbo.Propterea Patres ac Concilia vtuntur ea phraſi *aſſumpſiſſe hominem* totum,quia quod erat in homine pertinens ad poſitiuam rationem naturæ humanæ totum id Verbum aſſumpſit, cùm ſubſiſtentia non eſſet aliquid naturæ, ſed tantùm negatio, quæ aſſumi non poterat. Cui rectæ rationi Ludouicus Viues omnino acquieſceret, nec vlterius garriret, quòd videret nihil in homine poſitiuum eſſe, quod non eſſet aſſumptum, & conſectaneum item admitteret non potuiſſe aſſumi ſuppoſitum, cùm minimè, quòd eſſet negatio, aſſumptionis capax eſſet. Videant igitur aduerſarij, qui reprobant noſtram de negatiuo ſententiam, quàm ea ſit veriſimilis, & facilis, & congrua doctrinæ catholicæ de Incarnatione, & ad refutandum errorem Neſtorij accòmmodata . Noſtri verò Scotiſtæ deinceps eam libentiùs amplectantur, quemadmodum hoc in loco d.5. q. 2.§. *ad aliã* fecit princeps interpretum Lychetus, qui cùm antea veluti dubiam ſub problemate reliquiſſet, vti vulgò Scotiſtæ noſtri opinantur, hic tamẽ in partem de negatiuo inclinauit. Idque animaduertit in Commentarijs Pontius n. 37. *§. ad aliam quæſtionem*.

SECTIO V.

Vtrum in natura humana aſſumpta detur appetitus ad propriam ſubſiſtentiam?

CElebrem Scriptores hanc quæſtionem,cum minoris momenti eſſe videatur, ſuis ſpeculationibus reddiderunt, quibus multas implere paginas ſolent. Nos breuiùs, ac expeditiùs agemus.Ac primùm ſecundum ſententiam Scoti de negatiuo parua difficultas eſt. Nec enim videtur aſſumpta natura retinere aliquem appetitum propriæ ſubſiſtentiæ, cum hæc ſit ſola negatio, quæ non eſt poſitiua perfectio, illa verò per aſſumptionem conſequatur ſummam perfectionem, ac in ea nobiliſſimè, & tranquilliſſimè requieſcat. Itaque negandum videtur in eo ſtatu appetere modum proprium ſubſiſtendi . Et quamquam modus iſte ſubſiſtendi in perſona Verbi ſit non naturalis, non eſt tamen contra naturam, ſed ſupra naturam, ac proinde ſupplet naturalem ſtatum, & perficit naturam.

Aliter res habet in ſententia, quæ collocat ſubſiſtẽtiam in poſitiuo: nam

Digitized by Google

cùm natura ſit perſonata, per ſuam naturalem ſubſiſtẽtiam, quam naturaliter poſtulat ex intimis principijs, quamquam loco huius accipiat diuinam ſemper inclinabitur, & verget ad ſuam propriam, tanquam ad centrum, ac proinde appetit illam propriam, nec altera, quæ eſt aliena eius appetitum ſatiabit, quanquam ſit perfectiſſima, & Diuina.

Caietanus, hoc in loco 3.p.q.4.a.2.§. *ad primum dubium* contendit acriter, vti ſolet, naturam nullo modo appetere propriam ſubſiſtentiam, idque latiſſimè probat. Caietanum ſequitur Suarez diſp.8.ſect.3.§ *Sed hic oritur*, qui ait ita ſentire Thomiſtas cum Caietano. Rationes huius opinionis ad vnã reducuntur, quæ huiuſmodi eſt. Appetitus naturæ omninò ſatiatur per illam vnionem cum perſona Diuina, cùm hęc ſuppleat propriam ſubſiſtentiam, eleuetque naturam ad ſtatum nobiliſſimum, qualem ſupra deſcripſimus verbis Auguſtini grauiſſimis de Præd.ſanct.c.15.igitur non eſt vlterius quod deſideret. Imò erit iniuria, quæ irrogabitur diuinæ perſonę exiſtimare, quòd ea non ſit ſatis, vel ad ſupplendum effectum perſonalitatis creatæ, vel ad ſatisfaciendum ex integro appetiui naturali aſſumptæ naturæ. Quæ ratio continet alias, quæ pro hac parte adduci poſſunt.

Contraria ſententia placet Patri Gabrieli Vaſquio, d.4.à quo ea magna mole probatur. Ratio tamen vna, quam ille optimam affert, & fusè explicat, ſatis eſto. Apetitus naturæ eſt innatus, non elicitus, ac inclinatio quædam naturalis, veluti rei tendentis ad centrum ſuum, qui non ducitur ratione, ſed pondere: Hic ergo non ceſſat in natura quamquam ſit in nobiliore ſtatu collocata. Vtamur exemplo materiali. Lapis conſtitutus in edito quodam, & illuſtri loco ad centrum vergit, & ſi ſibi relinquatur deſcendet, & relinquet eum, in quo eſt, ſublimem locum, quia non ducitur ratione aliqua, ſed naturali fertur pondere. Nec in exemplo quæras ſimilitudinem circa violentiam. Nam non id ago vt violenter eſſe dicam naturam in ſuppoſito: tantùm ſumo id, quod ſpectat ad inclinationem. Huc pertinet illud. Si in Arbore videas ramum deflexum, & curuatum, ac velis illum erigere in altum, ille non ſinit, & ad ſuum locum naturalem recurrit, quia ita comparatus fuit natura; ita res naturaliter affecta non ſatiatur ſtatu minimè naturali, quamquam nobiliſſimo, & perfectiſſimo; non quòd non ſit eo contenta, ſed quòd eſt extra ſuum ſtatum naturalẽ, quem ei natura aſſignauit. Quare & ſi natura humana ſit ſupra ſuum modũ ſubſiſtẽdi exaltata, & ſublimiùs, & nobiliùs eſſe non poſſit, tamen quia non eſt ſibi cõnaturalis, ſemper ſuum proprium reſpicit, & ad eum vergit, & inclinatur. Nec opus eſt ampliori ratiocinatione, ne videamur vti Rhethoricis amplificationibus. Illud conſiderandum naturam ratione non duci, nec reflectere ſupra ſe, quaſi cognoſcat illum ſuum ſtatum ſupernaturalem, eoque per ſenſum aliquem delectetur, ſed modo naturali, & vt dicam, bruto, in eo conſiſtere, ductũ, & inclinationem naturalem ſequendo. Atque vt aliquid altius, & re, quam agimus, dignius afferamus: Anima quæ hodie beata eſt in Cœlo ſine corpore in ſententia probabili non cenſetur perfectè beata, quia deeſt corpus, cuius ſtudio tenetur, quo dum ſocio caret inquieta quodammodo eſt, & ſolicita, ac ex illa ſolicitudine non tranquillatur in ſtatu beatitudinis. Quæ eſt Auguſtini do-

Digitized by Google

ctrina à nobis adducta, & ponderata in tomo de Scholis Theologicis, Schola 19. de Beatitudine c. 9. Quo exemplo nihil opinor, aptius, & congruentius, & illuſtrius afferri poterit; cùm præſertim Beatitudo fiat per actum elicitum animæ intellectualis, quæ tamen quia natura eſt, & pars corporis non ſatiatur perfectè, per beatitudinem, & anhelat ſocietatem corporis. Itaq; cum Vaſquio ſentio, poſita ſententia de ſubſiſtentia in poſitiuo.

Quod attinet ad violentiam, quam obiiciunt aduerſarij facilè reſpondeo, nullam hic interuenire, quia natura non eſt contra, ſed ſupra naturam, & in ſtatu ſupernaturali per potentiam propriam obedientialem, quæ non eſt quid diuerſum ab ipſamet natura, atque adeò non eſt in ſtatu violento, quia non eſt contra inclinationem naturæ, ſicuti eſt lapis in loco eminenti, & ſurſum aſcendens, qui ſemper violentiam patitur. Atque ego ſic diſtinguo: Violentiam non patitur, ſed tamen non amittit appetitum, nam ſupernaturalis ſtatus perfectiſſimus excludit violentiam, quam etiam tollit potentia obedientialis: veruntamen non amittit appetitum, quia hic naturalis eſt, & appetit id quod ſibi eſt connaturale: alioquin ſequeretur, accidẽs quando eſt cum modo per ſe ſubſiſtẽdi extra ſubiectum carere inclinatione ad ſubiectum; quod certè non eſt dicendum, quamquam enim per potentiam obediẽtialem ſit ita conſtitutum, præualet tamen potentia naturalis, quemadmodum obſeruat Aretinus hoc in loco, d. 1. q. 2. a. 1. *ſ. dico primo*. Hoc ferè modò Philoſophatur Felix noſter Hiſpanus c. 6. diff. 2. dum ait: *humanitatem in Verbo non eſſe violentam ſimpliciter; eſſe tamen ſecundum quid.* Verum de hac controuerſia in ſequenti iudicio explanatiùs agemus.

IVDICIVM.

Minor in hac collatione quæſtio inter Scholarum Princeps, quàm inter diſcipulos fuit. Imò & vnius, principalis tamen Thomiſtæ, Caietani, propria cum Scoto pugna extitit, quem Caietanus more ſuo prouocauit, vt veluti parem in acie aduerſarium ſe oſtenderet, eoque nomine ſeſe iactabundus venditaret. Sed imparem dimicando ſe oſtendit, cum Scotum audacter magis, quàm prudẽder aggreſſus expertus eſt in Scoto Achillem prorſus inuulnerabilem. Quin pœnas fidentiæ viſus eſt Scoto dare, cum oppugnari cęptus à Vaſquez acerrimò & fortiſſimo in Scholaſtico puluere bellatore inclinauit, ac loco ceſſit.

In principali quæſtione Scotus palmam tulit; tum ſubtilitatis, tum ſoliditatis. Quàm enim ſubtiliter diſtinxit inter ſubſiſtentiam in poſitiuo, ac in negatiuo collocatam? quàm acutè inueſtigauit rationes cur perſona creata, ſi poſitiua eſſet, non videretur ab aſſumptione ad perſonam Diuinam, per obedientialem potentiam aliena? quàm ſolidè rurſum probauit ex eo ſequi ſubſiſtentię rationem in negatiuo collocandam: vnde nemo arguere poterat aſſumptionis perſonæ ad perſonam poſſibilitatem? Retinuit tamen veritatem Catholicam in omni ſententia negando Verbum, hominem, idest naturam perſonatam hominis aſſumpſiſſe; ac vt meliùs Neſtorium refutaret, etiam negauit poſſibilitatem aſſumendi introducta negatiua perſonalitate, quæ omninò cum eo genere aſſumptionis pugnaret: quod animaduertit Vir ſecundum Scotum acutus

Gabriel

Gabriel Vaſquez. Qui etiam d. 34. obſeruauit in hac Scoti ſententia non eſſe locum opinioni, quæ dicit naturam humanam denudatam propria ſubſiſtentia, vti eſt in perſona Filij appetere ſubſiſtentiam naturalem, cùm negatio appeti non poſſit: ac proindè cùm ſit multò pręſtantiùs ſuppoſitari in perſona Filij, quàm in ſe reſtrictè, & completè per negationes ſubſiſtere, vbi natura penitùs ſatiatur, & quieſcit, nec vlterius quidquã deſiderat. Quod longè ſecus eſt in opinione de poſitiuo, quæ cùm ſit pars modusue intrinſecus naturæ, quo cum illa in vnum ſuppoſitum intimè coaleſcit, anſa dubitandi datur: An poſſit ita ab aliena perſona etiam diuina ſuppleri, ac perfici; vt omninò ei ſit ſatisfactum ſatiato, & extincto appetitu ingenitæ perſonalitatis? Quocircà nonnulli nobiliſſimi Philoſophi, ac Theologi, etiam Thomiſtis familiares exiſtimant non poſſe non appetere ſuam ſubſiſtentiã naturalem; qua ratione anima beata in Cœlo cùm fruatur Deo clarè viſo naturali inclinatione fertur in Corpus appetens illius ſocietatem, ſine qua nec quieſcit, nec quieſcet, donec cum eo, cuius naturalis eſt forma, per naturalem vnionem copuletur. Cuius ſententię Auctorem habemus, quem proximè laudauimus, Vaſquium. Verum quidem eſt noſtros aduerſarios ei opponere Suarium, parem pari quodammodo obijcientes, vt nos eo producto deterreant. Stamus tamen in gradu, nec loco tanti conſpectu viri demouemur. Pugnat ille quidem acriter pro ſententia Thomiſtarum, & producit Caietanum, & laudat Scotũ, quem deſerit, ſed nec euincit, quod contendit, nec vincit dum contendit.

Circa mentem Doctorum nihil admodum certi, & indubitati haberi vulgò creditur. Quòd ad me attinet ſentio Diuum Thomam quæſtionem hanc minimè attigiſſe, nec illum Caietanus vllo in loco allegat, qui tamen eam latè, & accuratè tractat 1. p. q. 4. art. 2. nec Suarez, nec Vaſquez homines diligentiſſimi vllum D. Thomę teſtimonium producunt. Caietano tamen anſam præbuit dictum S. Thomæ in reſponſione ad tertium, qui ſolùm ait. *Perſona Diuina ſua vnione impediuit ne humana natura propriam perſonalitatem haberet*. Quæ verba rem non continent; imò contrarium videtur innuere; nam vox *impediuit* ſonare videtur; impediuiſſe, quod erat naturale, ac proinde naturã eo priuare, quod ei innatũ cùm ſit ad illud inclinatur, & hoc Caietano, & Thomiſtis obijcio. Venio ad Scotũ. Diù in eo laboraui, ac vellẽ vt alij ante me ſtudioſiùs hac de re inquirerent. Ex alijs qui accuratiſſimi eſſe ſolent Vaſq. & Suarez eorũ alter Scoti non meminit: alter ei ſententiam affirmantẽ de naturali appetitu ad propriam ſubſiſtẽtiam attribuit: nec attribuit ſolùm, ſed ſuſcepto ſtudio eam ab illo probari oſtendit longiſſima ratiocinatione. Hac in re id primùm ſum magnoperè admiratus, quòd noſtri Scotiſtæ ſiluerint, & tacitum eum locum reliquerint, quem affert Suarez, videlicet in quodlib. quodlib. 19. q. 3. & ſanè ibi §. *De ſecundo*, verſu *ex ſecundo, ſic arguitur*, n. 21. pag. 511. vbi dicit: Naturam humanam non habere intrinſecam rationem dependendi à perſona Verbi, cùm per ſe ſit ſatis independens, & terminata per propriam ſubſiſtentiam: & addit hoc aſſumptum probando, *Natura Chriſti, & mea ſunt eiuſdem rationis; & meæ non competit aliquid, quod ſit ratio taliter dependendi ad Verbum, quia tunc mea violenter ſubſiſteret in propria perſona*. Vbi di-

ſcurſus ille quem ponit Suarez innuitur. Ex quo deducitur, naturam vbi ſit naturaliter, eò inclinare, & ſi inde deturbetur, vbicunque collocetur, ibi fore violenter. Cùm igitur natura non ſit in Verbo naturaliter, nec per intrinſecam dependentiam colligitur eſſe in ea violenter, atque adeò ibi appetere propriam, & naturalem ſubſiſtentiam. Itaque eo in loco Lychetus ad finem commentarijs litt.O. *Accipiendo*, inquit, *aptitudinem pro inclinatione naturali, quia vt ſic tantummodo inclinatur ad proprium ſuppoſitum.* Ecce Suarij opinio de Scoto eo nixa teſtimonio. Mihi tamen alius locus occurrit manifeſtior in eodem Scoto, nempe in hoc 3.d.1.q.1. vbi conſtituit rationem ſubſiſtentiæ in duabus negationibus celeberrimis actualis, & aptitudinalis dependentiæ: *Nulla*, inquit, *eſt natura, vel entitas creata, cui repugnet contradictoriè depẽdere ad Verbum: tamen negatio dependentiæ aptitudinalis poteſt concedi in natura creata perſonata in ſe ad Verbum: alioqui violenter quieſceret in perſona creata, ſicut lapis violenter quieſcit ſurſum*. Addit mox talem aptitudinem eſſe aptitudinem obedientię: rurſum infrà verſu *Et licet*. n.11. *Negatio aptitdinis in eſt naturæ perſonabili etiam quando actu dependet, quia actum ſupernaturalem non concomitatur aptitudo in natura, cùm ſit tantum in potentia obedientiali ad ipſum:* vbi Lychetus num.4. *Doctor dicit, quòd non dependet aptitudine ad aliud ſuppoſitum, quia ſi haberet naturalem inclinationem ad illud, tum violenter eſset in proprio ſuppoſito*. Poſteà num.5. *Quærendo, ſi natura humana ſingularis quando dependet actu ad Verbum habet naturalem inclinationem ad proprium ſuppoſitum, vel ad per ſe ſubſiſtendum, quæro à te an habeat naturalem inclinationem ad ſuppoſitum diuinum? Certum eſt quòd non eſt ibi contra naturalem ſuam inclinationem ſic violenter*. Proſequitur num.6. *Dico quod quando eſt in ſuppoſito Diuino habet naturalem inclinationem ad ſuppoſito proprium: ergo eſt contra naturalem inclinationem in ſuppoſito Diuino. Negatur conſequentia, ſed tantum quòd ſit ibi præter naturalem inclinationem propter potentiam obedientialem*. Quæ vera eſt, & germana Scoti ſententia. Habet inclinationem naturalem ad proprium ſuppoſitum ſine violentia, propterea quod per obedientialem potentiam eſt in diuina perſona: ex qua potentia oritur quædam aptitudo, ſiue inclinatio ad illum ſtatum ſupernaturalem, quę non aufert naturalem, nec cum ea pugnat, quæ noſtra eſt propria, & genuina ſententia. In qua diſſentio à Lychero ita ſcribente eodem loco: *Non haberem pro inconuenienti naturam humanam ſingularem naturaliter inclinari ad ſuppoſitum Diuinum, & proprium, quia in ſuppoſito Diuino eſt nobiliſsimè ſuppoſitata, & perſona*: non enim hic dicendi modus, mihi arridet, tum quia inclinatio illa nequit eſſe naturalis, cùm ſit obediẽtialis, tũ quia eſt contra Scotum toties dicentem, ſi ea inclinatio ad perſonam Verbi eſſet naturalis, fore, vt in ſe eſſet violenter. Miror autem Lychetum dicere *non declinando à mente Doctoris*, cùm meo iudicio hæc opinio à Scoti mente ſit aliena. Quòd attinet Suarium arbitror eum ex Lycheto ſuam illam Scoti expoſitionem ſumpſiſſe, nam illa in Scoto nuſquam, opinor, inuenitur. Id me ſolùm moratur, quod Suarius tacuit de ſententia Lycheti, quæ certè ad Thomiſtarum placitum reduci poteſt. Me iuuat, qui ſenex diſco à Scoto, Lychetum

tum

Digitized by Google

tum religioſiſſimum Scoti interpretem diligentia, & obſeruantia ſuperaſſe, cùm in cæteris longo ille me anteeat interuallo. Suarium neſcio qui excuſem. Vſus eſt Lycheto pro Scoto; nec mirum eſt in re ſuppoſiti ſuppoſitum ab eo eſſe vnum alteri. Verum eo veniam meretur, quòd alterũ Scotum inuexit; eſt quippe Lychetus alter Scotus, adeo vt is non dedignetur Lychetus haberi. Quare Suarius audire poterit à Scoto *Non errasti*, inquit, *Pater, quia & hic Scotus eſt*.

COLLATIO SECVNDA

DIFFERENTIA IV.

DE CAVSA, ET FINE INCARNATIONIS FILII DEI.

Vtrum ſi Adam non peccaſſet Dei Filius Homo futurus eſſet?

Ad quæſt. 1.3.p.ar.3 & 4. & in 3.d.1. qu.1.ar.3. & in 4.d.3.ar.2.qu.3. & 4 cont.gent. c.55. & de Verit.q.19.ar.4.ad 3.

SANCTI THOMÆ.

Et in 3.ſent.d.7.q.3. ʃ.*ſed hic ſunt*, n.3 Scoti.

SECTIO I.

Inueſtigatur mens Doctorum.

SAnct. Thomas 3.p.q.1.a.3. ſic in corp. *Quidam dicunt, quod etiam ſi homo non peccaſſet, Dei Filius incarnatus fuiſſet. Alij verò cõtrarium aſſerunt, quorum aſſertioni magis aſſentiendum videtur*. Et ad 4. *Prædeſtinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati* in 3.tamen diſt.1.q.1.a.3. vtranque partem dicit probabilem. Inclinat tamen ad eam quę ſupponit prę-uiſionem peccati, & ſoluit contraria argumenta; alijs locis eadem ſententiam tradit. Scotus contra in 3. d.7. q.3. ʃ.*ſed hic ſunt*. n.3 ita. *Deus prius vult Animæ Chriſti gloriam, quàm præuideat Adam caſurum*. Et mox: *Non propter iſtam ſolam cauſam redemptionis videtur Deus prædeſtinauiſſe illam animam*

Digitized by Google

mam ad tantam gloriam cum illa redemptio non ſit tantum bonum quãtum eſt illa gloria Animæ Chriſti : nec eſt veroſimile ſummum bonum eſſe tantùm occaſionatum, ſcilicet propter minus bonum. Eandem ſententiam tradit diſ. 19.q.vn.*§.in iſta quæſtione*.n.6.& in Reportatis d.7.q.6.alias 6.

In hac quæſtione, quæ habetur grauiſſima, vterque Doctor cenſuit vtranque partem eſſe veriſimilem. Nam Diuus Thomas id perſpicuè dixit in loco 2.ſent. Scotus autem in modo proponendi idem ſanè ſignificauit. Fecerunt autem ambo è re ſcholaſtica. Dũ extremas duas ſententias poſuerunt: alteram quæ negat incarnandum Dei Filium ante præuiſionem peccati: alterã quæ affirmat: excluſa media via, qua duæ iſtæ ſententiæ concilientur, quæ certè impedit potius, quàm expedit quæſtionem. In quo ego Gabrieli Vaſquez Theologo acutiſſimo aſſentior, qui hanc mediam viam indignatur.

Igitur ſtatus quæſtionis eſt: Vtrum Deus ita prædeſtinauerit Chriſtum propter ſolam Miſericordiam ſuam in remedium peccati poſt illius præuiſionem? An primò ad gloriam ſuam, & altitudinem myſterij, & Chriſti dignitatem independenter à redemptione? quę ſi non eſſet neceſſaria ſublato peccato, adhuc eſſet Incarnatio futura: quę eſt propria huius loci controuerſia. In qua D. Thomas videtur negantem tradere ſententiam reſtringendo Incarnationem ad remedium peccati, eamque Thomiſtæ communi conſenſu tuentur: tum Interpretes in hunc locum 3.p. quales ſunt Caietanus, Medina, Ioannes à S. Thoma, Gonetus, Salmanticenſes, cum Valentia, Beccauo, Molina, Amico, Arriaga, Corneio, Raguſa, Tannero, Orlando, & aliis, inter quos eſt inſignis Theologus Gabriel Vaſquez acerrimus eius ſentẽtiæ propugnator diſ.10.& 12. vbi latiſſimè, & acuratiſſimè tuetur hanc doctrinã, & impugnat æmulum Suarez quamquam nomine ſuppreſſo, quod ſolet. Cum Vaſquez ſentit Lugo diſp.7. Ex alijs eandem doctrinam tradit Bonauentura in 3.d.1.a.2.q.2. Richardus ibi. a.1.qu.2. Toſtatus Epiſc. Abulenſis in c.5. Matthęi q.44. Arboreus li.2. Theoſoph.cap.8. Carthuſianus in 3. d.1. q.2. Argentina in 3.d.1.a.4. ſequuntur item D. Thomam Capreolus in 3. d.1. q. vn. ar.1. Ferrarienſis 4.cont. Gent. c.55. & Petrus Tarantaſia quem citat Carthuſianus q.2. Ex noſtris placuiſſe videtur hæc ſententia, iuxta Poncium, Baſſoli in 3.d.1.q.5.& Mayroni d.8.q.4. de quo tamen ſecus exiſtimat Lychetus hic, & de Baſſoli Aretinus.

Scoto adhærent omnes alij Scotiſtæ Lychetus in Comm.& Tataretus, & quos laudat Lychetus Landulphus à Neapoli, & Petrus à Candia. Rada contr.5.a.3, Vulpes diſp.5.a.3.& Aretinus d..7.q.3.a.6.8.& 9. Maſtrius diſp.4. q.1. Delgadillo c.6. difficult.3. Faber. diſ. 20. ac Pontius in Comment. ad 3.d.7.q. 3. ex aliis Galatinus de Arcanis Catholicæ veritatis, lib.3.c.4.& lib.7. cap. 13. Gabriel diſt. 7. Almaynus ibid. Albertus Pighius lib. 8. de libero arb. c.1.art. 2.& 3.& lib.10.c.1. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis c.20. in princ. & ſeſſ.1.verſ.4. Catharinus opuſc. de exim. Chriſt. prædeſt. Iacobus de Valentia Pſalm.81. & 102. & Suarez 3. part. ſum. to. 1. q.1. diſp.5. ſect.2.& 5. à quo hæc pars doctiſſimè & erudiſſimè omni ſacræ eruditionis genere confirmatur. Verum eſt quidem eum mediam quandam viam inueſtigaſſe, ac iniſſe: de quo cum eo expoſtulat Vaſquez, vti proximè animaduertimus,

&

& nos indicamus loco opportuno: nec à Vaſquio in hoc diſcrepamus. Verùm in capitali controuerſia Suarez Scoto conſentit.

SECTIO II.

Aſſertur, & ſuadetur S. Thomæ ſententia.

AVctoritate præcipuè nititur Sacræ Scripturæ, & Patrum, vt videre eſt in S. Thoma locis indicatis, & in Patre Gabriele Vaſquez Viro doctiſſimo. Ego paucos delibo palmares. Matthæi 18. *Venit Filius Filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*. Ioannis 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Prima ad Timoth. 1. *Ieſus Chriſtus venit in Mundum peccatores ſaluos facere*. Veteris teſtamenti nullum video adduci locum. Mihi videtur idoneus ille Iſaiæ toto c. 53. qui proponit paſſionem Domini. Ibi enim ſunt quæ rem continent *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra*. Illa notanda eſt comparatio. *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque à via ſua declinauit*. Significat enim Verbum Dei ad quærendas oues, & colligendas veniſſe: quam Cauſam affert Lucas adhibita comparatione ouis illius perditæ, propter quam Verbum reliquit nonaginta nouem, ideſt Angelos, vt eam recuperaret, inferēs: *Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat*. Itaque hi duo loci videntur ſibi concinere. Rurſum Abacuch 3. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Salus videtur finis iſtius egreſſus à diebus æternitatis.

Secundum Sacram Scripturam eſt ſymbolum Nicenum, vbi habetur: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis, & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto, & homo factus eſt*. Præterea Sancta Mater Eccleſia id propriè, & perſpicuè expreſſit in ea lectione Sabbati Sancti. *O certè neceſſarium Adæ peccatū, quod Chriſti morte delendum erat*. Cuius teſtimonij magna vis eſt, nam vox *Neceſſarium* aſſignat totam cauſam Incarnationis Redemptioni peccati. Patres multi, & inſignes ſunt. Profero nonnullos. Primus eſt Tertullianus lib. de Incarnatione Chriſti c. 4. *Certè Chriſtus dilexit hominem quæ propter deſcendit*. Alter Athanaſius ſerm. 3. contra Arian. *Vt cognoſcas noſtram culpam dediſſe ei occaſionem, vt deſcenderet*. Iterum. *Ob noſtram ſalutem ita humanus extitit, vt in humano corpore eſſe vellet, & apparere*. Tertius Nazianzenus Or. de Theol. qu. 36. *Quæ autem*, inquit, *humanitatis à Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? profectò, vt nobis ſalus pararetur, quid enim aliud cauſæ afferri poteſt?* Legat qui plures velit Patrem Vaſquez diſp. 10. c. 5. Latinorum vnum laudare, quod ſoleo, Auguſtinum volo, cuius ſententiam antequam Scoti Scholam ingrederer hāc eſſe exiſtimabam. Igitur hic lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 26. ſerm. 8. & 9. de verb. Apoſt. lib. de Agone Chriſtiano c. 10. & 11. ſerm. 14 de tempore, Epiſt. 45. Pſalm. 36. circa medium affirmat cauſam Incarnationis Chriſti fuiſſe redemptionem mūdi, imo & negat vllam aliam fuiſſe. Duo teſtimonia fortiora produco lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 26. *Quæ*, inquit, *ſufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe* (præcido nonnulla) *niſi vt hac miſericordi* di-

diſpenſatione miſericordiſſimæ gratiæ ſuæ, quibus tãquam membris in ſuo capite conſtitutis caput eſt ad capeſſendum regnum cælorum, viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret. Iterum ſer. 9. de verb. Apoſt. initio. *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino niſi peccatores ſaluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ*.

Rationes non admodum curant auctores, quia res de facto, & quæ pẽdet à voluntate Dei in Scripturis, & Patribus potius quærenda eſt, quàm argumentis probanda. Quod notandum eſt in Caietano, & Vaſquez, qui vehementiùs contendunt improbare oppoſitam, quaſi alienam à doctrina Sacrarum Scripturarum, & Patrum, quàm ſuam argumentis ſtabilire. Veruntamen conabor ego pro meo marte & more nonnullas vel rationes, vel coniecturas idoneas afferre.

Prima. Miſericordia Dei eſt attributum, quòd maximè commendat bonitatem illius, & nihil eo eſt in Sacris litteris celebratius, quo videtur maximè Deus delectari, ſed Incarnatio Verbi in remedium peccati ſpectat propriè ac proximè ad miſericordiam: igitur huic eſt aſſignanda, non alteri.

Secunda, ſi Incarnatio facta fuiſſet ex alio motiuo manifeſtandi gloriam Dei, & dignitatis, altitudiniſque myſterij, fuiſſet potius facta in Angelo, quàm in homine, tum quia Angelus eſt nobilior, tum quia eſt Deo natura ſimilior, cùm ſit Spiritus, tùm quia numerus Angelorum eſt multò maior, quàm hominum, atque adeo iuſtior fuiſſet Angelizatio, quam Incarnatio.

Tertia, quia gratia Angelorum non fuit ex meritis Chriſti: nec illi quidquam beneficij ab eo leguntur in Sacris litteris accepiſſe, ſed à ſolo Deo immediatè præciſa Incarnatione: Igitur ad ſolos homines pertinuit Incarnatio,

Quarta, quia in alia ſententia vix expediri poteſt via ad materiam prædeſtinationis hominum, & Angelorum intelligendam. Nam quomodo prædeſtinati ſunt homines, ſimul cum Angelis, qui nunquam præuiſi erãt peccatores, cùm homines præuiſi eſſent peccatores, & quomodo in eo ſigno prædeſtinari potuit Chriſtus cum Maria Virgine Matre ſua, quæ eum genuit in carne mortali?

Quinta, & valida. Non eſt aſſignabile decretum, quo Incarnatio Verbi ſtatueretur. Igitur non eſt decreta Incarnatio propter illa motiua. Probatur aſſumptum hoc modo. Decretum eſt de obiecto certo, & determinatè futuro: ſed illud decretum de incarnando in eo ſigno non potuit eſſe certum, & determinatum: ergo nullum fuit. Minor eſt certa, quia Deus non decernit in confuſo, nec relinquit obiectum ſuſpenſum, & velut in aere, quod vulgò dicitur, ſed ponit rem in indiuiduo, determinatè, ac diſtinctè. At verò ille Chriſtus, qui decernebatur venturus in eo ſigno ante præuiſionem peccati, erat terminus confuſus, & indeterminatus: erat quippe indifferens ad carnem, vel non carnẽ, & ſuſpenſus ad qualitatem carnis patibilem, vel impatibilem, quod non eſt admittendum. Præterea pugnabat cum ſequenti decreto de carne mortali, & patibili: extrahebatur quippe ab illo ſtatu ſuſpenſionis, & indifferentiæ ad alium terminum contrariũ, nempe carnis mortalis, & paſſibilis, per quod deſtruebatur primum decretum ſuſpenſum, & indifferens; vnde

Digitized by Google

vnde apparet abſurditas, & impoſſibilitas illius decreti. Et hoc fateor validiſſimum eſſe pro ſententia D. Thomæ contra Scoticam argumentum, in quo multum laborant Scotiſtæ noſtri, quibus illud non leue negotium faceſſit, nec ſolutiones videntur illius difficultatem exhaurire.

SECTIO III.

Proponitur, & probatur Scoti ſententia.

SCoti contraria ſupponit varia ſigna, ſiue ſtatus præciſiuos, quos ponimus in prædeſtinatione creaturarum, quæ nos enucleatè tradidimus tom. 1. Collat. ad diſtinc. 41. Scoti: quorum primum illud eſt, in quo Deus cognouit, & prædeſtinauit omnes electos ad gloriam ante omnia merita, & demerita præuiſa, ac omniũ primum fuiſſe Chriſtum antecedenter, & independenter à remedio peccati prędeſtinatum ex motiuo primario ſuæ gloriæ, & dignitatis myſterij. Itaque illa fuit intentio prima, & palmaris diuina: decernere Incarnationẽ Verbi filij ſui independenter à remedio peccati, & motiuo redemptionis, itaut Chriſtus conſtitueretur caput, & Angelorum, & hominum, & initiũ omnis poteſtatis, & gratiæ, & principium omnium creaturarum cum ſumma excellentia in arce dignitatis altiſſima conſtitutus.

Primum pro hac ſententia ex Scripturis teſtimonium eſt Prouerb. 8. *Dominus poſſedit me* (ſiue vt legunt Septuaginta) *creauit me in initio*, ſiue *initium viarum ſuarum*. Quod de Incarnata ſapientia exponunt communi ſententia Patres, & Interpretes Græci, & Latini. Satis ſit ex Græcis Cyrillus lib. 5. Theſauri cap. 4. & 8. vbi *Quærendum eſt*, inquit, *quis eſt, qui dixit Dominus creauit me*? & reſpondet *Chriſtus iam homo factus*. Ex Latinis Auguſtinus ſerm. 58. de Verb. Dom. *ſecundum formam*, inquit, *Dei ante omnes colles genuit me*; *ſecundum formam ſerui Dominus creauit me initiũ viarum ſuarum*. Et Eccleſiaſtici 24. *Ab initio, & ante ſæcula creata ſum*: quod de eadem ſapientia intelligitur. Hæc in Veteri teſtamento. In nouo plura inueniuntur, & perſpicua. Ad Coloſſ. 2. dicitur, *Primo genitus omnis creaturæ*, & rurſum, *Vt ſit in omnibus primatum tenens*. 1. ad Corinth. 3. *Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei*. Ad Hebręos 2. nu. 10. *Propter quem omnia, & per quem omnia*. Quæ continent primatum Chriſti ſuper, & inter omnes creaturas, in quibus cenſentur Angeli. Plures locos affert Suarez; qui etiam plurimos Patres pro hac ſententia adducit diſp. 5. ſect. 2. ac in ijs Epiphanium in Ancorato, & Hęreſi 69. Athanaſiũ contra Arianos ſerm. 3. Hilarium 12. de Trinit. Ambroſium lib. 1. de fide c. 7. Rupertum, etſi recentiorem, ſed perſpicuè & eleganter hanc ſententiã tradentem lib. 3. de glor. & hon. Filij hominis in Matthæum, & li. 3. de glor. Trinit. & proceſs. Spir. Sanc. c. 20. vbi eſt hoc illuſtre teſtimonium: *Religioſè dicendum, reuerenterque audiendum, quia propter hunc hominem gloria, & honore coronandũ Deus omnia creauit*. Et iterum: *Rectiùs dicitur non hominem propter Angelos, ſed propter quendam hominem Angelos quoque factos eſſe, & cetera omnia*. Quo nihil dici potuit in rem aptius, & venuſtius.

Meum erit Auguſtinum afferre, & quidem in eo loco, quem aduerſarij nobis eripere conantur, lib. 1. de nupt,

& concup.c.21.vbi agens de ſtatu hominis ante peccatum admittit fore in eo, ſi homo perſeueraſſet, Sacramentum Matrimonij, quod eſt figura, & ſymbolum Chriſti, & Eccleſiæ; ex quo patet Auguſtinum exiſtimaſſe, quamuis peccatum non extitiſſet, fore tamen Eccleſiā cum ſuo capite Chriſto, in eo Sacramento Matrimonij figuratum, & commendatum. Quid enim clarius, & manifeſtius iſto conſectaneo? Audiamus verba Auguſtini *Reſpondebit operatio propagandæ prolis. Ego in Paradiſo magis felix eſſem, ſi peccatum non fuiſſet admiſſum. Ad me namque pertinet illa benedictio, Creſcite, & multiplicamini. Ad hoc opus diuerſi ſexus diuerſa membra ſunt condita: quæ quidem ante pecccatum iam erant, ſed pudenda non erant. Reſpondebit pudicitiæ fides: ſi peccatum non fuiſſet, quid me in Paradiſo ſecurius eſſe potuiſſet? vbi nec ſtimularet mea, nec alterius me libido tentaret. Reſpondebit etiam Cōnubij Sacramentum: de me ante peccatum dictum eſt in Paradiſo: Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: quod magnum Sacramētum dicit Apoſtolus in Chriſto, & in Eccleſia.* In paradiſo ante peccatum eſſet matrimonium felicius ſine concupiſcentia: illud eſſet ſacramentum, quod Chriſti, Eccleſiæq; coniugium ſignificaret; igitur ante peccatum eſſet Chriſtus, quem ſignificabat. Hæc eſt germana mens Auguſtini.

Ad argumenta procedamus. Primò probatur celeberrimo & aptiſſimo argumento Scoti hoc in loco, quod Achilles eſt. Finis Dei in ſuis operibus eſt gloria nominis ſui: ad hanc pertinet Incarnatio Filij Dei, ergo primario facta eſt ob illam gloriam, tanquā finem. Maior eſt certa. Minor ſic probatur à Scoto, qui intēdit ordinatè finem, intendit primò & principaliter quod eſt proximum fini: ſed Incarnatio Verbi eſt proximum myſterium ad illum finem gloriȩ obtinendum, cùm ſit glorioſiſſimum; igitur debuit ex primaria Dei intentione ante alia omnia intendi, & ad eam tanquam finem ordinari. Confirmatur quia non videtur decorum Deo interponi peccatum inter Deum, & inter nobiliſſimum opus Dei, & myſterium præſtantiſſimum, qualis eſt Incarnatio.

Secundò. Alienum prorſus eſt à ratione ſumum bonum ad extra, cuiuſmodi eſt Incarnatio, ſcopus, & finis primariæ, & directæ intentionis Dei obiter, occaſionaliter, & incidenter euenire, & occaſione ſummi mali intendi, ac eligi, ita vt ſi ſummum malū nō eſſet, non eſſet tantum myſterium futurum, qua certè ratione eius dignitas, & præſtantia minuitur.

Tertiò. Si præuiſio peccati Adæ fuit prima ratio motiua Dei ad incarnandum, nihil ea Incarnatio contulit Angelis, neque hi Chriſti quidquam gratiæ, nec gloriæ debent. Vnde ſequitur tanta bona, quanta ſunt Angelica, cum ipſiſmet Angelis ſpiritibus nobiliſſimis, nihil ad Chriſtum attinere.

Quartò admiſſa contraria ſententia daretur anſa Angelis querelæ, quòd nullum remedium datum fuerit naturæ ſuæ habenti per quod reparetur, ſicuti datum fuit naturæ humanæ, quæ tantum eſt inferior Angelica.

Quintò arguitur ab inconuenienti. Non eſſet perfecta Hierarchia in cœlo prædeſtinatorum, nec plena concordia, nec iuſta harmonia, quia non eſſet in Chriſto vnita, Angelis independenter ab eo prædeſtinatis, hominibus dependenter: his Chriſto coniunctis,

iunctis, illis à Chriſto ſeiunctis præciſo influxu: & nullo nexu neceſſitudinis interueniente. Itaque nec amoris inter omnes perfectio, nec concordiæ vinculum, nec harmoniæ ſuauitas exiſtet.

Sextò, ſuadetur à ſignis. Conſtat quippe de familiaritate Angelorum cum hominibus, & multitudine officiorum erga eos, vt omnino videãtur cum iis in vnam ſocietatẽ coaleſcere, & vnum corpus myſticum componere, ſub vno, ac eodem capite Chriſto. Quarè & in cęlo videntur fore inter ſe ſociati, & permixti, vt nulla ſit diſſimilitudo in meritis, & præmijs; & quidem naturæ ibi ratio habenda non erit, ſed gratiæ: æquales quippe homines erunt Angelis, imo & nonnulli ſuperiores gratia, & gloria: quod ſignum eſt per Chriſtum omnes tum Angelos, tum homines fuiſſe prædeſtinatos, ab eoque gratiam, & præmium accepiſſe.

Septimò videtur indecorum quiddam, & abſurdum interuenire, nam non debuerunt Angeli ſic præteriri à Deo, vt nihil commune haberẽt cum Chriſto, nec decuit Chriſtum ad ſolũ genus humanum arctari. Vnde contrà ſequitur, decorum, tum Chriſto, tum Angelis eſſe, vt beneficia gratiæ, & gloriæ omnes ab illo fonte participarent, & nullus eſſet gratiæ riuus, qui ab ea origine non manaret. Aliter, nec illi contenti eſſent gratia aliunde hauſta, nec ille diuinus fons tam anguſto alueo contineretur, vt extra humanos limites non decurreret, & ſolos arenteſque humanitatis agros irrigaret, & inamęnos, & latos, & vberes Angelicę gentis campos minimè redundaret, quo haud dubiè imminueretur beatitudo, & gloria Chriſti videntis fructus glorię Angelicæ ad ſe minime pertinere.

Octauò, ſi filius Dei non veniſſet etiã propter Angelos, ſed iis, vel omiſſis, vel excluſis ſolos homines amplecteretur, quomodo vnum caput eſſet omnium & hominum, & Angelorum? Næ ille primogenitus omnis creaturæ nõ audiret. Nam caput dicit ordinem ad corpus: Si ergo Angeli non ſunt per Chriſtum, quomodo erunt in Chriſti corpore, & quo iure in eius membris numerabuntur? Impropriè certè appellabitur Chriſtus caput eorum, quos à corpore ſuo excludit, nec Primogenitus dicetur eorum, quos conſanguineos, ne dum fratres non habuit. His argumentis Scoti ſententia ſtabilitur.

SECTIO IV.

Argumenta Thomiſtarum diluuntur.

Omnibus teſtimonijs ſacræ Scripturæ, imo & Patrum vno modo idoneo, & facili reſpondetur. Videlicet loqui de Incarnatione prout eſt executioni mandata, & viſibiliter facta in carne paſſibili ad remedium hominis lapſi, præſcindendo à quæſtione ſpeculatrice: An ille aduentus Chriſti eſſet futurus, etiam ſi Adamus non peccaſſet? Itaque aliæ rationes occultæ manſerunt in ſecretis Dei, qui voluit demonſtrare ſuam miſericordiam erga genus humanum lapſum ad doctrinam noſtram moralem. Hac ratione Patres de iſta viſibili Incarnatione locuti ſunt, quæ nos ad æternam ſalutem duxit. Quorum intererat ſcire, quòd Deus miſericordia ſua voluit redimere genus humanum per Crucem, & mortem Filij ſui. Cætera huius myſterij inuiſibilia, & ad Angelos pertinentia in virtute primi,

vt ſic dicam, decreti, erant extra notitiam noſtram, quæ Deus ſibi reſeruabat. Ad illas particulas excluſiuas, quas ponit Auguſtinus cum quibuſdam alijs Patribus, videlicet *Nulla alia cauſa fuit*, reſpondetur, eas eſſe proprias huius myſterij, vti factum eſt in carne paſſibili ad redimendum genus humanum ex motiuo pietatis, & miſericordiæ ad excitanda hominum corda ad amorem Dei, & gratitudinem erga benignum Dominum. Igitur procedunt in eo ſenſu loquentes de Incarnatione ordinata ad remedium peccati, quæ ſola cauſa fuit aduentus in carne paſſibili, & paſſionis, & mortis Filii Dei. In hoc ſenſu accipienda ſunt illa verba benedictionis cerei Paſchalis, *O certè neceſſarium Adæ peccatum*, nimirum ad iſtiuſmodi decreti executionem à Chriſto faciendam ſuppoſitò peccato: Ecquis enim ſciret quid acturus erat Deus ante præuiſionem peccati, quod erat in occultis diuinæ prouidentiæ arcanis abditum, quæ ſcrutari non licet? Propterea Sancta Mater Eccleſia, quæ nos cum tremore, & pietate nutrit ad fidem, ea proponit, quę de fide ſunt, ac de ijs agit, quę ad ſalutem noſtram pertinent cum humilitate operanda. Abſtinet quippe prudenter à cæteris, quę ſunt abſcondita in Theſauris diuinæ ſapientiæ, quemadmodum etiam procedit in alijs myſterijs de Trinitate, & Euchariſtia: de quibus ea tantùm docet, quæ neceſſaria ſunt homini ad fidem ſeruandam, & profitendam, reliquis ad Scholam reſeruatis. Vno Verbo: Eccleſia docet certa, & ſalutaria, neceſſaria, & vtilia ad ſalutem, & quæ poſſint virtutes excitare, & pietatem promouere, non improbat tamen modeſtè, & reuerenter de cęteris ſecretioribus, & altioribus diſputare ad ingenia exercenda citra periculum errandi, quod etiam eſt conducibile ad hæreticos, qui acuti, & eruditi interdum ſunt homines, conuincendos.

Primum argumentum diluitur dicendo reſpectiuè ad nos homines, quibus datæ ſunt ſcripturę, ſummum Attributum eſſe miſericordiam, quod res hominũ agebatur, quorum Deus miſertus fuit. At verò abſolutè loquẽdo ſunt alia Attributa altiora, & nobiliora, quę immediatè oriuntur ex eſſentia, vt immẽſitas, ęternitas, Omnipotentia, quæ reſpectu miſericordiæ concipiuntur abſoluta, & minus foras reſpicientia, & quodammodo ad intra. De quibus ſi Angeli loquerentur, qui non ſunt illam miſericordiam experti, quę ſupponit peccatũ, non dubitarẽt ea anteponere miſericordiæ, vel ſaltem illi ęquare bonitatem, & liberalitatem Diuinam in ſe communicando per gratiam, per illuminationem, & alios modos ineffabiles prouidentię erga ipſum hominem in ſtatu innocentię ante peccatum. Itaque hominibus conueniebat miſericordiam commendari, vt gratitudinis monerentur. Pręterea miſericordia ſupponit miſeriam, & peccatum, & in hoc ſtatu eſt magis neceſſaria, quàm alia quępiam attributa, quę quoad nos nobiliora videntur, qualis eſſet prouidentia, ne homines peccarent, & damnarentur. Tãdem ideo laudamus miſericordiã, quia incomprehenſibile eſt Deum miſereri, cùm in eum cadere non poſſit miſericordia propria, quę dolorem cordis ſignificat, à quo Deus eſt alienus, & quia cùm Deus ſit Dominus, & beatus, nec ab hominibus vllatenus dependeat, admiratione dignum videtur mirum, quòd eorum miſertus fuerit, ac eos à miſerijs, & pœnis pro ſua

tantùm

Digitized by Google

tantùm pietate tam mirabili modo liberare voluerit, quaſi ex intimis miſericordiæ viſceribus ea redemptio proueniret.

Secundum ſoluitur dicendo Incarnationem non fuiſſe factam ex ſolo fine gloriæ *Dei*, & dignitatis myſterij, ſed etiam ex altero redemptionis humanæ, quæ ad homines pertinebat: vnde ij debuerunt comprehẽdi. Quòd autem incarnari debuit potius in Angelis, non eſt veroſimile, quia tunc homines excluderentur à myſterio, cùm Angeli eſſent prę uiſi ante homines: homines autem non excludebant Angelos cùm eſſent ijs poſteriores. Deinde in Angelis non erat locus redemptioni, cuius incapaces erant, quia immobiliter apprehendunt, nec poſſunt pœnitere. Prætereà Deus volebat oſtendere vtrumque attributum magnificentiæ, & miſericordiæ, idcircò non aſſumpſit Angelicam naturam, quæ non erat maſſa damnata, nec miſericordia indigebat, vti humana per peccatum corrupta. Tandem quia eſſet inconueniens aſſumere naturam Angelicam, cùm in multas ſpecies diuiſa ſit, quarum ſi vnam aſſumeret, aliæ derelictæ queri poſſent, quaſi contemptæ: præſertim in ſententia Sancti Thomæ, qui omnes Angelos facit ſpecie diuerſos. At verò natura humana erat accommodata ad Incarnationem, cùm eſſet vna integra ſpecies, & ad omnes homines redemptio perueniret.

Tertio negatur aſſumptum. Etenim gratia Angelorum potuit eſſe gratia Chriſti, quamuis eſſet diuerſæ virtutis, ac minoris efficaciæ, quàm hominum in lapſa natura. Dicendum igitur vtramque fuiſſe ex meritis Chriſti, ſicuti etiam fuit gratia Adami innocentis, quæ fuit ſimilis Angelicæ, non efficax ex natura ſua, & inclinans arbitrium ad bonum, ſed tantùm ſufficiẽs, quę excitaret quidem, non tamen inclinaret voluntatem, ſed relinqueret eam in ſui arbitrij poteſtate, quod pro ſua ęquali in vtrumque partem indifferentia manebat in ęquilibrio conſtitutum, vt oblato adiutorio gratię pro ſuo libito ea vteretur, vel non vteretur: quale genus gratiæ Angelorum, & hominis ante peccatum deſcribit viuis coloribus Auguſtinus lib. de Correp. & grat. & appellat adiutorium *ſine quo non*, de quo nos ſępiſſimè in Cortina, Mente Innocentij, Scrinio Auguſtini, & tandem in 2. ſent. Collat. 7. Omnis igitur gratia per Chriſtum, ſiue efficax, ſiue inefficax beneficium Chriſti eſt, vt in omnes creaturas capaces libertatis influeret ad merendum. Imò retorquetur argumentum. Angeli habuerunt gratiam, non redemptionis, ergo aliam ex alio motiuo, & in alio ſtatu; illa gratia erat per Chriſtum, igitur hic venturus erat ex alio fine, & motiuo, ac proinde non ſolùm occaſione redemptionis à peccato.

Quartum ſoluitur aſſignãdo viam facilem, ac expeditam ad prędeſtinationem hominum, & Angelorum iuxta doctrinam à nobis traditam in 1. ſent. diſt. 41. Collat. 11. differ. 4. Nam in primo ſigno prædeſtinatus eſt Chriſtus cum Beata Virgine Matre ſua. In ſecundo omnes Angeli, & homines independenter à prę uiſione peccati, & meritis Chriſti incarnandi ex primo motiuo. In tertio, quod non pertinet ad Angelos, fuit prę uiſum peccatum, & omnes homines etiam iam prædeſtinati extiterunt in Adamo maſſa damnata. Ex qua Chriſtus voluit eripere eos, quos anteà prædeſtinauerat redimendo eos

Digitized by Google

in executione à maſſa peccati. Neque hac in re eſt maior difficultas, quàm in ſententia contraria, quæ dicit in primo ſuo ſigno poſt peccatum originale prædeſtinatos non fuiſſe homines ad talem, & talem gradum gloriæ ex primo intuitu Dei, ſed tantùm prædeſtinatos ad gloriam, nec per hæc, vel per illa media, ſcilicet Martyrij, pœnitentiæ, vitæ innocentis, & cum omnibus certis, & determinatis circunſtã tijs. Igitur quomodo ij ſe expediunt, ita & nos expediemus. Signa rationis ſequimur, quibus vtraque via vtitur præſtando filum ad hos ſcholaſticos labyrinthos explicandos, & euadendos.

Quintum eſt maioris negotij, vt ingenuè fatear; nec, opinor, hactenus à noſtris hominibus perfectè ſolutum. Semper enim ſupereſt radix alicuius difficultatis. Legat noſtros, qui volet, & alios noſtris adhærentes, ſi non aliquam difficultatem inueniet. Ac de eo iactare ſe ſolent Thomiſtę. Accuratiùs igitur concinnanda reſponſio, quæ propterea erit aliquantò prolixior.

Reſpondeo. Decretum Dei ſupponere ſcientiam antecedentem de rebus decernendis, ac proinde, Deum prius pręuidiſse obiecta decernẽda, quã decreuiſſe, eique pręſcientiæ ſe decernendo conformaſſe, & vtranque, tum pręſcientiam, tum determinationem in puncto æternitatis, in diuerſis tamen ſignis rationis præceſſiſſe, ſecundum quendam ordinem prioritatis ſumptum à rebus ipſis, & obiectis: vt quod prius natura, & ordine ſit, id prius, & præſciatur, & decernatur. Ita vt in Deo ſit vna ſolùm, & indiuiſibilis notitia, & ſimile omnino Decretũ. Tunc vidit Deus ſimul illa omnia, quæ decreuit vti vidit; & momento æternitatis decreuit, & vidit hoc modo: In primo ſigno vidit prædeſtinatum Chriſtum, eumque decreuit venturum, & propter eum alios prædeſtinatos, quorum caput futurum erat. In ſecundo vidit peccaturum Adamum, quod non decreuit, ſed permiſit. In tertio vidit Chriſtum redemptorem, eumque venturum decreuit. Igitur, & notitia, & decretum ordinem ſeruarunt obiectorum. Fuit tamen vna notitia, & vnum decretum circa omnia obiecta in re ipſa ſeruatis prioritatibus iuxta ſigna rationis. Hæc autem ſunt præciſiua, non executiua, quaſi ſint tres diſtinctæ notitiæ, & tria diſtincta Decreta: nam in re vnum eſt adæquatum, nec excludit aliud, nec ponit aliquid in obiecto, ſine alio ſigno. Nec verum eſt dicere, vidit prius, aut decreuit in re, ſed omnia ſimul, & in vno puncto videntur, & decernuntur. Seruantur tamen illa ſigna præciſiua, & veluti indeciſa, & ſuſpenſiua ſequentium, non tamen excluſiua illorum. Itaque expectandum quodammodo eſt totale, & adæquatum decretum, quaſi per interualla ſignorum in mente decurrens, donec ex omnibus ſignis conflatum conſtituatur. Applico doctrinã. In primo ſigno videtur quidẽ, ac decernitur Chriſtus præciſiuè, nõ vti videtur, ac decernitur in tertio, ſed inadæquatè, & pro illo ſigno tantùm, non quod ita ponẽdus ſit in re, non enim ponitur, niſi vt eſt in tertio ſigno, quod eſt adæquatum, ſed quod ratione primi ſigni reſtringitur ad illam prioritatem pręſcindendo ab alijs, non excludendo; ſed expectando alia ſequentia, vt ſit adæquatum. Cum autem adequatum conſtet ex omnibus illis ſignis, in iſto videntur, & decernuntur omnia, & iſtud tertium ſignum eſt executiuum

omnium

Digitized by Google

omnium. Poſſet quidem poni in executione primum ſine tertio, ſi *Deus* ita vellet, cum neceſſaria non ſit connexio primi ſigni cum alijs, & obiectum in illo ſit ſufficiens ad terminandum decretum de Chriſto independente à carne paſſibili. Voluit tamen Deus vt tertium ſignum expectaretur, quod eſt carnis paſſibilis, & adæquatè compleretur illud myſterium initiatum in primo ſigno.

Si vero obijcitur non poſſe poni in primo ſigno, quia in eo non eſt certum, neque determinatum obiectum, ſed præciſum, & ſuſpenſum, reſpondeo: prout eſt factum decretum adæquatum reduplicatiuè non poſſe poni in executione ſolitarium poſſe tamen ex vi ſui ſpecificatiuè, & inadæquatè. Etenim ſi Deus vellet ibi ſiſtere, eſſet obiectum ſufficiens. Iterum vrges. At in eo primo ſigno non determinatur obiectum: V. G. non decernitur, in qua carne venturus ſit. Reſpondeo concedendo in eo ſigno præſcindi ab eo, quia eſt inadęquatum reſpectiuè ad ſequens ſignum, in quo eſt adęquatum in carne paſſibili. Si autem Deus in eo primo ſigno ſiſteret, tunc eſſet adæquatum, & veniret in carne non paſſibili. Vtor apto exemplo. Adam fuit decretus à Deo. Quomodo? Nam Adam habuit duos ſtatus immortalis in ſtatu innocentiæ, & mortalis in ſtatu peccati. Vnde Deus habuit de illo duas notitias, vt ita dicam, & duo decreta, vel vnum adæquatum, & duo inadæquata. Tunc quomodo ſe habuit Deus decernendo Adam in primo ſtatu? Certè non in ſtatu præciſiuo à morte, non excluſiuo decreti mortis. Non erat igitur obiectum certum, & determinatum, nec adæquatum, & tamen ille ſtatus fuit, & decretum de eo fuit: ergo non pugnat cum decreto inadæquato modus ille decernendi præciſiuè ſuſpendendo, & expectando, non excludendo ſequens decretum inadęquatum, per quod ſit obiectum, & decretum adæquatum.

Adhibeo aliud exemplum: Quando nos conſideramus myſterium Trinitatis inuenimus prioritatem originis inter perſonas, nimirũ Patris erga Filium, & Patris, & Filij erga Spiritum Sanctum, & ſecundum illa ſigna rationis præciſè ſumpta, quando intelligimus Patrem, præciſè conſideramus generationem ſolius Filij, & tamen ſimul ſunt in re Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Vnde apparet veritas ſignorum, ita vt vnum præſcindat ab alio, & ſuum proportionatum habeat obiectum, non tamen continent obiectum alterius ſigni, quæ ſi ſumantur adæquatè, re ſunt, & continent idem. Rurſum: intelligimus eſſentiam diuinam ante perſonas in quodam veluti ſigno rationis. An ideo reapſe eſſentia vel eſt, vel eſſe poteſt ſine perſonis? nequaquam. Erit ne bona illatio? In illo ſigno non apparent perſonę, ergo non ſunt perſonę? Abſit. Sic ergo in caſu hoc noſtro. In primo illo ſigno apparet Chriſtus Filius Dei homo futurus. Non apparet autem in qua carne venturus ſit, quia id pertinet ad aliud ſignum, quod complet decretum adęquatum. Itaque pręciſiuè proceditur ſequendo ſigna, & ordinem illorum inadęquatè ſecundum pręciſiones, donec ad completum, & adęquatum obiectum veniatur.

Ad argumentum igitur in forma reſpondetur, cùm ſic proponitur: Vel Chriſtus, ex vi primi decreti veniret in carne paſſibili, vel non? Reſp. ſupponis falſum eſſe duo decreta, eſt vnum quippè adęquatum, & in eo Chriſtus

de

decernitur in carne paſſibili venturus. Quid ergo decernitur? Pro primo ſigno pręſcinditur, & ſuſpenditur obiectum, & nihil de eo determinatur, quia inadęquatè proceditur, non enim pertinet ad hoc ſignum determinatio ad carnem paſſibilem, quæ pertinet ad decretum adęquatum, quemadmodum in exemplis oppoſitis vidimus. Si vrgeas: ergo Deus decernit confusè, & nihil certum ponitur per illud decretum. Diſtinguo. Nihil ponitur in ſe poſitiuè, adęquatè concedo: pręciſiuè, & inadæquate nego. Ponit quippe pro eo ſigno inadęquatè obiectum in ſtatu in quo eſt præciſiuè, non excludendo decretum adæquatum; ſicuti non poteſt in Trinitate dici: Filius in eo ſigno, quo gignitur, non ſpirat Spiritum Sanctum, quia ſigna non ponunt in re quidquã, nec ad ſe contrahunt exiſtentiam rerum, vti ſunt, & actu exiſtunt, ſed tantùm diſtinguunt rationes pręciſiuas, quę in re ſunt idem, & tantùm ſecundum prioritates quaſdam, & independentias diſtinguuntur, & præciſiuè, tanquam ſi eſſent ſeparatæ, conſiderantur.

SECTIO V.

Quid reſpondent Thomiſtæ argumentis Scoti?

VAriè torquentur, & mirè excruciãtur Thomiſtę Scoti argumẽtis. Subtiliſſimus vir eſt adeo vt Angelica Schola, quę ſatis eſt acuta, & ingenioſa in iis ſoluendis laboret, & ſudet. Satis ſit vnum, & palmarium, & proprium Scoti adducere, ab eo poſitũ in 3. d. 7. q. 3. §. *ſed hic ſunt* n. 3. & à nobis ſupra ſect. 3. primo propoſitum. Videlicet. Ordinatè volens prius vult quod eſt fini propinquius; propinquior autem eſt Chriſtus, quàm cęteri prædeſtinati ad gloriam & ſuam, & Dei, in cuius gloriam cedit Incarnatio, igitur Chriſtus eſt primus prędeſtinatus. Pater Gabriel Vaſquez vir acutiſſimus fatetur ingenuè huius argumenti difficultatem diſp. 11. quę longa eſt, eamque in eo ſoluendo conſumit, & improbat omnes alias ſolutiones, quas Thomiſtę ante ipſum adhibent, ac in primis Caietani, quam explodit c. 1. arguens eam contradictionis. Et c. 4. ait Thomiſtas nonnullos recentiores conuictos argumento Scoti facile ei conceſſiſſe quod volebat. Quare reiectis omnibus reſponſionibus excogitat aliam propriam ſuam, eamque concinnat ex doctrina ſancti Thomę, eaque adhibita putat facili negotio dilui argumentum. Ita cap. 6. latiſſimè.

Verùm quod ille argumentum affirmat ab alijs integrum eſſe relictum, ac exiſtimat à ſe ſolutum, adhibita noua reſponſione, pace tanti viri dico, idem prorſus ipſe integrum, & inſolutum relinquit. Idque ego ei ſuſcepto ſtudio perſuadere volo adducta ſua reſponſione. Proponit doctrinam de finibus, Cuius & Cui, deſumptam ex Ariſtotele lib. 2. de Anim. c. 4. Tex. 35. & 37. & repudiata interpretatione Themiſtij, & verſione Perionij, quem video minus interdum in reddendo ſenſu eſſe fidelem, ait Finem Cuius eſſe illum cuius gratia omnia fiunt vt obtineatur; qualis eſt *ſanitas* in medicina, quæ totam ſeriem remediorum ad ſanitatem, tanquam ad finem dirigit & ordinat. Finis autem *Cui* eſt ad quem hæc ſanitas ſpectat, & cui attribuitur, qui ea fruiturus eſt, videlicet *Petrus* vel *Antonius*, qui eſt ſanè vltimus finis, & in ſuo genere nobi-

nobilior, quando ad Deum alter finis *Cuius* iam obtentus terminatur. Melior quippe eſt homo ſanitate. Hoc præmiſſo ita reſpondet Vaſquez c. 6. argumento Scoti obſeruando primò: Media propinquiora fini non eſſe attendenda, neque menſuranda ex nobilitate, ſed ex efficacitate, vt illa ſint propinquiora, quæ ſunt efficaciora. Deinde reſpondet Incarnationem nobiliorem eſſe redemptione, ſed redemptionem eſſe propinquiorem fini propoſiti à Deo. Statuit autem iſtum finem eſſe oſtenſionem miſericordię Dei, cui eſt propinquior hominis redemptio, quàm Incarnatio Verbi; facit autem redemptionem finem *cuius gratia*, & hominem finem *cui*, & concludit: *Ex quibus ſequitur Incarnationem non fuiſſe præfinitam niſi præuiſo peccato Adam ſcientia viſionis abſoluta, nam cum finis huius prædeſtinationis fuerit redemptio, & hæc ſine peccato eſſe non potuerit, neceſſe fuit occaſione peccati præuiſi incarnationem prędeſtinari*. Miror Patrem Vaſquez hominem acutum hanc ſolutionem adhibere, & exiſtimare illam ſoluere argumentum Scoti. Ac primùm Scotus nunquam dixit nobiliora media eſſe propinquiora fini, neque efficaciora ad illum obtinendum, ſed dixit media quæ ſunt propinquiora fini ea prius intendi, quàm ea quæ ſunt remotiora, nihil curando nobilitatem, vel ignobilitatem medij; vnde illa diſtinctio Vaſquez rem non continet. Præterea Scotus alium finem propoſuit longè diuerſum ab eo, quem proponit Vaſquez, quia Scotus cùm loqueretur de Prædeſtinatione Incarnationis ante præuiſionem peccati nō propoſuit oſtenſionem miſericordiæ Dei erga hominem redimendum, ſed oſtenſionem gloriæ Dei per excellentiam, & dignitatem myſterij. Vnde ſequitur mediū propinquius ad oſtenſionem gloriæ eſſe medium Incarnationis, non autem redemptionem, quæ ordinabatur ad oſtenſionem miſericordiæ; itaque Scotus locutus fuit ante præuiſionem peccati, vbi non erat locus, neque miſericordiæ, neq; redemptioni, quam Vaſquez inducit in ſua ſententia, quæ eſt D. Thomæ, cui Scotus aduerſatur: ac proinde Vaſquez non attingit Scotum, nam Scotus loquitur in primo ſigno Dei prædeſtinantis propter gloriam ſuam ante omnem præuiſionem peccati, Vaſquez autem loquitur in ſecundo ſigno poſita præuiſione peccati, ante quod ſignum negat Incarnationem fuiſſe prædeſtinatam.

Vnde hæc reſponſio Patris Vaſquez aſſumit, quod non debet. Mutat quippe poſitionem Scoti, & ſubmittit ſuam. Iterum dico: Scotus loquitur de prædeſtinatione in primo ſigno rationis, quando Deus decreuit prædeſtinare Angelos, & homines ad gloriam ante præuiſionem peccati, & Vaſquez ſupponit prædeſtinationem factam poſt præuiſionē peccati, & in remedium illius, in quo ſtatu non habet locum ratio Scoti, ſumpta ex nobilitate finis, & mediorum, cùm ſit ex alio motiuo occaſionali, quod alio argumento Scotus impugnat. Non igitur ſcopum attigit Vaſquez transferendo ſtatum primi Decreti ad ſecundū. Siſto Vaſquium mecum ante Scotum. Ait hic Prædeſtinatio Chriſti, & Angelorum, & hominum facta eſt in primo ſigno: eo retento procedit ratio. Debuit Deus vt ordinatè vellet, prius eligere ad gloriam id quod erat decentius, & aptius & proximius fini, qui erat gloria Dei. Hoc autem erat Incarnatio Verbi pri-

mo intenta à Deo. Sed Vaſquez hoc negat in ſua via: quod in via Scoti non poteſt negare. Nam in eo ſigno ante præuiſum peccatum, prędeſtinati etiã ſunt Angeli abſolutè & Adam conditionatè in ſtatu innocentiæ, inter quos Chriſto ſuus eſt dandus locus, tanquã priori, & immediato poſt finem gloriæ diuinæ propoſitum ſibi à Deo prędeſtinante. Ecce ſtatus quæſtionis Scoticæ, & ratio illius prærogatiuæ Chriſti Incarnati. Hanc oportebat euerti à Vaſquio, vel negando maiorẽ Scoti, vel diſtinguendo illam, non autem auferendo ſtatum primi ſigni, & tranſeundo ad ſecundum, poſt præuiſionem peccati, quem Scotus admittit poſt illam primam prædeſtinationem ex motiuo gloriæ & excellentiæ myſterij, vt ſimul coniungat vtranque primam oſtenſionem glorię ex dignitate myſterij ante præuiſum peccatũ, ſecundam ex oſtenſione miſericordię poſt præuiſum peccatum. Præterea non largimur Vaſquio quod extorquet; nempe finem *cui*, eſſe hominem redemptum à Chriſto, & Incarnationem eſſe medium ad redemptionem hominis, tum quia nobilior eſſet redemptio, quàm incarnatio, cum finis *cui* debeat hic eſſe nobilior, quàm finis *cuius gratia*: tum quia Incarnatio eſſet eſſet ex occaſione intenta à Deo, quod eſt alienum à tanti excellentia myſterij. Itaque Vaſquij ſolutio non conſiſtit, & argumentum Scoti rectè procedit, manetque conſtans, & inuictum. Nam cæteras ſolutiones, rectè impugnat Vaſquez: quare non opus eſt eas refutare. Rationes Scoti accuratè, & enucleatè propoſitas videre qui velit, legat hoc in loco Lychetum nihil vlterius deſiderabit.

SECTIO VI.

Duę difficultates emergẽtes opprimũtur

PRima eſt. Vtrum in primo ſigno decretus fuerit Chriſtus, vt Redemptor? Hanc ingenioſè tractat Orlandus Generalis Carmelitarum, nunc Epiſcopus tract. 1. diſp. 3. q. 2. affirmans eo fundamento, quòd Deus præuiderat per conditionatam ſcientiam, Adamum eſſe peccaturum, ac proinde decreuit, vt Chriſtus veniret etiam in eo ſigno Redemptor, cùm decretum ſequatur illam ſcientiam. Suarez diſp. 5. ſect. 3. ante finem negauerat etiam admiſſa ſcientia conditionata. Maſtrius diſp. 4. q. 1. art. 2. refert, & impugnat Orlandum latè, & copioſè. Mihi placet ſententia Maſtrij, & Suarii, ac breuiter refello opinionẽ Orlandi, etiam data conditionata (quam non admitto mediam) ſcientia. Ratio eſt perſpicua: Deus per eam ſcientiam attingit res ordinatè, ac per ſua ſigna, & ita decernit abſoluto ſuo decreto, vti cognouit, ac eo ordine, quo attigit cognoſcendo: Sed Deus prius attigit per illam ſcientiam Incarnationem, vti ponitur ex motiuo gloriæ, ac excellentia Myſterij, quàm vti ponitur ex præuiſione peccati, ergo & prius decreuit venturum Chriſtũ caput Angelorum & hominũ, quàm redemptorem, qualis in eo ſigno non cognoſcebatur. Quod argumentum ad hominem ſummam vim habet: quia Orlandus admittit ſuppoſitionẽ primi ſtatus, & primi decreti, in quo Verbum Diuinum decernatur incarnandum ante præuiſionem peccati: Quomodo ergo poteſt pro eo ſigno cognoſci redemptor, quod fieri non poteſt ſine cognitione peccati? Contra alios auctores non militat argumentum, quia non admittunt illum primum ſtatum, cùm totam cauſam aſſi-

Digitized by Google

aſſignent remedio peccati præuiſi ante omne decretum. At militat inuictè contra Orlandum concedentem ſtatum, & ſignum, in quo antecedenter, & videatur, & decernatur ex priori motiuo præciſa omni ratione peccati. Refellitur deinde ex conſequenti abſurdo, quoniam ſi ſufficit ſcientia conditionata antecedens decretum ad decernendum id quod eſt poſterius natura ſua ſimul cum eo quod eſt prius, aufertur omnis ordo, & ratio decernendi, & ſigna rationis tolluntur, & omnia confunduntur, atque ita pariter cognoſcentur, & decernentur à Deo ſupponendo cuncta ab eo eſſe præcognita, & capacia decreti vniuerſalis, quo ea decernantur, & ſolum hoc ſatis erit pro omnibus decernendis; ſic refutatur ſententia Orlandi, qui maluit indulgere ingenio, quam ſtudere veritati. Aliter refellit Suarez Sect. illa 4. diſp. 5. & Maſtrius q. 1. d. 4. Iudicium Lectori reliquo. Iam vero quod exemplum objicit idem Orlandus de Rege prouidente Medicum ad curanda vulnera militum, ex prouidentia antecedente vulnera, in Chriſto non valet, quia Rex ille non mittit milites niſi ab bellum, in quo accidunt vulnera, & mortes, & idcircò deſtinat medicos, non deſtinaturus ſi eos mitteret ad conuiuia & recreationes, vbi nihil eſſet timendum à morbis, nec à medicis, quod me Autore perinde eſt. At vero Deus in eo ſigno nihil videt niſi gloriam, gratiam, & excellentiam, & prærogatiuam myſterij, non autem peccata hominum, neque mortem Chriſti, & vulnera paſſionis eius, quæ ſunt in alio ſigno poſteriori. Non igitur locus eſt morbos curandi, & mortem patiendi. Laudo ingenium Orlandi, ſed non probo doctrinam, cùm ille præſertim admittat illam ſcientiam mediam, quę ſequatur rerum poſitiones in ſtatu conditionatè independenter à decreto conditionato, quod dici non poteſt: ſicut enim futurum abſolutũ, ſequitur decretũ abſolutum, & ponitur ex vi illius, ita & futurum cõditionatũ ſequitur decretum conditionatum, ſine quo antecedenter poſito nõ poteſt determinatè cognoſci per vllam ſcientiam conditionatam.

Secunda difficultas eſt, quam nobis Thomiſtæ opponunt, magna contentione videlicet: Si antecedat decretum illud primum de Chriſto venturo independenter à præuiſione peccati ex motiuo totali, glorificationis, & Dei, & Chriſti, ſequi inde ſecundum decretum verſari ſolùm circa modum ſubſtantiæ, non autem circa ſubſtantiam, atque adeò decerni per illud decretum, non Incarnationem, ſed modum illius, ſiue carnem paſſibilem. Video nonnullos Scotiſtas noſtros turbari hoc argumento, quaſi magnũ aliquid contineat. Ego verò ſecus afficior, & duobus modis remoueo difficultatem. Primò fateor ita eſſe, & affirmo nihil interuenire, aut improbabile, aut indecorum contra myſterium. Imò addo, augeri iſtud magis eo modo, & amplificari. Nam multò maior eſt miſericordia Dei erga genus humanum Chriſtum prius decretum propter ſuam glorificationem, & excellentiam, cum tanta gratia & donis beatitudinis, & prærogatiuis ſingularis pręſtantiæ glorificandum, ex vi ſequentis decreti ordinarij amãdari ad miſerias mortalitatis, & paſſibilitatis per vulnera, & mortem, & opprobriũ Crucis, quàm ſi denuò ad illas deſtinaretur. Mirabilius quippe eſt deijci quemquam ex alto faſtigio ad infinitum ſtatum miſeriæ propter

alios miſeros redimendos, quàm eum nondum conditum, neque editum de nouo poni in infimo ſtatu, & ad miſerorũ ordinem redigi. Quare nihil inde nobis opponi poteſt, etiam ſi affirmemus ſecundum decretum tantùm eſſe de modo: cum præſertim modus comitetur, & afficiat ſubſtantiam commutando illius ſtatum, & perfectionem in alium ſtatum, omninò diuerſum, miſerijs & mortalitati obnoxium, idque ex nouo motiuo miſericordiæ. Fateor me non videre quid obiectari poſſit à Thomiſtis, nec quid à noſtris timeri, etiam ſi dicant ex vi ſecundi decreti venturum eſſe Chriſtum inm decretum quo ad ſubſtantiam per primum, & antecedens decretum. Quaſi modus nihil in ſe contineat ſubſtantiæ: cum ille complectatur, & comitetur eam, & ad ſe trahat deducendo è ſtatu ſummæ gloriæ ad ſtatum ſummæ miſeriæ. Neque obſtãt ſanctorum Scripturarum, & ſanctorum Patrum teſtimonia, nam iſta nihil dicunt in oppoſitũ. Docent quidem Chriſtum ita decretũ, vti venit in carne paſſibili redemptorem venturum, at non negant decretũ antecedens veniendi independenter in illo primo ſigno, quia de his diſtinctionibus nihil cogitabãt, ſed tantùm de aduentu redemptoris paſſibilis in carne mortali, ad remedium peccati, propter quod fuit ordinata à Deo illa Incarnatio præciſè, ac in ea præciſione antea decreta, & tandem per ſecundum decretum, ſiue per primum adæquatum ordinata. Demus igitur argumento quod vult, concedendo decretum adæquatum determinaſſe ſubſtantiam Verbi incarnandi præciſiuè à Paſſione, & morte ad carnem paſſibilem, & paſſuram ex motiuo miſericordiæ deijciendo Chriſtum ob miſericordiam erga homines ab illo faſtigio in quo erat gloriæ, & beatitudinis ad miſerabilem ſtatum mortalitatis. Nec video quid timendum ſit in hac reſponſione.

Secundo reſpondeo alio modo, nimirum ex vi ſecundi decreti, ſiue primi inadæquatè ſumpti, & completi fieri decretum totale, ex alio motiuo totali diuerſo, quo poſito Chriſtus in ſua ſubſtantia eſſet venturus, ita vt ex integro deberet paſſibilis venire, quamuis in alio decreto, vel in eo prius inadæquatè ſumpto etiam eſſet venturus: nec id puto eſſe doctrinæ Scoti contrarium, & huius nobilis ſententiæ idoneos Scotiſtas auctores habeo, quam in iudicio commodiùs proponam. Nunc pergo amplificare primam reſponſionem. Verùm nequid obganniant aduerſarij, volo nouo, & idoneo argumento eoſdem refellere, hac ratione. Chriſtus venit in mundum ex præcepto Patris ſui miſſus ad hominem redimendum. Hoc autem pręceptum cadebat ſuper aliquam iam conſtitutam perſonam capacem pręcepti: Igitur quando fuit præceptum hoc impoſitum, iam decretus erat Chriſtus, cui imponebatur. Etenim ſi tunc primò Chriſtus decernebatur paſſibilis, ſatis erat decretum ſine præcepto ad patiendum, & non erat opus nouo præcepto ad id quod decernebatur inſtituta de nouo perſona paſſibili, quæ ex vi decreti erat paſſura, & per paſſionem mundum redemptura. Vnde apparet præceptum ſuppoſuiſſe perſonam iam decretam, ſuper quam caderet, capacem illius, quod denouo aliquid præciperet vltra id quod erat de illa perſona prius decretum. Hoc autem erat præceptum de illa extractione à ſtatu impaſſibilitatis, & glorię, & deiectione ad

alium

alium ſtatum de paſſibilitate: & quia res erat ardua, & difficilis deſcendere de illo culmine immortalitatis, & beatitatis ad miſeriam mortalitatis, & paſſionis, præceptum intercedere debuit ad maius meritum, & ſatisfactionem; non quod quicunque actus non eſſet ſatis, ſed quod reſpectu noſtri ille modus redimendi pretioſior, & copioſior videbatur: vnde præceptum illud fuit conueniens, vt illa perſona ex altiſſimo ſtatu ad miſerrimum deueniret, & quidem ille exceſſus redemptionis ad laudem diuinę miſericordiæ referebatur. Ecce, & rationabilis cauſa præcepti, & noua ſolutio argumenti, imò & in aduerſarios retorſio. Hoc quidem ſonant illa verba Pauli grauiſſima Hebr. 1. *Qui cùm eſſet ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius portans omnia verbo virtutis ſuæ*, quæ continent noſtram ſententiam exaggerando illam mutationem ex beatiſſimo ſtatu glorię ad miſerrimum paſſionis, eoque teſtimonio magnus noſtræ ſententiæ ſplendor accedit.

IVDICIVM.

IN hac graui, & celebri quæſtione Sanctus Thomas vtranque partem duxit probabilem, quamquã magis propendeat in negantem Verbum Diuinum ſumpturum Carnem ſi Adam non peccaſſet. Scotus ita contrariam tuetur, vt ſignificet aliam non eſſe improbabilem. Ait quippe *Poteſt dici*. Interpretes verò & Commẽtatores conſtat eos ſic intellexiſſe, vt Diuus Thomas negantem, Scotus affirmantem tradiderit. Par fermè eſt vtrinque Auctoritas, vti patet ex dictis. Scio Thomiſtas gloriari Scripturam, & Patres à ſe ſtare Verùm nos ijs materiam gloriandi abſtulimus teſtimonijs alijs obiectis, tum Scripturæ, tum Patrum, & ijs quæ obijciebantur expoſitis. Rationibus certè vincimus; etſi ſpectemus decorum, magis decet affirmatiua ſententia Incarnationis myſterium, quòd illud per ſe, ac principaliter Deus intẽdit, non ex occaſione arripuit. Argumentum nobis oppoſitum de decretis inter ſe pugnantibus, omninò ſoluimus iuxta ordinem ſignorum rationis. Illi autem minimè ſoluere potuerunt aliud Scoti planè inuictum de volente finem rectè, & ordinatè, nec minus aliud de fortuita quaſi occaſione decernendi, tam nobile, & illuſtre myſterium ex fine præſtantiori decernendum. Quę duo integra, & inconcuſſa manſerunt. Alia duo tamẽ ſuperſunt ad hoc iudicium. Vnum quomodo ſtet decretum ſecundum, vel inadæquatum cum ſubſtantia Incarnationis? videtur enim non ponere niſi ſolum modum Incarnationis, non autem ſubſtantiam illius. Ac proinde verum eſſe non potuiſſe Chriſtũ venire ad redemptionem in ſua ſubſtantia, quæ iam erat decreta, ſed tantum ex obliquo tractum ad eam faciendam, ac decretum ſecundum habuiſſe pro ſcopo carnem paſſibilem, qui eſt modus, non ſubſtantia. Cui pręterquàmquòd ſuperiùs reſpondi, nunc prorſus ſatisfacio, videlicet. Deum ita decreuiſſe Chriſtum venturum ad redimendũ hominem, vt etiam ſi non eſſet venturus propter primam cauſam ex motiuo gloriæ Dei, omninò venturus eſſet ex ſecundo motiuo miſericordiæ, & redemptionis: vnde ſequitur iſtud decretum verſari circa ſubſtantiam Incarnationis, & addere nouum modum congruentem, nimirum in Car-

Digitized by Google

ne paſſibili. Quod noſtræ ſententiæ auctores optime notant, ac in primis Suarez diſp. 5. ſect. 4. præclarè, quo in loco probat ex duplici fine totali decretam fuiſſe incarnationem, ita vt vnus eorum per ſe ſtaret etiam deficiente altero: & propter illum tantũ ex integro Incarnatio futura eſſet, quamuis alius non fuiſſet: idque declarat aptiſſimè exemplo Scripturę. 1. Reg. 16. Vbi Deus, cum iam præcepiſſet Samueli Prophetæ, vt iret vnctum Dauid in Regem, ei moranti, ac timenti Saulem, dixit Deus, vt ſacrificatum iret, ea ratione, vt ex vtroque motiuo totaliter illa profectio Samuelis futura eſſet, vt & primum ſatis eſſet ad obligandum, & ſecundum item ex integro, ita vt alter finis ſine altero ex diuerſo motiuo concurreret, & ſatis eſſet ad iter ſuſcipiendum. Quod quidem ille aliter explicat. Si quis haberet cauſam eũdi Romam pro negotio, & deindè audito amicum ſuum, aut affinem ibi ęgrotare vtrunq; motiuum ita vrgeret, vt altero ceſſante, alterum conſiſteret & maneret iuſta, & integra cauſa eundi. Quod exemplum Vaſquez contra ſentiens mutato nomine Romę in Toletum afferẽs conatur infringere diſp. 10. cap. 7. & 8. ſtudio, vt aſſolet, refellendi Suarez. Sed incaſſum laborat, tum impugnãdo exemplum, tum principium, vnde deducitur: poſſe voluntatem ex duplici motiuo eundem effectum operari. Nam hoc in nobis manifeſtè experimur: itaque nihil diſputando conuincit. Suario certè multum debet noſtra ſententia, quam ille mirificè illuſtrauit, & hanc obiectionem eliſit ductam ex ſubſtãtia, & modo. Quam minus rectè meo iudicio ſoluit noſter Rada cont. 5. conc. 3. ad finem; poſito alio exemplo ſcilicet: Quòd Pontifex Roma vult ire Viterbium *Liberum eſt ei*, inquit, *vel in Lectica, vel Curru proficiſci, vel magno, vel paruo comitatu, vel hoc, vel illo veſtitu*: minus quidem aptè, quia iſta pertinent ad ſolum modum, non autem ad ſubſtantiam profectionis. Debuiſſet loqui Rada de cauſa, & motiuo perfectionis, ac dicere: Pontificem velle ire Viterbium V.G. cauſa obuiandi Regi, ac Principi venienti, & cauſa viſitandi Corpus S. Roſæ ob ſalutem eius precibus impetratam, qui ſunt duo fines, & duo fines, & duo motiua. Quorum ſi alterum defuiſſet alterum ſatis eſſet, vt Roma diſcederet, & Viterbium concederet. Quam ob rem mihi diſplicet modus loquendi Scotiſtarum, qui diſtinguentes inter ſubſtantiam, & modum, aiunt Chriſtum fore quoad ſubſtantiam ante præuiſum peccatũ, & quoad ſtatum, & modum fore poſt poſt præuiſum peccatum; quod quidem parum eſt pro myſterio Redemptionis. Itaque ſentio dicendum cum aliis melius ſentientibus venturum Verbum in ſubſtantia, ex ſecundo fine, & motiuo tanquam altero totali, vt exemplo declaratum eſt. Hi autẽ ſunt Aretinus, Gallus, Centinus, & Bellutus, & Maſtrius qui eos laudat diſp. 4. qu. 1. ar. 2. Neque Scotus hic expreſſit ſolum modum, quod ait Maſtrius, imò perſpicuè dixit *Non propter ſolam iſtam Cauſam videtur Deus prædeſtinaſſe illam Animam ad tantam gloriam*. Vbi loquitur de anima in ſubſtantia, & quamquam ſupra dixiſſet, *Non veniſſet vt Redemptor, niſi homo cecidiſſet, neque fortè vt paſſibilis*, non excludit ſubſtantiam, ſed eam coniungit cum redemptione, & id ſignificat Vox *paſſibilis*. De toto quippe homine loquitur in concreto: Nec enim vtitur voce *paſſibilitatis* in ab-

Digitized by Google

abſtracto, qua ſemper abſtinuit. Igitur ſubſtantiam ſignificauit, & ſenſit venturum fore ex eo motiuo redimēdi Filium Dei ad ſalutem homines etiā in ſubſtantia. Quod autem timet & tandem negat Maſtrius duos illos fines totales concurrere ad eandem actionem: in quo etiam multum laborat Pontius in Commentarijs à pag. 83. ad 92. ſcrupulum euello dicendo: Deum pro primo ſigno motum fuiſſe à gloria, & præſtantia myſterij, quod erat in hac ſententia decretum diuerſum à ſecundo, vel inadæquatum ab alio inadæquato ſuo modo diſtinctū, quod erat motiuum pro illo ſigno totale, ſed inadæquatum, & non totale reſpectu ſecundi ſigni, in quo Deus vidit futurum peccatum: nam tunc voluit adæquatè Incarnationem ad remedium peccati, diuerſa quo ad nos voluntate, ac proinde non fuit vnus actus propter duos fines totales, ſed vnus effectus exterior, qualis fuit Incarnatio propter duo decreta, vel vnū inadęquatum correſpondens duobus motiuis, ſiue finibus diuerſis, & totalibus, ſingulis ſufficientibus, vt Incarnatio ex vi illorum fieret. Ac ita manet expedita difficultas.

Addo, quod à nemine video obſeruari, idque rogo lectores attentè conſiderent, cauſam veniendi ex ſecundo decreto, vel ex inadæquata ſecunda parte decreti fuiſſe præceptum obediendi impoſitum Chriſto à Patre, quemadmodum ſuperiùs diximus: ex quo ſequitur interueniſſe nouam cauſam, & nouum motiuum petitum à præcepto, quod ſatis erat ad veniendum in ſubſtantia tāquam ex integro motiuo. Manent igitur motiua diſtincta, & diſtincta decreta, & nulla apparet diſcrepantia, nec diſſonantia in doctrina Scoti. Quę ſanè videtur idonea ad rationem myſterij: nam ſicuti in eo duæ naturæ in vnum coeunt ratione perſonæ, & ambæ vnitæ vnum compoſitum efficiunt, ita in Scoti doctrina duo motiua concurrunt ad Incarnationem efficiendam, vt ex ijs conſurgat vnum aptum, perfectumq; iudicium, in quo vnum, & alterum contineatur.

COLLATIO

Digitized by Google

COLLATIO TERTIA

DIFFERENTIA I.

Circa ſtatum, & meritum Incarnationis.

SECTIO I.

De Decreto Incarnationis Verbi, & Prædeſtinatione Matris Virg. Mariæ ante præuiſionem peccati.

IN hac queſtione Diuus Thomas in quæſt.2. a. 11.3.p.in corpore. *Dicendum quod quantum ad ipſum Chriſtum manifeſtum eſt, quòd nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem;* & vtitur teſtimonio Auguſtini lib.de prædeſt. Sanct. c. 15. quem nos locum infra verſabimus. Addit ibid. *Neque opera alterius cuiuſcunque hominis potuerunt eſſe meritoria huius vnionis de condigno.*

Scotus in 4.d.2. qu.1. §. *ad primum* verſ.& *ſi obijcis*,n.11.*Poteſt*,inquit,*dici, quod in vniuerſis operibus Dei non fuit aliquod opus meræ gratiæ, niſi ſola Incarnatio Filij Dei*. Conueniunt, nec ſibi opponuntur,niſi quòd Scotus ſeueriùs agit, dum ponit meram gratiam, quo excludit omne meritum etiam de congruo, at vero D.Thomas eodem loco reſpon. ad ſecundum admittit meritum de congruo his verbis:*Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem*.

Non oportet hic ea repetere, quæ primo tomo Collat.11.& in 2.Collat. 6. de prędeſtinat.vniuerſim diximus, & in proxima Collatione de Incarnationis decretis docuimus: inter quæ nonnulla occurrunt, quæ ad præſens inſtitutum pertinent,ſed ea ſolùm tradere, quæ rem propriam continent prædeſtinationis Chriſti Domini, & Mariæ Virginis, de qua, vt ex iis quæ ſuprà dixi, colligitur, certa eſt, & perſpicua Doctorum inter ſe Angelici, & Subtilis diſcordia: dum ille docet Chriſtum non fuiſſe prædeſtinatum niſi poſt peccatum præuiſum: hic autem docet ante præuiſionem peccati prędeſtinatum fuiſſe. Illud neceſſe eſt exponere, quomodo facta ſit hæc prædeſtinatio, vt ex ea deducamus, quæ de de Cõceptione Beatæ Mariæ Virginis ſtatuenda ſint. Ac primùm ſigna Dei prædeſtinantis relata ſunt à nobis in 1.tom. Collat. 11. differ.2.& in 2.Collat.Differ.4. Nunc eorum hic breuiter eſt applicanda doctrina.

Igitur ſecũdum Scotum lib.3. ſent. diſt.

diſt. 19. ꝟ. *in iſta quæſtione* n. 6. ponenda quinque ſigna, & eorum duo ſumenda, & ponderanda. *Primo*, inquit, *Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni. In ſecundo ſigno intellexit omnes creaturas*. In primo ſigno nihil eſt quod tãgat Chriſtum, niſi quod dum ſe Deus intelligit in ratione ſummi boni, intellexit ſe communicabilem, quæ proprietas eſt ſummi boni, & conforme Scoto, quemadmodum hic obſeruat Lychetus iuxta duo ſigna naturæ ex eodem Scoto in 1. d. 1. q. 4. & in 2. d. 1. q. 1. In ſecundo ſigno comprehenditur iam natura illa ſingularis vnienda Verbo Diuino ante ſignum tertium prædeſtinationis ad gratiam, & gloriam; prius enim intelligitur in eſſe naturæ, quàm ſuppoſiti, vti expreſsè Scotus d. 7. q. 3. ꝟ. *reſpondeo*, n. 2. & notat Lychetus ibi, & exponit nu. 6. & 7. Deinde hęc natura ita ſumpta prædeſtinata eſt ad gloriam, & mox ad vnionem cum Verbo, vnde extitit compoſitum ineffabile, Chriſtus, ſic vt prima prædeſtinatio fuerit huius naturæ ad gloriam: Secunda eiuſdem naturæ ad vnionem hypoſtaticam Verbi. Ita Scotus ibidem, qui ait poſſe negari prędeſtinationē reſpicere ſolam perſonam. Et obſeruat in hoc eſſe ſingularem eam naturam, quod ea ſola ita fuit prædeſtinata ante perſonam, quia perſona diuina non erat capax prædeſtinationis, quod quidem ſatis eſt ſubtile, & Scoticum. Hinc ſequitur primam illam prædeſtinationem ad gloriam naturæ, & ad vnionem cum Verbo fuiſſe ſolitariam, & omnes alias præceſſiſſe, alias inquam, prædeſtinationes creatarum perſonarum, quæ expectare debuerunt ſemper ſignum, in quo ex meritis Chriſti prędeſtinarentur.

Sed quid dicendum de Beata Virgine Maria? Nam de ea Scotus non meminit. Reſpondeo: illam fuiſſe prædeſtinatam immediatè poſt prædeſtinationem naturę humanę Chriſti ad vnionem. Itaque quo puncto extitit perſonata natura Verbo, eò ipſo Beata Virgo fuit Mater eius prędeſtinata, antequam eſſet ordinata ad gloriam: ac in vno, & eodem ſigno Chriſtus, & Maria Mater eius prędeſtinati ſunt, cùm mutua relatione Filij, & Matris, vt inſeparabilis eſſet amborum coniunctio. Vterque in vno ſigno ſoli, ac ſeparati à cęteris, & prius omnibus creaturis ſunt ſimul prædeſtinati. Hac quippe ratione Beata Virgo Maria Regina hominum, & Angelorum veriſſimè dicitur, & dum talis ab Eccleſia dicitur, hęc ſententia approbatur, quę ex eo item ſuadetur, quia quicquid in loco Prouerb. 8. de Sapientia Incarnata Patres intelligunt, & exponunt, totum id ad Beatam Mariam Virginem eademmet Eccleſia refert, canendo in Miſſa Epiſtolam ſumptam ex illo capite 8. & accipiendo de Beata Virgine, perinde ac in Filiũ, & Matrem quadret. Accedit illa memorabilis ſententia Prouerb. 8. quę vulgo de Beata Maria Virgine intelligitur, *In me ſunt opes ſuperbæ, & iuſtitia*, quaſi virtutes tantum nobilitatis, & ſplendoris à B. M. Virgine ſumant, vt quodammodo ſuperbire poſſint, ſeque iactare, quòd ſe videant in Arce glorię collocatas: quippe quę in cęteris creaturis tantò minus ſplendent, vt ſi cum ijs, quę ſunt in Virgine comparentur, obtundi, & obſcurari videãtur. Stellę in aliis Sanctis ſunt, in Virgine Soles, qui ſplendores omnes colligit, & ęternum diem ſine nocte facit. Cęterę vulgares videntur eſſe virtutes, verùm Marię ſingulares: in Creaturis ſunt inſtar ſtellarum, quę in turba lucent:

cent; at verò in Maria inſtar Solis, ſolę ſunt, & ſolitariæ, quòd ſingulares, non communes cum aliis videantur. Sicuti Deus fecit duo luminaria Magna, quæ inter cætera lumina ſingulari modo ſplendeſcerent, ita Deus alia duo luminaria fecit in regno gratiæ, quæ præſtarent cæteris, & prælucerent omnibus: Chriſtum, & Mariam. Ille Sol, hæc Luna futura in Eccleſia, quæ ſibi reſponderent, quæ ſecum habitarent, quæ ſibi cohærerent, & ſeorſim ab alia luminum multitudine conſiſterent. In quos illud Canticorum conueniret c. 1. *Dilectus meus mihi, & ego illi, inter vbera mea commorabitur*. Vnuſquiſque Beatorum dicat, *Spes mea ab vberibus Matris meæ*. Pſal. 41. Nam ab illa Matre Filius, qui omnes ditat, ac replet. Omnia pendent ab eo, qui pendet ab illis vberibus. Ab his emanat lacteus fons gratiæ. *Omnia per manus Marię.* Manent igitur in eo ſigno Filius, & Mater: Chriſtus & Maria. Ille à Deo, Virgo à Chriſto electa, Mater delecta. Ille ante omnia merita, & propria, & aliena: Virgo ſine meritis propriis, non ſine meritis Filii, imò per Filii merita prædeſtinata Mater ante al[i]o[s] omnes prædeſtinatos qui meritis Chriſti prædeſtinati extiterunt. Ac ne nimium videar Beatæ Virgini tribuere, audiamus Scotum in 3. d. 3. q. 1. §. *ad quæſtionem* in fine. *Si auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati Scripturarum non repugnet; videtur probabile, quod excellentius eſt attribuere Mariæ.* Hoc autem quod ponimus, non modò non repugnat, imò concinit vtrique auctoritati. Quin & hoc ipſum exigit dignitas Beatæ Virginis Mariæ ſecundum Anſelmum. *Decuit quippe, vt ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* Lib. de Concept. Virg. cap. 8. Honor enim quantumuis ſit maximus, collatus Virgini à Filio prouenit, & ad Filium redit: qua ratione Auguſtinus omnem peccati ſuſpicionem etiam originalis remouet à Maria, imò ne vllam quidem de eo dubitationem tulit, ſcilicet *Propter honorē Domini, quem concipere, & parere meruit*; quemadmodum poſtea integra producta, quæ diuina certè ſententia eſt libri de natura, & gratia, oſtendemus. Fons hic gratiarum eſt; *& Abyſſus gratiæ Chriſti, Abyſſum gratiæ Maria inuocat*, Pſalm. 41. quæ exhauriri non poſſunt: *in voce aquarum multarum*, ſe ſe inuicem inuitantium ad immenſum in Maria Mare, ſeu Pelagus componendum. Sunt autem hæ *voces aquarum*, quibus Populi ſignificantur, qui ſummo conſenſu Beatam Virginem omnis gratiæ fontem appellant, & quidquid excogitari poteſt, cuius humana creatura ſit capax, doni ſpiritualis, eidem Virgini attribuunt, adeò vt vox Chriſtiani populi *Vox Dei* eſſe videatur, & quidem hoc argumento, quòd ea ſit electa in Matrem Domini, cui omnes prærogatiuæ Beatæ Virginis acceptæ ſunt referendæ, ſecundum Auguſtinum. *Propter honorem Domini.*

SECTIO II.

De Prædeſtinatione Chriſti Domini, & Beatæ Mariæ Virginis poſt præuiſionem peccati.

HÆc in ſententia D. Thomæ, & Angelicę expeditè currit, cùm ex prima intentione, & cauſa adæquata inſtituta ſit ad remedium peccati. In via Scoti difficilior eſt huiuſmodi prædeſtinatio, verùm nos eam enucleando facilem & idoneam eſſe monſtrabimus. Præuiſo peccato acce-

accedente nouo motiuo miſericordiæ decreuit Deus, vt Chriſtus iam prædeſtinatus ex primo decreto, vel ex inadæquata parte Decreti ad glorificationem Dei, & ſui per myſterium Incarnationis obtinendam de nouo veniret Redemptor in determinata carne paſſibili, præcepto ad id ei Patre impoſito, vnde ex conſequenti ſtatuit Deus, vt Beata Virgo, vti erat in ea altitudine dignitatis, deſcenderet cum Filio ad ſtatū miſerię mortalem, & paſſibilem, & inter Filias Adam reponeretur de nouo Mater prædeſtinata, vt more humano generaretur ex Patris, ac Matris conſortio, ſecluſa tamen contractione peccati originalis, quod ex vi generationis futurę poſt præuiſionem peccati originalis debebat incurrere, niſi hoc reſpectu Genitricis Dei à peccato præſeruata eſſet: quare fuit in primo ſtatu immunis à peccato, & à debito in virtute primi decreti ante præuiſum peccatum. Ex vi autem ſecundi decreti, vel parte inadæquata illius fuit liberata à contractione peccati debiti generationi ordinarię per commixtionem ſeminum vtriuſque Parentis. Vnde conſtat neceſſitas Redemptionis à Chriſto, non propter contractum peccatum, ſed à peccato contrahēdo, quod incurreret, niſi Deus eam præſeruaſſet intuitu Chriſti Redemptoris, & propter merita illius, cuius Mater futura erat; itaque apparet in hoc ſecundo ſtatu obligatio debiti propter communem generationem ab vtroque parente, & liberatio à macula peccati, per præſeruationem ab eo, non autem per curationem eius contracti, quod ſemper negamus, & paulò poſt manifeſtius explicabimus. Hic autem modus prædeſtinandi redit in gloriam Chriſti propter duas rationes. *Prima*, quia decebat, vt caro B. Virginis, ex qua ſumenda erat Caro Chriſti, foret omnino pura, & immaculata ab omni labe peccati. *Secunda*, quia decebat, vt perfectiori modo redimeretur, ſcilicet per præſeruationem à morbo culpæ, non autem per curationem à morbo contracto. Quidquid ergo tributum eſt Virgini, decuit, & Chriſtum, & Matrem eius, idque congruebat dignitati Matris Dei, ex qua oriebantur iſtæ prærogatiuæ rationabiliter coniunctę emanantes à Maternitate: ita vt Beata Virgo tanquam ſingularis ſemper cohærens Filio ſuo à cætera multitudine prædeſtinatorum ſegregata conſiſteret.

Addo tamen aliquid mirabilius ex altiori ratione deductum, nempè Beatam Mariam etiam poſt pręuiſum peccatum habuiſſe nouam quandam, & excellentem præſeruationem à culpa originali, quod nos priuilegium olim excogitauimus, & expoſuimus cum approbatione grauiſſimorum Theologorum, videlicet Beatam Virginem in illa via prædeſtinandi poſt præuiſionem peccati, primariò immunem fuiſſe ab omni ratione peccati, & debiti contrahendi peccatum: Nam Beata Virgo primariò, & ex potentia ordinaria non erat futura ex primo intuitu in ſerie naturali poſterorum Adami propter ſterilitatem Parentum, qui dum erant ſteriles eam Filiam habere non poterant, vnde nec illa poterat contrahere maculam ex intentione primaria, cum cōcipienda non eſſet, nec ponenda in rerum natura, ex vi ordinarię generationis naturalis. Itaque cùm Deus præuideret ſterilitatem Parentum, & locum vacantem videret nouę generationi nouæ creaturæ, decreuit in eum locum vacantem introducere Beatam Virginem, iam anteà quidem prædeſtina-

tam præciſa ratione peccati, & ſine præuiſione illius, vt ita miraculosè conciperetur præſeruando eam à macula peccati aduentura in puncto conceptionis, quæ cum eſſet extraordinaria, non erat per naturæ ordinem maculanda. Dices tamen hac ratione tolli redemptionem præſeruatiuam; nam ſi Virgo erat libera à debito peccati originalis propter conceptionem miraculoſam, erat penitus immunis à debito contrahendi, ac proinde non potuit particeps eſſe redemptionis. Reſpondeo adhuc eſſe locum redemptioni per Chriſtum, & locum item eſſe debito contrahendi peccatum originale, non quidem directè, & primariò, ſed obiter, & ſecundariò; nam quamuis Beata Virgo præuiſa non eſſet in capite Adamo immediatè, quia futura non erat ex primario intuitu ſuæ generationis in Adæ poſteritate, tamen decreta poſteà miraculoſa conceptione ex parentibus ſterilibus contrahebat debitum ratione illorum, mediatè tamen, pro vt erant Filij, & poſteri Adami, vnde conſequenter debebat tranſire macula peccati in prolem; hac igitur ratione ſecundaria, & ex occaſione parentum incurrit Beata Virgo debitum peccati originalis, cum ſingulari prærogatiua inter cęteros ſanctos filios Adæ, quia hi naſcuntur cum peccato præuiſo in Adamo capite, & illius virtute in Parentibus, & primariò contrahunt maculam originis, non obiter, & ſecundario. At verò Beata Virgo non fuit præuiſa peccare in Adamo, quia eius Filia futura non erat, ſed tantum præuiſa fuit debitrix peccati ratione Parentum, qui cum eſſent Filij Adæ debuerant transferre in prolem originale peccatum. Imò hinc reſultat noua excellentia Mariæ Virginis, quia, ſicuti Chriſtus Dominus fuit prædeſtinatus Redemptor non ex primaria intentione, ſed ex occaſione peccati, ita etiam Beata Virgo fuit præuiſa peccatrix quoad debitum, non ex primaria intentione in capite Adamo, ſed obiter, & ex occaſione Parentum, quorum generationi propter commixtionem ſeminis originalis macula debebatur.

Neque opponas alios item Sanctos, qui ſunt ab vtroque parente ſterili generati, qualis eſt Ioannes Baptiſta, hac ratione ab originali macula liberãdos. Eſt enim diuerſa ratio, quia iſti per accidens non erant in Adamo, & erant per ſe in natura, quia non fuerant ex ſingulari priuilegio ad tantam altitudinem gratiæ, gloriæ, & myſterij prędeſtinati, qualis fuit Beata Virgo, quæ vnica, & ſingularis extitit inter puras creaturas, & Mater Dei deſtinata, & ſimul cum Filio ſuo prædeſtinata ad gloriam, vnde non intrauit per ſe in maſſam Adæ damnatam, cùm ante præuiſum peccatum eſſet vnita Filio ſuo, cuius ordinabatur Mater ante omnem prępuiſionem peccati. Ac proinde extra ſeriem poſterorum peccatorum, non ſicut alij, qui nullo particulari priuilegio excepti fuerant, ſed naturæ currenti relicti ſunt, nulla poſitiua excluſione accepta, quæ ſola vni Virgini congruebat, quia Mater Domini futura erat. Nihil igitur Deus in Maria Virgine ſtatuebat, quod ad Chriſtum non referret, & quidquid ei conferebatur totum id ad Chriſti gloriam pertinebat, vnde & illa præſeruatio à peccati debito ad Chriſtum pertinebat, quò par illud incõparabile exiſteret, vt Chriſtus eſſet ſingularis, Deus, & homo omnino incapax debiti peccati: at verò Beata Virgo Maria eſſet pura creatura, ſed inter omnes prima, & à Chriſto ſecunda, debiti, &

pec-

cati per naturã capax, verùm ex ſingulari priuilegio ab vtroque liberanda; non ita tamen vt à debito accidenti orto ex communi generatione immunis eſſet. Vnde ſequitur illa prærogatiua Anſelmi Beatam Virginem *ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi*. Hanc philoſophandi rationem ex doctrina Scoti ſumi poſſe arbitror, quam ille inſinuauit cùm dixit *Probabile eſſe quòd excellentius eſt id omne Virgini Dei Matri tribuendum* fauente Auguſtino illis verbis *Propter honorem Domini*. Quòd autem Beata Virgo electa fuerit primò ad maternitatẽ, deinde ad gloriam, & gratiam communis fermè Doctorum ſententia eſt. Ita Suarez diſp. 10. ſect. 7. Vaſquez diſ. 23, c. 4. Hurtado diſp. 9. Felix c. 9. diffic. 6. Lorca, & Monteſin. laudati à Delgadillo c. 6. diffic. 2. dub. 20. quemadmodum poſteà dicemus. Illud in hac materia pulchrum, ac maximè rem continens eſt, quòd ſicut Chriſtus fuit prædeſtinatus redemptor non per ſe primò, ſed ex occaſione peccati, ita Beata Virgo non per ſe primò redempta, ſed ex occaſione peccati prædeſtinata, vt redimenda fuit. Quomodo autem Chriſtus fuerit prius prædeſtinatus ad gloriam, quàm ad vnionem, ſecus autem Beata Virgo, quæ fuit prædeſtinata prius ad maternitatẽ, quàm ad gloriam dicemus poſtea ad d. 7. q. 3. & cauſam diuerſitatis aſſeremus, & an poſſit ſuſtineri Chriſtum fuiſſe prius prædeſtinatum ad vnionem, quàm ad gloriam? ibi expediemus.

SECTIO III.

An Chriſtus, & Beata Virgo potuerint mereri vnionem, & maternitatem?

Diſtinctione, vt perſpicuè procedamus, vti oportet. Primò quæri poteſt de natura humana Chriſti ſumpta ſecundum ſe, ac ſuam exiſtentiam prout antecedit ſuppoſitum: ſecundo de natura ſubſiſtẽte, ac vt eſt ſuppoſitum, & Chriſtus. Deinde agitari poteſt quæſtio, vel de poſſibili: an potuerit mereri in vtrouis illo ſtatu, vel vtrum de facto meruerit? Quo ad primum ſtatum naturæ ante ſuppoſitum: potuiſſe illam mereri vnionem ad Verbum multi, & graues Doctores affirmant, inter quos ſunt Rada controu. 12. de mer. Chri. concl. 3. & Delgadillo c. 6. de Incar. diff. 1. dub. 2. ex aliis Caietanus q. 2. art. 11. & Vaſq. diſp. 21. c. 6. ita expreſsè, vt mirer quomodo Delgadillo contra ſe illum pro negante ſententia alleget. Fundantur quia illa natura de potentia abſoluta ſatis eſt ad operandum ſecundum ſe exiſtens præciſa ſubſiſtentia, quę ſolùm eſt conditio de potentia ordinata, & ordinariè requiſita; igitur poteſt in eo ſtatu operari, & mereri. Nam quod axioma commune eſt *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, illud non inducit neceſſitatem abſolutam, ſed ordinariam. Prætereà intelligitur de natura ſingulari, non vniuerſali, vt ſit ſenſus naturam non agere, niſi vti eſt ſingularis, & exiſtens à parte rei, non verò vti eſt abſtracta, & vniuerſalis, ſicut idea Platonis ante actualem, & realem exiſtentiam. Quare Ariſtoteles tum de ſubiecto, tum de principio actionis locutus eſt, quemadmodum acutè, &

ſolidè

ſolidè exponit Vaſquez diſp. 21. cap. 3. vbi etiam reſpondet auctoritati Ioannis Theologi in Conc. Florent. ſeſſ. 18. commune illud effatum adſtruentis, vt videlicet loqueretur ex propria ſententia Thomiſtarum, non totius Concilij nomine, quod ex noſtris etiam animaduertunt Caſtillo diſp. 9. q. 2. n. 1. Felix c. 9. diffic. 2. & Delgadillo c. 6. diffic. 2. n. 11. Hoc igitur fundamento aſſumpto poterit ea natura affici gratia, & mereri vnionem hypoſtaticam ad Verbum. Probatur deinde ex Scoto, qui in hoc 3. d. 8. q. 3. §. *Sed hic* ad ſecundum dubium docet priorem fuiſſe in ea natura ordinem ad gloriã, quàm ad vnionem: igitur ſecundum hanc doctrinam anteceſſit ordo gratiæ, & gloriæ vnionem, ac proinde potuit abſolutè vnio per gratiam à natura promereri. Suadetur amplius eodem auctore Scoto aiente Angelos in eodem inſtanti ſuæ creationis potuiſſe peccare, nempe antecedente natura ſuppoſitum, eaqua proximè expoſuimus ratione. Hinc ſuboritur quæſtio. An hoc meritum foret de condigno, an de congruo? quidam aiunt de condigno, & quidem ad ſuum principium conſequenter. Nam ſi locus eſt in eo ſtatu operandi ex gratia, dubium non eſt quin ea ſuppoſita ſanctificante in anima poſſit inde meritum ex condigno oriri, accedente tamen pacto diuino, quemadmodum animaduertit Delgadillo de Incarnatione c. 6. diffic. 2. dub. 4. nu. 15. negat tamen Vaſquez ſummus, & acer Theologus meritum de condigno, & ſolum aſtruit meritum de congruo illa diſp. 21.

Alij tamen nec minus graues Theologi negant potuiſſe humanitatem Chriſti vllo modo mereri vnionem hypoſtaticam ex oppoſitis fundamentis hoc modo. Natura ante ſuppoſitum nequit eſſe principium operandi, quia tunc eſt in ſtatu abſtractionis, qui non eſt capax actionis, nec paſſionis, ac perinde ſe habet, ac ſi foret vniuerſalis, igitur nec mereri vllo pacto poteſt. Antecedens patet, quia natura non poteſt exiſtere à parte rei, niſi indiuidua, & certa, & terminata. Hoc autem non habet ante ſuppoſitum, cùm præſertim ea per exiſtentiam non indiuiduetur in communi Scholarum ſententia, & in noſtra conſtat, vti in 1 Sent. diximus; dum autem natura non eſt indiuidua, non eſt apta ad operandum. Quomodo enim eliciet certam & determinatam operationem incerta, & interminata? at erit certa & determinata quoad naturam: non ſatis hoc intelligitur; cùm eo momento quo eſt ac exiſtit hæc natura, ſit in actu poſita, & terminata. alioquin erit inſtar vniuerſalis, & in ſtatu abſtractionis, atque adeò non indiuidua, nec determinata. Quomodo ergo poterit operari per actionem propriam, & certam cum eſſe antecedat operari? Et quidẽ in ſententia Scoti videtur ſequi contradictio, ſi hoc dicamus; nam cùm hic doceat naturam fieri indiuiduam, & ſingularem per vltimam quandam actualitatem, non ſatis eſt vt exiſtat præcisè ad operandum, quia ſic adhuc eſt in gradu communi, ſaltem non ſingularis, in quo ſtatu ſi erit, operabitur in ſtatu abſtractionis. Ex alio itẽ principio Scoti nequit hæc ſententia ſuſtineri. Videlicet quia ſuppoſitum non eſt quid poſitiuum, quod ſit expectandum ut emanet ex natura, & interim operari poſsit natura, ſed negatio afficiens, & complens, coercenſque naturam, interquam & naturam nihil intermediare poteſt, nec expectari. itaque ſemper antecedit omnem operationem naturæ, quam immediatè, & inti-

Digitized by Google

intimè conſequitur, & naturaliter complet, & conſtituit in ſe terminatã ante operationem. Imò ne in ſententia quidem de poſitiuo procedere poteſt opinio. Nam ſiue cum Caietano dicamus ſubſiſtentiam antecedere exiſtentiam, ſiue cum communi placito ſubſequi, minimè ſequitur illa poſſibilitas operandi, cùm iuxta Caietanum antequam exiſtat iam ſubſiſtat, ac proinde operetur in ſuppoſito: ſecundum verò commune placitum illa ſubſiſtētia reſultet neceſſario ex principijs naturæ, tanquam neceſſarium complementum intrinſecum, vel producatur ab agente neceſſaria conſecutione, quę procedit omnem liberam, qualis eſt illa operatio, merendi actionem. Inſuper pro Schola noſtra Scotus nunquã inuenit hunc modum philoſophandi, imo neque ſignificauit. Etiam cum diſputauit: An potuerit Angelus in primo quo eſt conditus inſtanti peccare? in ſecundo diſt. 7. q. 2. & nos ibi oſtendimus, neque in hoc loco tertij, nec infra d. 18. q. vnica, vbi agit de merito Chriſti circa fruitionem. Igitur vanus eſt, & inanis hic modus ponendi meritum in natura ante ſuppoſitum. Quare retinenda eſt illa communis interpretatio Ariſtotelis dicentis *Actiones eſſe ſuppoſitorum*.

Hæc ratio militat contra omne meritum poſſibile, ſiue ſit de condigno, ſiue de congruo. Affero aliam, quæ tollat meritum de condigno. Illud meritum eſt ad æqualitatem, & quaſi ad proportionem iuſtitiæ, vti conſtat, ſed natura antequam intelligatur in ſuppoſito Verbi, non eſt capax illius meriti, ergo illud de condigno eſſe nõ poteſt. Probo minorem aſſumptam; nulla eſt proportio meriti naturæ nudæ ſine illa ſubſiſtentia Diuina ad vnionem cum illa, cùm hæc ſit infinitę dignitatis, illa autem ſit prorſus finita. Finiti autem ad infinitum non eſt proportio. Dices gratiam Dei cum acceptatione illius ſupplere quod deeſt. Reſpondeo hoc etiam modo ſemper fore inæqualem, & improportionatam illam naturam ad merendum illam infinitã vnionem, cùm ex parte principij meritorij omnia ſint improportionata ad ſubſiſtentiam Diuinam. Inſtabis: Deum velle omnino acceptare illud meritum finitum, & improportionatum pro infinito, & proportionato, atque adeo de condigno. Reſpondeo hoc eſſe irrationabile, & alienum à Deo, qui ſemper agit rationabiliter, & iuſtè. Prætereà dato velle Deum ita acceptare illud meritum, non erit de condigno, ſed ex libera Dei voluntate, & liberalitate, vnde tranſit in gratiam liberam, & liberalem, quę pugnat cum ratione ex iuſtitia, & æqualitate proportionata meriti ad præmium, quale eſt meritum de condigno. Neceſſe igitur erit, vt principium merēdi habeat in ſe dignitatem infinitam moralem, qualem exigit ratio meriti de condigno. Nam de congruo non laboramus. Hoc enim non eſt ſatis ad illam rationem, de qua nunc agimus, merendi, neque de illo diſputant auctores. Mihi item videtur hoc meritum de congruo minimè quadrare in vnionem hypoſtaticam, quæ cùm ſit infinitę dignitatis, & excellentię, nunquam poteſt congruere merito limitato, vnde nec nomen de cõgruo poteſt vindicare. Ruit ergo vtrunque meritum tum de congruo, tum de condigno. Hanc negantem ſententiam tradunt Suarez diſp. 10. ſect. 3. Lorca diſp. 20. Monteſinos, & Cabrera in 3. p. S. Thomæ ad q. 2. art. 2. & ex noſtris Faber diſp. 44. c. 5. quamquam Suarez ſua illa diſtinctione de prædeſtinatione

ad

ad vnionem, ac de executione vnitionis aliquantum quæſtionem turbat, de quo Vaſquez cum eo vehementer expoſtulat. Ego ſentio omnem meriti rationem ſiue de condigno, ſiue de congruo repudiandam eſſe, cùm hæc res tota ſit ad voluntatem liberalem Dei remittenda. Nego igitur naturam humanam Chriſti Domini vllo modo vnionem ad Verbum hypoſtaticam mereri potuiſſe.

Idem propter eadem fundamenta de Beata Virgine, quam cum Filio ſẽper coniungimus, ſtatuendum. Cenſemus quippe illam prius ad dignitatem matris fuiſſe electam à Deo, quàm ad gloriam, & gratiam, itaut omnis gratia, & gloria ipſius fuerit effectus maternitatis. Vnde ſequitur hanc fuiſſe principium meriti ipſius, ac proinde non potuiſſe ſub meritum cadere, iuxta commune effatum Theologorum. Quemadmodum igitur ſe habuit humana natura Chriſti ad merẽdum ſuam hypoſtaticam vnionem, ita & Beatę Virginis Matris ad merendam ſuam Maternitatem.

Quod attinet quæſtionem de facto: communiter, & meritò vulgò negatur Chriſtum, & Matrem meruiſſe ſuam vnionem, & maternitatem. De quo videndi auctores laudati præſertim Vaſquez diſp. 21. & Suarez diſput. 8. & Lorca diſp. 20. nu. 1. & ex noſtris Felix c. 9. diffic. 2. & Delgadillo cap. 6. diffic. 2. dub. 1. & Faber diſp. 44. c. 5.

SECTIO IV.

Vtrum Chriſtus, vti ſubſiſtens, potuerit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam?

SEquitur quæſtio principalis. Vtrũ Chriſtus potuerit mereri ſuam vnionem hypoſtaticam? Qui ſtatus longè diuerſus eſt à primo. Hîc enim loquitur de Chriſto includente perſonam in duabus naturis ſubſiſtẽte, cùm proxima quæſtio præciſa perſona ſit de natura humana ſecundum ſe excitata. In hac igitur affirmat Suarez diſp. 10. ſect. 4. Delgad. c. 6. diffic. 2. dub. 5. hac ratione, quia Deus potuit deſtinare vnionem hypoſtaticam Humanitati Chriſti cum pacto vt mereretur illam. Sicuti Rex cùm deſignat arma, & equum antè deſignata. Quo exemplo putant rem confici. Contra tamen ſentit Vaſquez diſp. 21. cap. 6. & Lorca diſput. 20. & noſtrorum Rada controu. 12. in dubio medio. concl. 2. Caſtillo diſp. 9. qu. 3. Felix c. 9. diffic. 3. Maſtrius diſp. 3. q. 21. ar. 1. & 2. Alia ratione, quia Chriſtus, vt talis includit vnionem hypoſtaticam, quæ eſt principium totius meriti ipſius, quomodo igitur eam mereri poteſt, quæ antecedit meritum, & eſt cauſa merendi? Vnde videtur quæſtio in ipſiſmet terminis implicare, cum inuoluat rem impoſſibilem, vtrum videlicet principium, & cauſa merendi ſit effectus merentis? quod omnino negat Scotus in 2. d. 5. q. 1. §. *in iſta quæſtione* propter argumentum à nobis toties repetitum ex Paulo, & Auguſtino: ſcilicet quia gratia non eſſet gratia, & ſic applicatur: Chriſtus vt talis non meretur, niſi prout includit vnionem, & virtute illius: implicat ergo mereri id quo meretur. Hæc ſententia mihi probatur: nec poſſum intelligere quomodo cadat ſub meritum ipſummet principium meriti: nec id vnquam Auguſtinus acutiſſimus mortalium capere potuit, ſemperq; docuit de prima gratia, eam nullam eſſe ſi daretur ex meritis; ac ita ſolet cum Paulo dicere gratia eſt ex meritis, non ergo eſt gratia: & propriè de vnione in Enchir. cap. 36

Nun,

Nunquid anteà fuit homo? non intellexit, quomodo iam Chriſtus Deus, & Homo includẽs ſoppoſitum Diuinum poſſet mereri id per quod conſtituitur ſuppoſitum, hoc eſt in eſſe taliter merendi, nimirum virtute Diuinæ perſonæ, quæ præſtabat meritum, & rationem illius, & proſequitur Auguſtinus. *Et hoc ei ſingulare beneficium eſt, vt ſingulariter pro mereatur Deum*, ideſt, datum fuit huic homini, vt ante vnionem hypoſtaticam fieri mereretur Deus. Semper ſeparauit principium merendi ab ipſa vnione: non enim capere potuit quomodo Homo Deus per vnionem conſtitutus mereretur vnionem, per quam conſtituebatur Deus Homo. Confirmauit dicens: *Nempe ex quo homo eſſe cæpit, non aliud eſſe cæpit, quàm Dei Filius*. Excludit meritum poſt vnionem. Cæpit eſſe Dei Filius, non alius homo; igitur mereri tunc non potuit quod iam erat: nunquam admiſit meritum in Chriſto, quia ſemper fuit Chriſtus. Cenſuit fieri non poſſe, vt principium merendi ſub meritum caderet. Quinimo iſto exemplo vſus eſt Auguſtinus ad probandum gratiam nobis gratis donari, non ex meritis antecedentibus, loquitur autem de gratia principali, & primaria Prædeſtinationis, quæ eſt principium, & fons totius gratiæ adiuncta etiam gratia prima, quæ ex intentione prædeſtinantis Dei donatur, quam ex meritis naturæ Pelagiani ex integro, & Semipelagiani initialiter ponebant, vtranque autem negat potuiſſe mereri à Prædeſtinato. Et quidem hoc contra illos hereticos grauiſmè tradit lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 14. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prędeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus* Ieſus, *qui hoc vt eſſet, quibus tandem vel ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt comparauit? Reſpondeatur, quæſo, ille homo vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus Filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruit; quodeius bonum qualecumque præceſſit?* Hæc pertinent ad meritũ in natura humana. Illa verò ſequentia ad meritum Chriſti conſtituti *nonne faciente, ac ſuſcipiente Verbo ipſe homo ex quo eſſe cæpit Filius Dei vnicus eſſe cæpit?* Viden! vt Verbo tribuat antecedenter, & cauſaliter ipſam vnionẽ? eadem qua nos diximus ratione ſcilicet, quia cępit eſſe Filius Dei, vt nihil antecederet ipſam perſonam diuinam, quæ principium erat totius meriti futuri, & ſubſequentis, non autem antecedentis perſonam. *Nempe*, addit, *iſta omnia ſingulariter admiranda, & alia ſi qua eius propria dici poſſunt ſingulariter ab illo accepit humana, ideſt noſtra natura, nullis ſuis præcedentibus meritis. Et* concludit *Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus*. Negat initium meriti in Chriſto reſpectu ſuæ Incarnationis, & inde colligit negandum in homine Chriſtiano reſpectu ſuæ prædeſtinationis & fidei, quæ eſt oſtium gratiæ, vt ait Auguſtinus, & initium gratiæ. Et quamuis nominet naturam, dum ait, *noſtra natura*, loquitur de natura humana in ſuppoſito ſubſiſtente, quia ſtatim ſubdit exemplum hominis prędeſtinati, hic autem perſona eſt, non natura. Hoc idem repetit Auguſtinus c. vlt. de don. perſeu. laudans hunc eundem locum libri de Prædeſt. Sanct. inducta ſimili ratiocinatione, ac demum concludit, *& illum ergo, & nos prædeſtinauit, quia & in illo, vt eſſet caput noſtrum, & in nobis, vt eius corpus eſſe-*

Z *mus,*

mus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſciuit. Idem inſtitutum ſuſcipit, & probat ſerm. 9. de Verb. Apoſt. Nec opponas Auguſtinũ loqui de facto; nam ex ipſomet facto arguitur non eſſe poſſibile propter repugnantiam meriti initialis cum merito poſteriori, quæ repugnantia talis eſt vt auferri non poſſit, vnde Auguſtinus contra Pelagianos argumentabatur fieri non poſſe, vt prima gratia daretur ex meritis; alioqui minimè illos conuinceret, ſi ſecus fieri poſſet. Apparet itaque diuerſam eſſe mentem Auguſtini à mente iſtorum Theologorum, qui affirmant meritũ in Christo, vti perſona eſt, ad ſuam vnionem, per quam talis conſtituitur, promerendam. De Beata Virgine eodem modo philoſophandum, negando eam prout Mater eſt, maternitatem ſuam vllo modo mereri potuiſſe.

SECTIO V.

Afferuntur argumenta contrariæ ſententiæ, & ſoluuntur.

PRimum ſumitur ex axiomate noſtrorum Scotiſtarum apud ipſos, & apud externos celebrato, Videlicet: *Glorioſius eſſe aliquid habere ex meritis, quàm ſine illis*. Hoc ſibi prorſus perſuaſum habent, & laudant Scotum in 3. d. 18. ſ. *hoc viſo vniuersè ad primum*. Ita Delgadillo fidenter de Incarnat. cap. 6. diſt. 2. dub. 6. Hoc tamen duobus modis euertitur. Primò admittendo principium, quod aſſumunt, ſi ſit poſſibile: at negando eſſe poſſibile; cùm autem impoſſibile ſit mereri id quod eſt principium meriti, quemadmodum hactenus mõſtrauimus, ruit illud fundamentum, veluti ſi dicas: Glorioſius eſt mereri ſuam creationem, & exiſtentiam, quàm eam accipere ex meritis, non concludes eam poſſe mereri, cùm ſit improbabile creari; & exiſtere ex propriis meritis; ad quę omnino ſupponitur ipſummet eſſe, & exiſtere. Ita & impoſſibile eſt mereri primam rationem merendi, quæ non poteſt eſſe effectus meriti, cùm ſit cauſa antecedens illius. Secundò negando illud aſſumptum, quia in rebus gratiæ, quæ ſunt ſupernaturales & indebitæ glorioſius eſt eas à Deo gratis accipere ex mera voluntate ipſius, quàm ex merito proprio. Arguit enim maiorem Dei amorem erga creaturam ſe illi communicantis per ſuammet gratiam, & beneuolentiam, non autem per exigentiam meriti, quę nulla eſſe poteſt in creatura ante gratiam Dei, qua nititur, & à qua oritur omne meritum, non expectato vllo merito, vel diſpoſitione creaturæ. Tertiò quia attendenda eſt in omnibus gloria Dei, non noſtra, & illud quod ei glorioſius fuerit optandum. Quare illud aſſumptum omnino corruit. Quod autem affertur in oppoſitum ex Scoto, qui in 3. d. 17. ſ. *hoc viſo*, nu. 12. ait Glorioſius eſſe habere præmium pro merito, quàm ſine merito, nihil iuuat, imo nocet prædictæ ſententiæ, quia Scotus reſpondet primo modo: *De præmio*, inquit, *quod poteſt haberi ex meritis*. At vnio hypoſtatica non poteſt haberi ex meritis, cùm ſit principium meritorium. Deinde Scotus loquitur de præmio: præmium autem ſupponit meritum, & inuoluit iuſtitiam, cùm actus liberales Dei dona, & beneficia gratiæ, præmia non ſint, ſed meræ gratiæ, quæ præueniũt & meritum, & præmium. Vnde Scotus ait ibi ſ. *aliter* n. 13. *Præueniri ex liberalitate dantis eſt maioris nobilitatis: ſicut ſi mihi daretur illud quod habeo*

beo in fine totius laboris meritorij, nunc & illud eſt magis ad decorem ſtatus beatorum. Agit enim ibi de actu fruitionis. Videant illi Scotiſtæ, quo iure Scotum pro ſe adducant.

Secundò argumentantur exemplo Regis, qui Equiti ſuo dat arma, & equum antecedenter cum pacto, vt habeat ſibi in præmium futuræ ſuæ dimicationis, itaut dimicatio futura ſit ratio merendi inſtrumenta meriti. Reſpondeo deficere exemplum, & non concludere. Primò quia Rex non videt victoriam futuram, vt moueatur ab ipſa ad donandum, ſed conditionatè donat, dicendo *ſi viceris*, quod longè diuerſum eſt, & continet pactum *do vt des* poſita conditione, quæ non conuenit merito, quod mouet abſolutè, non conditionatè. Secundò, quia illa arma ſupponunt perſonam, & virtutem merentis, & ſunt mera inſtrumenta ſequentia perſonam: at vero vnio illa hypoſtatica conſtituit immediatè, ac per ſe merentem, & eſt primum principium meriti, quod nequit mouere vt meritum, cùm ſit cauſa merendi, & reditur ad impoſſibile iuxta effatum *principium meriti non cadit ſub meritum*. Rectè procederet exemplum, ſi loqueretur de Rege dante militi eſſe, & virtutem ex ſua gratia, & petente vt mereretur idem eſſe, & eandem virtutem, quam gratis acceperat. Itaque exemplum rem non continet, nec concludit. Tertiò arguit Delgadillo dub. 6. *Quia in ſtatu præſcientiæ, & diſpoſitionis Diuinæ merita Chriſti Domini fuerant abſolutè præuiſa, vt abſolutè futura, antequam videretur hæc vnio hypoſtatica numero, ergo potuit hæc vnio decerni propter illa merita*. Et argumentum procedit affirmando meruiſſe Chriſtum de facto vnionem hypoſtaticam. Miror homini Hiſpano, qui perinde eſt ac acutus, hoc argumentum placuiſſe. Implicat quippe rationem, & ſuppoſitionem. Ponit enim Chriſtum hominem Deum per vnionem iam factam, & ſimul ponit merita ante illam, quæ merita non eſſent Chriſti, cùm antecederent vnionem, ſine qua non poſſent eſſe merita Chriſti. Quomodo ergo merebatur Chriſtus eam vnionē per merita ſine vnione, cum ipſa merita ſupponerent vnionem? erat enim per vnionem Chriſtus cum merebatur vnionem. Explicare ſe nequit ab implicatione Vir acutus. Negandum quippe eſt quod aſſumit, antequam videretur hic homo Chriſtus cum vnione hypoſtatica, merita Chriſti futura; cùm Chriſtus ipſe non poſſit intelligi ſine vnione, nec eius merita præciſa vnione. Ruit etiam confirmatio petita ex Scoto in 3. d. 13. qu. 4. §. *& verò quantum* vbi ait: In commendãdo Chriſtum malle ſe excedere, quàm deficere à laude ſibi debita. Non enim ita commẽdatur Chriſtus; quia ille qui meretur in illa ſuppoſitione Delgadilli, non eſt Chriſtus; quia aſſumitur pręuiſus ante vnionem, igitur non præuidetur Chriſtus, qui neceſſariò includit vnionem. Vt Chriſtus commendaretur oportebat vnionem ſupponi, ſine qua nec eſt, nec videtur Chriſtus.

Ab auctoritate ſumuntur duo argumenta, quæ videntur difficilia, & in quibus multum ſudat Vaſquez diſp. 21. c. 7. Primum ex Pſalm. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus oleo letitiæ præ conſotibus tuis*. Vbi *vnctio* ſignificat Incarnationem; *Propterea* cauſam meritoriam, ac proinde concludunt Incarnationem ex meritis fuiſſe. Reſpondetur facillimè, ſenſum eſſe con-

Digitized by Google

ttariam hoc modo. *Ideo Deus vnxit te oleo diuinitatis, vt tu diligeres iuſtitiam, & odiſſes iniquitatem*. Affirmat Propheta Chriſtum Sanctum fuiſſe, & ad eum finem, nimirum vt Sanctus eſſet, fuiſſe vnctum diuinitate, ita vt vox *Propterea*, indicet cauſam illius Sanctitatis ex parte vnionis. Itaque legitimus ſenſus eſt: Sanctus fuiſti, & quidem Sanctiſſimus, propterea quod eras homo Deus, cuius effectus erat illa ſanctitas. Ita vt dilectio iuſtitiæ, & odium iniquitatis proueniret tanquam effectus ab vnione, & vnctione. Hoc modo non ſolum ſoluitur argumentum, ſed etiam retorquetur. Nec violenta eſt expoſitio, imo naturalis, & idonea, & quod palmare eſt, germana Auguſtini in eum locum: *Propterea*, inquit, *vnxit te vt diligeres iuſtitiam, & odiſſes iniquitatem*, præclarè, & aptè in rem.

Secundum ex Apocalypſi c. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem*. Igitur meruit diuinitatem, & quæ eam dona comitantur. Reſpondeo hęc verba non quadrare in vnionem hypoſtaticam, ſed ea ſuppoſita in manifeſtationem, & glorificationem Chriſti per ſuam paſſionem; quo ſenſu dixit ipſemet Chriſtus Ioan. 17. *Pater venit hora, clarifica filium tuum*, & rurſus *Clarifica me tu Pater claritate, quam habui priuſquam mundus fieret apud te*. id eſt per manifeſtationem illius vnionis, qua me donaſti, & per glorificationem nominis mei, quod eſt Chriſtus ſuppoſita vnione. Ita Auguſt. in hunc locũ Io. tr. 105. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem auten Crucis*. Deinde ſequitur de clarificatione. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Hæc eſt glorificatio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quę ab eius reſurrectione ſumpſit exordium.* Non ergo intelligendus eſt Ioan. in eo loco Apocal. 5. de Prædeſtinatione ad vnionem per merita Chriſti antecedentia, ſed ſuppoſita illa prædeſtinatione, & vnione intelligendus eſt de temporali glorificatione, quæ ſecuta eſt, & facta per paſſionem, mortem, & reſurectionem ipſius. Ideo enim dicitur Occiſus agnus *Qui Occiſus eſt* vt ſignificaretur per mortem ſuam meruiſſe reſurrectionem, & gloriam Aſcenſionis, & adorationis omnium creaturarum. Nec obſtat nomen diuinitatis, quod interponitur, dicendo accipere virtutem, & diuinitatem, & honorem: etenim diuinitas ſignificat manifeſtationem diuinitatis. Audiamus Auguſtinum in hoc tractatu ſuper Ioan. 105. *Cum videret illius prædeſtinatæ ſuæ clarificationis veniſſe iam tempus, vt & nunc fieret in redditione quod fuerat in prædeſtinatione iam factum, orauit dicens: clarifica me tu Pater claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te; tanquam diceret claritatem, quam habui apud te in prędeſtinatione tua, iam tempus eſt vt apud te habeam etiam viuens in dextera tua*. Hæc non quadrant in acceptam diuinitatem, ſed in manifeſtationem illius. Hæc eſt germana loci expoſitio, quæ ſatisfacit argumento. Itaque manet indubitatum Chriſtum Dominum nullatenus meruiſſe ſuam vnionem hypoſtaticam, nec mereri potuiſſe.

Nolo ſeparare Beatam Virginem Mariam. Idem prorſus de illa ſentio. Non potuiſſe mereri ſuam maternitatem,

tatem,

tatem, quia primò electa fuit, vt eſſet Mater Dei: ex quo principio omnia ejus merita emanarunt, ſicuti emanarunt merita Chriſti ex vnione hypoſtatica: nec opus eſt argumenta repetere. Facile erit legenti ſuperiora recolere, & accommodare. Spectat hoc ad gloriam Virginis eandem rationem ipſius habuiſſe Deum, vt mater filij ſui eſſet, quam habuit filij ſui, vt homo fieret. Eadem gratia qua ille eſt Chriſtus, & illa mater eſt Chriſti. Gratis ille accepit vnionem: gratis illa accepit Maternitatem. Omnia Chriſti merita ab vnione; omnia Virginis à maternitate ſunt profecta: ac proinde quod fuit in vtroque principium meriti, effectus meriti eſſe non potuit. Verùm quia ſunt plura argumenta auctoritatis pro meritis Virginis Mariæ ad Maternitatem, quàm ſint Chriſti ad vnionem, oportet ea enodare, & diſſoluere.

Primum. Eccleſia in Antiphona finali officij Paſchalis canit

Regina cœli lætare Alleluia
Quia quem meruiſti portare Alleluia

Et in oratione poſt *Salue Regina*, quæ claudit officium diuinum ſic habet; *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Eccleſiæ cōcinunt Patres, qui veluti vno ore meritum huius maternitatis Beatæ Virgini attribuunt. Baſilius Homil. de Chriſti generatione, quæ eſt 25. Ambroſius Epiſt. 28. & lib. 2. de Virg. Chryſoſt. Homil. 49. in Geneſ. Epiph. Hæreſ. 78. Damaſce. lib. 4. de Fide. Grego. in 1. Reg. c. 1. Euſeb. Emiſſenus Homil. in Euang. fer. 5. Aduent. Petr. Damia. Serm. 3. de Natiu. Mariæ, & ſerm. 2. de Aduent. Huc pertinet illud diſtichon Prudentii in Cathem.

Edere nanque Deum merita
Omnia Virgo venena domat.

Idem tradit Auguſt. lib. de Sancta Virg. cap. 4. & ſerm. 14. de tempore, & lib. de nat. & grat. cap. 36. qui locus eſt inſignis, vbi ſic, *Excepta Virgine Mariæ &c. quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Chorum claudit Venant. Fortunat. lib. de ætern. gaud. hoc diſticho.

Virginitas felix, quæ partu eſt digna Tonantis,
Quæ meruit Dominum progenerare ſuum.

Confirmatur illo celebri dicto S. Bernardini To. 2. ſerm. 51. art. 3. cap. 1. *Beata Virgo*, inquit, *quando præbuit aſſenſum illis verbis; Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum, plus meruit, quàm omnes homines per omnia opera ſua.* Idcirco quia meruit Mater eſſe Filij Dei, quod cùm ſit præmium quodammodo infinitum excedit omnia merita Sanctorum.

Reſpondetur duobus modis. Primò meritum hic non accipi propriè, nec rigoroſè, ſed impropriè, & fluxè, perinde ac ſit dicere, meruit, ac digna effecta fuit à Deo illius gloriæ maternitatis ei collatæ a Deo, quam Deus dignatus eſt matrem habere, ita vt *meruit* referatur ad dignationem Dei erga illam, quemadmodum de Cruce dicitur in Hymno *Sola digna tu fuiſti ferre mundi victimam*, & in antiphona ad Magnificat in primis Veſperis. *Quæ ſola fuiſti digna portare regem cælorum, & Dominum,* Crux non habet meritum per quod fiat digna. De merito autem in hoc ſenſu proprio vtitur Eccleſia, cùm canit in benedictione Cerei Paſchalis, O *felix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem?* Appellatur igitur meritum effectus gratiæ diuinæ donantis liberaliter priuilegium, quod cùm ſit bene collocatum dicitur fuiſſe

pro

promeritum: & ita ſentit Lorca diſp. 22.n.21.

Secundò reſpondetur meritum ſumi in ordine executionis; videlicet in executione meruit Virgo quod ſibi deſtinatum erat ex intentione Dei ita eligentis, vt non ſine meritis conſequentibus obtineret; ſicuti cùm Deus prædeſtinat ſine præuiſis meritis; non excludit merita in executione, imo vult vt merita in re ponantur, non vt mouentia antecedenter, ſed vt decentia, & congruentia ad electionem vnde manant conſequenter, itaque non dat propter merita, ſed prędeſtinat cum meritis concomitantibus in executione gloriam anteà deſtinatam. Ita Deus Beatæ Virgini prædeſtinauit Maternitatem Filij ſui ex gratia, & liberalitate, & tamen voluit vt eadem reſponderet electioni meritis, & actibus virtuoſis, ortis ex gratia ad id collata proportionatè ad dignitatem. Hęc ſunt merita Virginis, de quibus loquitur Eccleſia cum Patribus. Igitur Deus elegit Virginem in Matrem Filij ſui ex pura gratia ſua, & electæ deſtinauit gratiam idoneam, conformem tali dignitati ad merendum cum ea in tempore per voluntatem ſuam liberè, ac honeſtè, vt merita reſponderent dignitati. Quare omnium cauſa, & fons meritorum B. Virginis fuit illa electio in Matrem Dei. Quod licet Gabriel Vaſquez inficietur diſp.23. c.4. tamen indubitatum videtur, & ſecundum Auguſtinum, qui propterea ſolet vocare merita prædeſtinatorum dona Dei, nihil enim reperitur frequentiùs vſurpatum apud eum, quàm *Merita tua ſunt dona tua*, de quo nos multa, & accuratè in Scrinio, & Cortina S. Auguſtini. Sunt enim apud Sanctum Doctorem merita prędeſtinatorum, non cauſæ, ſed effectus prædeſtinationis. Vnde oppoſitum Vaſquij tenet Suarez diſp.10.ſect.7.cui vt more ſuo Vaſquez contradiceret aliter ſentire, & docere voluit. Atque his refutatur Delgadillo de Incarn.c.6.diffic.2. dub. 20.& 21.& Henr. Villegas in 3. d.4.q. vn. qui affirmāt B. Virginem potuiſſe mereri, imo & de facto meruiſſe Maternitatem ſuam etiam de condigno. Pro qua ſententia idem Delgadillo allegat Vaſquez immerito, cum is contrà oppoſitum perſpicuè tradat diſput. 23. c.3. admittens ſolùm meritum de congruo cap.4. in quo non diſſentit à Suario diſput. 10. ſect. 10. Ego auctor ſum B.V. antedenter nullo modo mereri potuiſſe electionem ſuam vt Mater Dei eſſet, quia principium meriti non cadit ſub meritum, & potuiſſe tamen in executione mereri congruè illam dignitatem exhibendo ſe illa dignam per opera ſubſequentia intentionem Diuinam, & concomitantia executionem. De condigno tamen nō potuit mereri ipſam electionem, cùm merita B. Virginis non eſſent proportionata tantæ dignitati, quæ eſt quodammodo infinita, etiam poſita diuina acceptatione, quemadmodum ſuo loco dicemus.

Supereſt probandum auctoritate Beatam Virginem gratis à Deo eam prerogatiuam ante omnia præuiſa merita accepiſſe. In primis ipſa illa id fatetur in ſuo Cantico *Magnificat*, vbi attribuit Deo beneficium ſibi collatū *Reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ. Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Et Miſericordia eius*, repetit miſericordiam *Recordatus miſericordiæ ſuæ*, nihil ſonat in hoc cantico meritorum. Omnia ſunt *potentia Dei, humilitas, miſericordia*. Conſonat illud aliud dictum Beatæ Virginis Lucæ c.1. *Ecce Ancilla*

Digitized by Google

la Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Non ait: *ſecundum meritum meum*, ſed *ſecundum verbum tuum*. At loquebatur ex humilitate. Fateor: ſed humiliter veritatem fatebatur: nec enim veritati derogat virtus humilitatis. Nec diſſonat Zacharias cùm canit *Per viſcera miſericordię Dei noſtri.* Nota *Viſcera miſericordiæ*, cùm de Incarnatione Verbi loquatur, quaſi meminerit etiam Beatę Virginis Chriſtũ in ſuis viſceribus concipientis, quòd etiam illa ex miſericordia verbum Dei hominem factum concepiſſet. Vtrunque miſericordiæ deputauit, & Incarnationem Filij, & Maternitatem Matris. Nunc redeo ad argumenta oppoſita, nequid maneat inſolutum. Quando Eccleſia, & Patres dicunt Beatam Virginem meruiſſe dignitatem Matris Dei, loquuntur de meritis conſequentibus electionem, comitantibus executionem, neque intelligunt de merito proprio, & rigoroſo. Quod attinet ad laudem exaggeratam Sancti Bernardini. Reſpondeo ex ea non colligi meruiſſe B. Virginem per illum actum electionem Matris Dei, imo deduci ideo tantum meruiſſe, quia ille actus iam procedebat à Virgine, vti erat Mater Dei conſtituta, vnde proueniebat tanta dignitas in illo merito, quia procedebat à perſona, quę mater Dei erat, quod cum referretur ad dignitatem quodammodo infinitam, parem merendi rationem participabat; qua ratione retorquetur argumentum.

SECTIO VI.

Quid tandem meruerit Chriſtus, ac eius Mater, & Patres Antiqui?

CHriſtus ſolùm meruit alijs, ſibi nihil arbitror antecedẽter meruiſſe, quia quicquid Chriſtus habuit fuit ex volũtate Dei prædeſtinantis illum, & decernentis illud myſterium ad gloriam ſuam, & ſalutem generis humani, vnde neque conſeruationem ſuæ vnionis, neque Reſurrectionem, neque Aſcenſionem, neq; gloriam ſuam accepit ex meritis præuiſis, ſed ex conſequenti hæc omnia emanarunt ab vnione hypoſtatica, ad quam primò electus eſt, & prædeſtinatus. Quæ doctrina eſt conformis menti Scoti in 4. d. 2. q. 1. §. *ad primum*, verſ. *& ſi obijcis*. vbi. *Poſſet*, inquit, *dici quòd in vniuerſis operibus Dei non fuit aliquod opus meræ gratiæ, niſi ſola Incarnatio Filij Dei*, & in 3. d. 18. q. vn. §. *hoc viſo*, vbi negat Chriſtum *meruiſſe ſuam fruitionem*, & laudat Auguſtinum lib. 13. de Trinit. cap. 19. à quo id eleganter traditur à c. 34. ad 41. qui lectu eſt digniſſimus. Quicquid ergo meruit propriè Chriſtus fuit erga alios, ac præcipuè Beatam Virginem, cui meruit Maternitatem in primo ſtatu ante decretũ redẽptionis, & in ſecũdo poſt decretũ de redẽptione. Itaque gratiam, & gloriam Angelis in primo ſtatu meruit, hominibus autem in vtroque gratiam, & gloriam meruit de condigno vltra congruum, ad abundantiam, & exuberantiam meriti, quemadmodum poſteà exponemus, idque ſic fieri oportuit, vt caput eſſet hominum, & Angelorum: aliter non benè

bene congrueret cum Chriſti dignitate, & ſingulari prærogatiua.

Quod attinet ad Beatam Virginem: illa Chriſti vnionem, & conſeruationem, & gloriam non meruit, nec mereri potuit, vt patet, cùm illa omnia anteceſſerint maternitatem ſuam, nec poſſent cadere ſub meritum humanum, quod omni merito infinitè ſuperiora eſſent. Dubium eſt vtrum meruerit aliquas circunſtantias Incarnationis? Sunt qui dicant meruiſſe accelerationem illius, & videtur ſignificare Scotus in 4.d.2.q.1.§. *ad primum, & ſi obijcis*, in quo ait *Si tempore conceptionis præceſſerunt aliqua merita in Maria, tamen non erant bona abſolutè reſpectu Incarnationis, ſed fortè accelerationis, vt impleretur illa Incarnatio præordinata:* quibus verbis indicat Scotus ſubſtantiam, vt aiunt, Incarnationis non cecidiſſe, nec cadere potuiſſe ſub meritum Virginis, potuiſſe tamen circunſtantias, qualis erat acceleratio. Video Scotum hoc non improbabile exiſtimaſſe. Loquitur tamen permiſſiuè *poteſt dici*, non affirmatiuè: conditionatè, non abſolutè *Si in tempore conceptionis præceſſerunt aliqua merita in Maria.* Nihil vtique definit. Vnde mihi liberum erit contrà opinari probabiliùs, & negare Beatam Virginem potuiſſe mereri, ac meruiſse circunſtantias incarnationis, ac proinde neque Sanctos Patres, qui minoris, quàm ea meriti, & Sanctitatis fuerunt. Non me latet hoc contra communem Theologorum eſſe conſenſum, à quibus ego diſsentire nolo, tantùm conabor probabilem efficere contrariam opinionem hiſce fundamentis. Quidquid à Chriſto Domino factum eſt, id omne à Deo antè prouiſum, & deſtinatum eſſe oportuit propter decorum myſterij, & dignitatem perſonæ; igitur non debuit antecedenter vllo modo ad id moueri propter cauſam meritoriam creatam. Aſſumptum eſt conueniens rationi; conſequens aptum, & idoneum. Nam decederet multùm de altitudine illius myſterij, ſi quem in eo decernendo creaturę locum haberent, cùm præſertim omnia merita creaturarum fuerint cauſata a Chriſto Domino, & quidquid ij Patres meruerunt, id omne ſit ab eo capite, ac fonte profectum. Accedamus propiùs ad circumſtantias, quas aiunt vulgò eos promeruiſſe. Vna fuit: vt ex Abrabam & Dauid naſceretur. Hoc autem mihi non arridet. Nam D. Paulus in ſua Ep. ad Roman. intendit mõſtrare Hębreos omnem ſuam excellentiam, & dignitatem accepiſſe ex gratia, ne ſuperbirent, ſeque iactarent de proprijs operibus. *Si* autem Abraham, & *D*auid, ac reliqui *P*atres meruiſſent antecedẽter illam pręrogatiuam, magna ijs occaſio eſſet gloriandi, ac proinde Paulus à ſuo ſcopo deflexiſſet. Nec ſatisfit dicendo Paulũ excludere merita naturæ ſine gratia. Quãuis enim id fateamur, tamen excludi etiam debent omnia alia merita, & gratia antecedentia, & mouentia Deum ad ſumendam carnem ex illo populo ſpretis Gentilibus. Dicerent enim Hebręi ſe meruiſſe quod Gentiles non meruerunt, quamuis gratiam habuiſſent. Hanc igitur occaſionem præcidere voluit Paulus, dicens eam gratiam datam Hebræis ex liberalitate Diuina, & gratis; vnde nihil erat Hebręis gloriãdum, cùm ipſe eos elegiſſet, & gratiam contuliſſet. Itaque non meruerunt illam Incarnationem fieri ex ſuo ſanguine antecedenter inſtar cauſæ meritoriæ.

Digitized by Google

ritoriæ. Non item meruerunt alterã circumſtantiam *Accelerationis*, quam dicunt, eiuſdem myſterij. Nam illa non erat acceleratio, imò potius dilatio: Nimis enim fuit dilata, vſque ad vltimam ætatem mundi, & nouiſſimum tempus, præteritis tot generationibus Hebræorum, & quidem deteriorum, quàm Patres antiqui fuerũt. Hoc igitur à Deo diſpoſitum, & ordinatum eſt liberè, ac pro ſua voluntate; ille deſtinauit, & conſtituit tempus, nec expectauit illa merita hominum ad decernendum, quo tempore Chriſtus eſſet venturus, qui hoc ipſum reſpiciens dixit: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*. Si negauit facultatem ſciendi, à fortiori negauit facultatem merendi. Imò ne quis exiſtimaret habuiſſe Deum rationem meriti diſtulit Incarnationem ad tempus nouiſſimum, in quo locus non eſt accelerationis, ſed venerationis, & dilationis. Quare in Sacra quidẽ Virgine nõ admitto meritum antecedens ad circumſtantias Incarnationis; concomitans, & conſequens admitto. Omnia quæ ſpectant ad hoc arcanum, & altiſſimũ myſteriũ volo eſſe à Deo ſolo prçuiſa, prouiſa, prçfinita, prçdeſtinata pro ſuo arbitrio, voluntate, & poteſtate, vt dicat ad Patrem Chriſtus *In manibus tuis tempora mea*: in manibus, inquam, tuis liberis. Nam in manibus meis ſunt tempora aliorum, ſcilicet in manibus fixis in Cruce, vbi eos redemi, meo ſanguine, quem tu Pater ab æterno decreuiſti pro hominibus profundendum. Igitur omnia Chriſti per Patrem. Omnia noſtra per Chriſtum, & decreta, & facta. Hoc mihi videtur probabile, & tutum, nec video qua ratione poſſit refutari. Scotus minimè contradicit. Cur igitur non liceat ita opinari? Quòd ſi mihihi liceret Thomiſtam agere, afferrem pro me teſtimonium S. Thomæ 1.2. q. 98. a. 4. dicentis, electionem, qua Deus elegit, vt Chriſtus ex ſemine Abraę naſceretur non fuiſſe ex meritis Abrahami, ſed ex gratuita Dei voluntate. Verum quidem eſt obſtare argumentum difficile ſumptum ex cap. Gen. 22. vbi Deus. *Per memetipſum*, inquit, *iuraui, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me* &c. *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*: quibus verbis indicatur meritum antecedens, & cauſale: Dicendum tamen Deum loqui de merito comitante, & conſequente intentionem Dei prædeſtinantis, vt Incarnatio, quam liberè decreuerat in executione applicaretur ad ſumendam carnem ex Abrahamo, cui illam gratiam pręparauerat, ex qua proueniebat illud meritum Abrahæ. Itaque principium merendi in Deum reſũdebatur liberè Abrahamum eligentem: poterat quippe eligere alium quemlibet ex populis Gentilium, eique illam gratiam donare, per quam in executione illam circunſtantiam mereretur. Redit itaque hoc meritum Abrahæ ad gratuitam Dei donationem, ac proinde nihil meruit antecedenter quoad Dei intentionem.

Alius item locus afferri ſolet ad perſuadendum Patres meruiſſe incarnationem in ſua ſtirpe, qui eſt in Pſal. 131 *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Verùm hic locus fluxus eſt, & vacuus virtutis ad probandum. Vnde facilè reijcitur, cùm nihil contineat idoneum: eſt enim ſimplex promiſſio Dei ſine mentione meriti, & ſolùm ponitur Dei promiſſio, & fides nullo obligata vinculo meriti. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui po-*

Digitized by Google

nam ſuper ſedem tuam Nullum hic veſtigium, nec vmbra meriti. Quod autem ait Delgadillo c.6.dif.2.dub.8. *Promittitur Dauid eo quod voluit ædificare templum Deo*, id non ſignificatur in Pſalmo, nec tanti erat momenti, vt propterea fieret illa Incarnatio. *De fructu ventris tui*, & melius conueniret Salomoni auctori Templi. Obiter autem animaduerto citari ab eo Patrem Vaſquez diſp. 23. c. 5. & Suarez diſp. 10. ſec. 6. pro hac ſententia contenta in eo loco Pſalmi, quod verum non eſt, neuter enim eum locum affert, aut expoſitionem illam adducit, quemadmodum ego in ijs aſſiduus obſeruari. Adijcio incogitantiã eiuſdem Delgadillo, à quo Beatæ Virgini applicatur dictum Eccleſiæ de Cruce. *Quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum*, non quod velim hominem pungere, ſed Lectores admonere ne ſcribant minus accuratè, certi ſore poſteros homines diligentes, quos non lateant ſi qua ijs per negligentiam exciderint, quod ſi mihi aliquando contigerit Delgadillus vir acutiſſimus, & alij ſimiles erunt ſolatio.

IVDICIVM.

APparet ex ſuperiori tractatione Scotũ omne meritum à Chriſti Incarnatione, & proprium, & alienum excluſiſſe, cùm Sanctus Thomas congruum admiſerit Patrũ erga Incarnationem. In eo quidem nos cenſuimus Scoti placitum, quamuis non omnino expreſſum, veriſimilius eſſe propter tanti myſterij dignitatem, à qua duxit omnis gratia principium: quod ex Auguſtino colligitur, & à recta ratione deducitur, quæ dictat Chriſtum fuiſſe caput hominũ, & Angelorum, atque adeò antecedenter, & independenter ab omnibus prædeſtinatum, & prouiſum. Secundùm eundem Scotum egimus de Matre Virgine, cuius Maternitatem eò extulimus, vt extra rationem meriti poneretur cùm proprij, tum alieni, excepto merito Chriſti, qui Matri ſuæ meruit, quæcunque ornamenta excogitari poſſunt gratiæ, & gloriæ, & dignitatis, ita vt ea in eadem cum Chriſto ſerie poneretur, infra Chriſtum quidem, ſed ſuper omnes alias Creaturas. Vnde Scotus excluſis omnibus aliorum meritis, probabile tamẽ iudicauit Beatam Mariam Virginem accelerationem incarnationis per ſua opera meruiſſe. Adduximus autem, opinor, appoſitè verba Scoti, quibus affirmat tribuendum eſſe Chriſto, & Mariæ, quod excellentius viſum fuerit, dummodo ſit poſſibile. Supereſt vnum quiddam arduum, & difficile, videlicet, reſpondere ad argumentum petitum ex Doctrina Scoti tradentis Chriſtum prius fuiſſe prædeſtinatum ad gloriam, & gratiam, quàm ad vnionem hypoſtaticam, ſumptum ſecundum naturam humanam, nam ſi ea natura Chriſti anteceſſit in prædeſtinatione vnionem ſuam cum ſuppoſito diuino, potuit eam aliquo modo ſaltẽ de congruo promereri. Adduco verba Scoti, in hoc 3.d.7.q.3. § *Reſpondeo*, nu.2. *Cùm prædeſtinatio ſit alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam, & huic naturæ humanæ in Chriſto præordinata ſit gloria, & vnio iſta in Verbo in ordine ad gloriam, quia non tanta gloria fuiſſet ſibi conferenda ſi non eſſet vnita, ſicut modo collata eſt: quemadmodum ergo merita cadunt ſub prædeſtinatione, ſine quibus non ordinaretur de congruo, quoad tantã gloriam, ſine ijs, ſicut cum eis, ita videtur iſta vnio ordinari ad tãtam glo-*

Digitized by Google

gloriam de congruo, licet non cadat ſub prædeſtinatione tanquam meritum, & ita ſicut prædeſtinatum eſt hanc naturam vniri Verbo, ita prædeſtinatum eſt Verbum eſſe hominem, & hunc hominẽ eſſe Verbum. Patet hinc prius fuiſſe prædeſtinatam naturam humanam Chriſti ad gloriam, quàm ad vnionem hypoſtaticam, contra id quod nos diximus; & confirmatur amplius ex obiectione, & reſponſione Scoti ibi poſitis: cùm enim obijciat prædeſtinationem primò reſpicere perſonam, non naturam, reſpondet in alijs ita eſſe, at non in Chriſto, quia in alijs non prędeſtinatur natura ad aliud bonum diſtinctum à gloria, quæ eſt communis naturæ, ac perſonæ; at verò in Chriſto natura prædeſtinatur ad vnionem cum perſona *Diuina*, quæ eſt ſingulare bonum naturæ, non perſonæ. Ita ſubtiliſſimè *Scotus*.

Fateor hoc argumentum negotium exhibere. Ac omiſſa triplici interpretatione Lycheti hoc in loco; reſpõdeo Scotum loqui de prædeſtinatione Inchoata, me autem loqui de completa, & perfecta, quæ antecedit certam gloriam congruam vnioni, quæ non conuenit naturæ in ſtatu illo inchoato: nã in hoc præciſè ſumpto non aſſignatur ei niſi gloria indeterminatè: itaque non eſt adhuc prædeſtinatio propria, & adęquata, & idcircò antecedit vnionem, nec quidquam habet commune cum Chriſto. Nos autem agimus de natura appropriata Chriſto, & in eo incluſa, quæ non ſumitur in eo ſtatu abſtractionis, ſed in ſtatu contractionis, & vnionis cum Verbo, in quo illa prius refertur ad Verbum, quàm ad gloriam ſummam Verbo conuenientem, quam Scotus appellat congruã. Hæc autem ſequitur vnionem ſupponendo illam, & prędeſtinando illi congruentem gloriam. Quare in primo ſigno ſumitur natura illa ſolitaria, & auulſa à Verbo. In ſecundo accipitur vt relata ad Verbum, & coniuncta Verbo. De hoc igitur nos agimus, cùm dicimus priùs prædeſtinatam fuiſſe ad vnionem, quàm ad gloriam, & gratiam, nihil detrahendo Scoti Doctrinę: imò eam ſequendo, & approbando, & venerando: quod nobis & propoſitum eſt, & iuratum. Cætera conſtant, nec de iis opus eſt iudicare. De Conceptione B. Virginis Marię ſatis ſuprà diximus. Ea modò, quæ ſunt Incarnationis propria explanemus.

COLLATIO TERTIA

DIFFERENTIA II.

Vtrum B. Virgo ſit Verè, ac propriè Mater Dei?

Ad quæſt. 32. a. 4. 3. p. S. Thomæ: & q. 35. a. 4. eiuſdem. Scoti verò. In 3. diſt. 4. quæſt. 1.

AMbo dere, quæ Catholica eſt, conueniunt, affirmando contra Neſtorium. Sic enim Scotus §. *In iſta quæſtione*. nu. 2. *Concluſio*, inquit, *eſt certa, ſicut patet per Damaſcenum. Dei genitricem verè Sanctam Mariam prædicamus*. Diuus Thomas a. 4. q. 35. in fine corporis. *Hæreticum*, inquit, *eſt negare B. Virginem eſſe Matrem Dei*. Differunt tamen in modo, quia S. Thomas negat Matrem actiuè concurrere ad generationem Prolis: Scotus verò affirmat, & conſequenter ille tollit à Virgine concurſum actiuum, is concedit. Sanctus Thomas q. 32. a. 4. in Corp. *Relinquitur*, inquit, *quod tota virtus ſit ex parte Maris: paſſio autem ex parte Feminæ*. Et propterea in fine. *Ideo dicendum eſt, quòd in ipſa conceptione Chriſti Beata Virgo nihil actiuè operata eſt, ſed ſolam materiam miniſtrauit, operata tamen eſt ante conceptionem aliquid actiuè, præparando materiam, vt eſſet apta conceptui*, & citat Ariſtotelem in reſponſione ad ſecundum. *Ars ſuperior inducit formam; ita virtus generatiua Feminæ præparat materiam, virtus autem actiua Maris format Materiam præparatam*. Contra Scotus d. 4. q. 1. §. *Opinio eſt*; cõcludit. *Ergo in Matre eſt aliqua virtus actiua*, & impugnat S. Thomã dicentem, quod ſolus Pater habet rationem actiui, & Mater rationem paſſiui; & infra §. *ad propoſitum* ſequitur ſententiam affirmantem omnes Matres actiuè concurrere, & ait: *ipſa*, ideſt, *Beata Maria Virgo habuit virtutem actiuam, ſicut aliæ Matres*.

SECTIO I.

Vtrum Beata Virgo concurrerit actiuè ad Generationem Chriſti?

SAnctus Thomas, vti vidimus, negat, & cum eo Thomiſtæ ſequuti Ariſtotelem 1. de gen. Ani. c. 19. & 20. quæ communis eſt ſententia Philoſophorum, quos inter ſunt Magiſtri mei Conimbricenſes, nimiũ Ari-

Digitized by Google

ad Textum Ariſtotelis adductum.

Scotus affirmat cum ſuis, qui auctorem habent eius ſententiæ Hippocratem De formatione fœtus, & Galenū lib. De ſpermate, ac reliquos medicæ artis peritos, quibus hac in re maior eſt habenda fides. Hinc quæſtio tota pendet; nam ſi Matres actiuè concurrunt, actiuè ſe habuit Beata Virgo; ſin ſolùm paſſiuè, ſecus. Vtrouis tamen modo concurrant, verè Mater eſt Beata Virgo, cùm partes Matris proprias impleuerit. Multo tamen eſt perfectior modus actiuè concurrendi; proptereà Scotus hanc viam arripuit, quam ſuadet primò: quia formas eiuſdem ſpeciei conſequuntur potentiæ naturales, eiuſdem ſpeciei ſunt autem mas, & femina eiuſdem ſpeciei ergo & potentiæ generatiuæ illorum: *vegetatiuam* Scotus appellat. Secundò: magis afficitur mater erga filium, quàm pater: ergo non minus in eius generatione operatur, quàm pater, alioquin minus amaret, ſicuti minus proprium. Tertiò: ſæpe filius euadit ſimilior matri, quàm patri, non ſolo vultu, ſed etiā indole, & ingenio. Hoc autem iudicium eſt maioris operationis in generatione. Quartò: quia ſine concurſu actiuo parum relinquitur matri, vt mater ſit: erit enim tanquam vas receptiuum tantùm, ſicut terra mineraria, quæ recipit ſolùm non generat metallum, qua ratione dicetur homo incluſus in matris vtero tanquam in loco aliquo ſui corporis competenti ad generationem, non genitus. Idque confirmatur auctoritate Damaſceni, qui dat matri virtutem ſuſceptiuam, & generatiuam. Has rationes Scoti adducit Caietanus fideliter commentarijs in Diuum Thomam ad art. 4. quæſt. 32. *§. occurrit*, eaſque conatur ſoluere; ſed fruſtrà, vti videbimus.

In hac via Scoti dicendum: Beatam Mariam non ſolum ſuppeditaſſe ſanguinem, ſed etiam ſemen puriſſimum ex parte ſua, quæ eſt propria, & proxima materia humani fætus, & naturaliter requiſita, vt generatio illa eſſet naturalis, ſicuti noſtrę. Neque id indecens eſt, cum illę humor ſit innatus feminis, ac idcirco naturalis in Virgine quę erat vera femina: quare non debet ei detrahi ſicuti indecorum; imo attribui tanquam naturale: quemadmodum attribuit Anſelmus prius, & ſanctus doctor lib. de Concept. Virg. & pecc. orig. & Beda in cap. 11. Lucæ lib. 4. c. 49. & animaduertit ex Hurtado Maſtrius in lib. de generat. diſp. 8. p. 2. art. 2. qui duo rem hanc diligenter tractarunt. Defuit igitur in generatione Chriſti ſemen & opus virile, quod illud omnino ſuppleuerit Spiritus Sanctus. Vnde non probo modum loquendi quorundam recentium acutorum, qui dicunt Virginē eſſe Matripatrē Chriſti, cum ea patrem non egerit prorſus expers virilis ſeminis, & actionis, hæc enim ſuppleuit Spiritus Sanctus: Itaque mater ſolùm eſt, & dicitur, non autē Matripater, vt ij contendunt. Sanctus Thomas Doctor Angelicus ſanguines puriſſimos ſolùm, excluſo ſemine admiſit qu. 35. art. 3. more potius Angelico, quàm humano. Scotus maluit hic homo eſſe, quàm Angelus, vbi de naturali generatione agebatur. Vbi autem de gratia ſermo erat, nempe in Conceptione Virginis, diuerſimodè ſe geſſerunt; cùm D. Thomas, vti vulgò creditur, admiſerit maculam peccati Originalis, vti homo; Scotus autem, vti Angelus, eam excluſerit. Itaque Angelicus Doctor in corporalibus Angelicè proceſſit, in ſpiritualibus humaniter. Scotus autem Subtilis in ſpiritualibus proceſſit Angelicè,

licè: in corporalibus humaniter. Nec vero Patres opponuntur Scoto. Nam, quem obijcit Sanctus Thomas, Auguſtinus, lib. de Geneſ. 10. c. 20. dum negat ſeminalem rationem, is tantùm negat ſemen, & concurſum virilem, non autem ſemen, & concurſum femineũ. Alij verò Patres, qui dicunt Spiritum Sanctum fuiſſe pro ſemine in Conceptione Chriſti, qualis eſt Auctor imperfecti Hom. 1. init. & Damaſcenus lib. 3. Orthod. fidei c. 8. intelligi debent de virtute actiua virili, ſuppleta per Spiritum Sanctum, quemadmodum expoſuit Hieronymus Tom. 2. in expoſitione Catholicæ Fidei. Quod attinet argumenta Scoti, Caietanus 3. p. q. 32. ar. 4. §. vlt. *Ad obiecta Scoti*, more ſuo queritur antequam reſpondeat argumentis. *Iſtum hominem* (ſic vocat Scotum, ne eum confundat cum ſuo Doctore Angelico, quem ſolum Angelũ eſſe vult) *Aſſumpſiſſe argumentum auctoris in littera ſecundum, & videntem reſponſionem, & tamen arguentem, quaſi auctor*, idest S. Thomas, *non reſponderit*. Aufero materiam querimoniæ, & Scotum vindico. Hic igitur ſumpſit ſuum argumentum primum ex identitate ſpecifica Matris, & Patris, & inde deduxit ſimilitudinem potentiarum. Poſuerat contra ſe idem argumentum Sanctus Thomas art. 4. q. 32. ſecundo loco, omiſſa maiori Scoti, in qua erat vis principij. Ei argumẽto reſponderat idem S. Thomas ibid. hoc modo. *Dicendum quod potentia generatiua in femina eſt imperfecta reſpectu potentiæ generatiuæ, quæ eſt in mari: & ideò ſicut in artibus ars inferior diſponit materiam, ars autem ſuperior inducit formam, vt dicitur in 2. Phyſ. ita etiam virtus generatiua feminæ præparat materiam: virtus autem actiua maris format materiam præparatam*. Quæ certè ſolutio Sancti Thomæ non videtur ſatisfacere argumento Scoti, imo ei fauere, dum enim ait potentiam generatiuã feminæ ita eſſe imperfectam, vt eſt ars inferior, reſpectu artis ſuperioris, manifeſtè oſtendit diuerſitatem ſpecificam, vnde neceſſe fuit Caietano dicere exemplum Diui Thomę non eſſe propriè accipiẽdum, quòd vidit continere diuerſitatem, non identitatem. Igitur Scotus cùm hoc acutè, ac ſubtiliter vidiſſet, poſuit hanc maiorem; *Formæ eiuſdem ſpeciei habent potentias eiuſdem ſpeciei*, tunc poſuit minorem, ſed per ſe illæ potentiæ generatiuæ maris, & feminæ ſunt diuerſę ſpeciei, cũ vna ſit paſſiua, altera actiua, & habeant ſe tanquã ars inferior, & ſuperior, quę artes diſtinguuntur ſpecie, non identificantur, ergo tua ſolutio nixa hoc exemplo non ſatisfacit, quia verſatur in ijs quę ſunt diuerſæ ſpeciei, cùm deberet verſari in iis quę ſunt eiuſdem ſpeciei. Rectè igitur Scotus; vidit quippe ſolutionem Sancti Thomę non ſoluere argumentum, ſed confirmare. Quid ergo reprehendit in iſto homine Caietanus? qui dum ait, exemplum Diui Thomæ non eſſe proprium, condemnat magiſtrum ſuum, contra quàm debuit. Peccat ſanè Caietanus in Diuum Thomam, & Scotum quem per iniuriam *Iſtum hominem* appellat. Nec ſoluit argumẽtum Scoti, vti exiſtimat, ſua illa, quam ibi excogitat, doctrina: quę huiuſmodi eſt. Matrem præparare materiã actiuè agendo in ipſam, & operando in ipſa, & hoc ſatis eſt ad virtutem actiuam matris adſtruendã. Primum iam hoc habemus ex Caietano potentiam matris generatiuam eſſe actiuam, & matrem actiuè cõcurrere. Quod Sanctus Thomas, & Schola non vult. Deinde quòd ait Matrem

præ-

Digitized by Google

præparare materiã non eſt ſatis ad dicendum concurrere actiuè; ſi enim ſufficeret, nemo negaret actiuè concurrere. Ecquis enim negat matrem præparare materiam? Imo Sanctus Thomas, qui affirmat feminam præparare materiam negat matrem actiuè concurrere. Agitur ergo de actione generatiua in materia præparata, quæ eſt in compoſitis viuentibus materialibus inductio formæ: in homine vero vnitio formæ cum materia. Vnde Caietani opinio non ſubſiſtit, cùm iuxta ipſum Mater ſolùm verſetur in materia, & in vtero patienter ſe habeat, Mas vero agendo, qui eſt auctor generationis; cuius ſi mater auctor non eſt nullo iure dicetur mater. Quare manent integra omnia argumenta Scoti, nec quidquam Caietanus ſoluendo egit, ſed ſolùm paſſus eſt inſtar matris dolendo querulo more, ac expoſtulando cum Scoto, cuius eſt mea hæc contra Caietanum doctrina. Audiamus eum d.4.qu.1. §. *ſed hic eſt vnum*, verſ. *hoc concedendum*, *Matres*, inquit, *per vim actiuam, non tantùm per vim paſſiuam in materia miniſtrata agunt, ſed etiam corrupta illa vi actiua in ſemine in inſtanti generationis, ſicut ſubſtantia, in qua eſt, ipſæ immediatè agunt ad terminum generationis producendum*, ſiue inducendo formam, ſiue vniendo illam materiæ. Id autem animaduerto Virginem præſtantiorẽ reliquis matrem eſſe, quòd in eodem inſtanti, quo perfectum eſt corpus infuſa eſt anima, & vnita humanitas Verbo, cùm aliæ matres lentè procedant embryonem ante fœtum formãdo, & expectando tempus opportunũ pro animæ infuſione, & vnione.

SECTIO II.

Quis ordo fuerit incarnandi, & quæ fuerit ratio vniendi Humanitatem?

ASſumpſiſſe Verbum veram carnem, & verum corpus de fide eſt contra Cerdonem, & Marcionem, Manichæos, Proclianiſtas, & Priſcillianiſtas id negantes, & phantaſticum aſſerentes, quorum Hæreſim Patres, & Concilia condemnarunt. Theologica controuerſia eſt: Vtrum Verbum aſſumpſerit humanitatem per partes, an totam iam conſtitutam? Et quidem Sanctus Thomas perſpicuè docuit partes prius natura fuiſſe aſſumptas, quàm totam humanitatem, imo & animam prius aſſumptam, quã corpus. Ita q.6.a.2.& 3.& q.50.a.2.& 3. vbi ſic. *Dicendum quòd anima prius natura vnita eſt Verbo Dei immediatiùs, et per prius quàm corpus: cũ corpus vnitum ſit Verbo mediante Anima, vt ſupra dictum eſt*, nempe art.2. q.50. Cum eo ſentit Caietanus in Com. ad a.5.q.6. §. *quantum ad primũ.* Richardus in 3.d.2.a.2.q.1. Abulenſis Paradox.2.c.42. Suarez d.17. Sec.2. Contrà Scotus in 3.d.2. §. *Ideò quantum* Lychetus ibi. Vaſquez diſp.39.c.3. citans Scotum vbi ſupra & Almainum. d.2.q.1.poſt.3.concl. Gaſpar Hurtado d.5.dif.14. Rada Cont.4.a.4. Delgadillo, c.3.diff.21. Loquimur autem de ordine intentionis, & executionis.

Prima ſententia fundatur in eo quòd corpus ratione materiæ prius natura ſupponitur ad introductionem formę, & in eo priori habet ſuam partialem ſubſiſtentiam, vnde ſequitur vniri prius natura Verbo, quàm Animæ: Et idem argumentum militat in Anima, quæ cùm prius natura; quàm

Cor-

Digitized by Google

Corpori. Hanc rationem exaggerat Suarez diſp. 17. Sec. 2. Verum ſecunda Scoti ſententia tenenda omnino eſt propter rationem, quam adducit Scotus proximè laudatus, ac ex eo ſumpſit Vaſquez. Humanitas immediatè aſſumpta eſt à verbo cum factus eſt Homo: Humanitas autem non ſunt partes ſingulatim ſumptæ, ſed vnitæ inter ſe componentes Humanitatem: Igitur Verbum non eſt vnitum partibus, ſed toti humanitati. Confirmatur quia illa prioritas naturæ, quæcunque ſit, non eſt ſatis ad ſubſiſtendum, cùm ſit ſolùm quædam antecedentia independentiæ inchoata, quæ nihil facit ad realitatem, vnde ſubſiſtentia propria eſt totius humanitatis, quę per ſe primò ſubſiſtit, & partes ratione illius. Vnde manifeſtè deducitur, & in Intentione, & in executione Humanitatem fuiſſe immediatè aſſumptam à Verbo, vt immediatè fieret homo ſecundum ſymbolum. *Et homo factus eſt*. Quare hæc cauſalis veriſſima eſſe reperitur. *Quia aſſumpta eſt Humanitas, aſſumptum eſt Corpus, & Anima Chriſti*: non contrà. Neque moueat quemquam dicere ad honorem Beatæ Virginis attinere, quòd prius vnitæ fuerint partes Verbo, quàm inter ſe, quia ſequitur Virginem vniuiſſe partes iam vnitas Verbo, atque adeò maiori proprietate Matrem Dei fuiſſe cùm vniuerit inter ſe Corpus, & Animã prius natura vnitas Verbo. Etenim hęc pietas abhorret à ratione, quia ſupponit vnionem eſſe in eo ſtatu prioritatis naturæ, quæ nulla eſt. Deinde quia ſumma eſt gloria Virginis humanitatem genuiſſe, quæ immediatè aſſumpta fuerit ad perſonam Verbi, & ratione iſtius vnionis partes vnitæ fuerint eidem Verbo. Itaque illi humanitati præparatæ à Beata Virgine data eſt Diuina ſubſiſtentia: per quam eſſet ſuppoſitata, & aſſumpta ad perſonalitatem Diuinam, prout erat immediatus fetus Matris Virginis, qualis non erat Materia prima, neque Anima, quę creantur à Deo: Vnde non fieret illa immediatè Mater Dei, ſed ſecundariò quodammodo, & mediatè. Ruit igitur illa coniectura, & euaneſcit illa ſpecies pietatis.

Hinc ſuboritur quæſtio. Quomodo ſit verum illud Axioma celebre inter Patres, & Scholaſticos. *Verbum ſumpſit Carnem mediante Anima, ſeu per Animam*. Iſta docuit Sexta Synodus act. 18. & antè docuerat Nazianzenus Epiſt. 1. ad Chledonium in ordine. 51. & Orat. in natiuit. Ord. 38. & Orat. 2. poſt Paſch. Ord. 42. & Auguſtinus to. 2. epiſt. 3. & Lib. de Agone Chriſtiano c. 18. & Damaſcenus, quem citat Scotus in 3. diſt. 2. qu. 2. A quibus accepit Magiſter hic d. 2. littera B. Admittit D. Thomas 3. p. q. 6. art. 1. & 4. in Corp. & ad 3. & Scotus hic. Senſus videtur ambiguus. De eo quæritur. Conueniunt omnes in executione non prius aſſumptam animam, quàm Corpus, ſed vtrunque pariter, & immediatè aſſumptum. Ac ita Caietanus interpretatus S. Thomam in Com. ad a. 1. & ar. 5. q. 6. omnino ad mentem Scoti, quod appellat, *vt Quod*, idque obſeruat Vaſquez. diſp. 37. c. 7. nu. 46. quo in capite rem hanc definit adducta præclara de principio agendi Scoti doctrina. Supereſt alter ſenſus verus huius effati: nimirum Corpus fuiſſe aſſumptum mediante anima, *vt quo*, ideſt, quòd Anima fuit ratio aſſumendi Corpus, quia per ordinem ad ipſam eſt caro humana. Eſt quippe Anima ratio formalis naturæ humanæ conſtitutiua, quæ illud corpus poſtulat, ac exigit proportionatum ad rationem: tale eſt cor-

Digitized by Google

corpus humanum organizatum in ordine ad recipiendas functiones Animæ rationalis. Quod egregiè exponit Scotus d.2.q.2. ſ. *Ideo quantum* ar.5. & 6. Libo illa Verba ex nu.5. lin. *Secundo modo: Anima eſt toti naturæ ratio propria recipiendi iſtam vnionem, quia eſt ratio propria conſtituens ipſum totum receptiuum huius vnionis*. Idque vocat *Medium quo*. Et addit. *Neque propter hoc oportet Animam primò aſſumi vt quod*. Ita Lychetus ibi, & alij Commentatores, cum Rada, & Delgadillo; aliorum Vaſquez. diſp.37. & Suarez d.17. qui eodem modo intelligunt Sanctum Thomam. Hæc omnia ſubtiliter, & perſpicuè explicauit noſter Epiſcopus Theodorus in ſuo ſplendidiſſimo de intelligibili Scotico die in explicat. tertij art. ſymb. Apoſt.

Obſtat nihilominus vnum, nec inualidum argumentum aduerſus hanc expoſitionem, quod miror à nemine, quod ſciam, animaduerſum, petitum ex auctoritate, & confirmatum ratione. Ioannis 1. dicitur, *Verbum Caro factum eſt*, qui modus dicendi videtur ſignificare finem vnionis hypoſtaticę fuiſſe aſſumptionem Carnis, & Corporis, non Animę. Confirmatur ratione, quia vnio illa facta eſt, vt Chriſtus nos redimeret, per paſſionem, & Crucem, quæ fuit finis Incarnationis. Ad hoc autem Anima nihil conducebat, quòd erat immortalis, & impaſſibilis: Caro autem ſola ad id erat apta, & idonea: igitur ea fuit ratio quo, & medium aſſumendi animam. Huic argumēto minus benè reſpondere poſſunt Thomiſtæ, qui tenent Incarnationem ex motiuo tantùm redemptionis decretā fuiſſe; quia de præciſa neceſſitate Chriſtus venturus erat in carne paſſibili, & mortali. Nos autē Scotiſtæ faciliùs, & meliùs poſſumus reſpondere, dicēdo: Ex vi primi decreti Chriſtū venturū eſſe independenter à redemptione, & à carne paſſibili, & Mortali. In vtraque tamen Schola ſufficienter ſoluitur argumentum dicendo; Corpus in ordine ad Animam rationalem deſtinatū fuiſſe, vt eſſet hominis proprium, vt erat Animal rationale. Nam ipſa paſſio, & mors debuit eſſe meritoria, qualis eſſe non poterat, niſi eſſet Anima rationalis, quę anima informaret illud Corpus humanum, & in illo pateretur homo, & moreretur.

Duo remanent quęrenda. Primum: Vtrum, & quomodo organizatio Corporis Chriſti facta fuerit, & An precesſerit incarnationem? Secūdum: Vtrum, & quomodo ſanguis Chriſti vnitus fuerit perſonæ Verbi; An pro pria, & immediata vnione, An ſolùm communi, & ratione totius humanitatis? Et quamquam de ijs non fuerit Scoto cum D. Thoma controuerſia, non ideò tamen ſunt prætereunda. Quo ad primum Scotus diſt.2. q.2. ſ. *Quantum* ponit tres actiones in organizatione. Prima eſt tranſlatio materiæ ad locum conuenientem generationi, ideſt matricem; ſecunda eſt alteratio, qua in eo loco alteratur, & diſponitur ad inducendam formam Corporis organici, quam Scotiſtæ dicimus formam corporeitatis. Tertia eſt inductio huius formæ, per quam redditur organizata. Si loquamur de primis duabus actionibus, Scotus vtranque ponit ſententiam, tuam in tempore factas, & tempore præceſſiſſe Incarnationem: tum in eodem inſtanti cum Incarnatione fuiſſe, ſublato omni motu locali. Neutram improbat Scotus, ſed magis approbat ſecundam. Suarez tamen pro ſua pietate non probat primam tomo 2. in 3. p.d.11.ſect.2.nu.4. aitque: eſſe temerariam, ſeueriùs certè, quàm debuit. Nam quæ temeritas eſt in affirmando

Digitized by Google

illum motum trãſferendi, & alterandi materiam fieri antecedenter per breuiſſimum tempus, nempe dum Beata Virgo pronunciabat illa verba, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum Vebum tuum*, & tunc in inſtanti quo conſummatur organizatio, inductam eſſe formã, & factam animationem inducta Anima rationali. Nullum certè hic apparet temeritatis veſtigium, cùm præſertim Scotus motum non improbauerit, & illum ſequantur Scotiſtæ Lychetus hic, & Rada cont.4.a.5. conc. 5. qui ſimpliciter præponit ſententiam de inſtantanea organizatione, & Delgadillo c. 3. difficultate 1.dubio 8. vbi expoſtulat cum Suario, & quaſi per contemptum *Bonus ſenex* ait. Probo impugnationem, contemptum non fero. Nec enim eo modo tractari debuit inſignis ſui temporis Theologus, cui paucos pares noſtra ętas tulit; exceſſit quidem ille, ſed pietas excuſauit. Secundus modus dicendi eſt nobilior, & decorum ſeruat, ſed aliquantò eſt difficilior. Quomodo enim illæ mutationes, quæ localem motum videntur includere momento fieri potuerunt? Recurrit Scotus ad virtutem diuinam: eandem aduocat Suarez, & Delgadillo, & quotquot hanc tradunt ſententiam, niſi quòd Delgadillo vtitur exẽplo lucis momento diffuſæ: quod minus eſt idoneum, nec enim in emiſſione lucis interuenit motus localis, quemadmodum in organizatione. Meliùs rem ſuam egit Scotus, tum hic queſt.3. §. *quantum:* tum diſt.4.q.1. §. *ſi autem* n.5.& §. *ad propoſitum* n.7. Vbi docet illos tres motus, qui deberent fieri ſucceſsiuè naturaliter, diuinitus fuiſſe ſuppletos per plures actiones inſtantaneas, quaſi diſcretas, non tranſeundo per media. Ita termini id eſt partiales formæ membrorum producebantur ſine ſucceſsione medij in momento. Qua ratione tollitur difficultas, & quęſtio expeditur. Perſpicuè, ac ſubtiliter Scotus, quem exponit Lychetus præclarè Comment. in qu.1.d.4. §. *octauo*. Hæc autem ſententia de inſtantibus placet Scoto, & præfertur alteri, quam tamen non improbat. Animaduerte autem formas iſtas immediatè productas per organizationem eſſe Corporeitatis particulares, quæ complent vnam totalem, quæ eſt vltima diſpoſitio ad formam rationalem, quæ eodẽ momento temporis introducitur, & vnitur, ita vt in quo inſtanti extitit humanitas, in eodem inſtanti vnita fuerit ſuppoſito Verbi Diuini.

Expedita pręſenti difficultate ſupereſt alia de ſanguine. Vtrum ſanguis fuerit immediatè aſſumptus, & vnitus Verbo? Negat Durandus in 4. d. 10. q. 1. n.19. Gabriel in Canon. lect. 53. litt. K. & nonnulli Theologi apud Sylueſtrum in Roſa aurea tract.3. quæſt.30. Referuntur Abulenſis, Richardus, & Mayron; ſed hi non negant abſolutè, ſed ſolùm dicunt ſanguinem in triduo mortis Chriſti non fuiſſe vnitum Verbo, ex noſtris Pontius d.34.q.4. & Vulpes diſp.7.a.2. Fundantur, quia ſanguis non eſt animatus, nec viuit, & ſatis eſt vt mediatè, & cùm toto aſſumatur, tum quia reliqui humores non fuerunt immediatè aſſumpti. Tandem quia in triduo mortis vnitus non fuit, eſſet autem, ſi ſemel aſſumptus immediatè, ac vnitus fuiſſet. Nam quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit.

Aliam ſententiam inuexit Caietanus q. 54. a.2. & Sylueſter in Roſa aurea tract.3.q.3. diſtinguentes duplicem ſanguinem: Alterum nutrimentalem, qui non eſt decoctus, & fit immediatè ex cibo, & potu, nec viuit: alterum decoctum,

coctum, & purum, quem de veritate naturæ dicit Caietanus, & affirmat animari, & viuere, & hunc ambo affirmant vniti hypoſticè. Quæ communiter animaduerſio non probatur, quia illa diſtinctio vana eſt, nam idem omnino eſt ſanguis ſiue decoctus, ſiue nō decoctus, & continetur in venis, ac per eandem formam ſubſtantialem habet eſſe. Præterea nemo hanc diuerſitatem ſanguinis, præter eos induxit, nec D. Thomas vnquam illius diſtinctionis meminit, ac ex medicis Valeſius lib. 2. cont. cap. 4. eam ſuſtulit, vir inſignis in rebus medicis, & philoſophicis.

Tertia, & vera ſentētia eſt affirmatiua, imò tam certa, vt nonnulli de fide putent: qualis eſt Hurtado diſp. 30. d. 2. proximam ego fidei dixerim, & contrariam erroneam cum Suario diſput. 15. ſect. 6. & Vaſquez diſp. 36. cap. 4. & Lugo Cardinali d. 14. ſ. 2. qui eam doctiſſimè probant teſtimonijs Sacræ Scripturæ, Pontificum, Patrum, & Scholaſticorum, inter quos ſunt D. Thomas 3. p. q. 5. ar. 2. & quolib. 5. art. 5. Albertus Magnus tract. de ſacrif. Miſs. Capreolus in 4. d. 11. q. 1. A. 4. Turrecr. in c. *Inuitat* de conſecrat, d. 2. Maior in 3. d. 3. q. 2. Soto in 3. d. 10. q. 1. a. 2. Dominicus de Domin. lib. de ſang. Chr. & in Direct. Inquiſit. 2. p. q. 10. Syluester in Roſa aurea tract. 3. qu. 30. & ſequenti. Gaſpar Hurtado diſp. 5. dif. 2. Orland. d. 8. q. 1. & 2. Ex noſtris Felix c. 7. dif. 3. Caſtillio. 7. q. 4. num. 7. Maſtrius diſp. 1. q. 5. ar. 1. Faber diſp. 52. c. vnico Delgadillo c. 3. dif. 2. Præcipuum fundamentum ſumitur ex modo loquendi Scripturarum, quæ tum in veteri teſtamento, tum in nouo aſſignant redemptionem, remiſſionem, & emundationem à peccato ſanguini Chriſti, illic in figura, hic in re, & veritate. Nam illarum hoſtiarum ſanguis in teſtamento veteri ſignificabat ſanguinem Chriſti veræ victimæ immolandæ in Cruce, & in nouo attribuitur Redemptio, & iuſtificatio ſanguini Chriſti. Hinc illę voces Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. *Qui pro multis effundetur*. Ad Rom. 3. *Per fidem in ſanguine ipſius*. Ad Epheſios 1. *Habemus redemptionem per ſanguinem eius*. Ad Coloſſenſes primo. *Pacificans per ſanguinem Crucis eius*. Prima Petri 1. *Non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſo ſanguine*. Prima Ioannis 1. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato*. Apocal. 7. *Dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*. Illud eſt teſtimonium palmare in Epiſt. ad Heb. cap. 9. vbi vtrunque ſanguinem teſtamēti veteris figuram, & ſanguinem figuratum, & verum Teſtamenti noui coniungit. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis Vitulæ aſperſus inquinatos ſantificat ad emundationem Carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo emundabit conſcientias noſtras*. Vbi obſeruo mentionem fieri Spiritus Sancti, videlicet quia Spiritus Sanctus operatus eſt Incarnationem Chriſti diſponendo ſanguinem puriſſimum Virginis, & ſupplendo ſanguinem, & Semen Viri ad conceptionem Chriſti, quaſi auctor illius vnionis immediatè ad Verbum. Hoc ipſum perſuadent phraſes Conciliorū nominantium expreſsè cum carne Chriſti ſanguinem ipſius. In ſexta Synodo Generali. art. 8. *In aſſumptione* inquit, *carnis, & ſanguinis*: quæ verba quamuis non ſint Concilij, ſed Macarij, non improbantur tamen à Concilio & a. 16. *Vbi remanſit caro, & ſanguis?* In epiſtola Concilij Alexandrini apud Cyrillum recitata, & approbata

in Concilio Epheſino, & Chalcedonenſi Anath.quinto. *Verbum diuinum particeps fuiſſe factum Carnis & ſanguinis*. Et in alia Epiſt.Cyrilli 8.ibid. lecta,& probata habetur.*Verbum verò factum eſſe carnem, nihil eſt aliud, quàm quod in carne, & ſanguine nobiſcum ſimiliter communicauit, ac noſtrum ſibi Corpus proprium fecit, & Homo prodijt ex muliere.* Addo momentum ex meo paupere penu. Chriſtus conſecrans Corpus ſuum in Euchariſtia conſecrauit ſanguinem ſpecialiter; & carnem in pane,& ſanguinem in vino diſtinctè dedit, quaſi commendans ſanguinem ſuum, tanquam immediatè vnitum diuinitati: Non ratione Corporis tantùm, ſed ratione ſui peculiariter, ac expreſſit effuſionem in Cruce futuram. *Effundetur*, vt ſignificaret finem ſuæ incarnationis fuiſſe operari ſuo ſanguine redemptionem. Certè quod pretium futurum erat debuit immediatè aſſumi, & vnione ſignari, quaſi foret numus diuina forma impreſſa,ad demonſtrandum infinitum quodammodo valorem. Vnde Auguſtinus in pſalmo 65.ad verſum. *Terribilis ſuper omnes Deos, Videte*, inquit,*quid emerit? videte quid dederit? ſanguis Chriſti pretium eſt tanti? Quid valet? quid niſi totus orbis? Quid niſi omnes gentes?* Loquens autem de cauſa Incarnationis Chriſti lib.de corrept.& gratia. c.11.& remedio peccati applicans ſanguinem, ait, *Adam Chriſti morte non eguit: iſtos à reatu, & hereditario, & proprio illius agni ſanguis abſoluit*. Quo declarauit ſanguinem fuiſſe inſtrumentum redemptionis, intimè coniunctum,& vnitum hypoſtaticè Verbo Diuino copulãdo vnionem ſanguinis in Cruce effuſi: *Agnus qui occiſus eſt, cuius nos ſanguis abſoluit* ſecundum Auguſtinum. Ex his ſoluuntur rationes oppoſitæ nixæ cõiecturis. Nam ſiue ſanguis viuat, ſiue non, ſatis eſt quòd ſit Inſtrumentum Redemptionis,ac lytrum,& pretium ſalutis humanæ. Aliorum humorum exemplum non vrget, cùm ad hoc munus minus ſint congruentes, ac ijs multò ſit ſanguis, & nobilior, & congruentior, & commendatior. Nam ſanguis eſt præcipuus, & maximè neceſſarius; fueruntque nonnulli, qui eum animam hominis eſſe exiſtimarunt, & Sacræ litteræ illius nobilitatẽ exaggerãt dicentes: *Animã in ſanguine eſſe*.Leu.17.Quare non eſt dubitandũ, quin ille immediatè ſit ad perſonam diuinam aſſumptus. Vtrum autem ſanguis in triduo mortis Chriſti fuerit vnitus Verbo? An non? quæſtio eſt ſatis olim agitata. Reſpondendum, ex conſecutione affirmatiuè: *quod* enim *Chriſtus ſemel aſſumpſit numquam dimiſit*. Igitur ſi aſſumpſit ſanguinem, ſemper retinuit. Quidam verò ex ijs, qui ſentiunt fuiſſe hypoſtaticè vnitũ, taxant ſeuerè ſententiam affirmantiũ ſanguinem fuiſſe dimiſſum, de quo magna,& celebris quondam fuit controuerſia inter Fratres noſtros Minores, & Patres Dominicanos: quam refert Nitella Franciſcana, & ex ea Felix apud Delgadillo cap. 3. dif. 2. dub.11. quæ hactenus definita non eſt, cùm Pius Secundus, quem aiunt eã pro parte negante dimiſſum, definiuiſſe, illam in medio reliquerit, vti conſtat ex epiſtola miſſa ad Beatum Iacobum de Marchia data 28. Aprilis anni 1464. vbi ſic *Nos autem materiam ipſam huiuſque non determinauimus*, & in quodam Breui eodem anno menſe Auguſto expedito vetat notari oppoſitam opinionem à Patribus Dominicanis donec definiatur. Verùm quidem eſt Patrem Gabrielem

Digitized by Google

lem Vaſquez acerrimum, & eruditiſſimum virum contendere illam opinionem de ſanguine in triduo dimiſſo fuiſſe damnatam Barcinone ab Inquiſitore, & damnationem confirmatam a Clemente Sexto, & adducit teſtimonium Sylueſtri, & Directorij Inquiſitionis teſtimonio Dominici de Dominicis negantis decretum Clementis fuiſſe autenticum. Itaque ille notat opinionem temeritatis, & erroris diſp. 36. c. 4. Delgadillus inuehitur in Vaſquez, quem ego etiam reprehendo, nec enim id dicere error eſt, aut temeritas, cùm ex eo non ſequatur negari quidquam eſſentiale Incarnationi, imò ne detrahi quidem ſententiæ, quę tenet ſanguinem fuiſſe aſſumptum à Verbo, quemadmodum animaduertit idem Vaſquez defendens Abulenſem à nota Suarij allegantis eum pro ſententia Durandi; excuſat quippe Abulenſem fatentem eo in triduo ſanguinem non fuiſſe vnitum diuinitati; ſic Vaſquez diſp. illa 36. c. 3. Quare non debuit idem c. 4. tam grauiter de illa ſententia, quam tenuerat Abulenſis cenſere; cùm præſertim ita ſenſerit prius Richardus in 3. d. 2. a. 2. q. 1. ad ſecundum argumentum, & in ea ſit Bonauentura, & Mairon apud Delgadillum dub. 10. Ex quo retorquentur in Vaſquium dicta ipſius. Nam ſi illla opinio eſſet condemnata à Clemente Sexto, non eam ſequeretur Abulenſis, nec alij auctores, qui poſt illum Pontificem ſcripſerunt. Quare meritò Felix c. 7. eam dicit probabilem, & ab omni nota liberat Delgadillus proximè citatus c. 3. diffic. 2. dub. 11. Vaſquez autem, cùm ego eum, vti ſoleo, diligenter, & accuratè legiſſem, ſibi minus cohęret. Etenim c. 6. eius diſp. 36. n. 28. narrans in ea Synodo 6. generali act. 16. damnatum fuiſſe Conſtantinũ quędam hæreticum, quòd dixerit ſanguinem fuiſſe dimiſſum a Verbo in triduo mortis ſic ait; *Verum non videtur hæreticus ille damnatus, quòd dixerit ſanguinem fuiſſe a Verbo ſeparatum, ſed quia dixerit Verbum cum carne, & ſanguine exuiſſe humanam voluntatem, ita vt vnam in Chriſto voluntatem eſſe doceret.* Et iterum ibi *Damnatur hæreticus ille quòd dixerit Chriſtum exuiſſe carnem, atque eadem ratione humanitatem. Exiſtimandum eſt*, inquit, *damnatum fuiſſe quod dixerit exuiſſe etiam ſanguinem & cum eo voluntatem humanam.* Non igitur præcisè damnatur quis quòd affirmet ſanguinem fuiſſe dimiſſum in eo triduo, ſed quòd cõiunctim ſumat ſanguinem cum carne humana, & cum humana item voluntate. Quare etiam conceſſo eam propoſitionem damnatam fuiſſe à Clemente Sexto, vti contendit Vaſquez, eo ipſo auctore in eo tantùm ſenſu dãnatur, qui copulatiuè continet carnem, & voluntatem humanam, quæ erat hæreſis Monothelitarum. Hoc autem ſenſu, non negauit Abulenſis, nec Recentiores poſt illum, Sanguinis eo triduo vnionem ad Verbum.

SECTIO III.

Vtrum humanitas Chriſti exiſtat per propriam ſuam, an per alienam Verbi exiſtentiam?

THomiſtæ communiter volunt, vt exiſtat per exiſtentiam Verbi, & contendunt hanc eſſe ſententiam Sancti Thomæ qu. 17. 3. p. art. 2. vbi expreſsè Caietanus, qui §. *Ad hoc dicitur* affirmat ita ſentire hoc in articulo quæſt. 17. & in 3. d. 6. q. 7. 2. & Quodlib. 9. qu. 2. negatque in quæſtionibus diſputatis oppoſitum ſentire,

nec

Digitized by Google

nec patitur aliter mentem Diui Thomæ exponi. Idem ante Caietanum ſenſerunt Capreolus in 3. d.6. Ferrar. 4.cont.gent. cap.35.& poſt ipſum Cabrera, Medina, & alii. Tradidit quoq; illam Henricus quodlib.3.q.7.Carthuſianus in 2.d.6. q.1. Nituntur auctoritate Sophronii in Epiſtola, quæ recitata fuit in Sexta Synodo actione 11. & 13. & anteà in Chalcedonenſi Concilio approbata, cuius afferunt verba: *In Verbo Dei, non in ſe ipſa habet vnã exiſtentiam cum Verbo*, & Damaſceni lib.3.de fidei c.22.vbi ait, *Humanitatẽ, ſeu carnem in Verbo habuiſſe exiſtentiã*. Argumenta à ratione ſunt quatuor. Primum, quia eſſe exiſtentię conuenit ſuppoſito, vti deducitur ex Ariſtot.1. Metaph. cap.1. Chriſtus autem habet vnum tantùm ſuppoſitum diuinum, ergo & vnam tantùm exiſtentiã diuinã. Secundum, quia ſi exiſtẽtia humanitatis ſit creata, & propria illius, vnio duarum naturarum ad ſuppoſitum erit ex parte humanæ accidentalis, nõ ſubſtantialis. Tertium, quia ſequeretur Verbum Diuinum ſicut per humanitatem eſt homo, ita per exiſtentiã humanitatis exiſtere. Quartum, quia hac ratione tollitur dignitas Matris Dei à Beata Virgine Maria, quæ ſi tantùm genuit naturam humanam cum propria, & creata exiſtentia, nihil attigit, nec genuit diuinum, ac proinde Mater, & Genitrix Dei eſſe non potuit.

Contraria ſententia eſt communis aliarum Scholarum. Eam docuit Scotus in hoc 3.d.6.q.1. Albertus ibid. Bonauentura a.2.q.1.ad argumenta. Durandus q.2. Gabriel q.2.a.2. Almainus q.2. Ricardus art.2. q.2. & inſignis Thomiſta Heruæus d.6. q.1. a.3. & cum eo Paludanus q.3. Baſſolis 9. vnica art.2. Suarez.d.36.ſect.1. Vaſquez d. 71.c.2.& 3. Rada controu.7.a.3. Hurtado d.12. diffic.2. Aretinus d.6. q.1. Faber d.14. Theodorus Epiſcopus Veglenſis in explicat.3. art. Bellutus d.3. q.6. Maſtrius d.1.q.6.a.1. Caſtillo d.10. q.1. Felix c.10. diffic.1. Delgadillo c.4. diffic.1. dub.1. Ex quibus Paludanus negat Diuum Thomam in oppoſita fuiſſe ſententia, & allegat eum pro noſtra quodlib.9.a.3. & in quæſtionibus diſputatis de vnione Verbi, contra quàm Caietanus exiſtimat. Quod animaduertit Vaſquez.d.71.c.2. qui cum Suario de mente Sancti Thomæ conſentit, & adducit dictum Paludani. Hęc etiam probatur auctoritate, & ratione.

In ſeptima Synodo diſputans Epiphanius, qui actione tertia pag.499. dicitur *Diaconus Eccleſiæ Catanenſis locum retinens Thomæ Sanctiſſimi Epiſcopi Sardiniæ*. Cuius item actione 6. pag.553. *Diaconus, & Cubicularius* appellatur, cum Gregorio Epiſcopo Neocęſareæ ſic ait eadem act.6.pag.566. §. *Nequaquam. Nihil aliud agunt, Eutychianiſtæ* (ſic vocat) *quàm, vt oſtendant naturam, & hypoſtaſim idem eſſe; quæ ſanè inter ſe differre veri Eccleſiæ Catholicæ alumni cognoſcunt: Hypoſtaſim enim cum proprietatibus ſubſtantiã dicimus ab eo quod eſt hypheſtenæ, hoc eſt ſubſiſtere, phyſim verò, id eſt, naturam per ſe exiſtentem*.

Vbi vides manifeſtam diſtinctionẽ inter ſubſiſtentiam, & exiſtentiam: deinde exiſtentiam eſſe propriam naturæ, & diſtinctam à ſubſiſtentia. Quod teſtimonium, opinor, voluit indicare Suarez d.36. ſ.1. initio non productis verbis Epiphanii, quem Epiſcopum dicit, cùm tantùm eſſet Diaconus, vti ergo animaduerti. Miror hoc fugiſſe Vaſquium Virum acutum, & auidum capiendi Suarium, à quo mihi gratias agendas fore exiſtimo, ſi hunc

lapſum

Digitized by Google

lapſum æmuli indicare; ſed ego qui benè volo Suario, quem puer noui Conimbricæ in Collegio Societatis Ieſu circunfluentem gloria litterarum, non proderem illum Vaſquio: qui d. 36.c.2. conatur adimere auctoritates duas Damaſceni pro noſtra ſententia, quas adducit Suarez. Verùm ego eas retineo, quòd idoneæ ſunt. Prima eſt lib.3.de fide.c.3.initio. Verba ſunt ſecundum translationem Fabri. *Neque reuera humana natura in Deitatis naturam verſa, neque ſubſtantia, exiſtentiaque priuata*. Hanc negat Vaſquez quidquam momenti habere. Secus iudico cum Suario. Etenim impugnat errorem Eutychetis de conuerſione vnius naturæ in alteram, humanæ in diuinam, & ait illam non fuiſſe priuatam ſubſtantia, neque exiſtentia. Attribuit ergo naturæ humanæ & propriam ſubſtantiam, & propriam exiſtentiam negans priuatam ijs fuiſſe naturam. De ſubſiſtentia non poteſt eſſe ſermo, quia Eutyches nihil de perſona dubitabat, tantùm errabat in confuſione naturarum, ſiue deperditione naturæ humanæ, & tranſmutatione in diuinam, vt non eſſet niſi vna tantùm. Itaque perſpicuè ponit ſubſtantiam, & exiſtentiam propriam, non amiſſam, ſed retentam. Quod vero opponit Vaſquez ex Verſione Billij legentis *in nihilum redacta* non officit veritati expoſitionis; nam ad nihilum redacta comprehendit priuationem totius, & quo ad ſubſtantiam, & quo ad exiſtentiam. Deinde vox Græca *hyparxis* conuenit ſubſtantiæ, ac exiſtentiæ. Itaque mentem Damaſceni benè cepit Faber, dum interpretatur de priuatione ſubſtantiæ, ac exiſtentiæ, & rectè vtitur Suarius teſtimonio Damaſceni.

Secunda auctoritas eſt eiuſdem Damaſceni eodem lib. c. 11. iuxta Fabrum. *Nec ſola cogitatione contemplatam naturam ſumpſit, neque in ſpecie conſideratam, ſed in indiuiduo conſideratam, & in eadem exiſtente ſpecie*. Id eſt ſumpſit naturam indiuiduam, & actu exiſtentem, non communem, & indeterminatam, confuſamue, aut vagam. Hoc autem quid eſt, niſi cum ſua indiuidua, & actuali exiſtentia? Inficiatur Vaſquez, & obijcit tranſlationem Billij, quæ eſt huiuſmodi: *Verum eam quæ in indiuiduo eſt, eademque cùm, ea quæ eſt in ſpecie:* vt ſenſus ſit, non ſumpſiſſe naturam abſtractam, nec per intellectum tantùm conſideratam, puta ideã Platonicam. Et producit Vaſquez verba Greca, quæ quòd deficior typis non exprimo, & reddunt: *Eam in indiuiduo eandem exiſtentem*. Nihil tamen euincit Vaſq. etenim cum eam & eandem exiſtentem contineat vtranque rem, ideſt ſubſtantiam, & exiſtentiam continet: ideſt ſubſtantiam non abſtractam, & cogitatione conceptam, ſed concretam, & actualem cum ſua exiſtentia. Vnde manet idonea Damaſceni expoſitio, & apparet propria exiſtentia, & vincit Suarez. Vrgeo de nouo Patrem Vaſquez. Quid aliud, quæſo, eſt natura certa, & in indiuiduo, non cogitata, & confuſè accepta, niſi in actu poſita, & exiſtens? Igitur ijs verbis Damaſceni ſignificatur natura cum ſua propria exiſtentia. Non ceſſat tamen Vaſquez inſectari æmulum dicentem in eadem ſectione, & loco: Damaſcenum ſignanter ſcribere; *Diuinam naturam habere exiſtentiam in Verbo, non per Verbum*, ex quo deducitur eum excluſiſſe exiſtentiam Verbi affirmando propriam naturæ humanæ. Hoc impugnat Vaſquez dicendo Vocem *Hyparxis* Grecam ſignificare

ſub-

Digitized by Google

ſubſiſtentiam, non exiſtentiam: Quare perinde eſſe apud Damaſcenum habere *Hyparxim* in Verbo, ac *ſubſiſtere* in Verbo. Minus hic vidit Vaſquez aliàs vigilans, & cautus: tum quia non bene ſtat hic ſenſus *ſubſiſtit in Verbo*, ideſt, *ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi*, imò contrà ſi ſubſiſtit in Verbo, retinet ſuam ſubſiſtẽtiam in Verbo, quod eſt falſum; ergo quadrat locutio in exiſtentiam, *Exiſtit in Verbo, habet ſuam exiſtentiam in Verbo*, per quod ſubſiſtit; tum quia ſi *Hyparxis* ſignificat ſubſiſtentiam, quomodo ſupradixit Vaſquez Anyparxiam ſignificare *priuationem ſubſtantiæ, & vitæ*? ſic enim ille.nu. 5. ad fin. A ſe diſſentit Vaſquez ſtudio diſsentiendi à Suario.

Vtitur autem Vaſquez teſtimonio Ariſtotelis, quo etiam anteà Scotus vſus fuerat in 3.d.6.q.1.n.3.§.*contra concluſionem*, & Richardus ibi. *Viuere viuentibus eſt eſſe, cuius ſanè cauſa eſt, & principium Anima*. Vbi ſic Scotus, quocum Vaſquez. *In Chriſto fuit alia vita ab increata, alioqui non fuiſſet verè mortuus: Igitur & aliud eſſe, ſiue exiſtere*. Addo & ego: duo ſunt propria viuentis: Anima, & eſse. Anima ſubſtantia, eſſe exiſtentia; igitur & duplex propria ſubſtantia, & propria exiſtentia. Aliud argumentum ducit Scotus ex Ariſtotele, & Damaſceno 5. Phyſ.tex.7. terminus per ſe generationis habet eſse acquiſitum per generationem: Filius Dei verè generabatur per Matrem, ſecundùm Damaſcenum lib.3.de Fide cap.7.generabatur autem in quantum exiſtens; ergo cum propria exiſtentia. Hæc pro auctoritate ſint ſatis.

Veniamus ad argumenta. Primò, Humanitas vti eſt in actu aſſumpta fuit, Igitur aſſumpta exiſtens. Antecedens patet, nam non potuit aſſumi non exiſtens actualiter ad actualem vnionem. Secundò: Fundamentum vnionis, & relationis neceſſariò præcedit illas: At humanitas exiſtens eſt fundamentum vnionis, & relationis ad Verbum: ergo præexiſtens propria exiſtentia. Tertiò: productio humanitatis fuit actio à tota Trinitate, non à ſolo Verbo: aſſumptio autem à ſolo Verbo: igitur exiſtentia, quæ terminus eſt productionis, non eſt exiſtentia Verbi, ſed propriæ naturæ productæ à Trinitate. Quartò: Si natura aſſumpta dimitteretur à Verbo, non eſſet annichilata, nec eſſet ens in potentia, vti erat ante creationem, ergo haberet in ſe actu eſſe, ac proinde per ſe exiſtere. Quintò: Accidens cùm ſit maximè dependens à ſubiecto, non exiſtit per exiſtentiam ſubiecti: ergo à fortiori humanitas, quæ eſt ſubſtãſtantia, non extitit per exiſtentiam Verbi. Aſſumptum patet, quia accidẽs exiſtit per ſe ſeparatum à ſubiecto in Euchariſtia, igitur minimè per exiſtentiam ſubiecti. Sextò. Hoc vtuntur Suarez, & Vaſquez. Non poteſt id quo aliqua entitas intrinſecè, ac propriè conſtituitur ab ea eſſe alienum, ſed entitas actualis cõſtituitur propriè, ac intrinſecè per exiſtentiam: ergo nõ poteſt haberi per alienam. Declaratur exemplo. Album nequit eſſe, nec intelligi in ratione albi, niſi per album, ergo neque natura eſſe actu exiſtens, niſi per propriam exiſtentiam. Septimò, & quidem meo iudicio efficaciter.

Si humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam increatam ſequitur vnitã eſſe hypoſtaticè alicui eſſẽtiali in Deo, quod eſt prorſus falſum. Sequela patet, quia illa exiſtit exiſtentia Verbi, quæ eſt abſoluta, & cõmunis alijs perſonis; ergo ijs vnitur immediatè, aut ſi mediatè

diatè ſequitur abſolutè exiſtere, per abſolutam exiſtentiam diuinam. Octauò argumentor propria, & à me excogitata, & formata ratione. Si humanitas exiſtit per exiſtentiam Verbi ſequitur eam fore vbique iuxta errorem vbiquiſtarum. Liquet quoniam Deus per ſuam exiſtentiam ubique eſt. Tãdem: Humanitas habet aliũ intellectũ, aliam voluntatem, aliam operationem à natura Diuina, & in eodem ſuppoſito ſeruant huiuſmodi diſtinctionem: Igitur & exiſtentia, quæ eſt veluti radix illarum operationum, licet enim oriantur ex natura, & ſubſtantia, tamen non ponuntur in actu niſi per exiſtentiam: ac proindè quando ſunt actu in rerum natura habent exiſtentiam propriam naturæ humanæ, non diuinæ. Hę rationes ſunt perſpicua, ac efficaces, nec videntur ſolui poſſe ab aduerſarijs quorum argumenta facilè ſoluuntur.

Ad auctoritatem Sophronij in Conſilio Chalcedonenſi, & ſexta Synodo. Reſpondetur: particulam *Cum verbo*: non inueniri in textu, & eſſe additamentum aduerſariorum. Solùm enim habetur *In verbo Dei non in ſe ipſa habet vnam exiſtentiam* nec additur *Cum verbo*: ſed quoniam adhuc videtur manere iuſtum argumentum quandoquidem dicitur *In verbo Dei non in ſe ipſa habet vnam exiſtentiam*, quod ſatis eſt ad argumentum contra noſtram doctrinam, dicitur vlterius per exiſtentiam ibi intelligi ſubſiſtentiam: eſt enim Grecè *hyparxin*, quæ ſonat etiam ſubſiſtentiam. Sed cur verterunt interpretes *exiſtentiam*? quia exiſtimarunt adhuc retento vocabulo exiſtentiæ ſtare verum, & idoneum ſenſum, videlicet Humanitatem in verbo perſonatam exiſtere vnitam ipſi, non ſeparatam ab ipſo, ſed Verbo coexiſtentem, non ſeorſim in ſemetipſa. Et fauet Græca phraſis, non ſecundum ſe ipſam, nec per ſe ipſam, ideſt ſeorſim, cùm ſit in Verbo, & vnita Verbo. Locus Damaſceni, vti producitur, in eo minimè reperitur, quemadmodum obſeruat Suarez d. 35. ſ. 1. ac miror non obſeruaſſe Vaſq. quem nihil latere ſolet. Itaque id ſolũ inuenitur: *carnem ab vltimo ortu Deo Verbo vnitam eſſe, imò potius in eo extitiſſe, ac perſonalem cum eo identitatem habuiſſe*, ſiue, vt tranſtulit Faber, *Verbum fuiſſe vnitum carni extremæ exiſtentiæ*, hoc eſt, *imperfectæ*, iuxta nonnullos apud Suarium: quod minus probo. Mallem *extremæ exiſtentiæ* hoc eſt vltimo conſtitutiuo per exiſtentiam, quæ fuit vltima, & immediata vnioni, ad quam terminata fuit ſine ſubſiſtentia: itaut ibi non interueniret ſubſiſtentia, quæ conſequitur naturaliter, & complet exiſtentiam: ſi enim aſſumeretur cum ſubſiſtentia, tunc non eſſet extrema exiſtentia, nec immediata vnioni, ſed ſubſiſtentia: quam voluit excludere interpres ad cauẽdum errorem Neſtorij. Vaſquez recurrit more ſuo ad hyparxin, & ait per exiſtentiam intelligi ſubſiſtentiam, quo item modo ſoluitur argumentum auctoritatis.

Rationibus ſatisfaciamus. Primæ ſumptæ ex Ariſtotele reſpondetur: eũ id velle, vt exiſtentia ſit coniuncta cum ſuppoſito ad agendum, & patiendum, vti eſt principium, & terminus actionis, & paſſionis: non autem velle vt exiſtentia ſequatur ſuppoſitum, cùm ſit immediatè conſequens naturam; loquitur enim de natura operante, non de natura pręcisè exiſtente. Secundę reſpondetur: vnionem illam factam eſſe naturę exiſtentis ad ſuppoſitum *Diuinum*, nec inde ſequi eam

eſſe accidentalem. Cur enim erit accidens vnio, quę eſt ſubſtantiæ exiſtentis ad ſuppoſitum Diuinum? Et non habet terminos accidentales? Male igitur procedit argumẽtum. Deinde cùm illa vnio ſit accidens in ſe, non poterit vnire, ac nectere duas ſubſtantias: quamuis multi noſtrorum Scotiſtarum dicunt eam vnionem eſſe accidẽtalem in ſe, & tamen vnire naturam humanam perſonæ verbi, quæ ſunt ſubſtantiæ. Nos autem meliùs, & faciliùs reſpondemus, qui ponimus eam vnionem eſſe ſubſtantialem. Tertiæ occurritur afferendo diuerſitatẽ, quia Chriſtus ſit homo per humanitatem, quam ſuppoſitat, & terminat per ſuam perſonalitatem, quod ſatis eſt vt fiat, & dicatur homo, quod eſt concretum à ſuppoſito, vnde ſumitur denominatio: at verò exiſtentia non ſumitur ex Verbo, ſed ex natura, & manet intra naturam, nec tranſit vllo modo ad Verbũ, ac proinde nequit illud afficere, nec denominare: cùm præſertim exiſtere non ſit concretum cum ſuppoſito, ſed abſtractum à ſuppoſito, & proprium ac intrinſecum humanitati; quomodo ergo inerit, & denominabit ſuppoſitũ? aut quomodo poterit exiſtere Verbum per exiſtentiam humanitatis, quæ ipſi extrinſeca eſt? itaque neutro modo, vel Verbum per exiſtentiam naturæ humanæ, vel natura humana per exiſtentiam Verbi poterit exiſtere. Quarta ſumpta ex eo quod ſi exiſtentia eſſet creata Beata Virgo non eſſet Mater Dei, retorquetur in aduerſarios hoc modo. Si Chriſtus exiſteret per exiſtentiam Verbi increatam nihil eſſet quod Virgo produceret, & generaret in eo compoſito: nam non attingeret exiſtentiam increatam, vti patet, cùm ea gigni & produci non poſſit à creatura; ſubſtantia vero humanitatis præciſa exiſtentia non eſt capax terminandi actionem vllam, cùm antecedat exiſtentiam, atque adeo nulla ſit in rerum natura ante exiſtentiam, nihil autem vlterius ſupereſt producẽdum, aut generandum. Ergo Beata Virgo in ſententia oppoſita non potuit eſſe Mater Dei. Vnde ſequitur non modò nihil obeſſe exiſtentiam creatam, & propriam humanitatis, ſed etiam omnino eſſe neceſſariam, vt Beata Maria Virgo ſit Mater Dei, quemadmodum ſupra oſtendimus.

SECTIO IV.

Vtrum in Chriſto ſit vnum eſſe, vel multiplex? & an duo, vel plura dici poſſit?

DVas quęſtiones eſse patet. Aliud quippe eſt habere duo eſſe: aliud dici eſse illa duo. Nam duo eſse habet homo animam, & corpus, hoc eſt duas res, duas entitates: non tamen dicitur eſse illa duo, quæ habet. Ineſt homini ſubſtantia, & accidens: nec tamen eſt ſubſtantia, & accidens. Agamus prius de prima. Conſtat in Chriſto eſse duo quoad eſse naturæ, cum ſit compoſitus ex duabus naturis diuina, & humana mediante vna perſona Diuina: hinc eſt quod dixit Scotus d.6.q.1. §. *reſpondeo* num. 2. *quod ſunt in Chriſto tot talia eſſe, quot eſſentiæ*, ita exponente Lycheto. *Nulla eſt difficultas, quia in Chriſto eſt eſſentia diuina, & humana. Et ſic tot ſunt eſſe.* Nec Diuus Thomas diuerſum docuit 3.p.q.17.art.2. vbi negat Chriſtum dici duo: intelligit quippe de eſse perſonæ. Sic enim ait in corpore. *Dicendum quod quia in Chriſto ſunt duæ naturæ, & vna hypoſtaſis, neceſſe eſt quòd ea quæ ad naturam ſpectant ſint duo: quæ autem*

Digitized by Google

autem pertinent ad hypoſtaſim in Chriſunt vnum tantum: cui etiam Scotus concordat eodem loco proximè adducto, *Vt ad ſuppoſitum non eſt niſi vnicum eſſe in Chriſto: ſicut nec niſi vnum ſuppoſitum*. De eſſe exiſtentiæ proximè diximus; eſſe item duo eſſe exiſtentiæ ſecundum Scotum aduerſus Diuum Thomam, teſte Caietano, & Recentiorum Thomiſtarum Schola ita ſentientem. Eſt igitur in Chriſto vnum eſſe ſuppoſiti contra Neſtoriũ, & duo eſſe naturæ, & exiſtentiæ contra Eutychetem. Immerito igitur Suarez d. 36. ſ. 2. initio ait Scotum hac in re à Diuo Thoma diſſentire cum Durando: quidquid enim ſit de Durando, Scotus non diſcordat à Diuo Thoma imò penitus cum eo de vtroque conſenſit. Nimirum eſſe duo eſſe naturæ in Chriſto, & vnum tantum eſſe perſonæ.

Quòd attinet ad aliam quæſtionem. Vtrum Chriſtus ſit vnus, vel multiplex? Scotus hic q. 2. n. 3. §. *ad quæſtionem* docet Chriſtum *non eſſe duo maſculinè, nec neutraliter duo*: & adducit rationes breues, ſed perſpicuas *Non eſt*, inquit, *duo maſculinè, quia non duæ perſonæ, nec duo neutraliter, quia non eſt natura humana, licet habeat in ſe duo neutraliter, ideſt duas naturas. Ergo nullo modo eſt duo*. Et ait eſſe concluſionẽ manifeſtam, quam ibi probat nu. 6. & 7. Eandem doctrinam tradit Sanctus Thomas q. 27. ar. 1. ſimilibus verbis in fine corporis. *Quia nos ponimus in Chriſto vnam perſonam, & vnum ſuppoſitum, ſequitur quòd dicamus, quòd non ſolùm Chriſtus eſt vnus maſculinè, ſed etiam quod eſt vnum neutraliter*. Conueniunt itaque ambo de vnitate perſonæ, & dualitate naturæ.

Hinc exiſtit celebris controuerſia: Vtrum Chriſtus ſit perſona compoſita? & quatenus ita loqui liceat? Sanctus Thomas in 3. d. 6. qu. 2. art. 3. negat compoſitam. Idem tradit Bonauentura ibi. a. 1. q. 2. Richardus art. 3. qu. 3. Durandus q. 3. Gabriel q. 1. a. 3. Almainus q. 1. concl. 2. Maior in 3. qu. 6. art. 3. dub. 3. & ante eos Alenſis 3. p. q. 6. mẽb. 2. art. 5. Sequitur Caietanus in Comm. in 3. p. q. 2. a. 4. vbi negat propriam compoſitionem. Scotus in eadem eſt ſententia in 3. d. 6. q. 3. in fine, & ibi Lychetus, & Cauellus in Scholio dicens eſſe communem Scotiſtarum ibi, quales ſunt Faber, Rada, Pitigianis, Felix c. 5. diffic. 3. à quibus tamen diſcedit Caſtillo d. 5. q. 2. nu. 7. & 8. & Delgadillo c. 1. diffic. 7. dub. 4. qui aſſerit aliquos grauiſſimos Scotiſtas in ſuis manuſcriptis ita ſentire, pręcipuè Merinerum d. 4. q. 4. concl. 2. Ratio eſt, quia compoſitio inuoluit, ſi proprie ſumatur, imperfectionem, cùm fiat ex actu, & potentia, & vna pars perficiat aliam; nec in ea vnione hypoſtatica fit vna aliqua natura tertia, quæ ſunt verba Scoti loco allegato. Hæc eſt prima ſententia.

Secunda compoſitionem affirmat. Eam docet Sanctus Thomas 3. p. qu. 2. art. 4. Eam apertè confirmant Suarez d. 6. ſ. 4. Vaſquez d. 16. c. 2. 3. 4. Hurtado d. 2. diffic. 5. Delgadillo, & Caſtillo ſupra laudati cum Merinero. Omnes hi ſecuti ſunt illos duos principes ſuæ ętatis auctores, & eruditiſſimos Vaſquez, & Suarez. Ambo citant quintam Synodum Conſtantinopolitanam actione, ſiue Collat. 8. c. 4. vbi dicitur: *Si quis non confitetur vnionem ſecundum compoſitionem*: quod idem repetitur c. 7. vbi dicitur, *Chriſtus compoſitus ex duabus naturis*, quæ definitio approbatur in ſexta Synodo act. 4. in Epiſt. Agathonis Papæ, & act. 11. in Epiſt. Sophronij, & act. 13. c. 6. Addunt teſti-

Digitized by Google

monium Petri Diaconi dicentis damnatum eſſe Paulum Samoſetanum in Concilio Antiocheno, quod negaret Chriſtum eſſe compoſitum. De quo meminiſſe aiunt Euſebium lib.7. c.22. Adijciunt Concilium Lateranẽſe ſub Martino primo Conſult. 5. Can. 6. ſed Concilium non poſuit Verbum *componere*, ſed *ſubſiſtere*, de quo non ambigit. Certa mihi ſunt hæc, & indubitata, quæ meo more recognoſco in citatis ab auctoribus locis, ne decipiar à Typographis, nam de fide horum Scriptorum nefas eſſet dubitare, tanta in eos mihi religio eſt. Patres laudant Dionyſium Aropagitam c. 1. de diuinis nominibus ante medium, vbi dicitur *Compoſitus*; idem cap.3. de Cæleſt. Hierar.c.3.p.5. repetit *compoſitum*. Damaſcenus lib.3. de fide c.14.& 17. Petr. Diacon. de Incarnat.& grat. c.2. Greg. Mag. producitur à Patre Vaſquez Ho. 38. in Euang. & quidem recte. Animaduertunt autem alios Patres non vti eo Verbo *Compono*, nec nomine *Compoſitionis*, ſed alijs æquiualentibus: & Suarez citat Iuſtinum, Chryſoſtomũ, Cyrillum. Addit vero idem Suarez, quod miror fugiſſe Vaſquium, aliquos Patres eſse, qui maius aliquid, & difficilius dixerunt: videlicet Chriſtum fuiſse mixtum ex duabus naturis, & mixtione in eo poſuiſse: cuiuſmodi ſunt Tertullianus de Carne Chriſti Nazianzenus orat.24.& orat.42. Hilarius lib.2. de Trinit. Auguſtinus epiſt. 3. ad Voluſianum, & lib.4. de Trinit.c. 13. in quo ego id olim obſeruaueram, antequam in Suario inueniſsem. Ex quo fit vt mihi arrideat ſententia illorum Scotiſtarum, qui dicunt Scotum non negaſse compoſitionem in Chriſto naturæ, ac ſuppoſiti, ſed ſolum naturæ, & naturæ, nam illa negari nequit; nec rationes Scoti contra ipſam militant, vt textum ex pendenti conſtabit. Hic enim ſic ad finem qu.3. *Auctoritates Damaſceni, quæ ſonant illã perſonam eſſe compoſitam debent exponi: quòd ita verè eſt ibi natura tam diuina, quàm humana, ac ſi componerent perſonas*. Loquitur preciſè de naturis, non autem de perſonalitate, & natura humana. Tunc retentis naturis addit. *Sed non componunt, nec aliquod tertium fit ex ijs, ſed diſtinctè, & inconfusè manet*. Idque ſuadet verbis Damaſceni. Et concludit *Debent ergo exponi, & dici perſonam compoſitã propter vnionem duarum naturarum, in quibus ſubſiſtit; ſed veriùs negari poteſt compoſitum, quia vna perficit aliam, nec ex eis fit aliqua natura tertia*. Semper verſatur circa naturas, & intra illas manet, cum loquitur de compoſitione. Ac ita procedit interpretando Lychetus. Non eſt contrarium Scoto admittere compoſitionem extra naturas intra perſonalitatem, & naturam humanam: quæ certè compoſitio eſt ſine vlla imperfectione. Nam perſonalitas Verbi perficit naturam, quam terminat, ſine vlla imperfectione, cùm ſit realiter diſtincta à natura humana, quam terminando complet, ac proinde perficit, & habet ſe inſtar componentis, & complentis concretum perſonale. Nec eſt vllum inconueniens dicere *Partem* ſubſiſtentiam Verbi, cum multi Patres admittant hoc vocabulum *Pars* in Chriſto. Nicetas, in orat.2. Nazianzeni orat. in Paſcha, quæ eſt 42. Ioannes Maxentius lib. contra Acephalos apud Turrianum in Hoplotheca c.11.& 14. Iuſtinianus in edicto Fidei ad Ioannem Papam II. quod eſt in ſecundo Tomo Conciliorum poſt Concilium Toletanum ſecundum, quæ omnia citat Vaſquez c.4. Quare non eſt timenda locutio in ſenſu congruo, & idoneò,

nec

Digitized by Google

nec opus eſt ad compoſitionem, vt fiat ex veris partibus, ſed ex alio, atque alio tanquam diuerſis. Quòd autem iſta compoſitio non ſit naturalis, nec fiat naturaliter, non obſtat, quia quod ex ea reſultat non eſt naturale, ſed ſupernaturale ex parte perſonæ: & ex parte naturæ eſt quiddam miraculoſum, ex modo ſupernaturali, retenta natura in ſua humanitate. Solùm videtur obeſſe, quod Patres communiter loquantur de compoſitione naturarum diuinæ, ac humanæ in Chriſto. Reſpondeo tamen nihil obeſſe; cùm inde ſequatur ſola compoſitio remota, & mediata; ac impropria ratione perſonæ, cui immediatè vnitur natura humana, & coniungitur cum Diuina. Ne quem verò turbet ille modus loquendi Patrum appellantium vnioné mixturam; animaduertimus enim eos illo vocabulo voluiſſe intelligere coniunctionem, & copulationem perſonæ diuinæ cum natura humana, & hac mediante vtriuſque naturæ inter ſe, ſine confuſione tamen, qualem inducebat Eutyches: hanc enim prorſus excludebant retinendo intimam vnionem cum diſtinctione naturarum. Imitati ſunt fortaſſe Tertullianum, qui primus videtur fuiſſe eius phraſis auctor: quippe qui amabat illos modos emphaticè, & nouè loquendi, quod mihi perſuaſum eſt de Auguſtino eius populari, qui hoc interdum vtitur vocabulo. Maneat itaq; ſententia Scoti Patribus congrua, & conſectanea ſine vlla contrarietate, & difficultate.

Tandem, quia Vaſquez obijcit Auguſtinum reſpondeo hunc fateri eſſet duas ſubſtantias, imo ait ex tribus fieri vnum *Deo,* inquit, *anima, &* *carne* lib. 13. de Trinit. cap. 17. non tamen dicere *Compoſitionem*, nec adhibuiſſe verbum *Compono*, ex quo apparet Scoto non aduerſari Auguſtinum.

IVDICIVM.

Qui quæ hactenus ſunt dicta pendere, & conferre velit, planè comperiat Scoti doctrinam partim cum Diui Thomæ doctrina conſentire, partim diferre, ac vbi differt Sotum ratiocinando valere: Primùm circa modum concurrendi Beatæ Virginis ad generationem Chriſti, & veriſimiliùs, & honorificantiùs eſt concedere ei virtutem actiuam vltra concurſum paſſiuum ratione generali philoſophica illam aſſignante matribus cum Schola Medicorum, quibus maior eſt hac in re; quam puris Philoſophis habenda fides, & ſpecialiter in Beata Virgine ſine concurſu Viri ex Spiritu Sancto concipientis. Eſt verò hic confutandum argumentum Caietani, in quo is magnum putat eſſe momentum ad negandum matribus concurſum actiuum: videlicet inſtrumenta ſexus eſſe diuerſa maris ad agendum, feminæ ad patiendum. Ita comment. ad queſt. 32. art. 4. Quod ſanè argumentum parum valet, nam feminæ, vt probant Anatomicæ artis periti non deſtituuntur à parte interiori inſtrumentis aptis, & idoneis ad agendum in fætum. Præterea quamuis in recipiendo ſemine à viro immiſſo femina ſe habeat paſſiuè, eo recepto actiuè ſe habere poteſt in eo fouendo, & accommodando ad animationem fætus, quæ eſt actio interior: quemadmodum accedit in ventriculo, qui accipit cibum; & paſſiuè recipiendo ſe gerit, non tamen idcirco eo recepto non per innatum ſuum calorem operatur, digerendo

gerendo cibum ſemel acceptum, imo omnes ſenſus recipiunt ſpecies habendo ſe paſſiuè illas, & tamen iis receptis ſuas ſenſationes actiuè operantur: quare nihil probat ratio Caietani. Cæterùm in Schola Scoti conſtat perfectio maternitatis Beatæ Virginis erga Chriſtum; nam ipſa, & actu effecit organizationem corporis, & induxit formam corporeitatis, & eodem momẽto concurrit ad animationem fętus, & vniuit animam corpori, & attigit exiſtẽtiam humanitatis, eamque in actu poſuit, & materiam perfectè diſpoſuit ad animationem fætus; tantùm animam non produxit, quia hæc à Deo immediatè creatur, quemadmodũ creat alias in alijs generationibus humanis, cùm omnes ſpirituales ſint, quod nõ obſtat quo minus aliæ feminæ verè, & propriè matres ſint ſuorum filiorũ. Hæc omnia minus perfectè fiunt in Shola Thomiſtarum, vbi nõ admittitur forma corporeitatis, nec ponitur exiſtentia propria humana, cùm inducat diuinam, qua ratione nihil fermè ſupereſt quod à Matre Virgine efficiatur. Multo minus certè ab ea efficitur quã ab alijs matribus, quę attingunt propriam exiſtentiam fętus quod ſit humana, ac proinde efficiunt quod Virgo pręſtare non potuit. Adde D. Thomam ſolum ſanguinem ſine vlla ratione ſeminis ad generationem adhibuit; Scotus autem admiſit vtrunq; ſicut in aliis matribus, vt nihil deſideraretur in Virgine ad perfectam maternitatem: nec id abſurdum, aut indecens eſt, cum ſemen ſit res naturalis. Quòd ſi non eſt, incõueniens ponere in B. Virgine concupiſcentiam, & fomitem in habitu, quia trahitur ab Adamo per generationem ordinariã, quæ eſt communis auctorũ ſententia cum S. Thoma 3. p. q. 27. a. 3. id affirmantium ſine vllo detrimento puritatis eiuſdem Virginis, cui ſatis eſt carere actu, & ligari fomitem ad conſeruandum Virginis honorem ac pudorem: quanto igitur erit congruentiùs, & honeſtiùs retinere id quod innatum eſt, ac ingenitum corpori humano muliebri, vbi nullum eſt veſtigium peccati, & aliunde eſt ad naturæ propagationem neceſſarium? Circa exiſtentiã humanitatis propriam, illud animaduertendum paucos Theologos extra Scholam D. Thomæ eam opinionem ſequi. Scoti vero ſententiam in alijs celebrari. Equidem nunquam potui capere, nec coquere illud placitũ Thomiſtarum de exiſtentia materiæ per formam, nec iſtam de exiſtentia humanitatis per Verbum, etiam antequam in Scoti caſtra veniſſem. Quid enim magis proprium rei, quàm actu eſſe, ac exiſtere? Iam vero in humanitate Chriſti, quomodo exiſtet illa per exiſtentiam Verbi? ſi tantùm ſubſiſtit per ſubſiſtentiam illius in ratione ſuppoſiti, per quam terminatur natura humana iam conſtituta ad perſonam filij præciſè, excluſa illius exiſtẽtia, quę cùm ſit abſoluta, & cum tribus communis perſonis, ſi per eam exiſtat, per quid abſolutum diuinum exiſtet, quod abſurdum eſt: exiſtentia quippe debet eſſe intrinſeca entitati, non purus terminus, qualis eſt perſonalitas & ſubſiſtentia: quæ cùm ſit diſtincta omnino, & extrinſeca naturæ, ſequitur per aliquid extrinſecum communicari quiddam intrinſecum, & intimum naturę, quod eſt incredibile. Maneat ergo exiſtentiam non communicari humanitati à Verbo, ſed ſolum ſubſiſtentiam, per quam copletur, & terminatur iam affecta propria, & naturali exiſtentia. Reliqua de ſanguine, & compoſitione ſatis conſtant, nec opus eſt de iis iterum iudicare.

COL-

Digitized by Google

COLLATIO TERTIA

DIFFERENTIA III.

De ijs quæ ſpectant ad Filiationem Chriſti, ac eius adoptionem, ſeruitutem, creationem.

Ad 3. p. Sancti Thomæ q. 35. a. 5. & q. 16. a. 10. & q. 20. & 23. & in 3. d. 8. art. 5. Scoti autem d. 8. in 3. q. vn. & d. 10. q. vn. & d. 11. q. 1. & 4. & in Report.

SECTIO I.

1 *An ſint in Chriſto duæ filiationes?*

SAnctus Thomas docet in Chriſto vnam tātum eſſe filiationem æternam realem. *Si attendamus* inquit qu. 35. art. 5. 3. p. *ad ſubiectum filiationis, quod non poteſt eſſe niſi ſuppoſitum æternum, non poteſt eſſe in Chriſto niſi filiatio æterna. Dicitur tamen relatiuè filius ad Matrem relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Chriſtum: ſicut etiam Deus dicitur Dominus relatione, quæ cointelligitur reali relationi, qua homo ſubijcitur Deo.* Ita in corpore. Et iterum ad primum, *Natiuitas temporalis cauſaret in Chriſto temporalem filiationem, ſi eſſet ſubiectum huiuſmodi filiationis capax, quod quidem eſſe non poteſt: ipſum enim ſuppoſitum æternum non poteſt eſſe ſuſceptiuum relationis temporalis.* Rurſum ad 3. in fine. *Quantum ad aliquid in Chriſto eſt vna tantum filiatio realis, quæ reſpicit Patrem æternū: eſt tamen ibi alius reſpectus temporalis, qui reſpicit matrem temporalem.* Idem tradit in 3. d. 8. a. 5.

Scotus contrà in 3. d. 8. q. vnic. n. 10. §. ad quæſtionem ergo. *Dico quòd alia eſt filiatio in Chriſto ad Patrem, & alia ad Matrem, & vtraque eſt realis.*

Diuum Thomam ſequitur, & latè exponit Caietanus ſolutis argumentis Scoti fuſiſſimè. Scotum ſequitur Lychetus, & diluit rationes oppoſitas contra Scotum. Scholę ſuis adhærent Magiſtris. Cum Diuo Thoma ſentit Bonauentura in 3. d. 8. a. 2. q. 2. & Henricus quodlib. 4. d. 5. Capreolus ad locū 3. d. 8. ar. 5. Scoto aſſentiuntur Durandus in 3. d. 8. a. 2. Richardus ibi q. 2. art. 2. & quodlib. 1. qu. 5. Gabriel d. 8. concl. 3. Marſilius d. 7. a. 2.

Sententia Sancti Thomæ ſic probatur. Primò: Filiatio conſtituit filium: ſed filius non eſt duplex; ergo nec

Digitized by Google

nec duplex filiatio.

Secundò Chriſtus non eſt filius per humanitatem, quæ nec eſt, nec dicitur filia, ergo per ſuppoſitum. Hoc eſt vnum non duplex: ergo vna eſt, non duplex filiatio.

Tertiò: ſi filius eſſet filius per aliam filiationem, quàm per diuinam fieret confuſio ſi Pater Incarnaret. Patet ex Anſelmo. Nam ſi Pater incarnaret eſſet filius propria, & reali filiatione, & confunderetur cum Filio, vt eſt filius Dei: ergo vt hoc inconueniens tollatur, negandum eſt filium eſſe filium per filiationem temporalem vltra æternam.

Quartò: ſi Chriſtus haberet veram, & realem filiationem ad matrem per veram, & realem relationem, ſequeretur hodie non eſſe filium Marię, igitur eam non habet. Sequela probatur, quia Chriſtus in triduo deſiit eſſe, & caruit filiatione, & reſpectu reali ad Matrē: poſtea illa relatio, & filiatio non rediјt: ergo non eſt hodie verè filius Mariæ, nec Maria Mater eiuſdem. Sequela patet: quia ſemel amiſſa relatio ſine noua generatione non redit.

Quintò, ſine relatione reali ſaluatur in Chriſto ratio filij: igitur illa ſuperflua eſt. Aſſumptum probatur, quia Deus eſt Dominus realis, & verus creaturæ ſine relatione reali ad eam, vnde & filius ſine reali relatione ad Matrem erit verus, & naturalis filius.

Sextò: ſi Chriſti ad Matrem relatio fuiſſet realis, euaderet ille Matri realiter æqualis ſecundum naturam humanam: hoc autem eſt falſum, quia æqualitas fundatur ſuper vnitatem vnionis, non eſt autem realis vnitas vnionis ad Matrem, igitur nec relatio realis.

Septimò, probatur ratione peculiari Sancti Thomæ q.55.a.5. Duæ formæ, ſiue duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt: tales ſunt illæ duæ filiationes, ergo in Chriſto eſſe non poſſunt.

Ad hanc ſententiam pertinet alia ſimilis Henrici Gandauenſis Quodlib. 4. quæ item videtur fuiſſe Alexandri Alenſis 3.p.q.10.m.3.ad 3.& 4.argum. Hæc tradit Chriſtum referri ad Matrem relatione increata, per quam eſt Filius Dei: qua ratione Beata Virgo eſt propria Mater Dei. Ratio verò eſt, quia Verbum eſt hic homo per vnicā filiationē: per hanc refertur ad Patrē, ergo per eandem Verbum refertur ad Matrem. Vnde reſultat denominatio filij Dei, & Virginis vna, & eadem ad ſummam gloriam Matris.

SECTIO II.

Scoti ſententia de duabus filiationibus proponitur, & probatur.

Scotus tamen in 3.d.8.qu.vnic.§. *hic dicitur*. nu.3. impugnat hanc ſententiam, & §. *ad quæſtionem*, nu.10. proponit ſuam, deinde reſpondet argumentis, & tollit omnes difficultates. Incipit à definitione hoc modo. *Filiatio eſt habitudo producti naturaliter ſimilis producenti in natura intellectuali*. Ponderat ſingulas particulas. Habitudo, ideſt relatio producti Filij, ſicut relatio Patris eſt producentis naturaliter à natura, qua ratione Spiritus Sanctus non eſt Filius ſimilis producenti. Vnde Vermis non eſt Filius Solis. *In natura intellectuali*: Ideò planta non eſt Filia plantæ, nec ignis eſt Filius ignis. Addit tamen vel ſenſitiua propter animam. Nam Bos eſt Filius Bouis, Equus Equi: quæ interpretatur optimè Lychetus: niſi

quod

Digitized by Google

quòd non addit *ſenſitiuæ* apponens propriè, quaſi Filiatio Bruti ſit impropria. Hinc ſumitur præcipuum fundamentum Scoti, quod eſt huiuſmodi. In Filiatione ſuppoſitum habet ſe paſſiuè, ac per modum termini: cætera ſpectant ad naturam: quare ſunt generationes ſumendæ à natura, quæ ſi plurificatur in termino, plurificatur etiam Filiatio. In Chriſto autem ſunt duę generationes iuxta Damaſcenum lib. 3. cap. 7. ratione naturæ diuinæ, ac humanæ, igitur & duæ Filiationes. Declaratur quia Filius Dei accipit naturam Diuinam à Patre per generationem æternam, & humanam à Matre per generationem temporalem, vtramque diſtinctam & realem: ergo per filiationem diſtinctam, & realem. Ex hoc fundamento ruit opinio Henrici aſſerentis vnam tantùm relationẽ increatam, quia illa relatio non poteſt fundari in Generatione humana, quæ omnino eſt diuerſa, & temporalis, & alterius naturæ. Quomodo ergo poteſt referri ad generationem Diuinam quod accipitur per generationem humanam? Quæ videtur eſſe ratio demonſtratiua. Relatio Diuina ſequitur fundamentum naturæ diuinæ: non verò humanæ; igitur non poteſt eſſe relatio diuina Filiatio humana. Pone, & apta terminos, erit demonſtratio formalis. Filiatio ſequitur generationem; generatio Verbi eſt ſolùm diuina, non humana, ergo ſequitur Filiationem diuinam, non humanam contra Henricum.

Contra S. Thomam qui negat relationem eſſe realem, pergit Scotus ita argumentari. Hic dantur duo fundamenta realia, & diſtincta realiter, ideſt natura Diuina, & Humana accepta per diuerſas reales generationes, æternam, & temporalem: ergo dantur diuerſæ reales relationes: quæ poteſt eſſe ratio prima. Secunda, ſi termini Filiationis æternæ, & Filiationis temporalis ſunt realiter diuerſi, ergo & relationes: nec enim ad duos terminos diſtinctos realiter poteſt dari vna, & eadem relatio, quando fundamenta ſupponuntur diuerſa, & termini ſunt adæquati, & totales: quales hic ſunt Pater æternus, & Mater Maria temporalis, qui omnino ſunt duo termini realiter diuerſi, & totales. Poſui *totales* ſuppoſitis fundamentis diuerſis, ne quis obijceret Filium per eãdem relationem reſpicere Patrem, & Matrem; nam quamuis hoc ſit in multorum opinione probabile, non militat in caſu noſtro, in quo Pater æternus, & Mater Virgo temporalis non ſunt cauſę partiales, & inadæquatæ eiuſdem generationis, ſed totales, & adæquatæ diuerſarum generationum, ac proinde exigunt duas reales, & diſtinctas generationes, quæ item eſt alia demonſtratio, ſi ad formam logicam redigatur. Quòd autem generatio humana ſit realis, patet, quia Beata Virgo verè eſt, & realiter genitrix per veram, & realem generationem, ſicut aliæ Matres. Deinde ſi Maria Virgo genuiſſet illo modo purum hominem eſſet vera, & realis Mater ipſius. Igitur in generatione hominis Ieſu, qui eſt Chriſtus realiter, & verè operata eſt generationem humanam, eiuſque vera, & realis Mater extitit, & habuit Filium eiuſdẽ ſpeciei humanæ cum aliis hominibus. Addamus alias rationes.

Prima. Si Verbum Diuinum aſſumpſiſſet ſimul Angelicam naturam, non eſſet Filius per illam, & tamen verè eſſet Angelus per vnionem realem diuerſa penitus ratione: Igitur, & nunc per generationem humanam verè, ac realiter, & propriè conſtituitur Homo

per generationem realiter diſtinctam à generatione diuina.

Secunda. Beata Virgo per realem generationem eſt verè realiter, ac diſtinctè Mater Chriſti, ergo & Chriſtus per veram & realem, ac diſtinctam Filiationem eiuſdem Virginis Filius conſtituitur.

Tertia. Chriſtus cùm ſit vnum tantùm ſuppoſitum habet duas diſtinctas reales operationes per duas voluntates diuinam, & humanam, ergo & duas generationes, & duas Filiationes; nec obſtat vnitas, & identitas ſuppoſiti quominus ſint operationes diuerſæ, ergo neque obſtabit identitas, & vnitas ſuppoſiti, quominus ſint duæ diuerſę Filiationes.

Quarta, quam item adducit Caietanus Commẽtariis in 2.3.q.35. Si Chriſtus genuiſſet Filios duos, habuiſſet duas Paternitates ad illos, non vnam tantùm, cùm eos ambos per duas veras generationes produxiſſet; ergo etiã bis genitus habet duas Filiationes ad duos generantes Patrem æternum, & Matrem temporalem. Negat aſſumptum Caietanus, ſed ſine vllo fundamento, nam facta illa ſuppoſitione (quam ego non auderem me auctore inducere) Chriſtus duos Filios genuiſſet, & ſi vnus mortuus eſſet, eius relatio periret, ac proinde alia remaneret: igitur realis eſſet hęc remanens, & realiter diſtincta ab alia, quæ perierat. Obſeruo autem Caietanum cùm omnes obiectiones Scoti colligiſſet, eiſque accuratè reſpondiſſet nequaquam eis ſatisfacere potuiſſe. Legat qui volet, ſi non mihi aſſentiatur.

SECTIO III.

Argumenta contraria diluuntur.

PRimum ſic, negando ſequelam: aliud eſt enim habere duas Filiationes, aliud duos eſſe Filios; Nam vt ſint duo Filij oportet multiplicari perſonam, ſuper quam directè cadit Filius: quæ ſi vna ſit non pluri- ficatur per filiationes concreta quippe ſubſtantiua neceſſario requirunt pluralitatẽ perſonarum; vnde non ſequitur per vnam filiationem conſtituitur vnus filius, ergo per alteram conſtituetur alter Filius, quia hæc ſecunda cadit ſuper Filium iam conſtitutum, capacem quidem alterius filiationis, non autem capacem alterius perſonalitatis, quam non ponit Filiatio, ſed ſupponit. Adhibeo exemplum. Per vnam ſcientiam fit homo ſciens. Ergo per duas ſcientias fit duplex homo ſciens, nego conſequentiam. Ita ſuo modo per primam filiationem verbi fit perſona filius, ergo & per ſecundam fiet idem Verbum alter filius, nego conſequentiam.

Secundum ita ſoluitur. Concedendo Verbum conſtitui Filium per receptionem humanitatis, quæ non eſt, nec dicitur Filia; ſed negando inde ſequi neceſſariam eſſe perſonam diſtinctam, vt exiſtat Filius, quia aliud eſt forma in abſtracto, aliud forma in concreto. Humanitas ſumpta in abſtracto non eſt filia, ſed vnita ſuppoſito facit filium: vti natura humana quæ eſt in Petro non eſt homo, ſed cum ſuppoſito facit hominem. Albedo eſt forma efficiens ſubiectum album, non tamen eſt ſubiectum album. Ita filiatio facit filium, non tamen ipſa eſt aut dicitur filia, nec enim adueniret

ſup-

ſuppoſito, ſi iam eſſet ſuppoſitum. Implicaret quippe conſtituit filium, ſi humanitas iam eſſet filia conſtituta.

Tertio reſpondetur. Admittendo abſurdum in Patre facta illa ſuppoſitione: ſed tunc argumentum nihil aduerſum nos concludit: nam Incarnato filio nō ſequitur illud abſurdum, cùm ſit per vtranq; generationē filius. Deinde negatur illa ſequela: tunc enim Pater per vnam relationem eſſet Pater, per aliam verò filius, & per hanc ſatis diſtingueretur à Filio Deo, quēadmodum hodie diſtinguitur vnus homo ab alio homine per diſtinctas filiationes. Nec eſt inconueniens, quòd idem homo qui eſt Pater, ſit etiam filius reſpectu Patris viuentis, cùm id fiat per diuerſas relationes. Vnde apparet futilem eſse argumentationem. Poteſt enim, vel negari ſequela, vel concedi ſine vllo timore abſurdi.

Quarto eodem modo ſatisfit: dicendo nihil concludere, quoniam ſemel generato Chriſto à Beata Virgine, ſemper poſito Chriſto, eſt vera illius Mater, ſiue antequam diſſoluatur vnio animæ, & corporis, ſiue poſtquā diſſoluitur, dummodò iterum reſtituatur, quemadmodum factum eſt in Chriſto reſurgente, nam poſt reſurrectionem Chriſtus eſſet filius Mariæ, vti erat ante mortem. Exemplum eſt ineptum: nam in triduo non manſit vnio conſtituens compoſitum, & Chriſtus deſijt eſſe homo, atque adeo deſijt eſſe filius; quia non eſt filius, niſi cùm eſt vnitus, & compoſitus ex anima, & corpore. At verò poſt reſurrectionem rediit Chriſtus homo, aſſumpta, & vnita denouo anima corpori, & conſequenter rediit & filiatio, & maternitas, & ipſemet filius. Confirmatur veritas ſolutionis, quia ſi verum eſſet argumentum valeret contra omnes homines, qui mortui ſunt, & reſurgent: nemo enim cùm reſurget erit filius, & nemo Pater, quod eſt falſum: erunt quippe iidem Patres, & filij, & fratres, & ſorores, qui antè in vita mortali fuerant.

Quintum diſſoluitur afferendo diuerſam rationem: Cur Deus dicatur Creator per relationem rationis, non autem filius dicatur filius per ſimilem relationem rationis? Diuerſitas eſt manifeſta, quia deficit comparatio. Nam comparatur Deus agens in creaturam, & nihil ab ea recipiens quando creat cum Chriſto recipiente à Matre, & non agente in Matrem, quæ eſt longè diuerſa comparatio: quia ex vna parte eſt Chriſtus, qui generatur à Matre recipiendo humanitatem per veram filiationē, fundatam in vera acceptione naturæ humanæ: ex altera eſt Deus dans eſſe creaturæ non habenti illud, & nihil recipiens à creatura. Vnde deficit comparatio: nam potius deberet aſſimilari Verbum creaturæ recipienti, quàm Deo creanti, & ſicut in creatura accipiente eſt vera, & realis relatio, ita & in filio debet naturalis relatio prouenire. Quid enim habet commune Creator ad creaturā cum Chriſto ad Beatam Virginem? Prætereà Deus non eſt capax relationis realis, & creat vti Deus Trinus, non autem vti perſona ſeparata. At vero Verbum Diuinum accipit humanitatem, & vnitur illi perſonaliter, vnde reſultat compoſitum exiſtens capax filiationis, & relationis realis, ſicut eſt humanitas realis. Ita breuiter ſoluitur argumentum importunum, in quo non nulli Scotiſtæ nimium extenduntur: imo non ſolum ſoluitur, ſed etiam retorquetur in aduerſarios eo abutentes, & nos terrere conantes, quaſi ſit aliquid ſolidum, cùm ſit inane quoddam ſpectrum, &

Digitized by Google

terriculamentum.

Sextum diluitur dicendo matrem eſſe æqualem filio ratione naturæ humanæ: ſicut enim filius eſt homo, ita eius Mater eſt homo, eiuſdem omnino ſpeciei, ſicut & nos homines ſumus æquales homines cum Chriſto ratione humanitatis, ac eiuſdem cum eo ſpeciei, quæ melius appellatur ſimilitudo in natura. Veniamus ad Beatam Virginem. Ea eſt ſimilis, & æqualis filio ſuo, quemadmodum aliæ Matres filijs ſuis. Imo neceſſe eſt ita eſſe: nam ſuppoſitum diuinum habet ſe extrinſecè ad huiuſmodi æqualitatem, præbens tantùm concretionem humanitati acceptę. Patet exemplo logico. Chriſtus in communi ſententia ponitur in prædicamento cum alijs hominibus, quia & ſi habeat ſuppoſitum infinitũ, hoc tamen habet ſe ſolùm extrinſecè, quoad entitatem, præbens concretionem humanitati, ac proinde admittit denominationem prædicamentalem ratione naturæ finitæ. Sic Chriſtus eſt Filius ſimilis, & æqualis Mariæ Matri, quia per humanitatem accipit generationem, & filiationem præbens concretionem humanitati, quæ aduenit ſuppoſito diuino manenti extrinſecè, & nihil aut accipiẽdo intrinſecus, aut dando intrinſecum de diuinitate ſua, ſed ſolum terminando, & concernendo, & complendo per vnionem hypoſtaticam naturam humanam, vt fiat Deus homo, ac filius Virginis. Et huc recidit ſolutio Scoti negantis relatiuum æqualitatis fundari in vnitate vnionis, ait quippe hic q. vnic. §. *Tertio ergo modo videtur* verſ. *ad argumentum* nu. 22. ſiue vltimo. *In propoſito vnitas fundans æqualitatem non eſt vnitas perſonæ, ſed naturæ*, & iterum verſ. *Et tunc, Ad propoſitum dico quod in natura humana in Chriſto eſt vnitas aliqua minor vnitate naturali, & ſimiliter vnitas realis in Maria, & iſta vnitas eſt fundamentum mutuæ æqualitatis in Chriſto, & Maria.*

Septimum ſoluitur negando aſſumptum, nam vti probat Doctor ſubtilis in 5. ſuæ Metaph. duo accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, quemadmodum hic in 3. q. vn. §. *Hic dicitur*, verſ. *contra iſtam rationem ſecundam*. Iterum probat Scotus, & ex eo Lychetus. Exemplum ſit ſpecierum ſenſibilium V. G. albedinum in phantaſia; addo in memoria, quæ colligit multas ſpecies rerum eiuſdem ſpeciei, vnde ruit argumentum. Deinde minor eſt falſa, nimirum *filiatio æterna, & temporalis ſunt eiuſdem ſpeciei*. Ecquis enim hoc affirmet? vti obſeruat Lychetus, qui dicit eſſe manifeſtè falſam. Vnde conſequentia nihil colligit, ſiue negato vtroque principio aſſumpto in maiori, & minori, ſiue negato altero in minori, quæ eſt facilior, & manifeſtior reſponſio; ſcilicet negare minorem. Summa enim diuerſitas eſt inter filiationem diuinam, & humanam: nec ſolum ſpecifica, ſed etiam generica, & maior quàm generica, cùm filiatio diuina extra omne genus ſit. Cui reſponſioni minimè Caietanus occurrit, dum obiectiones Scoti proponit. Iuuat hic eum refutare irridentem Scotum in Comm. ad art. 5. p. 35. §. *ad ſecundum dubium*. Negans quippe relationes eiuſdem ſpeciei multiplicari in eodem ſubiecto, & reijciens exemplum Scoti ponentis plures in Patre multos filios habente, nimirũ, quod ſunt filii geniti, in fine §. *Sic ait. Album vna ſimilitudine refertur ad omnia, niſi quaſi infinitas relationes realiter diſtinctas realiter etiam ab hac albedine ponat Scotus in hoc albo ſimul, quod eſt ridiculum abſurdum, & ſuperfluum.*

ſtuum. Immeritò Caietanus Scotum, & cum conuitio reprehendit. Libero Scotum à conuitio, & aperio vitium argumentationis Caietani. Longè diuerſum eſt exemplum vnius albi ad reliqua albá, ab exemplo Patris ad plures filios. Nam album ſemel poſita albedine habet vnam, & ſufficientem rationem relationis ad omnia cætera alba, quę in pura ſimilitudine conſiſtit, nec album quidquam ab eo accipiunt. At vero Pater agit erga filios, & eſt cauſa generationis illorum, quas multiplicat per diuerſas actiones generatiuas, & conſequenter tot relationes in eo reſultant, quot filij generentur. Eſt igitur in Patre relatio cauſæ generantis, non ſimilis albi ſtantis, & nihil operãtis. Rem declaro Caietano, & iis qui eum ſequuntur. In Patre dantur duę relationes ad filios: vna ſimilitudinis in natura, qua eſt homo, ad filios homines, altera Paternitatis ad filios, qua eſt Pater, & cauſa, & illi filij, & effectus. Illa prima eſt vna & eadem, ad omnes, vti ſunt ſimiles in natura: at vero hęc ſecunda Paternitatis eſt multiplex, & diuerſa, quia fundatur in communicatione naturæ per actioně generatiuam, qua Pater filiorum eſt vltra hominem. In alia ſimilitudinis nihil agit Pater, ſed accepta ſemel ſua natura humana eſt ſimilis per vnicam relationem ad quoſcunque homines, etiam filios. Apparet igitur ratio diuerſitatis exempli vnius ab alio. Et ridiculum manet, & abſurdum exemplum Caietani: non autem Scoti, qui nihil niſi ſubtile, & ſerium, & idoneũ afferre ſolet. Hanc noſtram de duplici filiatione Chriſti doctrinam optimè tradit Epiſcopus noſter Veglienſis Theodorus in explic. 12. in ſuo erudito ſymbolo.

SECTIO IV.

Vtrum Chriſtus ſit Filius naturalis, an adoptiuus?

HÆc quæſtio conſequens eſt huius de filiationibus. Diuus Thomas eam tractat in 3. d. 10 q. 2. art. 2. & 3. & in 3. p. q. 23. a. 4. & q. 32. art. 3. Scotus in 3. d. 10. qu. vnic. Diuus Thomas omnino negat Chriſtum eſſe filium adoptiuum. Sic enim 3. p. qu. 25. art. 4. in corp. *Chriſtus qui eſt filius Dei naturalis nullo modo poteſt dici filius adoptiuus*. Aſſertque rationem: *Quòd filiatio propriè conuenit hypoſtaſi vel perſonæ: non autem naturæ; vnde & in 1. p. dictum eſt, quòd filiatio eſt proprietas perſonalis*. Et ibi Caietanus *Filiatio non naturæ, ſed perſonæ conuenit, & propterea non poteſt Chriſto conuenire filiatio adoptiua ratione naturæ humanæ*. Quin & Scotus initio huius quæſt. vn. fatetur conſequens eſſe negare poſita iſta ſententia, quæ eſt Bonauenturæ, & Sancti Thomæ; quod obſeruat Lychetus. Ratio verò eſt manifeſta, quia ratio adoptiui pugnat cũ ratione naturalis in perſona diuina, cùm adoptio ſit extranei: naturalis proprij, ac geniti. Non habet igitur locum in hac doctrina, quæ vnam tantum admittit filiationem. Verùm in alia ſententia, quæ admittit duas filiationes reales, ac diſtinctas in Chriſto, & fundat filiationem in natura, aliter videtur dicendum, cùm ſtante integra filiatione naturali poſſit aduenire alia filiatio extranea ſuper idem ſuppoſitũ naturale, ac diuinum. In hoc ſenſu excitat quæſtionem Scotus animaduertens adoptionem eſſe quid iuridicũ, & legale, & ad eam tria concurrere. Primum eſt extraneitas à generatione

naturali, ſecundum gratuitam voluntatẽ adoptantis erga extraneum adoptatum: tertium bonum, ſiue hæreditas, quæ inde prouenit adoptato. Quæ tria videntur conuenire Chriſto, qui eſt Filius Dei vnicus naturalis ſecundum generationem diuinam, & minimè extraneus Deo ſecundum generationem humanam, cùm ſit innocens, & gratus Deo.

Vt quæſtioni reſpondeamus, oportet prius exponere quid ſit Adoptio. Eſt igitur duplex modus adoptandi: per Arrogationem, & per Adoptionẽ. Arrogatio fit cum adoptatur is qui eſt ſui iuris, & rogatur vtrum velit adoptari, an non? hinc arrogatio dicitur, & fit auctoritate Principis. Adoptatio fit, cùm adoptatur is qui eſt in poteſtate Patris naturalis, & fit conſenſu Magiſtratus. Hæc in iure *ff. de adoptionibus*. Debet autem adoptio eſſe gratuita, non autem ex pacto, aut contractu. Obſeruandum hic eſt: in adoptione diuina per gratiam Dei inueniri has duas formas adoptionis: nam Arrogatio fit hominũ ſui iuris, & arbitrij adultorum, qui concurrunt liberè ad gratiam, & cum gratia. Adoptatio fit cùm infantes, qui per ætatem compotes ſui eſſe nequeunt, iuſtificantur per baptiſmum, & ſic vtrique cùm adulti, tum paruuli dicuntur filii Dei adoptiui per gratiam. Eſt verò diuerſus modus adoptandi à Deo, ab eo, qui eſt ab homine; quia inter homines datur ſimilitudo naturæ, & ad eam tranſit adoptatus cum hæreditario iure mediante adoptione, per quam tranſit in familiã naturalem adoptantis: at in Adoptione diuina non interuenit ſimilitudo naturæ, cùm ſit creaturę adoptatæ à Deo creatore interueniente ſola gratia ſupernaturali, per quam regeneratur ſpiritualiter per adoptionem diuinam, quæ eſt iuſtificatio, quam Auguſtinus vocat *generationem Spiritualem* lib. 1. de ſerm. Domi. in Monte c. 46. & lib. 7. de Conſenſ. Euang. c. 3. & ſępe in libris de peccat. merit. & remiſſ. loquens de baptiſmo paruulorum iuxta modum loquendi Petri 1. c. 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam*, & Pauli ad Tit. cap. 3. *Lauacrum regenerationis*; vnde Rom. 8. *Accepiſtis*, inquit, *Spiritum adoptionis filiorum Dei*. Duplicem autem adoptionem ponit Auguſtinus: vnam Iuſtificationis, alteram glorificationis: de quibus idem Auguſt. lib. 3. cont. duas Epiſt. Pelagian. c. 3. vbi eas diſtinguit, & regenerationes appellat. Nunc ad quæſtionem: cuius ſtatus eſt: An poſſit Chriſtus dici filius adoptiuus in ea ſententia, quæ ſtatuit duas filiationes? qualis eſt Scoti, & aliorum, quos laudauimus auctores, agendo Scholaſtico more, non poſitiuo, quemadmodum aliàs egimus.

Scoti mens primùm inueſtiganda, deinde examinanda eſt. Ille igitur in 3. q. vnic. ita loquitur, vt rem definire minimè videatur. Et ita cum eo ſe habet Lychetus. At Cauellus in Scholio ſecundo ſentit Scotum negare Chriſtum eſſe filium adoptiuum, & aſſertiuè tenere partem negantem adoptiuũ eſſe: & inuehitur in Vaſquez damnantem Scotum quòd affirmet, & cum Elipando ſentiat. In Scholio tamen tertio ait: Scotum inſinuare probabiliter dici poſſe filium adoptiuum, & in Reportatis clarè tenere ſententiam affirmantem, vti probabilem. Hoc ſecundum verum, & indubitatum eſt. Nam in Reportatis d. 10. q. vn. §. *Dico ad quæſtionem* n. 4. in medio ait Scotus: *De virtute tamen vocis poteſt Chriſtus dici filius adoptiuus Dei*, & interpretatur contraria dicta Sanctorum. Scotum ita intelligunt, & ſequuntur Baſ-

ſolis

ſolis d. 10. qu. 1. art. 2. & Tartaretus in Comment. Theodorus Epiſcopus Veglienſis in explicat. art. 2. Rada contr. 5. art. 2. concl. 6. Aretinus d. 10. q. 1. ar. 4. in fine. Pontius hic in Comment. latiſſimè. Caſtillo d. 17. Felix c. 19. diffic. 2. Delgadillo c. 15. diffic. vnic. dub. 7. & 8. vbi, quod nimium eſt affirmat, præferre ſe affirmantem ſententiam neganti, quod Scotus non dixit, nec opinor vellet de ſe dici, cùm multo magis meo iudicio inclinet in ſententiam negantem, quàm affirmantem.

Auctor igitur ſum de re quidam probabiliorem eſſe ſententiam negantem, eamque in praxi ſequendam, de mente autem Scoti dico eum magis in hanc inclinaſſe, eandemque magis eſſe conformem doctrinæ Scoti in aliis locis: permiſiſſe tamen Scotum alteram ſententiam negantem, quo ad modum loquendi, & in ſano ſenſu admiſiſſe tollerando potius, quàm aſſerendo. Singula oſtendo. Ac primùm animaduerto denominationem filij adoptiui eſſe quid concretum, & inuoluere ſuppoſitum, ac de eo directè prædicari: non eſt autem vera affirmatio de ſuppoſito Verbi eſſe Filium adoptiuũ, vnde quamuis de eo affirmentur duæ filiationes in abſtracto, non tamen ſequitur eſſe duos filios, cùm ſit vnus tantùm, vnicus, & vnigenitus. Præterea Chriſtus non poteſt vlla ratione dici extraneus à Deo, cuius eſt filius naturalis, non ſolum quà Deus eſt, ſed etiam quà homo eſt concretum includens ſuppoſitum diuinum: humanitas autem quamuis ſit extranea ſuppoſito, vt eſt in abſtracto, non eſt capax denominationis filij, nec filiæ: ſumpta autem in concreto non eſt extranea, cum iam inuoluit ſuppoſitum. Inſuper à parte rei illa natura nunquam fuit ante vnionem hypoſtaticam, ac proinde non extranea: imo ſemper fuit à parte rei ſuppoſitata in Verbo, & vnita Verbo: igitur nunquam extranea à Deo, quia nunquam habuit proprium ſuppoſitum. Vnde neque Angeli, neque Adamus in ſtatu innocentiæ habuerunt ſimile priuilegium. Imò per æternam prędeſtinationem ad vnionem illa humanitas fuit appropriata à verbo, ac proinde ſemper fuit naturalis, & nunquam extranea. Tandem quia illæ duæ rationes pugnant inter ſe. Ratio enim filij naturalis excludit rationem Filij adoptiui, qui cùm vna & eadem perſona ſit, non poteſt denominari adoptiuus; quod vocabulum ſonat quid extraneum, & alienũ: idcirco definiuit Eccleſia contra Felicem, & Elipandum Chriſtum non eſſe, nec poſſe dici filium adoptiuum. Proptereà Vaſquez tantus Vir eam ſententiam condemnauit. Non probo Vaſquij de Scoto cenſuram; quem ille minus bene intellexit, & malè interpretatus eſt, ſed rationem damnandi non improbo, quàm noſtri reprobant. Nam expoſitio quam afferunt dicendo eam propoſitionem damnari in ſenſu Neſtorij, non ſatisfacit, quia non ſolum erat damnabilis in Felice, & Elipando hac ratione, quia illi nolebant fortaſſe ſentire cum Neſtorio: ſed quia ſtare non poterat ille ſenſus adoptiui cum alio ſenſu naturalis, eumque deſtruebat. Aliter pauci Hæretici damnabuntur. Quotus enim quiſque eſt qui velit errare cum Hęreticis? Imo vult rectè ſentire, & non ſatis eſt intentio ad liberandum ab errore, cum ex verbis inordinatè prolatis naſcatur hæreſis, quod acceptum ex Hieronymo commune proloquium eſt. Quare ſi adoptio euertit rationem naturalitatis, errabit qui affirmet Chriſtum eſſe filium adoptiuum, etiã

Digitized by Google

ſi nolit errare, quemadmodum errauit Neſtorius ſtatuēs in Chriſto vnionem moralem, non naturalem, qui tamen fortè putabat ſe non errare; errabat tamē, quia illa vnio euertebat vnionem hypoſtaticam realem, & naturalem, vt ita dicam, humanitatis ad ſuppoſitum Verbi. Sicuti etiam Pelagius cùm primum dicebat naturam eſſe gratiam Dei, & poſtea legem, & doctrinam eſſe gratiam, cogitabat fortaſsè ſe admittere gratiam: errabat tamen quia neque natura, neque lex erat illa vera gratia per Chriſtum, quæ in Sacris litteris continebatur. Iterum cùm dixit dari gratiam, ſed ex meritis naturæ errauit, quia ſtare non poterat gratia, quæ ſupernaturale Dei donum eſt cum illis meritis naturæ. Ita qui diceret Chriſtum eſſe filium adoptiuum, quamquam non in ſenſu Neſtorij, nō ſatis excuſaretur, quia ſemper contradiceret veritati Catholicæ aliunde, cùm ambæ filiationes in concreto ſumptæ in eodem ſubiecto ſtare non poſſint, itaut dicatur Chriſtus filius naturalis, & idem filius adoptiuus includendo ſuppoſitum. Non probo igitur cenſuram Vaſquez de Scoto, imo improbo, & reprehendo, quia malè attribuit Scoto ſententiam abſolutè affirmantem, Chriſtum eſse, ac dici poſſe filium adoptiuum, cùm Scotus id non affirmauerit, ſed ſolùm dixerit quo ad vim vocis poſſe ſuſtineri, non affirmādo ſententiam, ſed liberando eam ab errore, afferendo ſenſum idoneum, vt immunis eſset ab errore. Alij duriùs locuti ſunt cum Durando in 3.d.4.q.1. & cum Richardo, qui etſi molliùs loquatur, & videatur problematicus, nō veretur tamen admittere hanc propoſitionem *Chriſtus quà homo eſt filius adoptiuus*.

Inquiramus mentem Scoti quoad doctrinam in lib. ſent. 2. d. 10. qu. vnic. Certè negat adoptionem. Patet primò, quia in primo loco proponit partem affirmantem, quod facere ſolet cùm doctrina eo loco poſita improbatur in corpore quæſtionis, & apparet in Sancto Thoma, & alijs Scholaſticis commentantibus Magiſtrum. Patet ſecundò, quia refert ſe ad litteram Magiſtri, & auctores in ea contentos. Hi autem negant adoptionem. Patet tertiò, quia adiungit de ſuo nouam rationem: nimirum ſequi filium adoptari à tota Trinitate, & eſſe filium Trinitatis, atque adeo filium ſuimet ipſius. Patet quartò, quia omnia argumenta pro affirmatiua diluit, quæ autem attulit contrà pro negatiua ea minimè diſſoluit. Patet quintò, quia §. *Reſpondeo* nu. 2. dicit in ſent. Sancti Thomæ, & Bonauenturæ aſſerente filiationem eſſe præcisè ſuppoſiti, non naturæ poſſe *faciliter negari* Chriſtum eſſe filium adoptiuum ſignificans in oppoſita difficile id poſse ſuſtineri, quo innuit negandum item in ea eſse, licet cum maiori difficultate. Patet ſextò, quia multùm, & variè in vtranque partem diſputando ſemper excludit extraneitatē à Chriſto adhuc ſecūdum filiationem humanam: ac in primis reijcit extraneitatem priuationis gratiæ, quod non quadrat in adoptatum: reijcit etiam alteram negationē gratię & iuris ad illam, quæ ſatis eſt vt filius dicatur adoptiuus per gratiam, quam non habebat, nec ius ad illam, quales erant Angeli, & Adamus in ſtatu innocentiæ: creati quidem in gratia, ſed ſine iure ad illā: quia Chriſtus in primo inſtanti, & ſi non habuerit gratiam habitualem cùm prius natura fuerit genitus, quàm gratus, habuit tamen diſpoſitionem, ſiue ius ad gratiam conſequentem, & ſaltem de congruo merebatur illam,

vnde

Digitized by Google

vnde non erat extraneus; & quamuis ille obijciat ius illud non eſſe in primo inſtanti generationis, ſed in ſecundo, ac proinde in primo præcisè eſſe extraneum, non acquieſcit, ſed ait *Reſponſionem quære*, idque bis dicit. Et ∬. *contra*. nu. 4. in fine ante additionem, & ∬. *ad argumenta* vltimo num. 5 in fine. Reſponſio verò habetur in Additionibus ibi poſitis recurrendo ad ſolutionem datam ab ipſomet Scoto ∬. *contra*. verſ. *Si hoc non placet* num. 4. nempe in eo primo inſtanti adhuc non eſſe extraneum, quia inerat diſpoſitio, ſiue ius inchoatum, & congruum per vnionem hypoſtaticam, quæ diſpoſitio non ineſſet naturæ in proprio ſuppoſito. Semper excluſit à Chriſto extraneitatem, & conſequenter adoptionem.

Nego igitur quibuſdam Scotiſtis noſtris Scotum hoc loco 3. ſent. d. 10. quæſt. vnic. eſſe problematicum. Qualis eſt Cauellus in Scholio vltimo ſuper ∬. *ad argumenta*, cui item nego Lychetum ita de Scoti mente ſentire. Ac niſi in Reportatis ſecus docuiſſet permittendo aliam affirmantem ſententiam omninò allegandus eſſet pro ſententia negante, quemadmodum allegant Aretinus, & Pontius, quorum neuter meminit huius loci in Reportatis. Vtrum autem huiuſmodi ſententia aſſirmans Chriſtum eſſe Filium adoptiuum aliquam mereatur cenſuram, quæſtio eſt, quæ pendet ex definitione Eccleſiæ. De qua Theologi variè diſputant. Nos hic breuiter quæ in rem ſint dicemus.

SECTIO V.

Vtrum, & quatenus Dogma de Adoptione Chriſti damnatum ſit ab Eccleſia Catholica?

Hac de re multis egimus in noſtro tractatu de concilijs Romæ dictato. Colligemus pauca, & idonea. Huius opinionis de adoptione Chriſti auctores fuerunt Felix Vrgelitanus Epiſcopus, & Elipandus Archiepiſcopus Toletanus, quamuis eam prius tradidiſſet Theodiſclus Epiſcopus Hiſpalenſis ſucceſſor Sancti Iſidori ſecta Arianus, & in ſenſu Ariano, à quo prorſus Felix, & Elipandus abhorruerunt. Quo autem ſenſu dixerint Chriſtum Filium adoptiuum magna contentione diſceptatur. Commune placitum eſt eos Neſtoriano sẽſu dixiſse. Ita Ionas Aurelianenſis lib. 1. de cultu immaginum. Sigebertus in Chronico ſub annũ 793. Diuus Antoninus p. 2. tit. 14. c. 1. §. 6. Paulus Æmilius lib. 2. prope finem. Sabellicus lib. 8. Eneade 8. Nauclerus generat. 17. Feuardentius lib. 3. aduerſus hęreſes verbo *Chriſtus*. Valentia q. 20. puncto vnico. Suarez d. 44. ſect. 3. Raguſa diſt. 30. ∬. 2. Lorca d. 84. m. 2. à n. 15. Gabriel ar. 5. Vincentio d. 23. dub. 3. Theodorus Epiſcopus Veglienſis in explicat. ar. 2. quæſito 4. Aretinus in Comment. ad 3. ſent. d. 10. q. 1. ar. 4. Delgadillo cap. 15. diffic. vn. c. 5. Pontius in 3. d. 10. q. vn. n. 41. in fine quæſt.

Sunt tamen non ignobiles Theologi id negantes, & aſſerentes extra ſenſum Neſtorianum locutos fuiſſe duos illos Epiſcopos Felicem, & Elipandum, ac extra ſenſum Neſtorianũ damnatam fuiſse illam propoſitionem *Chriſtus quà homo eſt filius adoptiuus*.

Ee Ita

Ita Vaſquez d.89.c.8.Faber in 3. d. 23. c.2. Caſtillo d. 17. Gaſpar Hurtado d. 16.diffic.3. Inclinat Petrus Hurtado d. d.83. à ſ.7. qua ratione Durandus,& Richardus,& quos ſup. numerauimus auctores damnari debent, non autē in ſenſu Neſtoriano.Et quidē Vaſq.acer, & vehemens auctor non ambigit ijs eandem, quæ Elipando inflicta eſt cēſuram impingere, & pene cum ijs Scotum inuoluere, c.5. quo nomine cum eo grauiter expoſtulant Scotiſtæ,præſertim Cauellus, & Delgadillus, vti obiter notauimus. Mea ſententia eſt Elipandum aſſerendo Chriſtum eſſe filium adoptiuum incautè cum Felice,&, vt aiunt, indirectè incidiſſe in errorem Neſtorii: & idcirco damnatum ab Adriano Papa, & Francofordienſi Concilio fuiſſe: ac niſi eum ſaperet errorem damnari non potuiſſe. Primam partem probo ex eiuſdem Elipandi confeſſione miſſa ad Patres Concilij, quam profert Vaſquez c.2. in initio, in qua idem Vaſquez negat quidquam eſſe Neſtorianum. Ego contrà ſentio, ponderando nonnulla verba Elipandi: quæ mihi ſuſpicionem Neſtoriani erroris afferunt.

Primùm ait. *Homo interior in vna, eademque Dei, & hominis perſona adglomeratus, atque carnis veſtimento indutus:* hæc phraſis, *adglomeratus & humanitatis veſtimento indutus* ſuſpecta eſt, quòd innuat appoſitionem quandam, non vnionem humanitatis, eamque Verbum Diuinum non ſibi intimè vniuiſſe, ſed quaſi habitum circumgeſtaſſe, qua ratione Neſtorius Chriſtum Deiferum appellabat, non Deum: vti obſeruat idem Vaſquez d. 15.c.1.n.13. Nec obſtat dicere *in vna eademque perſona*, quia Neſtorius diſtinguebat hypoſtaſim à perſona ponendo in Chriſto duo ſuppoſita, & vnam perſonam, quæ item fuit hæreſis Neſtoriana, vel ex ea tracta, quemadmodum refert Sanctus Thomas 3.p. q.2.a.3. & 4. cont.gent.c.38.& Durandus in 3.d.6.q.1. eamque hæreſim ſpecialiter damnauit in Synodo Epheſina Cyrillus can.3.& 4. 1. Tom.Concil. Eiuſdem iterum meminit Sanctus Thomas in eadem quæſtione 2.ar.6.in corp. vbi in rem noſtram ait, hanc hæreſim quam videtur Elipandus inſinuare, eſſe illam, quæ dicebat Verbum eſſe in homine per quandam accidentalem vnionem in habitationis, tanquā in templo, aut *induitionis ſicut veſtimento*. Ecce expreſſus proprius error Elipandi *veſtimento indutus*. Hunc ſenſum continent illa quæ ſequuntur. *Quia non per illum qui natus de Virgine viſibilia, & inuiſibilia condidit, ſed per illum, qui non eſt adoptione, ſed genere: neque gratia, ſed natura*. Videns quomodo in vna perſona diuidit Elipandus duos? *illum, & illum*? Filium Dei, & Filium Virginis? quos ſtatim confundit *Per iſtum*, inquit, *Dei ſimul, & hominis filium adoptiuum humanitate, & non adoptiuum diuinitate mundum redemit*. Quos duos fecerat in ſuppoſitis ad vnum redigit in perſona. Auget ſuſpicionem illa ſententia *Si conformes ſunt omnes Sancti huic filio Dei ſecundum gratiam, & cum adoptiuo adoptiui, & cum aduocato aduocati, & cum Chriſto item paruulo paruuli, & cum ſeruo ſerui*, niſi forte dicas ly *ſecundum gratiam* referri ad *Sancti*, non ad *Filium:* verum aliæ particulæ *cum adoptiuo adoptiui* videntur attribuere ly *ſecundum gratiam* huic Filio. Itaque dum dicit *huic filio Dei ſecundum gratiam* deſignat vnum diſtinctum ab altero: quaſi dicat ex illis duobus *Hic*, nempe homo, opus gratiæ, in ſuppoſito Deus. Quid quod illa

vox

vox *Seruus* ſapit purum hominem, iuxta Damaſcenum, qui lib. 3. de Fide cap. 21. *Ii autem*, inquit, *qui ſeruum eum dicunt, vnum Chriſtum inſtar Neſtorij in duos diuidunt*. Propterea illam locutionem damnauit Synodus Epheſina Can. 6. quaſi Neſtorianam, vti docuit Cyrillus in defenſ. Anathematis 6. & animaduertit S. Thomas 3. p. q. 20. art. 2. in corp. Quod autem Elipandus hanc vocem *Seruus* in prauo ſenſu acceperit, patet ex Epiſtola ipſius Adriani ad Epiſcopos Hiſpaniæ, quam agnoſcit Vaſquez concors Suario, qui etiam admittit, & probat in 3. p. d. 44. ſ. 1. initio. Verba Adriani ſunt, in eos inuehentis, qui Chriſtum ſeruum appellabant vocantis eos *Impios, & ingratos liberatori ſuo, ac Deo odibiles*; Et diſertè ait, *Nunquid propterea nomen ſerui ei imponere debemus?* Et iterum: *Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum ſeruum nuncupare?* Similia habentur in Epiſtola Concilij Francofordienſis ad Epiſcopos Hiſpaniæ; idque fatetur ingenuè Vaſquez, imò & contendit magna vi eum fuiſſe errorem Elipandi, ac prorſus damnatum: nec patitur vlla ratione excuſari, ac excuſantes validiſſimè refutat d. 80. à cap. 2. vſque ad finem. Quomodo igitur liberat eum ab errore Neſtorij, cũ hoc nomine ab aliis cõdemnetur? Aut ijs non contradicat, aut liberet ab errore iuſtis argumentis. Dicendum ergo Elipandum cum Neſtorio conuenire, & in eius errorem recidiſse. Ex quo ſequitur minimè fuiſse locutum more Theologico, & Scholaſtico, quo vſi ſunt Durandus, & Richardus, ac multò minus debet Scotus reprehendi, qui omnino alienus eſt ab errore Elipandi, quemadmodum hactenus accuratè, opinor, monſtrauimus. Verum quidem eſt Vaſquez non condemnaſſe, vti noſtri auctores exiſtimant, abſolutè Scotum: quod in gratiam eximij huius Theologi obſeruo, quem ob inſignem illius doctrinam plurimi facio. Vaſquez ſolùm dixit Scoti ſententiam videri conuenire cum ſententia Durandi, Richardi, & aliorum de ſenſu Elipandi: non dicit *Conuenire*, ſed *videri cõuenire* d. 89. c. 5. Prætereà ibi excuſat Scotum cum Baſſolio, & commendat Scoti prudentiam: & c. 12. laudat eiuſdem rationes pro ſententia negante contra Richardum. Non eſt igitur cur tam acerbè reprehendatur à Lorca d. 84. & Delgadillo cap. 15. diffic. vnic. dub. 6. cùm præſertim non pauca ex Vaſquio mutuetur. Non libero Vaſquium culpa, ſed emollio aliorum de illo cenſuram. Minus ille peccauit, quàm illi cenſores exiſtimant. In eo tamen culpandus, quòd negauit Elipandum Neſtorizaſſe, & affirmauit in ſenſu Scholaſtico locutum, & ita loquentem non erraſſe; cùm oppoſitum omninò conſtiterit. Et quidem ſenſus Scholaſticus, præſertim Scoti, caret ſuſpicione, & reprehenſione; quia ex eo non ſequitur vlla cum veritate Fidei contradictio, & cum doctrina Catholica ſtare poteſt, ac proinde inoffenſo pede currit: nec eſt quod illam remoretur, iuxta ea, quæ nos ſuperiùs notauimus. Ad calcem moneo lectores de opinatione Orlandi aientis tract. 4. d. 11. quæſt. 1. num. 4. in fine Scotum in 3. d. 10. dicere, *Humanitatem Chriſti denominari poſſe Filiam adoptiuam*, quod verum non eſt. Nihil ibi huiuſmodi inuenitur,

Digitized by Google

SECTIO VI.

An Chriſtus ſit Seruus & Creatura?

IVngo quæſtiones, quia ſunt breues,& ex proxima pendent,qua expedita facile expedientur. Quòd primam attinet, Scotus eam non attigit, fortè quia exiſtimauit perinde eſſe ac illam de Adoptiuo. Sanctus Thomas excitauit 3.p.q.20.a.2.vbi concedit dici poſſe Chriſtum, quà homo eſt *ſeruum*,cùm id neget de Adoptiuo. In hoc videtur differre à Scoto,qui quòd putauit perinde eſſe vtrunque, abſtinuit à quæſtione. Et quidem iure egit: nam de Seruo id quod de Adoptiuo exiſtimandum: quo enim modo quadrat denominatio ſerui in humanitatem, eodem planè conuenit denominatio filii in eandem. Sanctum Thomam ſequuntur ſui,& Suarez.d. 44. ſ. 1. quamuis abſolutè dici poſſe inficietur. Idem tenet Lorca d. 78. Caſtillo d. 17.q.3.n.6.Felix c.19.diffic.3. & Delgadillo c.14.diffic.1.dub.8. quòd ſibi perſuaſerunt congruam eſſe doctrinam ad mentem Scoti. Contrà tamen ſentiunt Vaſquez d.80. à c.6.qui obſtinatè negat vllo modo ferri poſſe affirmantem ſententiam,quòd ea fuerit hæreſis Elipandi damnata in Concilio Francofordienſi,& ab Adriano primo ſimul cum alia de Adoptiuo. Cum Vaſquez ſentit Becanus c. 16.q. 2. Gaſpar Hurtado,& Turianus, ambo diſcipuli Vaſquij.Et Petrus Hurtado,qui eos allegat d.78. ſ. 2. §.7. Eorum argumentum eſt, quia *Serui* nomen ſonat quiddam indignum filio Dei, & propterea eadē ratione Elipandus in Epiſtola Adriani,& Concilij pugnauit pro affirmatione adoptiui, & ſerui. Equidem video Vaſquez conſequenter loqui, & meritò producere locus Adriani, & Concilij contra aduerſarios. Sentio ad mentem Scoti dicendum eo modo,quo defenditur probabiliter in ſenſu Scholaſtico Chriſtum, quà homo eſt, filium eſſe adoptiuum dicendum eſſe ſeruum: nec eum ſenſum eſſe erroneum: in eoque diſſentio à Vaſquio, quod hic nulla ratione admittit eam propoſitionem, ne Scholaſtico quidem ſenſu, & putat in hoc etiam eſſe damnatam in ſenſu Neſtoriano, quemadmodū cenſuimus de adoptiuo. Itaque pronunciandum abſolutè Chriſtum non eſſe dicendum Seruum; non tamen inficiendam dici poſſe ſeruum quà homo eſt, ſecundum humanitatem; quæ tādem eſt ſententia Suarij diſp. illa 44. ſ. 2.& Lorcæ d.78.n.4.& Caſtil.d.17.qu. 3.nu.11.contra Delgadillum, qui animoſior eſt, & contendit abſolutè dici poſſe *ſeruum* c.14.diffic.1. nu.19. cuius ego animoſitatem non probo. Certè Adrianus, & Concilium ſemper coniungunt *adoptiuum*, & *ſeruum*; & vtrunque à Chriſto excludunt. Cùm ergo non liceat abſolutè dicere Chriſtum eſſe filium adoptiuum; ita nec licebit ſeruum appellare: ſed cum limitatione, quam adhibuit Auguſtinus, qui cùm ab hac ſententia abhorreret, ac dixiſſet *Non facile inueniri in Euāgelio Chriſtum appellaſſe Deum Dominum*, videlicet lib. de quæſt.in Geneſ. q.59.tamen Epiſtola 178. ad finem, quę eſt altercatio cum Paſcentio Ariano adhibita limitatione admittit denominationem, *In qua tamen infirmitate non ſolùm ſubditum, ſed & ſeruum euidentiſſimè confitemur, ipſo dicente in Prophetia ad Patrem Pſal. 115. O Domine quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Vbi reſtrinxit denominationem ſerui ad infirmitatem carnis *in qua infirmitate*. Non autem dixit *ſeruum*

uum abſolutè, vti loquitur Delgadillo, quem terrere debuit auctoritas Adriani negantis nomen ſerui inueniri in Euangelio accommodatum Chriſto, & quod Auguſtinus fidenter non eſt auſus dicere apponens *Non facile*, hoc Adrianus fidentiùs pronunciauit: cui non debuit reſiſtere Delgadillo. At hic pergit contradicere Adriano n. 23. affirmans in Euangelio inueniri nomẽ ſerui applicatum Chriſto, quod omnino negauerat Adrianus. Profert autẽ locum Matthæi c. 12. vbi is citat, & citando probat teſtimonium Iſaiæ c. 42. *Ecce ſeruus meus*. *Nec obſtat*, inquit Delgadillo, *Matthæum dixiſſe, Ecce puer meus, & non ſeruus, nam ly puer, & ſignificat eum qui ętate eſt adoleſcens, & ſimiliter eum qui eſt ſeruus*. Verùm labitur Delgadillo. Non venit ei in mentem illius loci Euangelij Ioannis cap. 21. *Pueri nunquid palmentarium habetis?* vbi Chriſtus pueros vocat Apoſtolos, certè nec adoleſcentes, nec ſeruos. De quibus c. 15. dixerat, *Non dicam vos ſeruos*, quia *amicos* dixerat: *Pueri* in ſacris litteris Amici, miniſtri, ſocij, & commilitones appellantur: quo ſenſu dixit Dauid 21. *Mundi ſunt pueri*. Omitto alios locos ne ſim multus. *Puerum* dixit Mattheus Chriſtum, quem dixerat *ſeruum* Iſaias, vt oſtenderet id quod notauit Adrianus, & Auguſtinus in Nouo Teſtamẽto Chriſtũ ſeruum minimè appellari. Vnde retorquetur locus in Delgadillum: Scilicet nomen ſerui à Propheta Teſtamenti Veteris, in quo permiſſum erat vſurpatum, ſed non retentum ab Euangeliſta, imo mutatum fuiſſe in nomẽ Pueri, quia minus conueniens erat Chriſtum in pręſentia intra litteram Euangelij ſeruum appellari. Itaque Adriano, & Auguſtino habenda eſt fides: & quidem meritò; nam nomenclatura ſeruilis à nouo Teſtamẽto libero, non ſeruiente erat penitus alienum. Quare illa translatio nominis *Seruus* in nomẽ *Puer*, eſt veluti quædam in melius mutatio, & ſi liceat dicere, correctio, habita nimirum temporis ratione.

Difficilior de creatura quæſtio eſt: In qua Diuus Thomas 3. p. q. 16. ar. 8. & in 3. d. 11. qu. 1. art. 1. docet ſimpliciter, & abſolutè negandam eſſe hanc propoſitionem *Chriſtus eſt creatura*. Idem ſentit Scotus hic in 3. d. 11. quæſt. 1. vti bene aduertit Gabriel à Sancto Vincent. quamuis enim videatur dicere ſententiam Varronis §. *aliter*. n. 6. affirmantis, eſſe veram: tamen poſteà in decurſu queſtionis ita impugnat Varronem, vt appareat tradere oppoſitum: Idque ſatis Lycherus ſignificat in Commentarijs. Miror autem aliquos Scotiſtas noſtros dicere Scotum, hac in re eſſe problematicum. Quales ſunt Cauellus in ſcholio ad §. *contra iſtam* & Caſtillo d. 18. diffic. vn. dub. 10. n. 40. & Pontius hic q. 1. n. 36. Ijs tamen viſus eſt præire facem Tartaretus hic d. 11. q. 2. Contra quos ſentit Aretinus d. 11. q. 1. & 2. initio. Mihi perſpectum eſt ex ijs, quæ tum hic d. 11. q. 1. tum in Reportatis q. vn. n. 1. & 6. §. *dico tamen* tradit Scotus, negatiuam eum ſententiam tenuiſſe. Quamuis enim §. *dicitur* art. 3. videatur improbare opinionem negantem Chriſtum eſſe creaturam, non reijcit ſententiam, ſed rationes auctorum eam probantium, cuiuſmodi ſunt Diui Thomæ 3. p. qu. 16. quas cùm refutet ſuas proprias affert, & idẽ diuerſis probat. Deinde quia idem Scotus hic in 2. qu. ægrè admittit hanc propoſitionem eſſe veram *Chriſtus in quantum homo eſt creatura*, quam tamen communiter concedebãt Doctores, & conceſſit Sanctus Thomas 3. p. 16. art. 10. Vidit hoc Caietanus, qui hac

in

in parte quæſtionis de propoſitione abſoluta *Chriſtus eſt Creatura* negans eſſe veram non diſsentit à Scoto, nec eum ibi aduerſarium nominauit, quòd animaduertit cum Scoto ſentire. At verò in 2. qu. producit Scoti doctrinam tanquam diuerſam à Doctrina Diui Thomæ propter argumenta, & conatur hunc à Scoti obiectis liberare. Vnde Vaſquez d.65. c.2.n.1. dicit Scotum hanc ſententiam *probabilem* cenſere. Mallem diceret *veram iudicare*. Et quidem rationes, quas cumulat Scotus, & ſolutiones argumentorũ Varronis oppoſitam tenentis, perſpicuè oſtendunt Scotum negatiuæ ſententiæ adhærere. Ex omnibus, quæ multa ſunt, hoc mihi præcipuum, & proprium videtur ad eam perſuadendam argumentum. Denominatio creaturæ de Chriſto abſoluta æqualiter cadit ſuper ſuppoſitum, & ſuper naturam: ſed ratio creaturæ omnino eſt à ſuppoſito aliena, ergo abſolutè non debet Chriſto affirmari. Maior patet inductione, quia alia prædicata, qualia ſunt genitus, conceptus, natus, paſsus, mortuus, ſepultus determinant naturam, & ponunt differentiam naturarum, ac proinde limitant ſubiectum ad humanitatem, ratione cuius prædicantur, & intelliguntur prædicari de ſuppoſito ſecundum talem naturam, quà talis eſt, ſcilicet, quà homo eſt, vt auferatur confuſio, & nullum ſit periculum errandi: idem dico de prædicatis propriis naturæ diuinæ. At verò denominatio creaturæ ſecundum ſe non denotat ſpeciale aliquid, & proprium naturæ humanæ, ac proinde eſt de ſe, ac ſuapte natura indifferens ad ſuppoſitum, vt illud capiat, & inuoluat intra ſignificationem. Non eſt igitur affirmanda de Chriſto abſolutè, ne videatur attribui ſuppoſito. Cùm præſertim creatura ſonet terminum actionis creatiuæ, quod eſt proprium ſuppoſiti: nam actiones, & paſſiones iuxta commune proloquium ſunt ſuppoſitorum, & ad ſuppoſita referuntur, quæ ratio idonea eſt, & rem perſuadet expendenti. Accedit confirmatio ex fuga hęreſis Arianæ, quæ creaturam Verbum dicebat, à qua longiſſimè recedit negatiua ſententia. Nec opus eſt multiplicare argumenta rationum, nec momenta auctoritatum. Tantùm dico Baſilium lib.2. contra Eunomium ex inſtituto probare Chriſtum non eſse, nec dici poſse creturam. Eadem eſt Chryſoſtomi ſententia Hom.3. in Ioann. & Tom.5. Hom. *Quòd Chriſtus ſit Deus*: hi duo ex Græcis. Ex Latinis Ambroſius lib. 1. de fide c.6. *Probemus*, inquit, *Creaturam non eſse Dei Filium. Audiuimus enim in Euangelio Dominum mandaſſe diſcipulis: Prædicate* Euangelium *vniuerſæ creaturæ, qui vniuerſam creaturam dicit nullam excipit. Et vbi ſunt qui creaturam Chriſtum appellant?* & concludit: *non ergo Chriſtus creatura.* Auguſt. lib.83. quæſt. q.67. *Filius Dei vnigenitus non poteſt appellari creatura: quandoquidem per ipſum facta ſunt omnia, quæcunque Deus fecit*, & adiungit *Diſtinctè nos vocamur creatura*. Igitur ſolis puris hominibus conuenit denominatio *craturæ*. Idcirco hanc ſententiam tradidit Diuus Thomas 4. cont. Gent. c.48. Ferrarienſ. ibi. & iterum de veritate q.39.a.1.ad 4. S. Bonauentura in 3.d.11.a.2.q.1. Richar. in 3. d.11.a.1.q.2. Cano de loc. Theol. c.11. Medina 3.p.q.16.att.8. & ibi Caietanus, & alij interpretes cum Lorca d.64. & & Suarez in comment. ad quæſt. 16. Diui Thomæ. Et optimè Carmelita Excalceatus Gabriel à S. Vincentio aduerſus Orlandum Calceatorum tunc Generalem, nunc Epiſcopum, quem

Digitized by Google

impugnat d. 16. dub. 8. à n. 114. Ex noſtris Aretinus perſpicuè in 3. d. 11. q. 1. ar. 3. & q. 2. a. vn. expreſsè. Rada contr. 8. art. 2. concl. 3. Faber d. 24. c. 2. Felix c. 19. diffic. 4 & Vulpes quem laudat Epiſcopus Theodorus in explicatione art. 3. Miror autem Vaſquez cum ſua ſchola in contrariam ſententiam abire voluiſſe, cùm tam ſit acer defenſor negantis de filio adoptiuo, & ſeruo doctrinæ, quæ certè cum hac nexa eſt, vt qui vnum deſerit, alterum quoque deſerat neceſſe ſit. Quòd autem ille reprehendat quoſdã recentiores Scholaſticos, quod ſuæ opinationis tam ſint ſtnt tenaces, vt quòd ſibi ſemel propoſuerunt conſtanter defendant, ac ſiniſtrè Patres interpretentur, in illum ego retorqueo. Etenim ille, vt à Suario æmulo ſuo diſcordet, interdum mauult à recto tramite deuiare, & Patrum teſtimonia, imo & rationes torquere, quamquam (quod eſt hominis ingenium) acutè, ac ſubtiliter, ac pro ſua ſingulari eruditione doctè, & copioſè id præſtare ſoleat. Præponenda tamen eſt ſoliditas ſubtilitati, & veritas oſtentationi.

Quoad ſecundam quæſtionem. An hæc propoſitio ſit vera *Chriſtus in quantum homo eſt creatura?* Communis reſponſio eſt affirmatiua, quia illa particula in quantum homo reduplicat ſubiectum in ratione hominis, & reſtringit prædicatum ad humanitatẽ, ac proinde de Chriſto ſecundum humanitatem dicitur. In quo ſenſu vera eſſe videtur. Ita Diuus Thomas in hac q. 16. a. 10. & ibi Caietanus, & Thomiſtæ. Ex alijs Richardus d. 11. ar. 2. q. 1. Durand. qu. 1. Argentina qu. 1. a. 4. Suarez in hanc qu. 16. Sancti Thomæ art. 10. Vaſquez d. 66. acerrimè contra Scotum, quem etiam impugnat ſuo more Caietanus in Commentarijs. Fundamentum eſt illud proximè inſinuatum à Diuo Thoma, videlicet reduplicatiuè *In quantum homo* reſtringi ſubiectum ad humanitatem, ratione cuius conuenit illud prędicatum *creatura* ſubiecto.

Scotus tamen hic p. 2. ſubtiliſſimè vidit hoc fundamentum ſatis non eſſe ad aſſerendam veritatem propoſitionis. Nam quando extrema contraria repugnant ſimpliciter, non ſufficit ſimplex reduplicatio ad tollendã repugnantiã. At oportet vt ſit talis, quæ reduplicando extremum ponat illud in ſtatu congruo ad recipiendum prędicatum ſpecificatiuè. Exponit autem ſic §. *reſpondeo* n. 3. & 4. Reduplicatio illa *In quantum homo* non mutat ſubiectum *Chriſtus*, cum Chriſtus ipſe ſit homo, & inuoluat ſuppoſitum. Vnde relinquit in eodẽ ſtatu in quo erat ipſummet ſubiectum *Chriſtus*. Sicut ergo de Chriſto non poterat prædicari ſpecificatiuè Creatura, ita neque de Chriſto vt homo prædicari poteſt: quia reduplicatio nihil detraxit, nec mutauit de ſubiecto. Ponit exemplum manifeſtum Æthiopis comparati ad albedinem, quam habet in dentibus. Etenim qui dicat *Æthiops eſt albus* dicet falsã propoſitionem: nec minus dicet ſi dicat *Æthiops, vt Æthiops dentatus eſt albus*: quia iſta reduplicatio non mutat ſubiectũ. Adhuc enim manet *Æthiops* abſolutè, quanquam affectus reduplicatione *dentatus*. Albedo quippe dentium non denominat totum Æthiopem, ſed partem ipſius, ideſt dentes. Erit autem verum ſi dicatur ita: *Æthiops ſecundum dentes eſt albus*: quia iam tum extrahitur prædicatum a ſubiecto, à toto, inquam, ſubiecto, & trahitur ad partes dentium, & euadit vera propoſitio, & fit idonea prędicatio. Quę ſanè Scoti ratiocinatio ſub-

Digitized by Google

ſubtilis eſt, & ſolida: nec poterit à Caietano, nec Vaſquio labefactari, vt apparebit attento, & acurato lectori; nam illa reduplicatio *In quantum homo* non extrahit humanitatem à ſuppoſito, cui minimè conuenit denominatio creaturæ, quę repugnat ſuppoſito: vnde niſi ab hoc penitus extrahatur prædicatio, vera non erit. Maneat igitur iſtam propoſitionem *Chriſtus in quãtum homo eſt creatura* non eſſe concedendam, ſicut nec illam *Chriſtus eſt creatura*. Aliam verò *Chriſtus ſecundum humanitatem* eſt creatura, omnino eſſe concedendam. Quo quid clarius dici ac verius potuit? Animaduertit tandẽ Scotus hanc propoſitionem *Chriſtus in quantum quod homo eſt creatura* poſſe concedi in hoc ſenſu, ſecundum quod eſt homo diſtrahendo concretum, & reducendo illud ad humanitatem; verùm hoc modo eſſe impropriam, & debere vt ſit propria & apta ita exponendo formari *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt creatura*. Sic interpretes noſtri Lychetus & Tartaretus: ſic Rada controu. 8. a. 3. & Aretin. in 3. d. 11. q. 2. a. 3. & Faber d. 25 c. vn. Miror autem Delgadillum hanc quæſtionem tam leui brachio attigiſſe, vt omiſerit hos ſenſus Scoti, & nulla diſtinctione facta admiſerit hanc propoſitionem *Chriſtus inquantum homo eſt creatura*, & perinde eam habere, atque illam *Chriſtus ſecundum humanitatem eſt creatura*: in quo ille certè minus vigilantem Scoti interpretem ſe geſſit. Verùm ille ſcopum non attigit Scoti mentis, cùm conceſſerit abſolutè veram hanc propoſitionem *Chriſtus eſt creatura*. Quemadmodum perſpicuè, & indubitanter affirmat cap. 18. diffic. vn. dub. 1. init. quod ego probare non poſſum. Ex his refutantur prolixæ obiectiones Patris Gabrielis Vaſq. contra Scotum factæ illa ſua diſputat. 66. qui non debuit, cùm ſit Ieſuitarum Scotus propter ingenij ſubtilitatem, refutare acutam argumentationem, & ſubtilem diſtinctionem Scoti, nec perinde habere vnam propoſitionem Inquantum homo & alteram ſecundum humanitatem, quæ omnino ſunt diuerſæ, & penitus diſtinguendæ ſunt, de quo egregiè Faber citatus d. 25. cap. vn. Et quidem eas diſtinguit alter Gabriel antiquus, vir acutus in 3. d. 11. q. vn. a. 3. cui item placuit ſeueriùs, quàm Scotus de illis propoſitionibus cenſere, neutram concedendo, quamuis in hoc modum exceſſerit. Vaſquez tamen maluit cum Marſilio minimè propoſitiones illas diſtinguente turpiter marcere, quàm cum Gabriele Biele belle volare.

IVDICIVM.

Qvoad filiationes reales, duas admiſit Scotus propter duas generationes diuinam, & humanam. Et quidem iure, quamuis eas negauerit Doctor Angelicus, ſpiritibus, qui non generant, nec generãtur, propior quàm hominibus, qui generantur, & generant. Eſt tamen vbi pręſtet hominem agere, quàm Angelum. Nihilominus excluſit Scotus, vti par erat, duo concreta filiationum, vbi vnum ſolum erat ſuppoſitum diuinũ, & retinuit filiationem humanã, quemadmodum naturam humanam vnitã perſonæ filij Dei, & dignitatem Matris Mariæ ſuſtinuit per veram, & diſtinctam generationem humanitatis, quã produxit ſine creata ſubſiſtentia, quæ nulla fuit in Chriſti humanitate antequam ſubſiſteret in Verbo, quod ſolũ habuit ſuppoſitum. Per hanc filiationem humanam aperuit Scotus Adoptioni

tioni aditum congruum, quem præcluſit Sanctus Thomas addictus vni ſuppoſito diuino. Prudentiſſimè tamen ſe geſſit Scotus negando abſolutè *Chriſtum eſſe filium adoptiuum* propter honorem ſuppoſiti diuini, à quo eſt omnino adoptatio aliena, & permittẽdo ſolùm adoptionem propter naturę humanæ diuerſitatem, ſecundũ quam adoptio locum habere potuit in Chriſto ſine offenſione diuinitatis. Statuit igitur partem negantem adoptionis, & ſimpliciter veram pronunciat: non damnat tamen affirmantem adoptionis, quatenùs Catholicum ſenſum cõtinet, nam & hunc ferre poteſt ſine ſuſpicione vlla hæreſeos Neſtorianę, ob quam fuit condemnata illa affirmatio adoptionis in Felice, ac Elipando ab Adriano, & Concilio Francofordiẽſi. De quo nos in tractatu de Concilijs Romæ dictato. De ſeruitute Chriſti Scotus nullam mentionem facere voluit, ſecutus Euangeliſtas, qui nunquã eius vocabuli meminerunt Auguſtino prorſus conformis, vti ingenio non impar. De Chriſto liberatore, & auctore liberãtis gratię, ſeruilem quęſtionem excitare puduit doctorem ſubtilem inſentiendo, & ſcribendo liberum, nullius aut iudicio, aut placito, aut ſcholę ſeruire voluit, imitatus eiuſdem Auguſtini libertatem, & auctoritatem. Cathedram tenuit, & inſtituit liberam à ſuſpicione, & vmbra ſeruientis: ſic ab Angelico Doctore receſſit, ne videretur ſequendo ei famulari. Volabat Aquila Solem ſolum intuita, eique ſe vni conſecrauit. Intellectum captiuauit Fidei, captiuitate, omni libertate potiori. Illi oculos mactauit acres, acutos, vbi cæcitas valet generoſa ad credendum diuinę auctoritati naturalis rationis lucem præſtringenti. Euaſit nobilis victima veritatis, cui perpetuò mentis acutã aciem eam macerãdo, & obtundendo immolauit. Quæſtionem de propoſitione *Chriſtus eſt creatura* ſubtiliſſimè, & ſolidiſſimè pertractauit. Negauit abſolutè concedendam, Auguſtino Duce, qui à creatore, & creante omnia Verbo eam denominationem abhorrere iudicauit. Per quem facta, & creata ſunt cætera, Creator is dici debuit, Creatura vlla ratione non debuit. Vbi Sanctus Thomas minus diſtinxit, Scotus diuiſit ſeparando in ſenſu reduplicatiuo acceptiones duas omnino diuerſas, & in vna earum propoſitionem ſuſtinuit, in altera eandem excluſit: quòd noluit in denominatione creaturæ vllo modo ſuppoſitũ inuoluere, quæ denominatio vni erat humanitati, pro vt diſtincta erat, nõ ſuppoſito increato applicanda. Nihil eius inueſtigatione ſubtilius, nihil inuentione acutius. Nihil ratiocinatione aptius, nihil collectione certius, nihil doctrina ſolidius. Certat in Scoto cum acumine pondus, cum ſubtilitate maturitas, cum ſolertia prudentia, cum profunditate perſpicuitas, cum ingenio iudicium. Omnia ſic vnus implet doctoris munia, vt nihil in eo deſideretur.

Digitized by Google

COLLATIO TERTIA

DIFFERENTIA IV.

Circa nonnullas varias, & graues quæſtiones interuenientes in hoc Myſterio ad varios locos Doctoris Angelici, & Subtilis, qui ſigillatim producuntur.

SECTIO I.

Quomodo intelligenda ſit propoſitio Deus eſt homo?

VEram eſſe, ac propriam huiuſmodi propoſitionem docent ambo Doctores Sanctus Thomas, & Scotus contra Durandum id periculoſè inficiantem, ac ob id ab omnibus reprehenſum. De quo etiam Scholæ conueniunt. Diſſentiunt verò in eo, quòd Sanctus Thomas affirmat eam eſſe naturalem, ac per ſe. Scotus negat. Ita Sanctus Thomas in 3.d.7.q.2.ad 3. Et 3.p.q.16.ar.1.quem ſequitur Caietanus hoc loco, & alii interpretes, & diſcipuli. Ferrar.lib.4.cont.Gent.necnon Richar.in 3.d.7.q.1.nu.1. Fundamentum eſt, quia homo prædicatur de ſuppoſito humanæ naturæ, ſicuti ſpecies de indiuiduo, ergo eſt per ſe, & naturaliter, & quidditatiuè. Vnde ſubiectum *Deus* determinatur ad rationem ſuppoſiti humanæ naturæ coniuncti, quod ſub hominis ſpecie conſtituitur. Scotus tamen hic d.7.q.2.aliter ſentit; & communiter Theologi cum Bonauent.in 3.d.7.ar.1.q.1.Gabriele dub.2. Durando q.1.ad ſecundum. Marſilio q.6.ad quintum; imo & Capreolo d.4. q.2.ad argumenta Scoti contra 2.concluſ.& Suarez in Comment. ad illum locum 3.p.qui ait obiectiones Scoti eſſe plurimas,& difficiles,idque fatetur Caietanus ſudans in earum ſolutione. Afferamus aliquot. Prima; quia in nullo modo dicendi per ſe inuenitur: non in primo, quia hoc prædicatum homo non eſt de ratione ſubiecti *Deus*, alioqui diceretur de qualibet perſona; nec in ſecundo, quia prædicatum *Homo* non eſt paſſio ſubiecti *Deus*, aliàs ſubiectum veniret in definitum prædicati: non in tertio,quia iſte non eſt modus prædicãdi,ſed eſſendi, nec in quarto, quia prædicatum non eſt effectus ſubiecti, vti voluntas vult: nec vti calidum calefacit. Secunda quia ſi hæc propoſitio eſſet per ſe, eſſet in materia naturali, & neceſſaria, itaut falſa eſſe non poſset. At ea poteſt eſſe falſa, cùm

Deus

Deus poſſit naturam humanam dimittere. Tertia quia propoſitio per ſe eſt vera cum reduplicatione : hæc vero nequit eſſe talis, cùm ſit falſum dicere *Deus in quantum Deus eſt homo*. Quæ certè obiectiones validæ ſunt, & rem penitus euincunt.

Igitur aſſerit Scotus hanc propoſitionem *Deus eſt homo* eſſe quodammodo eſſentialem, & quodammodo accidentalem; nihilominus ſimpliciter dicendum eſſe ſubſtautialem. Patet: quia prædicatum eſt ſpeciei ſubſtantialis rei per ſe exiſtentis, non autem accidentalis, & rei inhærentis. Deinde contrà non eſt de ratione ſubiecti, ſed adueniens ſubiecto contingenter, cum poſſet non aduenire, nec inſit neceſſariò, & abeſſe poſſit. Vnde ait Scotus præclarè q.1. *ſ. quinto videndum. Vnio iſta ex extremorum nec conceditur eſſe eſſentialis, neque accidentalis, ſed ſubſtantialis*, & laudat Damaſcenum. Quo nihil acutius excogitari, neque ſolidius affirmari poteſt. Hinc ſequitur hoc prædicatum *Homo* eſſe vniuocũ, non tamen vniuocè prædicari: quod diuerſum eſt; nam Homo ſpecies eſt vnius rationis, & nominis, non tamen idem, ac vnum eſſe, ſed quando prædicatur de Deo, & hominibus non prædicatur vniuocè, quia de hominibus dicitur eſſentialiter, de Deo autem contingenter, ac proinde non vniuocè, vt optimè expendit Lychetus: quamquã Suarez velit vt prædicatio ſit vniuoca in gratiam Sancti Thomæ, quemadmodum etiam vult, vt in bono, & congruo ſenſu illa prædicatio ſit per ſe, & naturalis. Verùm hoc eſt proprium Suarij exponere, ac emollire ſententias Patrum, & Sanctorum Doctorum, ne duriores videantur contra quàm ſolet facere Vaſquez acrior multà & vehementior, quàm Suarez auctor. Fatetur tamen Suarez in rigoroſa propoſitione terminorum Scoti doctrinam eſſe veram, ac tenendam. Habenda hic eſt ratio veritatis potiùs, quàm pietatis. Sumus enim in Schola diſputando, non in Eccleſia orando. Itaque tenenda eſt Scoti ſententia.

Sequitur alia quæſtio. Vtrum verè dicatur *Deus factus eſt homo*, & rurſum *Homo factus eſt Deus*. Et quidem prima propoſitio eſt veriſſima, & de fide, ac de illa conueniunt S. Thomas, & Scotus. De ſecunda *Homo factus eſt Deus*, cõtrouerſia eſt. Diuus Thomas 3.p.q.16.a.7.negat propriè veram eſſe. Cum eo ſentit Bonauen.in 3.d.7.a.6.q.3. Scotus affirmat hic in 3.p.2. Sanctus Thomas diſtinguit tres ſenſus: duos minus proprios, vnum tertium proprium. In duobus concedit, in 3.negat veram eſſe propoſitionem. Eſt autem tertius *Secundum quod*, inquit, quæſt. 16.art.7.in corp. *hoc participium factus poſſit fieri circa hominem in reſpectu ad Deum ſicut ad terminum Factus. Et in hoc ſenſu ſuppoſito quòd in Chriſto ſit eadem perſona, & hypoſtaſis, & ſuppoſitum Dei, & hominis iſta propoſitio eſt falſa, quia cùm dicitur Homo factus Deus ly Homo habet perſonalem ſuppoſitionem. Non enim eſſe* Deum *verificatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti ſui: ſuppoſitum autem illud naturæ humanæ, de quo verificatur eſſe Deum, eſt idem quod hypoſtaſis, ſeu perſona filij Dei, quæ ſemper fuit Deus. Vnde non poteſt dici, quòd iſte homo incepit eſſe Deus, vel quòd fiat Deus, aut quòd factus ſit Deus.* Hic diſcurſus continet rationem capitalem huius ſententiæ, quam exponit Caietanus hoc loco. & Suarez in Commẽtarijs hic art.7. & Vaſquez d.74. c.1.& 3.pro ea citans Richardum, Durandũ, Paludanum, Marſilium dicens veram,

Digitized by Google

& communem, & allegans, vt aſſolet multos Patres cap.3. Non probat tamē rationem adductam à Sancto Thoma, & negat ea Scotum poſſe conuinci. Itaque profert aliam, quæ eſt Bonauenturæ, Richardi, & Durandi hoc modo. Illud quod dicitur fieri debet antecedere, vel tempore, vel natura factionem, vti cùm Homo dicitur fieri albus prius ſupponitur homo ad albedinem, & factionem albi. Homo autem qui dicitur fieri, vel factus Deus nullo modo antecedit vnionem, per quam fit Deus, quia ſumitur in concreto, atque adeo non præcedit factionem illā per quam fit Deus, ſed etiam potius ſubſequitur. Et declaratur quia humanitas ipſa in abſtracto antecedit natura vnionem, & factionem, non vero Homo concretum ex natura, & ſuppoſito. Igitur quando dicitur *Homo factus eſt Deus*, perinde eſt ac dicere *Homo Deus factus eſt Deus*, quod eſt falſum. Igitur nullatenus verum eſſe poteſt, quod Homo ſit factus Deus, cùm Homo nulla ratione præceſſerit factionem Dei, ac ſemper fuerit Deus, quia ſemper ſupponit pro Deo. Hæc tamen ratio Patris Vaſquez meo iudicio non eſt diuerſa à ratione Sancti Thomæ, ſed eadem, vel in eandem recidit. Quid enim aliud ſignificant illa verba Sancti Thomæ in corpore dicētis? *Homo factus eſt Deus ly Homo eam habet perſonalem ſuppoſitionem: non enim eſſe Deum verificatur de homine ratione humanæ naturæ, ſed ratione ſuppoſiti ſui. Suppoſitum autem humanæ naturæ de quo verificatur eſſe Deum eſt idem quod hypoſtaſis, ſeu perſona* Filij *Dei, quæ ſemper fuit Deus.* Includitur ergo illa ratio prolata à Patre Vaſquez in hac ratione Diui Thomæ. Nec præter hanc alię afferuntur à Doctoribus, & quidem ea videtur apta, & rotunda, & ita intellexit Scotus in 3. loco ſtatim allegando.

Scotus tamen 3.d.7.q.2. affirmat his verbis: *Patet*, inquit, *quòd iſta propoſitio eſt ſimpliciter vera: Homo factus eſt Deus, quia homo per actionem facientis eſt Deus, & non fuit prius Deus*. Exponit verò hanc ſuam rationem ſoluēdo contrariam de anteceſſione ſubiecti ad prædicatum quod fit in ſubiecto: quæ inceptio quādo prædicat tertium adueniens non notat pręceſſionem ſubiecti ad prædicatum, ſed ſimul prædicatur, itaut iſtud concretum ſubiecti ponatur, non vti ante conſtitutum, ſed tanquam terminus factionis, qui ſimul ponitur cum ſua factione, non quòd prius antecedat, ſed quòd vt denominatur ab ea debeat ſumi vti concretum, & in noſtro caſu vt ſubſiſtens, cùm actiones ſint ſuppoſitorum. Affert item exemplum Scotus. Anima in hoc puncto creata incipit animare corpus, nec tamen fuit prius quàm illud animaret. Adiungit aliud magis proprium. Concretum nimirum tempus incipit eſſe dies, nec tamen illud tempus prius fuit, quàm eſset dies. Imo & in ipſo homine dicitur propriè Homo concipitur, & tamen non ſupponitur Homo ad ſuam conceptionem; Sed ſumitur in concreto ad veritatem actionis. Ita & cum dicitur *Homo factus eſt Deus* non eſt neceſſe vt præcedat ſuppoſitum factionem, ſed vt conſtet veritas propoſitionis, quæ cùm ſit factionis cadit in ſuppoſitum concretè, non abſtractè ſumptum. Vnde conſtat veritas illius propoſitionis diſſoluto dilucidè argumento.

Alio item modo reſpondeo. Senſus propoſitionis eſt: Homo, qui extitit homo, per eam factionē factus eſt Deus. Itaut Homo non ſumatur vt præcedit, ſed vt eſt conſequens actionem, qua-

Digitized by Google

ratione dicitur Franciſcus conceptus eſt. Non dum erat nec res, nec nomen Franciſci quando concipiebatur, & tamen rectè dicitur conceptus Franciſcus, ideſt ille homo qui fuit poſtea Franciſcus. Sic dicitur verè, ac propriè *Homo factus eſt Deus*, ideſt Homo, qui poſtea fuit, factus eſt Deus referendo vnionem, & factionem ad ſubiectum, quod poſteà extitit homo. Quare non video cur iſta propoſitio vera eſſe non poſſit? cum terminus Homo non ſumatur in ſenſu compoſito, vti eſt Homo iam conſtitutus per hypoſtaſim, ſed in sẽſu ſimplici, Homo de quo agitur, quem vides, & agnoſcis, & fateris Deum eſſe, ille factus eſt Deus in momento ſuæ aſſumptionis cum Verbo. Suppoſitum in hac propoſitione ſeruit tantummodò concretioni neceſſariæ ad veritatem factionis, quam terminauit extrinſecè, non autem ad incluſionem perſonæ reduplicando eam in ſubiecto, vt de illo tanquam de ſuppoſito prædicetur. Alioquin ſi hoc in ſenſu ſumatur nunquam licebit dicere Chriſtum eſſe vel creaturam, vel adoptiuum, vel ſeruum. Quarum tamen primam *Chriſtus eſt creatura* cõcedit Vaſquez acer reprehenſor Scoti d.65. c. 2. Quod argumentum eſt non ſemper ſumi illud concretum Homo includendo ſuppoſitum diuinum, ſed ſolam humanitatem, cui ſuppoſitum dat concretionem manẽdo extra formale ſignificatum humanitatis. Eſt autem hęc locutio familiaris Patribus, qui vtrunque dicunt, & *Deus factus eſt homo*, & Homo factus eſt Deus. Nazianzenus Theologus orat.35. quę eſt 3. de Theologia num.86. vbi ſic *Inferior hic homo Deus effectus eſt*. Damaſcenus lib.3. de Fide c.11. poſt medium *Eodem modo*, inquit, *illud quoque dictum eſt quòd Deus homo ſit factus, & Homo Deus*. Imò & lib.4. de Fide c.19. Ratione vnionis hypoſtaticæ humana de diuinis, & contrà diuina de humanis enunciari per conuerſionem idoneam docet, qualis eſt hæc *Deus factus eſt homo, & Homo factus eſt Deus*, quod dixerat lib. 3. c. 11. Auguſtinus autem eundem loquendi modum tenuit. Nam lib. de Prædeſtin. ſanct. cap.16. *Ea*, inquit, *gratia fit ab initio homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus*. Et in Enchirid. c.40. *Ac in naturæ humanæ ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis*, ideſt gratia vnionis. Homini dicit, non naturæ humanę factam gratiam, ſumpta in concreto humanitate cum ſuppoſito Diuino. Quin Diuus Thomas 3. par. quæſt. 16. vbi dicit, *Talis erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum*. Hæc omnia perſuadent Scoti ſententiam veram eſſe, & illas duas propoſitiones aptè conuerti, & reciproca dictione enuntiari. Nec obſtant dicta in oppoſitum à Thomiſtis cum Gabriele à S. Vincentio d.6. dub.7. & Orlando d.4. q.3. quæ optimè refutat noſter Theodorus Epiſcopus in Explic. art.3. ſymbol. Apoſt.

SECTIO II.

Vtrum hæc ſit vera Chriſtus incepit eſſe?

NEgat Doctor Angelicus 3. p. qu. 16. art.9. Nam excitata in titulo quæſtione *Vtrum hæc ſit vera: Iſte homo demonſtrato Chriſto incepit eſſe?* reſpondet in corp. *Dicendum, quòd non eſt dicendum quòd ille homo demonſtrato Chriſto inceperit eſſe, ſi nihil addatur*. Et ſubiungit *hanc locutionem eſſe ſimpliciter falſam ſecundum ſententiam*

tiam catholicæ Fidei. Sequitur Diuum Thomam Schola Angelica cum Caietano hic, & Capreolo in 3.d.11.q.vn.a.1.conclu.2. Caietanus verò in fine Commentarii: ad art.9. ait: Hanc propoſitionem affirmantem *Chriſtus incepit eſſe*: damnatum fuiſſe Pariſijs, & poſteà Romæ ab Alexandro VI. ad quem fuerat appellatum. Cum Thomiſtis ſentit Suarez in Comment. ad art.9. Ratio eſt quia nomine illo concreto *Chriſtus, ſiue hic homo* deſignatur ſuppoſitum Diuinum, & æternũ, cui repugnat incipere eſſe. Non poteſt autem hoc ſubiectum, ſiue ſuppoſitũ accipi pro natura humana, quæ eſt quiddam abſtractum, ſupra quam non cadit illud prædicatum, quod conuenit naturæ in ſuppoſito. Deinde accedit inconueniens à contrario: quia ſi hæc eſſet vera, daretur occaſio Ario ad ſuum errorem confirmandum. Addit Suarez aliam rationem explicando ſententiam Sancti Thomæ. Illa propoſitio *Chriſtus incepit eſſe*, includit hanc negatiuam *Chriſtus aliquando non fuit*, quæ eſt falſa, nam Chriſtus ſemper fuit, eſt quippe æternus iuxta illud Ioann.8. *Antequam Abraham fieret ego ſum*, & ad Heb.13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula*, ideſt, ſemper, & ab æterno fuit; ideo in hãc partem inclinat Magiſter hic, & Heruæus, & Paludanus, imo & Gabriel d. d.7.q.vn.ar.2.concl.5. Tenent eandem Thomiſtæ quos citant, & ſequitur Orlandus tract.4. d.4. q.5. & Gabriel à S.Vincentio d.16.dub.9.

Cõtrariam tamen amplectitur Scotus in 3.diſt.11.q.3. quem ſequitur Lychetus, Tartaretus, & interpretes, Aretinus in 3.q.3.a.2. Rada contr.8. art.4. Pontius in Comment. Vaſquez diſput. 67.c.4. Theodor. Epiſcop. art. 3. Symb. Apoſt. Delgad. cap.18. diffic. vn. dub.11. Felix cap.18. diffic.5. Qui abſolutè, & ſimpliciter dicunt hunc propoſitionẽ propriè, & in rigore ſermonis veram eſſe præmiſſa diſtinctione ſubiecti, & prædicati. Nimirum ſubiectum ſumi, non primò ac directè pro ſuppoſito diuino, ſed pro concreto naturæ humanæ connotando illud quemadmodum ſuprà ſæpius diximus. Deinde prædicatum eſſe tale, vt diſtinguatur in primum eſſe innatum, ac principale, quod ſupponitur ad omne aliud eſſe, & in ſecundum eſſe ſubſtantiale quidẽ, & ſimpliciter, cùm ſit ſubſtantia, ſed adiunctum alteri primo. Hoc poſito Scotus in ſuo textu, qui omnino rem continet, ac propterea illum produco ex q.3. §. *hic ſunt duo*. verſ. *Ita ſi Chriſtus*, inquit, *imponatur ad ſignificandũ Verbum hominem poterit de hoc ſubiecto prædicari aliquid, vel ratione totius, vel ratione partis alicuius. Sicut igitur, ſi Chriſtus ſecundum humanitatem eſt mortuus, Chriſtus eſt mortuus: ita ſi ſecundum humanitatem incepit eſſe, Chriſtus incepit eſſe. Ita quod ſi hoc prædicatum poſſet verè enunciari de hoc ſubiecto, ratione illius partis ſubiecti, videtur quod ſimpliciter poſſit enunciari de eo*. Hoc eſt perſpicuum. Nunc oportet ſcire de prædicato: vtrum poſſit enunciari de hoc ſubiecto? Audiamus Scotum, qui ſubdit ibi verſu *Reſtat* Cuius ſenſum produco. Prædicatum eſt incepit eſse. Si per hoc intelligatur illud primum, & principale eſse, ſimpliciter falſa erit enunciatio: perinde enim eſt dicere incepit eſse, ac dicere Chriſtus creatus. Si verò intelligatur iſtud eſse ſecundarium aduenien, & contingẽs, quale eſt eſse humanum enunciatio erit vera: erit enim perinde, ac dicere incepit eſse homo. Vnde concludit Scotus. *De vi ſermonis poſſe concedi quòd Chriſtus ſecundum quod Verbum*

eſt

Digitized by Google

eſt homo incepit eſſe, quia habuit eſſe, quod prius non habuit. Aduertit tandē Scotus non debere concedi hanc propoſitionem *Filius incepit eſſe*, quia illud eſse Filij Dei, eſt ſolum eſse diuinū, quod eſt æternum; atque adeo non ei conuenit aliud eſse humanum, niſi per modum accidentis contingentis, quod non pertinet ad eſse ſimpliciter, vti eſt in Chriſto, vel in iſto homine demonſtrato Chriſto, cuius eſt eſse ſubſtantiale, ac ſimpliciter. Obiectioni autem reſpōdet Scotus: Chriſtum, ſiue iſtum hominem ſupponere pro ſubiecto in natura humana, ſicut Socrates albus ſemper ſupponit pro ſubiecto in albedine exiſtente. Addo ad expoſitionem Scoti. Si demus vni ſuppoſito creato poſſe vniri aliam naturam creatam, vti Gabrieli humanitatem, ſicut vnita eſt Verbo humanitas, dicetur & illud compoſitum ex Gabriele, & humanitate incepit eſſe. V. G. appelletur ille Gabriel Cælius, iam vera erit de Cælio enunciatio *Cælius incepit eſſe*, nempe homo, quem includit ſimpliciter in ſuo conceptu, & in ſuo nomine. Applica exemplum, rem conficies: & aptè meo iudicio, colliges.

Hac ratione ſtat doctrina Scoti, & ceſſant omnes obiectiones in contrarium. Obſeruat quidem ille prudenter n.5.lin. *Et ſi dicas. Sanctos noluiſſe concedere iſtam propoſitionem propter hæreticos, qui dixerunt Chriſtum ſimpliciter incipere quantum ad primam eſſe, ponentes eum eſſe puram creaturam.* Nemo interpretum clariùs, ac nitidiùs rem expreſſit, quàm ipſemet Scotus: cuius idcirco ſententiam proprijs eiuſdem verbis declaraui.

Caietani ſolutiones non eneruant ſententiam Scoti, nec confirmant opinionem S. Thomæ, quia Scoti diſtinctio ſemper procedit, tum de ſubiecto, tum de prædicato, etiam inuito Caietano, qui eam conatur tollere, ſed fruſtrà: Iam verò quod obiicit Caietanus hic, & alij poſt eum: ſequi ex ſententia Scoti veram eſſe negatiuam illam propoſitionem: *Ergo Chriſtus non fuit*, uana eſt & inanis, quia ex affirmatiua non ſequitur negatiua abſoluta, quæ cùm ſit malignantis naturæ tollit omnem ſuppoſitionem, & veritatem etiam partialem, quam ponit affirmatiua: quæ in vno ſenſu poteſt eſſe vera, cuius eſt capax, quemadmodum docet dialectica, quam hic videtur oblitus Caietanus, Vir alioquin maximè dialecticus. Nego igitur ſequi ex illa *Chriſtus incepit eſſe*, aliam *Chriſtus non fuit*. Nam, vt illa ſit vera, ſatis eſt, quòd ſit vera in ſenſu vnius partis, ideſt *Incepit eſſe homo*: quod ſatis eſt ad veritatem affirmatiuæ. At verò hæc *Igitur Chriſtus non fuit*. Falſa eſt, quia negat omne eſſe, tum diuinum, tum humanum. Patet autem veritas illius affirmatiuæ ex eo quod ſi dicas *ergo Chriſtus non fuit aliquando homo*, verum eſt, & concedendum, quia reſtringitur ſenſus ad ſenſum affirmatiuæ, & ambæ ſunt veræ *Chriſtus incepit eſſe homo*, & *Chriſtus in eo quod incepit aliquando non fuit*: quod veriſſimum eſt: nec enim Chriſtus fuit ab æterno homo, ſed in tempore. Tam vero eſt certa hæc doctrina Scoti, vt eam prius docuerit Alexander 3.p.qu.6.m.1.§.1. ad.1..& Bonauent.in 3.d.11.ar.2.qu.3. eamq; ſequatur Antiſiod.lib.3. ſumm. tit.1.c.1.q.vlt. cui acquieſcunt Scotiſtæ noſtri.

Nunc ad Patrem Gabrielem Vaſquez 4. Scoti hac in re ſectatorem, & inſectatorem venio. Probo illum dum ſectatur; improbo dum inſectatur. Is ergo poſtquam d.67. c.2. Scoti ſententiam,

tiam, & rationem approbauit c.1. & 4. retenta ſententia de propoſitione *Chriſtus incepit eſſe* reijcit rationem Scoti eam confirmantis, quia Scotus intellexit ſubiectum propoſitionis de ſuppoſito diuino, prout eſt ſub natura humana, hoc autem ſuppoſitum non benè fert illud prędicatum *Incepit eſſe*, quia perſona diuina ſemper fuit ab æterno; itaque Verbum ſub humanitate non eſt capax illius prædicationis *Incepit eſſe*, cum eſſe Verbi ſit primum eſſe, quo non potuit carere. Vnde non verificatur propoſitio abſoluta, niſi addatur *ſecundum humanitatem*. Semper enim cadit denominatio ſuper perſonam Verbi, & affirmat Verbum incepiſſe ſecundum eſſe Verbi, quod eſt falſum. Nimis properè, aut oſcitanter legit Vaſquius Scotum. Hic non accepit Chriſtum pro ſuppoſito diuino. Ait enim disertè Scotus num. 4. verſ. *hoc modo, non tamen nudè*, ita ut dicatur *Filius Dei incepit eſſe*, & diſtinguit ſuppoſitum nudum à ſuppoſito concreto, *quia non in natura diuina, ſed vt in natura humana verum eſt enuntiare inceptionem ſimpliciter illius ſubiecti. Ita quod non debeat concedi Filius Dei incepit eſſe, ſicut Chriſtus, vel iſte homo incepit eſſe: quia*, inquit, *eſſe humanum eſt eſſe ſimpliciter Chriſti, vel iſtius hominis: non autem eſt eſſe Verbi ſimpliciter: quia reſpectu Verbi eſt quaſi aduentitium, & quaſi accidentis reſpectu ſubiecti: non eſt autem aduentitium reſpectu Chriſti, vel reſpectu iſtius hominis*. Viden? vt excludat nudum ſuppoſitū Verbi, & admittat ſuppoſitum concretum Chriſti, & iſtius hominis? reſpectu cuius ſit eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, quale non eſt reſpectu Verbi; in quo non includitur, ſed cui accidit, & habet ſe per modum accidentis? Exēplum autem, quod ponit Scotus hominis albi, non militat in ſimilitudine accidentis, ſed in compoſitione ſuppoſiti. Audiamus Scotum: *Iſte homo poteſt ſupponere pro illo, vt eſt ſuppoſitum in natura humana: ſicuti Socrates albus ſupponit pro ſuppoſito ſubſtantiæ, tamen vt in albedine exiſtens*. Semper igitur accipit Scotus ſuppoſitum veſtitum, non nudatum humanitate, & tale, cui ſit non aduentitium eſse hominem, ſed ſimpliciter ſubſtantiale. Hoc autem non eſt Verbum, ſed Chriſtus. Latuit Vaſquez hominem acutum ſubtilitas Scoti. Hic vidit ſi ſubiectum foret Verbum nudum ei fore eſſe humanū per accidens, non ſimpliciter, quod nō erat ſatis ad verificandam ſimpliciter propoſitionem *Incepit eſſe* de eo, cui hoc eſse non eſset ſimpliciter eſse. Igitur poſuit tale ſuppoſitum, de quo dici poſset ſimpliciter illud eſse ſubſtantiale hominis: hoc autem eſt ſuppoſitum Chriſtus, vel iſte homo, quod cum habeat duo eſse ſimpliciter diuinum, & humanum poſſet dici eſse ſimpliciter, ac per ſe, non autem aduentitiè, & per accidens quemadmodum de Verbo Diuino. Quì manifeſtiùs potuit Scotus pronunciare de Chriſto, & iſto homine pro ſubiecto ſumpto eo modo, quo vult Vaſquez ad expediendam quæſtionē, & ad ſoluenda argumenta Sancti Thomæ, quæ negat Vaſquez ſolui poſse? Adiicio aduerſus eundem in exemplo de homine albo fallere propoſitionem, quia albedo nunquam enunciatur de eſse hominis, cum ſit accidens aduentitium; non autem eſse ſimpliciter, & ſubſtantiale, quale requiritur ad veram rationem illius prędicati. Vidit Pontius hanc obiectionem Vaſquij, in quem ego poſtea incidi, qui breuiter refellit Vaſquium: nos latiùs fecimus, quòd maiori opus eſt mole ad tantum hominem conuincen-

cen-

Digitized by Google

cendum: Grauius quiddam dicam in iudicio contra eundem Vaſquium, quò eum prouoco, vt ab illo iuſtas repetam pœnas audaciæ in reprehendēdo Scoto, ac in eodem loco Caietanum etiam excalfaciam frigidè nobis obijcientem cenſuram Sorbonę, & Alexandri Papę Sexti, cui ibi accuratiùs reſpondebimus.

SECTIO III.

Vtrum Chriſtus dici poſſit prædeſtinatus filius Dei?

CVm hæc queſtio hiſce propoſita terminis communis ſit omnium, & interpretum Sacræ Scripturæ, & Scholaſticorum, & omnes eam in recto ſenſu acceptam affirmando definiant, & nos ſupra cùm de fine, & cauſa incarnationis diſſeruimus ſatis de ea dixerimus, & nihil fermè de quæſtionis trunco Doctor Subtilis ab Angelico diſſentiat, vti apparet Commentarijs Caietani, qui ſolum Durandum aduerſantem Sancto Thomę adducit, & de Scoto conticeſcit, non alia mihi ſupereſt diſceptatio, quàm de particula quæſtionis illius: Vtrum natura humana Chriſti fuerit prius prædeſtinata ad gloriam, vel ad vnionem hypoſtaticam. Eam ſuperiùs obiter tetigimus, & pronunciauimus in optimo ſenſu prius ad vnionem, quàm ad gloriam fuiſſe prædeſtinatum: quæ ſententia quòd videatur à Scoto aliena, hic eſt accuratiùs pertractanda.

Ad primùm quamuis Diuus Thomas 3.p.q.24.ar.1. ad 2. neget naturam eſſe ſubiectum prædeſtinationis: in 3. tamen d.10.q.13. quæſtiuncula 1. concedit poſſe tribui naturæ in ordine ad vnionem, & in hoc non diſſentit à Scoto, quamquam hic viſus ſit ſentire, quòd & ad vnionem, & ad gloriam naturæ conueniat prędeſtinari. Et quidem de Sācto Auguſtino conſtat eum admiſiſſe Prædeſtinationem naturæ in ordine ad vnionem. Sic enim expreſsè lib. de Prædeſt. Sanct. c. 15. *Prædeſtinata eſt iſta humanæ naturæ tanta ſubuectio, vt quò attolleretur altiùs non haberet.* Quem modum loquendi tenent Hugo Cardinalis, & Haymo in locum Pauli ad Roman. 1. Hìc fundatur controuerſia, quoniam S. Thomas cùm inficietur naturam prædeſtinati ad gloriam conſequenter tenet priorē eſſe prædeſtinationem ad vnionem, quàm ad gloriam, quam ſoli ſuppoſito attribuit. Scotus autem cùm vtranq; naturæ conuenire aſſerat locum facit quæſtioni: Vtra ſit prior, ad gloriamne, an ad vnionem? Nouit hanc differentiam Aretinus in 3. d 7. q. 3. a. 4. aſſerens Diuum Thomam auctorem eſſe partis affirmantis, prius fuiſſe ad vnionem, quàm ad gloriam prædeſtinatam: Scotum contrà prius ad gloriam, quàm ad vnionem.

Hanc miror non vidiſſe Radam in ſua controuer. 5. imo ne Pontium quidem: qui tamen ſentit Scotum nihil hac in re certi ſtatuiſſe, & fortaſſe id circo abſtinuit à referenda iſta diſſenſione vtriuſque Doctoris. Communis ergo ſenſus Scotiſtarum eſt Scotum abſolutè dixiſſe prius prædeſtinatam fuiſſe naturam humanam ad gloriam, quàm ad vnionem. Et quidem perſpicuè videtur apparere in hac quæſt. 3. §. *Reſpondeo* n. 2. vbi ſic ait: *Cum prædeſtinatio ſit præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & alia in ordine ad gloriam, & huic naturæ humanæ in Chriſto præordinata ſit gloria, & vnio iſta in Verbo in ordine ad gloriam.* Ecce præcedit prædeſtinatio ad gloriam prædeſtinationem ad vnionem. Dein-

Digitized by Google

de §. *ſecundum dubium* num. 5. manifeſtiùs. *Secundum dubium, inquit, eſt. An prius præordinabatur huic naturæ vnio eius ad Verbum, vel ordo ad gloriam?* Hæc eſt germana quæſtio. Cui reſpõdet immediatè. *Poteſt dici quod cum in actione artificis ſit contrarius proceſſus in exequendo ei, qui eſt in intendendo, & Deus prius ordine executionis vniuit ſibi naturam humanam, quàm contulerit ſibi ſummam gratiam, vel gloriã: è conuerſo poteſt poni in intendendo: vt ſic: Deus primò voluit aliquam naturam non ſummam habere ſummam glogloriam. Oſtendens quod non oporteret Deum conferre gloriam ſecundum ordinem naturarum, & quod ſecundò voluit illam naturã eſſe in perſona Verbi, & ſic Angelus non ſubeſſet puro homini.* Vt verum fatear Scoti mens ea videtur eſſe, vt prius fuerit in Chriſto prædeſtinatio ad gloriam, quàm ad vnionem hypoſtaticam. Quod magis patet ex adiuncto loco Repor. q. 4. §. *ad quæſtionem.* verſ. *ex iſto* num. 2. *Primò prædeſtinatur finis à ſapiente, & ſecundò alia quæ ſunt ad finem: & ſic primò præordinatur gloria ſumma Chriſto: Deinde vnio naturæ ad Verbum, per quam poteſt attingere ad tantam gloriã, quia vniuerſaliter primum in intentione in omnibus exequendis eſt vltimum in executione: ideo in executione prius fuit vnio ad Verbum, quàm ſumma gloria collata Chriſto, & ſic prius prædeſtinatus ad vnionem, quàm ad gloriã.* Et ibi tradit eandem doctrinam de prædeſtinatione naturæ independenter, & antecedenter ad ſuppoſitum. Vnde n. 3. ait. *Prædeſtinatio eſt naturæ, vt naturæ, in primo inſtanti naturæ; in ſecundo inſtanti naturę eſt prædeſtinatio ad vnionem.* Omnino conſequenter ad ea quæ docuerat in ſcripto Oxonienſi. Ac ita expoſuit Scotum vtroque in loco Scholiaſtes: nam ad textum Oxonienſem *Videtur*, inquit, *natura humana Chriſti prius natura ordinata ad gloriam, quàm ad vnionem hypoſtaticam; quia hæc eſt prior executione.* Idem verò habet in Pariſienſi. Duo hinc deducuntur. Vnum Scotum diſſentire à Sancto Thoma ſupra citato docente Chriſtum prius fuiſſe prædeſtinatum ad vnionem hypoſtaticam, quàm ad gloriam. Alterum verò maximam hic eſſe difficultatem circa mentem Scoti, quam Lychetus proponit, & poſt illam Rada controu. 6. a. 3. in explicatione opinionis Doctori Subtilis. Quæ quidem difficultas me diu, ac multum torſit, & adhuc torquet. Nam duo dicit Scotus, quæ non videntur cohęrere. Hoc in loco q. 3. ait initio. §. *Reſpondeo* nu. 2. *Cùm naturæ humanæ in Chriſto præordinata ſit gloria, & vnio iſta in Verbo in ordine ad gloriam; quia non tanta gloria fuiſſet ſibi conferenda ſi non eſſet vnita, ſicut modo collata eſt*, vbi tradit duas formas gloriæ: vnam priorem vnione hypoſtatica minorem, & non ſummam: alteram poſteriorem vnione, & ortam ex ea, maiorem, & ſummam, cuius cauſa, & ratio erat vnio hypoſtatica, quæ ſi non interueniret, illa natura non fuiſſet prædeſtinata ad tãtam gloriam, ideſt ſummam. Idem tamen Scotus poſteà §. *ſecundum dubium* verſ. *poteſt dici* n. 5. contrarium videtur docere; ait enim: *Deus primò voluit aliquã naturam non ſummam habere ſummam gloriam, oſtendens quòd non oportuit eum conferre gloriam ſecundum ordinẽ naturalem, & quod ſecundo voluit illam naturam eſſe in perſona Verbi, & ſic Angelus non ſubeſſet puro homini.* Ecce oppoſitum dicto priori. Dixerat Scotus ibi, naturæ humanæ in Chriſto prædeſtinatam fuiſſe non ſummã gloriam,

Digitized by Google

gloriam, deinde prędeſtinatam ei fuiſſe vnionem, per quam veniret ad ſummam gloriam, qua careret, ſi vnio nō acceſſiſſet. Maximam hanc difficultatatem vocat Rada, & multùm in ea expedienda laborat. Lychetus quamuis nō proponat in terminis hoc dubium, inſinuat tamen, & in commentarijs indicat reſponſionem ſupra textum primum §. *reſpondeo* n. 2. Sed loquitur ibi generatim de communi omnium prædeſtinatione ad gloriam abſolutè, vel ad tantam gloriam. Aretinus tetigit punctum, ſicuti Lychetus, & addidit expreſsè ſecundum textum, qui videtur contrarius primo de ſumma gloria præordinata naturæ humanæ ante vnionem, ſed non meminit oppoſitionis vtriuſque textus. Pontius ſine vlla mentione difficultatis abſolutè ponit priorem prædeſtinationem ad vnionem, quām ad gloriam, eo prętextu, quòd Scotus nihil definierit. Maſtrius vero d. 2. q. 1. a. 1. n. 332. propoſita quæſtione de iſta prioritate diſtinguēs ſententias de ſubſiſtentia poſitiua, & negatiua pronunciat ſuppoſita ſententia de negatiuo, quæ communior eſt in Schola noſtra, verius eſſe, ac probabilius naturam prius fuiſſe ordinatam ad vnionem, quàm ad gratiam, & gloriam, idque ibi contendit probare cum ſuo Belluto, & vim facit duobus principijs Scoti manifeſtis, negans primo naturam poſſe prædeſtinari independenter, & antecedenter ad ſuppoſitum, quod omninò eſt contra principium Scoti affirmantis naturam in ſe prius prædeſtinari, quàm ſuppoſitari. Secundò exponens ſiniſtrè cum Belluto alterum principium Scoti, quòd omnis ordinate volens prius vult finē, quàm media ad finem, itaut neget hoc valere: cùm tamen Scotus omnino velit, vt valeat, & propterea ſtatuat priorem fuiſſe in Chriſto prædeſtinationem ad gloriam; quàm ad vnionem. Huius autem, quam nos mouemus, & quæ nos mouet maximè, difficultatis, nullam prorſus mentionem facit Maſtrius.

SECTIO IV.

Reſpondetur quæſtioni iuxta mentem Scoti, & tollitur difficultas textuum in ſpecie oppoſitorum.

Niſi velimus detorquere mentem Scoti, eumque obtorto collo inuitum, & gementem in contrariam Sancti Thomæ ſententiam trahere, tenemur dicere eum omninò poſuiſſe prędeſtinationem ad gloriam priorem prædeſtinatione ad vnionem hypoſtaticam. Et quidem noſtri penè omnes hoc de mente Scoti affirmant. Lychetus, Tartaretus, Aretinus, Rada iam citati, ac de nouo Felix c. 19. diffic. 2. Delgadillo c. 12. diffic. vnica dub. 6. Immerito igitur Pontius, & Maſtrius aliter quàm Scotus ſentiunt. Ego ſanè cui maximè cordi erat Scotum auctorem eius habere ſententiæ, idque minus in Scoto anteà verſatus efficere meis interpretamentis conabar, poſtquàm ſuſcepta opera eum legi, ac illius mentem ſedulò, ac ſeriò inueſtigaui, comperta ſum veritate conuictus, & à conatu deterritus. Teneo igitur Scotū ita ſentientem de Chriſto. At de Beata Virgine ſecus exiſtimo; ea quippe cùm tota fuerit à Deo ad Filium comparata, & ſemper relata, prius præordinata fuit ad maternitatem, quàm ad gloriā, quia id matris ratio poſtulabat, quemadmodum ſuprà ſignificauimus.

Quæ autem maxima videtur difficultas conciliandi duos illos Scoti textus, ea minor eſt, quàm apparet, &

Digitized by Google

quàm exiſtimat Rada, ac idcirco prætermiſſa à vigilantiſſimo interprete Lycheto, qui optimè intellexit nullam hic eſſe ſpeciem contradictionis. Hunc ſecutus dico Scotum inueſtigantem modum, quo Chriſtus præordinatus, & prædeſtinatus fuit à Deo, duo inueniſſe. Primum: ut natura humana ſingularis indeterminatè ſumpta conciperetur, & ordinaretur ad gloriam in primo ſigno abſolutè, deinde illa eadem natura determinaretur ad vnionem hypoſtaticam Verbi Diuini, qua vnione accepta ad ſummam, & certam gloriam deſtinaretur: qui ordo fuit in Deo ordo intentionis, contrarius ordini executionis. Hic modus ſtatuitur à Scoto d.7.init.nu.2. in textu, quem primò attulimus §. *reſpondeo* nu. 2. & ibi exponit Lychetus. Secundus modus inuentionis continens ordinem prædeſtinandi Chriſti fuit, vt Deus in primo ſigno prædeſtinarit naturam creatam non ſummam, ideſt humanam, etiam ſingularem, ſed indeterminatam, ac ſecundum ſe ſumptam præciſa ſubſiſtentia ad ſummam gloriam, vt oſtenderet Deus ſe in prædeſtinando liberũ eſſe, & conferre ſua bona pro ſuo arbitrio, non ſpectata nobilitate naturarũ. Deinde in ſecundo ſigno eandem naturam non ſummam ad ſummam gloriam prædeſtinatam voluerit Deus prædeſtinare ad vnionem hypoſtaticam, cui ſumma illa iam prædeſtinata naturæ humanæ non ſummæ gloria congrueret, & quodammodo deberetur, ne videretur Angelicæ naturæ iniuriam facere, ſi inferiorem, & ignobiliorem naturam ei prætuliſſet. His duobus modis prædeſtinatio fieri potuit, quibus ita expoſitis, & declaratis apparet eorum ſtatus, & diuerſitas: vnde colligitur nullam eſſe illorum inter ſe oppoſitionem, nec textuum vbi ponuntur contradictionem. Cum enim ſint inter ſe diſtincti, ac diuerſi non pugnant ſecundum idem, nec habent idem ſubiectum, circa quod pugnent contradictoriè. Ecquis enim poſita albedine ex vna parte, & ex alia nigredine affirmet in ea poſitione contradictionem reperiri? Reperiretur ea ſi vna & alia in vna, & eadem parte affirmaretur: in coniungendo enim diuerſa, & connectendo oppoſita, quæ inter ſe pugnant coniuncta contradictio eſt: non autem in diſtinguendo, & diuidendo, & diſcernendo diſtincta, & diuiſa, non copulando, nec confundendo inter ſe. Apparet hoc ipſum manifeſtiùs, quia ſingulari modi conſiderati, ſunt completi, & conſtantes, & nihil in vno, vel altero pugnans, & ſecum diſcrepans inuenitur. Vnde neuter ſibi ſecum collatus contradicit. Ambo conſiſtunt idonei, & congruẽtes rationi, & ſunt poſſibiles, quiſque in ſuo genere, & probabiles. Propterea Scotus de ſecundo ait *poteſt dici*. Vter autem ſit probabilior, & conformior Scoto, patet ex modo ponendi, & loquendi, cùm primum ponat Scotus abſolutè, & vtatur Verbo *Reſpondeo*: Secundum ad calcem reiiciat & adhibeat verba *poteſt dici*: quæ minorem indicant probabilitatem, & videntur continere opinionem adiaphoram, quæ permittat aliter opinari. Quapropter Pontius anſam diſcedendi in oppoſitam ſententiam arripuit, quamquam auidiùs, quàm debebat.

Difficultas tota, me auctore, in acceptione naturæ illius verſatur. Quomodo enim poteſt natura illa humana aſſumptibilis ſumi indeterminata, & deſtituta omni perſonalitate ordinari ad gloriam præciſa ſuppoſitalitate? Hoc me torquet, & vt verum fatear, & cruciat: non vero an poſſit ad gloriã

ab-

abſolutè, vel certè ad tantam gloriam prædeſtinari? in hoc vellem vt Scotiſtæ noſtri laborarent. Id ego mihi aſſumo, ac dico Scotum bene vidiſſe difficultatem, eamque remouiſſe, dum negauit huiuſmodi prædeſtinationem reſpicere neceſſario ſolam perſonam, non naturam, faciendo ſubiectum eius naturam in eo priori, prout antecedit ſuppoſitum, quæ eſt prioritas naturæ; in quo ille ſe Auguſtino conformauit, qui vt proximè diximus attribuit naturæ humanæ prædeſtinantis Dei ordinem ad vnionem cum ſuppoſito, ac proinde naturæ non ſubſiſtenti, ſed independenter, & antecedenter ad ſuppoſitum. Rectè igitur Scotus. Quòd autem capax ſit illa natura illius prædeſtinationis, nulla apparet contradictio: imo congruitas, & cõuenientia, quia ea ſola illam prærogatiuam habuit inter cæteras omnes creaturas, quòd aliæ cùm habeant proprium ſuppoſitum, non debuerunt prædeſtinari, niſi ſubſiſtentes, & ſuppoſitatæ, vt acutè animaduertit Scotus illa q.3. ∬. *reſpondeo* in fine, *Quia nullo*, inquit, *alio præordinauit Deus bonum naturæ, niſi prædeſtinando bonum perſonæ, ſed ratio huius eſt, quia nulla natura prædeſtinabilis eſt nõ perſonata perſonalitate creata, niſi iſta*. Qua ratione tollitur difficultas: quam etiam ſuſtulit Lychetus interpretando litteram Scoti, & ſi non moueat de eo quæſtionem. Ex alijs probant Scoti doctrinam Durandus in 3.d.7.q.3. Paludanus q.3.ar.3.concl. 1. Richardus art.2.q.3. quos citat & ſequitur Vaſquez d.90.c.4.n.28. Quando autem diximus naturam ſingularem indeterminatam, noluimus quidem dicere naturam incertam, & vagam: cùm enim ſingularem diximus certam ſtatuimus, ſed reſpectiuè ad ſuppoſitum diximus indeterminatam, & indifferentem ſecundum ſe, intra ſtatum naturæ conceptam, & poſitam, aſſumptibilem, non aſſumptam, & in eo ſtatu relatam à Deo, & ordinatam ad gloriam abſolutè. Ex his patet mens Scoti ſecũdum litteram Oxonienſem, & Pariſienſem: & reiiciuntur opiniones Maſtrij, Belluti, & Poncij à ſcopo Scoti penitus alienæ: ad quem rectè collimarunt Lychetus, Cauellus, Rada, & Aretinus, & qui eis adhæſerunt. Oportet attentiſſimè, & patientiſſimè Scotum legere, ſicut, & Auguſtinum, qui ſunt acutiſſimi, & profundiſſimi. Nam qui eos properanter, & quaſi aliud agentes legunt ſexcenties ab ijs diſcordant, vti accidit quibuſdam Nouaturientibus, qui de hoc Nilo ſaltuatim biberunt.

SECTIO V.

Quid tandem ſentiendum ſit de illa propoſitione: Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei?

ET ſi, vt antè obſeruaui initio huius Collationis, nulla fermè ſit inter Doctorem Subtilem, & Angelicum hac de re diſſenſio, ac proinde de ea ſiluerit Caietanus, qui ſolum Durandum opponit Diuo Thomæ, tamẽ quia Vaſquez perſpicuè dicit Scotum non conuenire cum eodem, eiuſque minus fideliter refert ſententiam, neceſſarium duxi quæſtionem agitare, & ſenſum Scoti eruere, ac proponere. Igitur is q.3.d.7. ita in titulo. *Vtrum Chriſtus prędeſtinatus fuerit eſſe filius Dei?* cum obiecta pro parte negante adducat, ponit doctrinam ſpecie oppoſitam in loco Pauli ad Roman.1. *factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus filius Dei in virtute*. Concludit ∬. *reſpondeo* nu. 2.

loquens de prædeſtinatione in ſenſu proprio prædeſtinationis ad gloriam, & vnionem. *Ita prædeſtinatum*, inquit, *eſt Verbum eſſe hominem, & hunc hominem eſſe Verbum*. Ac ne qua dubitatio eſſet, addidit: *Conſequentia probatur per ſimile, ſicut dictum eſt de factione paſſiua*. Ex his verbis conſtat mens Scoti; nam cùm ille q.2.num.3. doceat Has duas propoſitiones *Deus factus eſt homo*, & *Homo factus eſt Deus* eſſe ſimpliciter veras, vt apparet de. 1. num.2. §. *ſed tantum* & de 2. n. 7. §. *ex his patet* cõſequenter ait iſtas alias duas propoſitiones veras etiam eſſe, Verbum eſt prædeſtinatum fieri homo, & homo eſt prædeſtinatus fieri Deus. Nam quod factum eſt, prædeſtinari potuit, ac debuit vt fieret. Quod autem Scotus obijciat prædeſtinationem primò reſpicere perſonam, quaſi perſona prędeſtinari non potuerit, & negat prædeſtinari naturam, non officit veritati propoſitionis in concreto de Chriſto, quia aliud eſt prædeſtinari filium Dei, & Verbum fieri hominem ponendo expreſſe ſuppoſitum Diuinum, aliud prędeſtinari Chriſtum ponendo concretum ex natura humana, & ſuppoſito Diuino, quæ propoſitio diuerſa eſt, & omnino currit in veritate, ſicut illæ aliæ antea adductæ: Chriſtus incepit eſſe: Chriſtus eſt filius adoptiuus: Chriſtus eſt creatura, quas omnes conceſſit Scotus ratione humanitatis etiam ſumptæ in ſuppoſito: vnde à fortiori deducitur hanc propoſitionem veram etiam eſſe Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei cùm cadat ſupra ſubiectum ſupponens humanitatem, & concernens illam. Quod non video vulgò animaduerti. Vnde in Reportatis clariùs nominauit Chriſtum, etiam cùm de naturæ prædeſtinatione loqueretur. Cur autem Scotus expreſsè ponat Filium Dei, ſiue Verbum fuiſſe prædeſtinatum vt fieret homo, non verò Chriſtum, id propriè, ac iure fecit, quia agebat de communicatione idiomatum, quemadmodum apparet ex 3. q.3. in reſponſ. ad argum. præcipuè in fine num.6.7.8. & in fin. q.4. in Repor. Nam vtrobique facit mentionem locutionis logicæ in ſenſu formali. Eò igitur ſpectabat vt modum loquendi inueſtigaret, & inueniret etiam modum communicationis idiomatum. Hinc illæ locutiones, *prædeſtinatus ſecundum quod homo*, *ſecundum quod Deus*, quia inquirebat rationẽ veritatis illarum iuxta acceptionem logicam, negans tamen veras eſſe in ſenſu formali, & præciſo à materiali. Verum quidem eſt Scotum non reſpondiſſe directè ad quæſtionem propoſitam *Vtrum Chriſtus prædeſtinatus fuerit eſſe filius Dei?* Vnde anſam arripuit Vaſquez ſuæ opinationis exiſtimando eum à communi ſententia Theologorum deuiaſſe, & cum Durando compoſuit: vt enim erat acutus Vaſquez vidit Scotum aliò ſuam mẽtem deflexiſſe & veluti à propoſito declinaſſe. Nemo quærit, Scote, quid ſentiendum ſit de hac propoſitione *Verbũ prædeſtinatum eſt fieri homo*, nec de illa *homo eſt prædeſtinatus eſt fieri Verbum* ſicut tu proponis d.7.q. illa 3.n.2. ſub his terminis *Prædeſtinatum eſt Verbum eſſe hominem, & hunc hominem eſſe Verbum?* ſed *Vtrum Chriſtus prædeſtinatus fuerit eſſe Filius Dei?* vti habetur in titulo quæſtionis. Tu verò reſpondes ad illas duas propoſitiones, non ad hanc quæ rem continet. Commouit hoc Vaſquium virum acutum poſtquam ſubtiliter iſta vidit, & obſeruauit. Noſtri homines hac obſeruatione præterita reſpondent Scotum concedere illam propoſitionem *Chriſtus prædeſti-*

natus

natus eſt eſſe filius Dei, & Scholiaſtes ait *Reſoluit Scotus cum communi ſententia Chriſtum eſſe prædeſtinatum: ita Alenſis, Diuus Thomas, & alij ſupra*. Quod negat Vaſquez. Affirmat verò idem, quod ſumit Scholiaſtes, Aretinus, & citat hunc locum Scoti q.3. §. *reſpondeo* ex primens particulam. *Ille homo, ideſt Chriſtus, prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei naturalis*. Ita d.7.q.3.art.3. §. *vltimo ergo*. Delgadillo c.17.diffic. vn. Rada controu.5.a.1.conclu.6.&7. Cum quibus ſentit Suarez d.50.ſect.2. §. *vltimò ergo exponitur*. Nec ambigit Caietanus, cùm ſibi non proponat Scotum: vt aſſolet, aduerſarium. Itaq; inueſtiganda eſt mens Scoti, & rationes dubitandi auferendæ.

Sentio cum communi Scotiſtarum noſtrorum ſententia Scotum conceſſiſſe hanc propoſitionem *Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei*, vti poſita eſt in titulo q.3.& in corp. §. *Contra* relato loco Pauli 1. Roman. Probo autem primò, quia Scotus perſpicuè concedit naturam humanam fuiſſe prædeſtinatam ad gloriam, & vnionem ibi §. *reſpondeo* num.2.& §. *ſecundum dubium* nu.5. Secundò, quia conceſſit Verbum eſſe prædeſtinatum vt eſſet homo, & hominem vt eſſet Verbum, ibidem §. *reſpondeo*. Igitur conceſſit potiori iure Chriſtum eſſe prædeſtinatum, vt foret Chriſtus Filius Dei naturalis. Tertiò, quia Scotus anteà dixerat veram eſſe hanc propoſitionem *Chriſtus incepit eſſe* ratione naturę humanæ cum ſuppoſito concretæ, & in eodem item ſenſu admiſit Chriſtum eſſe filium adoptiuum ratione humanitatis in cõcreto ſumptæ. Quartò ac præcipuè, quia reſpondendo argumentis contra veritatem illius propoſitionis *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei*, tantùm dubitat de modo eam proferendi reduplicando *ſecundum quod homo, ſecundum quod Deus*, non autem dubitat de veritate ſecundum ſe: & in ipſamet reſponſione id tradit perſpicuè: ponit enim tres modos diſtinguendi illam propoſitionem: Chriſtus ſecundum quod homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei, & ait poteſt cõcedi ſub diſtinctione ſenſus. Si ſumatur illud ſecundum in hoc ſenſu, *ſecundum quod eſt prædeſtinatus eſt Deus*, ut hac tantùm ratione ſit Deus, quia ita prædeſtinatus eſt Deus, ut hac tantùm ratione ſit Deus, vt ratio Deitatis ſit ratio prædeſtinationis, eſt omnino falſa, vt egregiè notauit Lychetus. Quia tunc, inquit, ſequeretur quod humanitas eſſet formalis ratio Deitatis, quod eſt falſiſſimũ; ſi autem ſenſus eſt: Chriſtus ſecũdum quod homo ex parte termini, ideſt hic homo, fuit prædeſtinatus, tunc eſt vera, quia non reduplicatur ratio formalis humanitatis, quaſi ſit ratio diuinitatis: ſed dicitur homo ſecundum ſuam naturam ſumptum vti ſubiectum prædicationis: vt *hic homo ſit Filius naturalis Dei affirmando de illo ſubiecto homine prædicationem Filij Dei*. Idem probat ſecunda, & tertia, reſponſio: quæ ſolutiones eòdem redeunt, vt ly *ſecundum* non ſignificet rationem formalem eſſendi prædeſtinatum ſicuti eſſendi Deum, ideſt, vt quà eſt prædeſtinatus propterea ſit Deus, quo ſenſu eſt falſa propoſitio; ſed ſumendo ſimpliciter hominem pro ſubiecto, de quo affirmatur prædicatio *Filij Dei* ſeruata diſtinctione humanitatis, & diuinitatis, quam alius ſenſus auferebat confundens vtranque, quemadmodum ſeipſum Scotus, & Scotum Lychetus expoſuit. Si vtrunque attentiùs legiſſet Pater Vaſquez verum inueniſſet: ſed ille ſubtilitate ingenij volabat, nec moras ferebat, &

ſua

ſua ſibi ſubtilitate nocebat. Benè eſt quod ille ad calcem cap. 1. fatetur difficultatem quam ſen ſit in percipienda Doctrina Scoti, & quãuis ſolutionem bene intellexerit, doctrinam minus percepit, dum dixit num. 5. eiuſdem capitis Scotum cum ijs eſſe numerandum, qui negant hanc propoſitionem Chriſtus eſt prædeſtinatus Filius Dei: quia Scotus, inquit, negauit iſtam eſſe veram: Chriſtus in quantum homo prædeſtinatus eſſe Filius Dei. Primò quia non perinde eſt dicere Chriſtus abſolutè, & Chriſtus in quantum homo, nec qui vnam negat, negat alteram, vel contrà: cùm ly *in quantum homo* ſtringat Chriſtum ad ſenſum reduplicatiuum, & in ſubiecto ponat quiddam ſonans includens, & incluſum: quo redditur propoſitio magis difficilis, quàm prima, quæ ſimpliciter ponit ſubiectum. Nòn ſequitur ergo ex eo quòd Scotus non concedit hanc propoſitionem *in quantum eſt homo eſt prædeſtinatus* negare illam *Chriſtus eſt prædeſtinatus*. In prima quippe trahi poteſt ſubiectum ad ſenſum reduplicatiuum, & formalem, ſecunda verò conſeruat propriam, & veram rationem ſubiecti materialis, ſuper quod cadit prædicatum aduenjens, nec illud includit, aut confundit cum ſubiecto. Secundò quia Scotus nunquam ſumpſit iſtam propoſitionem *Chriſtus in quantum homo prędeſtinatus eſt eſſe Filius Dei*, ſed ſemper hoc modo *Chriſtus ſecundum quod homo*, quæ diuerſa aliquantum ſumptio eſt, & verior, cùm illud ſecundum quod innuet formalem rationem eſſendi, & trahat ad ſe prædicatum antecedentis, quæ habeat illud, & includat illud: ita vt reduplicet rationem eſſendi *ſecundum id quo eſt homo eſt Filius Dei*, quod eſt falſiſſimum. Nunquam igitur negauit Scotus hanc propoſitionem Chriſtus eſt prædeſtinatus, neque hanc Chriſtus in quantum homo eſt prædeſtinatus, ſed in hac tertia propoſitione, Chriſtus ſecundum quod homo eſt, prædeſtinatus eſt Filius Dei, dubitauit primò & diſtinxit, & tandem magis inclinauit ad negandum eam eſſe veram propter comixtionem, & confuſionem formalitatis *ſecundum quod*, quæ videtur continere falſitatem affirmando rationem Filij eſſe rationem hominis, quaſi propterea ſit Deus, quia eſt iſte homo, tranſeundo de formali ad cauſalem. Prolixior hac in re fui, quòd mens Scoti minus eſt aperta, eamque ſua auctoritate, quam magnam eſſe non inficior, Vaſquez ambiguam reddit. Maneat ergo Scotum cum Diuo Thoma, & communi Scholarum doctrina ſenſiſſe, videlicet *Chriſtum eſſe prædeſtinatum vt eſſet Filius Dei naturalis*, quod ad rem attinet, ac de eo tantùm dubitaſſe. An rectè diceretur *ſecundum humanitatem*, & in hoc ſenſu, & in his terminis de modo prædicandi diſſenſiſſe. Imo ne diſſenſiſſe quidem, ſi ſano modo, & ſimpliciter illa propoſitio ſumeretur, habente ſe ſubiecto materialiter, & intranſitiuè reſpectu prædicati Filij Dei.

IVDICIVM.

In his quæſtionibus minor fuit Scoti à Sancto Thoma diſſenſio, quòd in verbis res erat, & vbi erat idiomatum communicatio, non erat congrua ſenſuum diſcordia. Illud animaduerti, quòd Scotus maxime ſibi cohæret in accipienda ſignificatione ſuppoſiti, vt admittat prædicata communia naturis, nec ea velit in-

cluſum formale diuinæ ſubſiſtentiæ inuoluere. Procedit vniformiter concretionem ſuppoſiti accipiens, excludens ſi quid obſtet in ſubiecto, vt poſſit ſubiecto prædicatum conuenire. Itaque nō dubitauit quin admitteret Chriſtum *incepiſſe eſſe, & hominem eſſe factum Deum*, quæ tamen concedere timuit Sanctus Thomas, non tamen timuit Sanctus Auguſtinus: quocum Scotus ſentit, qui abſolutè vtrunque dicit. *Deum factum eſſe hominem: & hominem factum eſſe Deum*: quemadmodum fatetur ipſemet Diuus Thomas q.16.in 3.p.ar.7.ad 2. adducens locum Auguſtini lib.1.de Trinit.cap.13. *Talis*, inquit, *erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum*: cui concordat Nazianzenus orat.3.de Theologia, quæ eſt 31.in ordin.vbi ait, *Hic homo Deus effectus eſt*. Ecce duo Theologi Principes Græcus & Latinus ſinguli ſummi ſuæ gentis diſertè concedunt Hominem factum eſſe Deum, quemadmodum ponit Scotus, quem non debuerat Caietanus in Comment.ad ar.7.impugnare, quòd id abſolutè concedat, contendens Scotum ad ſenſum proprium, quem Diuus Thomas eodem articulo propoſuerat, detorquere: vt perinde ſit *Homo factus eſt Deus*, atque factum eſt vt homo eſſet Deus: quæ interpretatio aliena prorſus eſt à veritate, & omnino inepta, vt animaduertit Vaſquez d.64.cap.5. exponens eam propoſitionem directè in ſenſu Patrum Nazianzeni, & Auguſtini, in quo eam acceperat Scotus. Iam verò quod nobis obijcit terriculamentum Caietanus de cenſura Sorbonæ, & Alexandri Sexti ſuper illa propoſitione *Chriſtus incepit eſſe*, vanum, & inane reddit vir grauiſſimus, & qui hac in re Thomiſta eſſe opinādo voluit, Gabriel Vaſquez d.67. cap.5. vbi ait, *Parum curandum eſſe de cenſura Pariſienſi, ſiquidem Pariſijs multæ aliæ propoſitiones damnatæ fuerunt, quæ talem notam non merebantur*. Adiungit quoad Pontificem Alexandrum Sextum, *Quod vero ait Caietanus famam eſſe eandem propoſitionem Romæ fuiſſe ab Alexandro Sexto damnatam nullo firmo fundamento nititur*. Certè Suarez inſignis Theologus in Commentarijs ad quæſtionem 16. 3.p. Diui Thomæ art.9.§ *inter. Has inter*, inquit, *ſententias, quòd ad rem attinet nulla eſſe poteſt differentia*, idque affirmat verbis S.Fulgentij lib.de Incarnat. cap.10.quæ ſunt huiuſmodi, *Verbum incepit eſſe Chriſtus: Verbum tamen manſit ingenitum, & caro in ipſo ſumpſit initium*.

Quòd attinet prædeſtinationem Chriſti, quid ſentiat Scotus, & an conſentiat Diuo Thomæ perſpicuè diximus. Ex quibus conſtat eum in re non diſcrepare à Diuo Thoma, tantùm accuratiùs diſtinxiſſe inter modos loquendi more ſuo logicè procedendi, in quo ſanè Scotus mirè excellit, ſeque exercet ſubtilitate ductus ingenij: nihil tamen eo detraxit de veritate ſentēiæ de prædeſtinatione Chriſti, vti ſupra oſtendimus. Illud eſt in hac tota de communicatione idiomatum materia in primis obſeruandum. Scotum ſui ſemper eſſe tenacem, & cohærentem in concedendis affirmatiuis de prædicato cum ſubiecto propoſitionibus, ſi vnam de creatura excipias; quia ſemper ſumit perſonam in ſenſu connotatiuo extra incluſionem formalem, & directam, vt non inuolueretur, nec confunderetur cum prædicato: ſed ſolùm concerneretur, & connotaretur ab illo, præbens ei quidem concretionem, quantum ſatis eſſet ad veritatem propoſitionis proce-

cedentis in terminis concretis, vt ita poſſet currere in ſenſu formali ſine incluſione ſubiecti materialis, quod minus curauit Diuus Thomas, qui in quibuſdam propoſitionibus affirmat prædicatum de ſubiecto, in quibuſdã negat admiſſa varietate acceptionis ſuppoſiti: vnde oritur illa diuerſitas opinandi. Negat quæſt.23.a.4. Chriſtum vlla ratione dici poſſe Filium adoptiuum, quia ſubiectum ſupponit pro perſona, quæ eſt omnino incapax illius denominationis adoptiui: non negat autem dici poſſe vllo modo ſeruum, imo concedit, quia poteſt ſumi ſecundum naturam humanam, non includendo ſuppoſitum diuinum. Ecce diuerſitas acceptionis, & enunciationis manifeſta, orta ex varietate ſumpta ex ſignificatione ſubiecti. Admittit Sanctus Thomas hanc propoſitionem Christus prædeſtinatus Filius Dei naturalis q.24.ar.1. quia ſumit ſubiectum *Chriſtus ratione naturæ humanæ* quemadmodum loquitur ibi. Mutauit ergo acceptionem: nam ſi retinuiſſet eandem, quam ſumpſit in Chriſto reſpectu adoptionis, non concederet prædeſtinationem. Scotus autem aliter procedit: quia ſubiectum ſumit in ſenſu ſupponente formaliter pro natura humana connotando ſuppoſitum: vnde inuenitur & diſtinctior, & conſtantior.

COLLATIO

Digitized by Google

COLLATIO QVARTA

DIFFERENTIA I.

Circa Impeccabilitatem Chriſti Domini.

Ad quæſtionem 15.3.p.ar.1. Sancti Thomæ. Et in 3.d.12.q.2. art.1. & ad q.vnic.d.12.in 3.Scoti. & d.12.q.vnica in Reportatis.

SECTIO I.

Exhibentur textus Doctorum.

SEntentia Sancti Thomę exprimitur his verbis in 3.ſent.d.12.q.2.art.1. *Reſpondeo dicendum: quod ſimpliciter loquendo Chriſtus nullo modo peccare potuit: vnde Damaſc.dicit in 3. lib. quod impeccabilis eſt Dominus Deus Ieſus: poteſt enim conſiderari, vt viator quidem, vel vt comprehenſor, & vt Deus: vt viator quidem, dux videtur eſſe dirigens nos ſecundum viam rectam. In quolibet autem genere oportet primam regulam torqueri non poſſe, quia alias eſſet error in omnibus, quæ ad ipſum regulantur, & ideo Chriſtus tantam gratiæ plenitudinem habuit, vt etiam in quantum viator peccare non poſſet: ſecundum verò quod fuit comprehenſor mens eius totaliter eſt coniuncta fini, vt agere non poſſet niſi ſecundum ordinem ad finem: ſecundum autem quod fuit Deus, & anima eius, & corpus fuerunt quaſi organum Deitatis, ſecundum quod dicit Damaſcenus. Deitas regebat animam, & anima corpus; vnde non poterat peccatum attingere ad eius animam: ſicut nec Deus poteſt peccare.* Et art. 2. agens de potentia peccandi. *Sicut*, inquit, *de Chriſto non dicitur quòd poſſit peccare, ita nec quod habere potentiam peccandi propriè loquendo.*

In Partibus tamen obſeruo Diuum Thomam quæſtionem de poſſibili nõ excitaſſe: ſed tantùm de facto: & apparet 3.p.q.15.a.1.& 2.vbi art.1.quærit *Vtrum in Chriſto fuerit peccatum?* & in ſecundo *Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati?* vbi vides quæſtionem agitari de facto. Veruntamen omnes Thomiſtæ iudicant Diuum Thomam etiã de poſſibili docuiſſe Chriſtum non peccare. Auctores infra laudabimus.

Scotus in 3.d.2.q.1.num.1.proponit argumentum de neceſſitate fruitionis ex vi vnionis hypoſtaticę, quam negat, ſumptum ex eo quòd niſi neceſſariò

Digitized by Google

frueretur, poſſet peccare: cui reſpondet *§. ad argumenta principalia* num. 12. hoc modo, *Dico quòd ſicut habens lumen gloriæ, & charitatem conſummatam non poteſt peccare, non quia iſta formaliter repugnant peccato, ſicut nec actus primus repugnat oppoſito actus ſecundi contingenter cauſabilis, ſed quia de potentia ordinaria Deus non poteſt non coagere ad actus ſecundos perpetuæ viſionis, & fruitionis, qui actus repugnant peccato, ſic Deus naturæ unitæ ſibi perſonaliter non poteſt de potentia ordinata non dare ſummam charitatem, & vlterius ſummam fruitionem, quæ excludit peccatum, & ſic ex hac vnione eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitiuè diſpoſitione remota, licet neceſſario reſpectu Dei agentis; ſicut neceſſarium eſt aliquem beatum non peccare*. Rurſus in eodem 3. d. 12. qu. vn. §. *ad primum* num. 3. ſic *Natura*, inquit, *quam aſſumpſit, erat de ſe poſſibilis peccare, quia non erat beata ex vi vnionis, & habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad vtrumlibet, ſed per beatitudinem eſt confirmatum à primo inſtanti, vt ſit impeccabile, ſicut beati ſunt impeccabiles*. Et ibidem ſuprà tetigerat opinionem contrariam dicentium, quod Chriſtus non ſolum ex plenitudine gloriæ, ſed ex vi vnionis fuit impeccabilis, & adiungit *Hoc autem improbatum eſt ſuprà* d. 2. qu. 1. contra Henricũ. Vbi Lychetus *Hæc*, iniquit, *opinio improbata eſt ſupra à Doctore*, & infra Lychetus comment. ad ſecundum argumentum egregiè exponit Scoti ſententiam. Perſpicuè item Scotus in Report. d. 12. qu. vn. *§. dico tamen*, n. 3. *Ex vi vnionis non redditur natura impeccabilis*. Et n. 4. reſpondens ad auctoritatem Magiſtri, *Intelligit quòd natura de congruo non eſt priuanda tanta plenitudine gratiæ, quamdiu eſt vnita verbo: non tamen vult hoc eſſe formaliter ex vi vnionis* & addit *Idem intelligit Anſelmus*. Et poſtea §. *dico igitur*, num. 8. *Cauſa impeccabilitatis Chriſti, neque eſt vnio ad verbum, neque gloria, neque gratia*. Et mox. *Quid igitur reddit illam naturam impeccabilem? Dico quòd pleniſſima fruitio, quam habuit Chriſtus*. Itaque de mente Scoti non eſt dubitandum.

SECTIO II.

Vtrum Chriſtus de facto peccauerit, & Vtrum de potentia ordinaria peccare potuerit?

Nihil non abſurdum dicunt Hæretici. Fuere qui affirmarent Chriſtum peccaſſe actualiter, tum in horto cùm dixit, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix*, & *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Tum in Cruce cùm clamauit *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* In primo loco, quia non conformauit voluntatem ſuam cum voluntate patris, in quo peccauit: & argumentum eſt quod pænituit primæ voluntatis, quando Patri iubenti annuit. Et hoc quidem ſenſit Caluinus, quem refutat Maldonatus Malleus Caluiniſtarum, cùm præſertim Chriſtus dixerit *Verba peccatorum meorum* Pſal. 21. attribuens ſibi peccata. Pſalmum quippe illum in Cruce recitauit. De alijs Hæreticis idẽ referunt Oſius lib. 1. de Hæreſ. noſtri temporis. Lindanus Dialogo ſecundo, & Prateolus *verbo Antichriſtus*, ac ne temerè dicere viderentur, excogitarunt dignam ſua impietate rationem, videlicet Chriſtum debuiſſe pœnitentibus exemplum dare, quod facere non potuit niſi peccaret, ac pœniteret.

Verum

Digitized by Google

Verum abſurdè, & impudenter exiſtimarunt,& contra Sacram Scripturam, de cuius intelligentia nimium gloriari ſolent. Itaque concluſio ſit. Chriſtum Dominum originali, & actuali peccato prorſus caruiſſe. De originali patet, quia vti ſuperius diximus, Chriſtus venit præcipuè ad redimendum peccatum originale, deinde quia non fuit conceptus more ordinario per ſeminalem rationem, vt obſeruat Diuus Thomas 3.p.q.15.art.2. & patet ex illo loco Matthæi 1. *Quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt*, & Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei*. De peccato autem actuali conſtat ſecunda ad Corinth. c.5. *Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit*: ideſt ſacrificium pro peccato, *vt de peccato damnaret peccatum* iuxta Auguſtinum lib.14.contra Fauſtum c.4.& 5. Probatur etiam loco Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & prima Petri 2. *Qui peccatum non fecit*. Et ad Hebræos 4. *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Confirmant eandem doctrinam Cõcilia. Epheſinum Canone 10. Lateranenſe ſub Martino 1. Canone 5. & Auguſtinus Epiſt. 99. vbi ait, *Animam Chriſti, nec mortificatam peccato, nec damnatione punitam eſſe*. Ex quo item ſumitur aliud argumentum, quod probat vtrumque. Diſputans enim contra Iulianum lib.5.c.9. affirmat *eum qui caruit peccato actuali, carere item peccato originali*, cùm autem Chriſtus originali caruerit, conſequenter caruit actuali. Hæreticis negatur Chriſtum, vel deſperaſſe in Cruce, vel repugnaſſe Deo Patri in horto: nam in Cruce dixit illa verba *in perſona aliorum*, quẽadmodum interpretantur Patres. Leo ſerm.16.de Paſſ.& ſerm. 17.& Auguſtinus Epiſt.120. cap.6. & dato etiam quod in propria perſona loqueretur humanitatis vox *Dereliquiſti me* illa erat dolentis de acerbitate mortis, licitè tamen, & ſine peccato inſtar Iobi, qui cùm ſępiſſimè, & acerbiſſimè, vt habetur in Scriptura, de ſua calamitate queſtus eſſet, *non peccauit tamẽn labijs ſuis*. Addit Tertullianus lib. cont. Praxeam n.21. Chriſtum his verbis ſignificaſſe humanitatem ſolam pati, non autem diuinitatem. Vox autem illa *Peccatorum meorum* pertinet ad perſonam hominum, quam Chriſtus induerat vt pateretur, vt ait Auguſtinus: *Delicta noſtra ſua delicta ſunt, vt iuſtitiam ſuam noſtram iuſtitiam faceret*, quem ſequitur S. Thomas in 3.p. q.15.a.1.ad 1. laudato Ticonio,& Auguſtino, eſtque communis expoſitio Sãctorum Patrum. Sic interpretanda ſunt verba Chriſti in horto, quibus ſolùm ſignificatur repugnantia quędam naturalis humanitatis Chriſti ad mortem, quam ad maius meritum Chriſtus oſtendebat, non vt Patri reſiſteret,, cui omnino conſentiebat, quemadmodum etiam Paulus cum dicebat *quod nolo hoc ago*, non condemnabat motum primo primum voluntatis, ſed monſtrabat inclinationem naturæ. Verum cum hac differentia, quod in Paulo erat motus primò primus, non ſubditus liberæ voluntati, in Chriſto verò voluntati ſubiectus erat, vt egregiè notat Auguſtinus, affirmans Chriſtum permiſiſſe illos motus, quaſi nollet, non habuiſſet. Ex his patet Chriſtum de facto nihil peccaſſe.

Altera pars: neque peccare potuiſſe de potentia ordinaria, ex his locis fermè probatur. Eſtque communis ſententia Theologorum, & illud ſignificant illa Verba Ioann. 8. *Quis ex vobis ar-*

arguet me de peccato. Si enim peccare poſſet, non tam confidenter loqueretur; eſt autem optima ratio, quia Chriſtus erat Deus, à quo eſt prorſus alienum peccatum, præterea vnioni hypoſtaticæ debebantur conſequenter dona ſupernaturalia gratiæ & gloriæ, vnde fiebat vt peccare non poſſet: vt eſt doctrina Scoti d.2.q.1.ad 3.& n.4.d 49.qu.6. hoc continent illa verba Pauli ad Hebreos 7.vbi dicitur. *Oportebat, vt nobis eſſet Pontifex Sanctus innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* Hoc tradit Auguſt.lib.de correpr. & grat.c.11.& lib.1.contr. duas Epiſt.Pelagian. & lib.2.de peccat.merit.& remiſ. c.11.& lib.1.de Prædeſt.Sanct. c.15.& in Enchirid.c.36.& c.49. Affero verba libri de correpr. & grat. *Neque metuendum erat, ne iſto ineffabili modo in vnitatem perſonæ à Verbo Deo humana natura ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium: cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret.* Cum Auguſtino ſentiunt reliqui Patres, quorum teſtimonia poſteà referemus, cùm de impoſſibilitate abſoluta agemus. Facit pro hac parte optima ratio: Chriſtus Dominus fuit prædeſtinatus à Deo ad redimenda peccata ex odio peccati, & offenſa Dei. Non potuit ergo committere peccata, quæ oderat, & propter quæ tollenda humanitatem ſuſceperat. Itaque de hac doctrina nemo vnquam catholicus dubitauit: quare ab hac me quæſtione faciliùs expedio. Cætera linquo Suario, & Vaſquio, & Aretino, quos doctiſſimos eſſe comperio.

SECTIO III.

Vtrum de potentia abſoluta Chriſtus peccare potuerit?

HÆc eſt quæſtio principalis, in qua differunt Scholæ Angelica, & Subtilis cum ſuis principibus Sancto Thoma, & Scoto, quos iam monſtrauimus diuerſa ſentire. Igitur Sanctus Thom.in 3.d.12.q.1.ar.2.cum ſua Schola docet negatiuam ſententiam, videlicet Chriſtum nullatenus peccare potuiſſe, atque adeò etiã de potentia abſoluta peccatum excluſiſſe, itaut à principio intrinſeco ſanctus fuerit, ideſt vnionis hypoſtaticæ; quæ ſententia probatur tum auctoritate Scholaſticorum, tum pondere rationum, tum etiam teſtimonijs Sanctorum Patrum: quibus præcipuè nituntur Thomiſtæ. Hanc tradit Magiſter in 3.d.12.Bonau. & Richar. art.2.q.1.Alenſis 3.p.q.7.& 14. memb.2.qu.11.& 12.Palud.q.2.Capre.q.1. Dionyſ. Carthu.q.3.art.2.Henric.quodlib.6.q.6.Amain.d.1.q.2.Marſ.q.3.a.2.in 4.p.& q.9.art.3.Greg.Arimin.in 1.d.42.q.2.Picus Miran.in Apolog.qu.4.ex antiquis, & recentioribus omnes Thomiſtæ cum Caietano,& ex aliis Salmanticenſes cum Gabr.à Sancto Vincent.d.15. Suarez diſp.34.ſect.2. Vaſq.d.61.c.3.& 6. Cardinalis de Lugo d.26.Gaſpar Hurtado d.12. diff.7. Orlandus tr.4.diſp.3.q.1.Hi omnes adhærent huic ſententiæ firmiſſimè, & contrariam affirmatiuam refutant; adeo vt nonnulli cum Suario eam temeritatis, & certæ cuiuſdam impietatis accuſent: quod exiſtiment Patribus contradicere. Et quidem præcipuum eorum fundamẽtum eſt auctoritas Patrum, quos fidenter pro ſua ſententia adducunt; quaſi

quaſi eos in partibus habeant.

Rationes ita formant. Prima eſt. Diuino ſuppoſito repugnat peccare, cùm ſit diuinum: igitur Chriſtus perſona Diuina peccare nullatenus poteſt.

Secunda: actiones & quaſi actiones ſunt ſuppoſitorum, ſuppoſito Diuino repugnat peccatum, ergo repugnat etiam poſſibilitas cum peccato.

Tertia: Implicat contradictionem, quòd beatus remanens beatus peccare poſſit: Chriſtus eſt beatus, ergo impoſſibile eſt eum peccare.

Quarta, & principalis, quia humanitas Chriſti per vnionem intimè cõiungitur Deo, & per diuinitatem intrinſecè vngitur Sanctitate, & per quendam illapſum ſanctitas diuina communicatur humanitati, ergo ab intrinſeco illa natura eſt impeccabilis. Hic eſt Achilles aduerſariorum, in quo vim faciunt tres præcipui Doctores Ieſuitæ Suarez, Vaſquez & Lugo: ex quibus Vaſquez hanc rationem copioſiſſimè dilatat, & exaggerat, & magno verborum apparatu illum diuinitatis in humanitatem illapſum ad eam intrinſecè vngendam, & ſanctificandam exponit. Accedit neceſſitas ponendi hanc impeccabilitatem ex proprietatibus reſultantibus conſequenter in natura humana vnita Verbo: debentur enim ei omnia dona gratiæ, & gloriæ, ita ut connaturalia ei ſint propter hypoſtaticam vnionem.

Alia item ratio affertur, quæ multùm momenti præſefert ab inconuenienti, quod ſequeretur, ſi Chriſtus peccare potuiſſet, videlicet per communicationem idiomatum Deum peccare poſſe, quod omnino eſt abſurdum, & impium dicere.

Summa tamen vis eſt in teſtimonijs Patrum, qui videntur ita ſentire. Eos magno numero citant Suarez, & Vaſquez, nec mihi placet eos adducere, ne in ſiluam ligna feram. Videat eos lector in iiſdem auctoribus. Afferam tantùm aliquos, qui videntur manifeſtiùs loqui. Athanaſius ſerm. 2. cont. Arianos appellat Chriſtum *Per ſe Sanctum, & Dominum Sanctificationis, & natura ſua iuſtum, & immutabilem ad malum*: ac ei applicat illam vnctionem diuinitatis per vnionem hypoſtaticam. Idem ſentit Nazianzenus orat. 36. dicens voluntatem Chriſti humanam ita fuiſſe deificatam per vnionẽ ad Verbum, vt non poſſet repugnare diuinæ. Chryſoſtomus enarrat. in cap. 7. Iſai. interpretans illud verbum, *Antequam ſciat paruulus. Qui aliorum*, inquit, *tollit peccata, vtique immunis eſt ab omni peccato, nec peccare poteſt*. Cyrillus Alexandr. Dial. 6. de Trinit. vocat Chriſtum *incapacem peccati*, & lib. de Fide ad Theod. paulo poſt principium dicit *Animam Chriſti per vnionem ad Verbum factam eſſe ſuperiorem omni peccato, & immutabilem*. Epiphanius in Ancor. prope finem contra Apollinarem affirmat *Chriſtum in ſe aſſumpſiſſe animam, & carnem, quæ in ſeipſo continuit, non diuiſa ad malitiam*, & infra dicit, *ſi Chriſtus supernè*. ideſt ſecundum diuinitatem, *eſt perfectus, etiam infernè*, ideſt ſecundum humanitatem *eſſe perfectũ*, vnde colligitur ſi in humanitate peccatum eſſet in diuinitatem eſſe refundendam, vel diuinitatem minus perfectè in humanitate habitare. Præcipuus locus eſt Origenis 2. Periarch. c. 6. cuius hæc ſunt verba: *Ferrum natura ſua caloris, & frigoris capax eſt, ſi tamen ſemper intra fornacem ignis contineatur dici poterit incapax frigoris: ſic beatiſſima Chriſti anima in Deo ſemper exiſtens quidquid agit, quidquid in-*

intelligit Deus eſt, & ideo inconuertibilis eſt, & immutabilis, quæ anima inconuertibilitatem ex Dei verbi vnione indeficienter ignita poſſedit. Hæc ſunt teſtimonia Græcorum Patrum. Producuntur alia Latinorum. Hieronymi dialog. 2. cont. Pelag. & Epiſt. ad Cteſiph. Hilarij lib. 10. de Trin. Cypr. lib. de Cardi. Chriſti operibus c. de ieiunio, & tentatione Chriſti. Anſelmi lib. 2. *Cur Deus homo?* c. 10. Boet. lib. de duabus naturis. Fulgent. lib. de Incarn. & grat. c. 7. & 8. Vltimo loco producitur Auguſtinus quinque locis. Omiſſis reliquis, quatuor ſunt teſtimonia, quę videntur vrgere. Vnum Ambroſij lib. de Incarn. Domi. Sacramento c. 7. vbi reſpondens: Apollinaris dicit *animam Chriſti incapacem eſſe peccati, quia per vnionem facta eſt impeccabilis, & principium ſufficiens ad tollenda aliorum peccata.* Alterum Hilarij lib. 10. de Trin. vbi dicit *ita repugnare Chriſto peccatum, ſicut repugnat Chriſtum non eſſe Chriſtum.* Tertium Anſelmi lib. 1. Cur Deus homo. c. 10. *Primus*, inquit, *Adam peccare potuit, quia purus homo, ſecundus Adam peccare non potuit, quia eſt Deus.* Vltimum Auguſtini lib. de corrept. & gra. c. 11. *neque metuendum erat ne iſto ineffabili modo in vnitatem perſonæ à Verbo Deo humana natura ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium: cum ipſa ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret*. His teſtimonijs nixi huius auctores ſententię fidenter ſuam tradunt, & contrariam reijciunt, & reprobant, vti videre eſt in Vaſquio, & Suario acerrimis iſtius partis defenſoribus, qui grauiter notant Scoti ſententiam cum Caprol. & Medina acerbiùs, quàm par eſt, agentibus.

SECTIO IV.

Proponitur Scoti, & probatur affirmatiua ſententia.

Contrà ſentit Scotus locis ſuperius citatis in 3. d. 2. q. 1. & d. 12. q. vn. & ibi omnes eius diſcipuli, vt ait Rada controuerſia 4. art. 3. in explanatione opinionis Doctoris Subtilis. Et quidem ita Lychetus, Tataretus, Baſſolis, Aretinus, Vulpes to. 10. d. 9. art. 4. Rada citatus Caſtillo d. 18. q. 1. Felix c. 20. diffic. 1. Delgadillo c. 12. diff. 2. dub. 2. Poncius in commentar. concluſ. 1. idque fatentur aduerſarij. Præter Scotum ita docuit Durandus in 3. d. 12. q. 2. Marſil. in 3. d. 12. qu. 3. & 9. Gabriel in 3. d. 2. & 12. q. 1. Præcipua vis eſt in argumentis.

Primum eſto: vnio hypoſtatica eſt vnio phyſica, & naturalis inſtituta ad ſubſiſtentiam naturæ humanæ cum perſona diuina in genere ſuppoſiti, ergo eſt alterius rationis, nec importat formaliter, & propriè impeccabilitatem, quæ ſpectat ad moralitatem.

Secundum: illa vnio phyſica hypoſtatica nihil mutauit de naturali facultate naturæ humanæ, ſed ad naturalem facultatem iſtius ſpectat potentia peccandi, & non peccandi; ergo iſta non eſt ſublata per vnionem. Declaratur exemplo Angelorum, in quibus poſt peccatum manſerunt integra naturalia. Hinc formatur

Tertium argumentum peccatum non tollit naturale Angeli, vel hominis, & relinquit naturam integram, & inuiolatam, cùm ſint prædicata diſtincta, ergo neque vnio phyſica hypoſtatica pertinens ad naturam mutabit eam, auferẽdo illi libertatem moralem non peccandi, ideſt peccabilitatem.

Quartum

Digitized by Google

Quartum illa potentia peccãdi pertinet ad libertatem intrinſecam naturæ humanæ, quæ libera eſt, & in vtranque partem indifferens, ergo non poteſt fieri impeccabilis ab intrinſeco, ne amittat ſuam intrinſecam libertatem.

Quintum ex contraria ſententia ſequitur confuſio quædã diuinarũ, & humanarum proprietatum, quæ eſt maximè vitanda propter errorem Eutychis, & Apollinaris, ergo non eſt admittenda. Aſſumptum probatur, quia contraria ſentẽtia ponit illapſum quendam intrinſecum Sanctitatis Diuinæ in naturam humanam, per quã fiat formaliter impeccabilis, in quo inuoluitur quædam veluti commixtio, & confuſio proprietatum vnius, & alterius naturæ.

Sextum impoſſibile eſt quòd natura diuina per illam vnionem hypoſtaticam vngat, & perfundat intrinſecè naturam humanam vnitam Verbo, itaut inſinuando ſeſe, & quodammodo penetrando naturam per intimum quaſi influxum, & vnctionem eam afficiat delibutam vnguento ſanctitatis, ergo non debet admitti. Aſſumptũ probatur, natura diuina manet realiter prorſus diſtincta à natura humana, nec in eam recipitur, cùm & ipſa vnio hypoſtatica non recipiatur in Verbo, ſed tantùm terminetur ad verbum, quantum ſatis eſt ad ſubſiſtendum, ergo non poteſt ex hac coniunctione oriri illa vnctio, & ſanctificatio intrinſeca, & euertitur fundamentum principale contrariæ ſententiæ, imo & in eandem validè retorquetur.

Hæ rationes ſi rectè expendantur efficiunt Scoti ſententiam non modò probabilem, ſed multò quàm ſit contraria probabiliorem. Sunt enim meo iudicio rotundæ, & inuictæ. Et hac in parte rectè dixit Vulpes Scoti ſententiã altiùs penetrare viſcera difficultatis, & quidem argumenta Thomiſtarum magis fundantur in decẽtia quadam morali, quàm in recta & iuſta argumentatione.

Accedit quòd oritur ex illo modo impeccabilitatis intrinſecæ noua, & meo iudicio inſuperabilis difficultas circa libertatem, & meritum Chriſti Domini: vnde exurgit

Vltimum argumentum. Cum illa ſententia impeccabilitatis ab intrinſeco ex vi hypoſtaticæ vnionis non poteſt conſiſtere ratio libertatis, ſed hæc neceſſario ponenda eſt in Chriſto propter meritum in operando, ergo reiicienda eſt illa impeccabilitas. Maior probatur, quia non datur libertas ſine potentia ad oppoſitum, ex illa verò impeccabilitate aufertur potentia ad oppoſitum peccatum, quòd ne de potentia quidem abſoluta cum illa componitur, igitur nulla relinquitur in operando libertas, ſine qua meritum eſſe non poteſt: minor eſt certiſſima, quia Chriſtus verè meruit. Conſequentia colligit; vnde inuictum redditur argumentum.

Adiicio vulgarem rationem. Si natura humana redditur impeccabilis, vel redditur à ſola perſona Verbi, vel ab omnibus diuinis perſonis: neutrum eſt dicendum, ergo non eſt abſolutè impeccabilis. Probatur minor quoad primam partem, quia Verbum per ſuã ſubſiſtentiam præciſè nõ ſanctificat, nec poteſt ſanctificare naturam ſibi vnitam, quia tantùm illam terminat, & complet vt ſubſiſtat: probatur quoad ſecundum, quia aliæ perſonæ nihil operantur in ratione ſuppoſiti, ergo non concurrunt ad illam ſanctificationem: ſi autem concurrunt diuinitas debet concurrere, vti communis

Digitized by Google

eſt tribus perſonis, non autem ſicut propria eſt filio. Igitur nullo modo concurrit, nec poteſt concurrere ad ſanctificandum, & euertitur illud principium, quo nititur tota machina ſententiæ. Hæc argumenta tantum negotij exhibent Thomiſtis, vt vehementer ſudent, & torqueantur in ijs ſoluendis, nec vlla poſſunt arte, vel modo, vel ratione diſſoluere. Experiatur vnuſquiſque qui ea legerit, vti à me hic proponuntur, & ingenuè fatebitur cum illis ſe luctari non poſſe. Vnde ſe conuertunt ad quoddam decorum, dicendo minimè decere Chriſtum peccare poſſe, etiam de potentia abſoluta, ne per communicationem idiomatum dicatur Deus Deus peccare, aut peccare poſſe, quia indignum eſt Deo peccatum.

Hanc rationem, quæ pompam potius habet, quàm vim volo elidere hoc modo. Non minus repugnat Deo propter indecentiam dici brutum, & rationis incapacem, & irrationalem, quàm repugnet dici peccatorem, ſed poſita communi ſententia poſſe perſonam diuinam aſſumere naturam belluinam, ſequitur dicendum brutum, incapacem rationis, irrationalem, beſtiam, igitur non repugnabit ratione naturæ aſſumptæ dici peccatorem. Hoc ipſum probo, quia abſurdius eſt dici Deum carere ratione, quàm carere ſanctitate, cùm ratio pertineat ad intellectum, qui in ſententia aduerſariorum eſt nobilior voluntate, & pertinet ad naturam diuinam, per quem formaliter conſtituitur Deus in ſententia eorundem, & apparet in generatione Verbi, cùm Verbum Diuinum genitum ſit per intellectum per modum naturæ, vt ait Diuus Thomas, cùm tamen ſanctitas ſpectet ad voluntatem, quæ non pertinet formaliter ad naturam Diuinam, nec eſt formalis ratio diuinitatis, igitur ſi aduerſarij admittunt illud abſurdum per communẽ rationem idiomatum, debent etiam admittere iſtud aliud de denominatione peccatoris. Non video quid poſſint huic argumento Thomiſtæ reſpondere.

SECTIO V.

Soluuntur argumenta contrariæ ſententiæ, & auctoritates explicantur.

QVod attinet argumenta petita ex ratione penè omnia ſunt euerſa proxima ſectione, vt patet ex propoſitis argumentis pro noſtra doctrina.

Primo reſpondetur, concedendo ſuppoſito diuino repugnare peccatũ, ſed non repugnare naturæ vnitæ ſuppoſito, cùm ſit libera, & peccabilis ab intrinſeco, nec nos agimus de ſuppoſito Verbi, ſed de natura vnita Verbo, quæ eſt realiter ab illo diſtincta, vnde argumentum nihil concludit.

Secundum ſoluitur, dicendo illud axioma præterquamquod multipliciter exponatur, ut alibi diximus, intelligi tantùm quoad denominationem, non autem quoad actionem, ita ut actiones non ſint à ſuppoſito, ſed à natura ſubſiſtente in ſuppoſito, quemadmodum ſuperiùs expoſuimus, non ſolum cum Scoto, ſed etiam cum Diuo Thoma docente ſuppoſitum non ſemper inuolui in propoſitionibus factis per communicationem idiomatũ. Itaque aliud eſt denominari, aliud operari; denominaretur ergo peccator Deus, ſed non ideo eſſet peccator, quemadmodum denominaretur brutum, vel irrationalis ſi vniret ſibi brutum,

tum, vel belluam irrationalem.

Tertium, diluitur negando ſimilitudinem, quia beatus manens beatus infert contradictionem peccati, ſumitur enim in ſenſu compoſito, in quo falſa eſt propoſitio, cùm peccatū cum beatitudine actuali non poſſit conſiſtere: vnde Scotus dixit Chriſtum ratione beatitudinis, & viſionis diuinæ eſſe impeccabilem, quia cum viſione Dei peccatum ſtare nequit, quod non militat in ratione hypoſtatica, quæ ſpectat ad ſubſiſtentiam, quæ non infert negationem peccati, quantum eſt ex ſe præciſè, & ratione vnionis.

Quartum & principale deſumptum ex natura humana vncta, & delibuta vnguēto diuinitatis omninò reijcitur, & confutatur tanquam abſurdum, & improbabile in argumentis factis pro ſententia Scoti.

Vltima ratio adiecta ex communicatione idiomatum, difficilis viſa eſt nonnullis ſequētibus ſententiam Scoti, qui timuerūt concedere dici Deum peccatorem, qualis fuit Gabriel in 3.d. 2.& 12. qu. 1.& idcirco negarunt ſequelam, ſed omnino abſurdè, & incōſequenter: admittenda in eo caſu ſequela eſt, cùm in re nihil ponat & ſola ſit denominatio extrinſeca Deo, cui ſi non repugnat dici incapacem rationis, brutum, & irrationalem, non item repugnabit dici peccatorem, vti proximè diximus.

Supereſt tantùm ſolutio auctoritatum Sanctorum Patrum. Reſpondeo primò generatim illos Patres ſcripſiſſe contra Arium, & ſequaces qui ponebant Verbum Dei eſſe creaturam, & affirmabant etiam vti Deum peccare potuiſſe, ſicut refert Nicephorus lib.4.Hiſt.c.5. quam hæreſim vt euerterent negabant Chriſto potentiam peccandi, ne purus homo crederetur. Sic intelligendus Athanaſius, Nazianzenus, Cyrillus, Hilarius, & Ambroſius, & fermè omnes Patres Græci. Deinde illi Patres non loquebantur de potentia abſoluta, ſed de facto, & de potentia ordinaria; nos autem excitamus quæſtionem de potentia abſoluta, neque negamus Chriſtum impeccabilem eſſe, ſed tantùm dicimus non eſſe impeccabilem ab intrinſeco ex vi vnionis hypoſtaticæ, ſed ex alio dono gratiæ, quod pertinet ad ſanctificationem additam naturæ, quæ ſpectat ad ſanctificationem moralem. Specialiter verò dicimus Athanaſium non explicaſſe incapacitatem peccati prouenire immediatè ab vnione hypoſtatica, ſed coniunctam eſſe cum vnione hypoſtatica, ad quod ſatis eſt donum gratię, & gloriæ, vti dicit Scotus, nec vocabulum *vnionis* intelligendum eſt de illa ſanctificatione per illapſum, & inſinuationem, & penetrationē intrinſecam, ſed per aliquòd donū ſupernaturale cōcomitans ex quadā æquitate veluti connaturali ſequente ipſam hypoſtaticam vnionē. Quo item modo intelligendus eſt Nazianzenus, & Cyrillus. Auctoritas Chryſoſtomi rem non continet, vt ex eius verbis apparet, nec item Epiphanij. Origenes autem nimis dicit, & inclinat ad ſententiam Thomiſticam, ſed ille vt Platonicus exaggerator eſt, & excedit in modo loquendi, nec multū valet eius auctoritas, cùm ſæpe errauerit, præſertim in ijs libris Periarchon, vt ipſemet Diuus Thomas ſæpe teſtatur, & ſuſpicandum eſt eum in hoc loco præluſiſſe ad Eutychetem, & Apollinarē; quare potius eſt fugiendus, quàm ſequendus. Ambroſius, Hilarius, Hieronymus eodem modo, quo Athanaſius, Nazianzenus, & Cyrillus ſunt explicandi. Cyprianus parum vrget,

Digitized by Google

quia non loquitur de illa vnctione intrinſecùs ſanctificante. Anſelmus tantùm dicit Chriſtum, quia Deus erat non potuiſſe peccare, nec explicauit, de qua ſanctificatione loquebatur. Ita exponendus Boetius, & Fulgentius. Auguſtinus nullum nobis negotium faceſſit, cùm eius verba factū contineant vt ille modus loquendi *Nec metuendū, erat* impeccabilitatem minimè ſonet, imo indicet poſſibilitatē, cum timoris mentionē faciat cum remouēdo, quaſi timeri aliunde poſſet, niſi illa vnio interueniret.

Vno verbo Patres nihil de quæſtione Scholaſtica ſtatuerunt. Satis eſt pro veritate Eccleſiaſtica negare Chriſtū peccaſſe de facto, & de potentia ordinaria peccare potuiſſe, imo & de abſoluta ſtante viſione beata, qua ratione fatemur omnes Chriſtum eſſe impeccabilem.

IVDICIVM.

INcipiam à querimonia de aliorū iudicio, qui auſi ſunt Scoti, & Scholæ ſubtilis ſententiam non modò vituperare, ſed etiam notare, quòd temeraria ſit, & parum pia: inter quos fuerūt Pater Suarez, & Vaſquez ſummi Thologi, quos ego doleo tam iniquè de illa ſententia iudicare, quod magni ſemper facere ſoleo illorum iudicium. Non poſſum non mirari eos hac in re minus vidiſſe. Primùm enim temeraria opinio non eſt, quæ claros, & plures auctores habet, quales ſunt Scotus, Durandus, Gabriel, Ochamus, & omnes Scotiſtæ, & qui ijs adhærent, quare iſta nota euaneſcit. Eſſe minus piam nihil obſtat veritati, poteſt enim aliqua opinio videri pia, & tamen minus eſſe probabilis, vti videbatur Thomiſtis antiquis ſententia de Immaculatæ Virginis Conceptione, contra quam tamen ipſi ſentiebant, & hodie videtur pleriſq; Theologis præſertim Hiſpanis, quales ſunt Salazarius, & Pozza, opinio nūper ab iis inuenta Beatam Virginem non incurriſſe debitum peccati originalis, & tamen illa cōmuniter reijcitur à Theologis. Deinde vbi eſt illa maior pietas? Omnes dicimus in Chriſto Domino nec fuiſſe peccatum, nec eſſe potuiſſe de potentia ordinaria; hoc autem præſefert pietatem cum veritate coniunctam. Vtrum verò de potentia abſoluta peccare potuerit, id totum Scholaſticum eſt; & in diuinatione potius, quàm in diſputatione conſiſtit. Quod attinet principium impeccabilitatis, probabilior videtur Scoti ſentētia negans eſſe vnionem hypoſtaticam ex fundamentis adductis, quæ ſane ſunt validiſſima, præcipuè propter illa duo inconuenientia, quæ inde ſequuntur: primum quia videtur fieri quædam permixtio diuinitatis cum humanitate per illum influxum, & illapſum vnius in aliam, & participatiunem Sanctitatis Diuinæ, quæ cum ea ratione ſit intrinſeca, quod eſt intrinſecum naturæ diuinæ fit etiam intrinſecum naturæ humanæ, hoc autem quid eſt niſi vnam proprietatem cum altera permiſceri? Secundum, quia ea ratione euertitur meritum Chriſti Domini ſublata prorſus libertate ad merēdum, quomodo enim poteſt Chriſtus eſſe liber ad meritum, ſi eſt impeccabilis ab intrinſeco, & omnino impotens ad peccandum ſine vlla in partem contrariam poteſtate? Quod ſi per viſionem beatam aufertur libertas indifferentiæ ad merendum, & demerendū propter incompoſſibilitatem beatitudinis cum peccato, quomodo erit locus libertati in illa impeccabilitate ex

Digitized by Google

vi vnionis hypoſtaticæ, quæ eſt res phyſica, & aufert non ſolum principium morale, ſed etiam naturale liberum? Multò meliùs procedit Scotus, & faciliùs recurrens ad viſionem beatam, & affirmans per eam fieri Chriſtum impeccabilem, quia relinquit principium phyſicum arbitrij naturalis liberum, & cum poteſtate indifferentiæ ad vtranque partem, quod non aufertur ex natura, ſed tantùm ligatur ab extrinſeco per viſionem beatam. Apparet autem difficultas in conciliandà libertate Chriſti Domini cum illa impotentia peccandi ex vi vnionis hypoſtaticæ ex doctrina ipſorummet auctorum contrariæ ſententiæ, qui mirè torquentur, & vexantur in retinenda libertate in Chriſto, quemadmodũ videre eſt in Suario acerrimo eius defẽſore, qui diſp. 37. in 3. p. maximè laborat in hac difficultate explananda, & nunquam ſibi ſatisfacit, vti nos ſæpe diligenter obſeruauimus, etiam cum illius doctrinam in Societate ſequebamur. Hanc nos difficultatem oſtendimus in noſtro libro inſcripto *Mens Innocentij circa propoſitiones Ianſenij* art. 4. vbi in examine tertiæ propoſitionis tractauimus de libertate Chriſti, & ſententiam Suarez, & ſequacium propoſuimus, & refutauimus, quamquam ſuppreſſo nomine auctorum. Ibi enim omnes modos reſpondendi ad difficultatem obiectam de libertate Chriſti Domini adduximus, expendimus, & reiecimus, de quo poſtea in diſputatione de voluntate, & libertate Chriſti ad merendum perſpicuè, & accuratè tractabimus. Tandem metus, quem nobis inijciunt, aduerſarij de communicatione idiomatum, videlicet ex noſtra ſententia ſequi poſſe dici Deum peccare, nihil obſtat, cum ſit pura denominatio, & comperiam non minus eſſe abſurdum in communicatione idiomatum ſuppoſito, quòd perſona diuina aſſumeret naturam belluinam dicere Deum eſſe belluam, & carere ratione, quæ certè propoſitio, vt verum fatear, abſurdior, & horribilior eſt, quàm alia propter rationem ſuperius aſſignatam; adeo vt propè fuerim à negando poſſe naturam rationalem aſſumi à Deo, ne iſtud inconueniens denominandi belluam admittatur.

COLLATIO

COLLATIO QVARTA

DIFFERENTIA II.

Vtrum in Chriſto fuerit fomes peccati?

SECTIO I.

Quid ſit fomes peccati?

PRimum ſcire oportet, quid ſit concupiſcẽtia, ſiue Fomes peccati? Prima ſententia eſt: Nihil aliud eſſe, quàm inclinationem inordinatam appetitus ad omne delectabile relictam in nobis poſt peccatum originale, vnde exiſtit quædam pronitas ad peccandum, orta ex omiſſione iuſtitiæ originalis, quę frenabat naturalem appetitum, de qua Conc. Trident. Seſſ. v. can. 5. ait *A peccato eſſe, & ad peccatum inclinare*. Secunda eſt Fomitem, ſiue concupiſcentiam eſſe quandam morbidam qualitatem, additam appetitui naturali; quæ inſtar habitus inclinat poſitiuè ad illicitas delectationes, tractam ex peccato originali. Hæ duæ ſententiæ in re cõueniunt, in modo tamen differunt. Conueniunt in eo, quòd concupiſcentia ſit inclinatio inordinata ad omne delectabile, etiam inhoneſtum. Differunt in eo, quòd prima ſententia non ponit iſtam inclinationem in aliqua poſitiua entitate, quæ adueniat appetitui; ſicuti ſecunda affirmat: ſed ſtatuit inclinationem, & inordinationem appetitus ortam ex defectu iuſtitiæ originalis, vti priuationem inducit. Ita Sanctus Thomas 3. p. qu. 15. art. 2. & ibi interpretes. Et in 1. 2. q. 109. art. 1. & q. 85. art. 3. Scotus in 2. d. 30. & 31. & Durandus in 3. d. 3. qu. 3. Soto de nat. & grat. lib. 1. c. 23. Cordub. lib. prim. quæſt. Theolo. q. 41. licet propendeat ad qualitatem. Aretinus in 3. diſtin. 3. qu. 1. art. 2. Felix. c. 20. diſ. 1. citans Lorcam, & Monteſinum. Delgadillo c. 12. diſ. 2. in tom. de Incarnat. vbi dicit Theologos communiter vocare fomitem deordinatam inclinationem poſt peccatum Adę; quod ipſum docet Diuus Thomas 3. parte qu. 28. art. 3. & animaduertit Vaſquez, qui in eadem ſententia eſt, diſp. 61. de Incarn. c. 8. & diſp. 118. c. 2. 3. & 4. vbi tandem mentem ſuam explicat nu. 45. Eum ſequitur Hurtado diſp. 100. diſ. 8. Eiuſdem eſt opinionis Suarez to. 1. in 3. partem diſp. 34. Sect. 2. & Bellarminus lib. 5. de amiſs. grat. ſtat. pec. c. 15. Vtraque ſententia habet ſuam difficultatem. Prima, quia nihil poſitiuum addit naturæ appetitus, ſed ponit ſolam priuationem iuſti-

Digitized by Google

tiæ originalis. Secunda, quia hæc addit morbidam qualitatem vltra priuationem. Vnde prima videtur reducere concupiſcentiam ad naturalem appetitum ſub priuatione, vt diſertè ait Bellarminus, ſecunda vero inducit nouam qualitatem morbidam in ipſummet appetitum. Huius ſententiæ de morbida qualitate auctores ſunt Aureolus in 2.diſt.70.art.2. Ocham.in 3.quæſt.art.1. & quodlib. 3. quæſt.10. Gabriel in 3.d.3.q.2.arb.primo, & in 2. d.30.q.2.art.2. concl.6. Almainus in 3. d.3.q.2.& ſignificat Argentina d.30.q. 3. & 4. & Marſilius qu.4. art. 1. part.2. eamque opinionem tribuit antiquis Scriptoribus Aretinus in 3.d.3.q.1.art. 12. Idipſum tradit Gregorius Ariminenſis in 1.d.30.q.1. art.2. qui eam perſpicuè ponit, roborat, & defendit exiſtimans Auguſtini eſſe, de qua audiendus Suarez in 3 parte diſput.34. ſect.2. princip. *Eſt improbabile huiuſmodi qualitatem fingere, quæ intelligi non poteſt cum anima ipſa concreari, oporteret enim ab ipſo Deo infundi, quia aliunde originem habere non poteſt, cum neque ab ipſa anima naturaliter manet; hoc enim in iniuriam potius auctoris naturæ redundaret; nec poſſet de peccato Adæ, quod iam diu præterijt, phyſicè produci;* & concludit hanc ſententiam *eſſe antiquatam, & ab omnibus fermè Theologis, qui benè ſentiunt reiectam.*

SECTIO II.

Extraordinaria de Fomite concupiſcentiæ opinio proponitur.

HActenus intra Scholas cum Scholaſticis Theologis diſputauimus, nunc extra illas cum nonnullis, quę à Scholis, & Scholaſticis abhorrent, diſceptandum. Extra illas Manichæi inducebāt concupiſcētiam naturam per ſe, & ſecundum eſſentiam malam, concreatam naturæ bonæ, à bono Deo conditæ; & illius auctorem faciebant malum quendam Deum, ſiue principium malum. Pelagiani verò aiebant Concupiſcentiam eſſe bonam, & ingenitam homini, atque adeo naturalem proprietatem. Neutri admittebant pęnalem Concupiſcentiam, quia vtrique negabant originale peccatum. Auguſtinus mediam tenebat, & Catholicam ſententiam, videlicet Concupiſcentiam relictam eſſe ex peccato; non naturam, ſed vitiū, & vulnus naturæ, malum eius accidens, non bonum, diſtinguens in natura peccatrice naturam bonam, & vitium malum, ex accidente peccato conſecutum. Placet afferre Auguſtinum vtrumque perſpicuè diſcernentem, & apertè diſtinguentem lib. 2. de Nupt. & Concup. c.33. *Vitium*, inquit, *inſeminatum naturæ perſuaſione Diaboli, non natura condita.* Lib. 3. contra Iul. cap. 21. *In vno homine naturam bonam, ſed vitium malum.* Lib 4. contra eundem c.2. in fine. *Cuius origo eſt primum malum hominis.* Lib. 2. de Nupt. & Concup. c.9. *Agitur de vitio, quo eſt deprauata natura bona, cuius vitij auctor eſt Diabolus.* Lib. 4. contr. Iul. c.26. *Naturæ vulnus eſt de præuaricatione, quam Diabolus perſuaſit inflictum.* Lib. 1. de Nupt. & Concup. c. 17. *eſt ex antiquo peccato accidens malum.* Rē continet, quod ait lib. 1. de Concupiſc. cap. 15. *Pudenda carnis Concupiſcentia in Paradiſo ante peccatum non fuit.* Nota verò, *pudenda, quaſi alia forēt non pudenda* & ibi c.22. *Si interrrogetur illa carnis Concupiſcentia, qua pudenda non fuerant, nonne reſpondebit ſe in membris hominis eſſe poſt peccatum cæpiſſe, & ideo legem peccati verbis Apoſtolicis*

ſtolicis nuncupatam? ibi cap. 24. *Hæc Concupiſcentia naturæ non accidit, niſi de peccato, tanquam filia peccati.* Eadem tradit lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. vbi c. 5. proponit; *Vtrum commixtio ante peccatum Adæ pudenda eſſet futura?* cui quæſtioni reſpondet ibi eodem modo c. 13. & ſequentibus. Vigilanter, ac ſubtiliter Auguſtinus diſcreuit in eadem natura, naturam bonam à vitio malo, ne videretur Manichæis conſentire ponendo naturam in ſe, & ex ſe malam, nec Pelagianis, negando vitium malum accidens naturæ bonæ. Seruabat naturam bonam, & in ea vitium accidens ex peccato agnoſcebat, & vitiatam ſtatuebat, non in ſe, nec per ſuam, quæ bona eſt, naturam, ſed per adueniens vitium, adiectum naturæ, ſecretum quidem a natura, ſed cum ea concretum, & inolitum naturæ; refellebatque hoc modo Iulianum imponentem ſibi calumniam Manichæiſmi, reſpondens naturam conditam, & fuiſſe, & eſſe bonam, non malam: verùm ei per peccatum malum accidiſſe, quod nō erat natura, nec naturale, ſed pænale adueniens naturæ. Hæc eſt vera, & germana mens Auguſtini.

Inter has duas extremas media quædam tertia ſententia eſt: Fomitem peccati eſſe inclinationem quandam, ſeu pronitatem ad peccandum aduenientem vltra negationem illi appetitui naturali imperfecto per carentiam ſubordinationis, & obedientiæ, quæ poſt peccatum conſecuta eſt. Quam ſententiam nos docuimus tomo de Clauibus Petri lib. 4. c. 20. & tom. 2. Collationum, collat. 8. Differ. 3. ſ. 5. & veram putamus, quòd ſit maxime conformis Concilio Tridentino ſeſs. 5. quod manifeſtè dicit cum S. Auguſtino Concupiſcentiam, ſiue Fomitem peccati eſſe *inclinationem ad peccatum, & ex peccato eſſe*; itaque tria ſunt concurrentia ad conſtituendum appetitum cum Fomite peccati: ſcilicet ipſe appetitus naturalis: negatio obedientiæ, & ſubordinationis ad rationem, quæ nō eſſet niſi interueniret peccatum, & iſta pronitas, & inclinatio ad peccatum, quæ negationem conſequitur. Ex quibus appetitus naturalis eſt: cætera duo pœnalia. Hæc autem ſentētia differt à ſecunda, quia vltra illā negationē ſiue priuationem ordinariam ponit inclinationem, ſiue pronitatem ad malum, qualis non eſſet in ſtatu puræ naturæ, cum hodiè ſit pœna peccati. Quibus poſitis reſpondetur ad quæſtionem in Chriſto Domino fuiſſe quidem appetitum naturalem, tum concupiſcibilem ordinati, & connaturalis boni, tum iraſcibilem auertentem naturale malum, vtrunque conformem naturæ, & ſubordinatum, & obſecundantem rectè rationi. Non fuiſſe autem reliqua duo, ideſt carentiam debitæ ſuæ ordinationis, & inclinationem ad peccatum. Cùm autem Fomes conſiſtat in hiſce duobus: negatione, & inclinatione ad malum, nō fuit in Chriſto Fomes peccati: imo nec eſſe potuit ſuppoſita prærogatiua vnionis hypoſtaticæ. In Beata Virgine autem (ne illam à Filio ſeparemus) fuit appetitus naturalis, quoad vtranque partem: non fuit autem carentia ſubordinationis, neque inclinatio ad peccatum, quia caruit peccato originali: cum hac differentia, quòd debuit eſſe, ſicuti etiam eſſe debuit originale peccatum, quemadmodum ſuperius diximus. Vnde in Chriſto non fuit Fomes peccati, nec debitum; Imo nec proportio ad ipſum, quia omnino fuit incapax originalis peccati, cùm eius Conceptio miraculoſa fuerit, ſine concubitu, &

ſe-

ſeminatione. At vero in Beata Virgine fuit debitum, & proportio ad Fomitem peccati, cùm fuerit concepta more ordinario per ſeminalem rationem ex vtroque parente. Hinc eſt quod auctores communiter cum D. Thoma 3. p. q. 27. a. 3. dicunt in Beata Virgine fuiſſe fomitem peccati ligatum, quem modum loquendi non improbo, ſed magis probo alium modum loquendi, dicendo Beatam Virginem non habuiſſe fomitem peccati, ſed tantùm debitum, & proportionem ad illum. Ratio qua moueor ea eſt, quia qui dicit Beatam Virginem habuiſſe fomitem ligatum, ſignificat habuiſſe aliquam inclinationem, ſed tamen coercitam, & refrenatam, & ille terminus *ligatum* innuit aliquam pronitaté inchoatam, volentem prorumpere in actum, ſed tamen cohiberi, & refrenari, ne prorumpat: in quo eſt aliqua violentia, qualis eſt in homine ligato inuito, quod minus videtur conuenire Beatæ Virgini, quapropter Vaſquez 3. p. d. 114. ait fomitem extinctum potius, quàm ligatum, quo cum ſenſit noſter Aretinus, qui mauult dicere ſublatum, quàm ligatum in 3. q. 1. a. 13. & citat Scotum in eundem locum, quem ibi nihil de eo tradidiſſe comperio. Maneat itaque vtrunque caruiſſe fomite peccati tum Chriſtum, tum Virginē Matrem; ſed Chriſtum omnino eius incapacem eſſe, Virginem verò Matrem eſſe capacem, & habere potentiam ad ipſum, non habere tamē actū: atque adeo, neque ipſum fomitem. Venio ad aliam nouem opinationem tradit Ianſenius lib. 3. de ſtatu puræ naturæ cap. 20. pag. 399. col. 2. Tenent igitur quidam de Ianſenij ſectatoribus fomitem concupiſcentiæ eſſe aliquid per ſe, & natura ſua malum poſitiuum, quale fingebant Manichæi admittentes naturam per ſe, & ex natura ſua malam; imo tradunt in hoc ſenſu Auguſtinum poſuiſſe concupiſcentiam malam admittendo ſuppoſitionem Manichæorum, negando tamen eſſe peccatum, quia res erat naturalis, ac proinde peccatum eſſe non poſſet, cùm ſit contradictio. Eſt naturale, & eſt peccatum; & ita reſpondēt celeberrimo Auguſtini loco in lib. 3. de liber. arbitr. relato lib. 1. Retract. c. 9. *Quamuis*, inquit, *ignorantia, & difficultas, etiam ſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus*. Quem aduerſarij magna contentione obijciunt, vt eorum euertant ſententiam. Quem acceptum detorquent, ac ſiniſtrè interpretantur hac ratione in ſui dogmatis confirmationem. Afferamus verba vnius noui ſcriptoris. *Sanctus Doctor nuſquam appellauit Concupiſcentiam bonum, ſed vbique malum dixit, vt planè euidens fiat ſecundum propriam eſſentiam eſſe malam, non verò ſecundum imperfectionem annexam*. Ita in Vind. c. 3. p. 2. pag. 32. Mox *opponunt*, inquit Auguſt. lib. 1. Retract. c. 9. *dixiſſe. Quamuis ignorantia, & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. Ergo, inquiunt, ex Auguſtino laudandus eſſet Deus, tametſi hominem creaſſet abſque perfecta concupiſcentiæ ſubiectione. In hoc vno, tam claro Auguſtini, vt aiunt, Teſtimonio ſibi victoriam canunt, cum tamen S. Doctor innumeris locis oppoſitū aſſeruerit, nec ibidem, vt ipſi perperam arbitrantur ipſorum ſententiam docuerit. Etenim S. Doctor eo loco contra Manichæos diſputabat, qui dicebant: Concupiſcentiam eſſe malam quandam naturam, & omnium malorum productricem commentabantur. Auguſtinus, vt*

eoſdem refelleret, hypotheſim vtramque gratia diſputationis admiſit, nempe hominem cum concupiſcentia creatum, & ſine iſta nequaquam creari potuiſſe, vrgebat verò hæreticos etiam tunc Deum fore laudandum, nam nulla culpa Dei fuiſſet facere quod fieri non poterat. Lege(nam eſt mendum)*aliter fieri non poterat*. Ianſenius autem ſic.

Perſpicuum eſt, inquit, *Auguſtinum refelliſſe Manichæos ex hypoteſi ad hominem, eaque falſa, & impoſſibili; ſed quæ ſufficeret ad eorum inſanias reuincendas.* Et paulo poſt infra pag 400.col. 1. *Hypotheſis itaque impoſſibilis eſt, vt ignorantiam, & mala libidinum diuerſarum deſideria ſint naturalia, & homini à Deo conditore primitus data. Ex qua tamen rectè ſequitur eis licitè poſſe conſentiri.* Et rurſum *Ex quo rectè conſequenter ſequitur: quicquid illa ignorãtia, ac deſiderijs naturalibus appetitur ſine vllo peccato in pura natura poſſe perpetrari*. Et poſteà. *Ex qua denique hypotheſi ſimiliter rectè ſequitur Deum in iſtis naturæ primordijs adhuc eſſe laudandum; Dei naturam non eſſe mixtam cum gente tenebrarum, Deum a Creaturæ ſic conditæ peccatis eſſe remotiſſimum, quæ Auguſtinus contra Manicheos in iſta ſuppoſitione ſpectabat. Si enim tunc in hypotheſi peccat creatura, laudemus Creatorem, quia non peccat niſi dum ab inſtituto ſui Creatoris abſcedit: Si verò non peccat laudemus Creatorem, quia nihil præter Creatoris inſtituta committit.*

Hic diligenter animaduertendum nouum iſtum ſectatorem multo deterius ſenſiſſe, ac locutum fuiſſe Ianſenio. Hic enim perſpicuè declarauit illam hypotheſin *eſſe falſam, & impoſſibilem*, idque non ſemel, cum ſectator tacuerit, imo dixerit *commentabantur*, cùm debuiſſet *comminiſcebantur*, quo ſignificauit ſuam de Concupiſcẽtia ſecundum propriam eſſentia mala opinionem. Verum non ideo ſunt excuſandi, quia etſi non admittant hypotheſim eſſe poſſibilem in ſenſu Manichæorum de innata, & ingenita mala concupiſcentia concreata naturæ bonæ, & miſturam vtriuſque, non ſequitur eos non poſuiſſe concupiſcentiam malam congenitam naturæ corruptæ per peccatum, in pœnam Originalis peccati, quemadmodum hodierni Hæretici cum Luthero, Caluino, Melanthone, Kemnitio, qui malam ex ſua natura concupiſcentiam ponunt: non naturalem, nec partem naturæ, qualem Manichei ponebant, ſed pænalem, quæ in pura natura non eſſet, & in ſtatu Innocẽtiæ non fuit, & ita euitare ſe Manichæiſmũm putant, & iactant. Imo ipſemet Illyricus, qui dixit peccatum originale eſſe ſubſtantiã ab illa ſe hæreſi excuſat, vti narrat Bellarminus lib. 5. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 2. Non igitur ſe liberant illi auctores à nota, quod dicant hypotheſim Manichæorum eſſe falſam, & impoſſibilem, cùm de pænali concupiſcentia affirment, quod Manichæi de naturali affirmabant. Imo vero vt candidè dicam, turpiùs errant cum affirment Deum intendiſſe illam concupiſcentiam natura ſua malam tanquã pænam, qua ratione faciunt Deum auctorem illius, quod non ſunt auſi Manichæi attribuentes illam malæ creationem naturæ non Deo, ſed Deo cuidam malo. Qui nouus eſt error inſtitutus in ea hypotheſi, in qua ſupponitur Deus cõditor illius malæ concupiſcẽtiæ, quod in Manichæorum hypotheſi non includebatur. Scilicet Deum fore auctorem naturæ ſecundum ſuam eſſentiam malæ.

Peccant etiam ijdem ſcriptores prouocando

uocando ad libros Auguſtini contra Manicheos, & applicando eorum doctrinam huic teſtimonio poſito in libro 3. de libero Arbitr. & 1. Retract. c. 9. à quo illa eſt aliena. Debuerant reſpondere ex doctrina eiuſdem libri de libero arbitr. vbi nulla omnino fit mentio de hac hypotheſi Manichæorum, imò ibidem prorſus euertitur: quemadmodum iam euidenter pergimus demonſtrare.

Et quoniam Aſſeclæ Ianſenij mouentur eius auctoritate, quam veluti preiudicatam, & indubitatam habent, quòd alterum Auguſtinum eum exiſtimant, volo me ei opponere, quem non pauci, (ſit venia dicto) pro meo in Auguſtinum ſtudio, ac eorum in me beneuolentia Auguſtinum Conimbricenſem vocant, nec dubito quin parem ei me hoſtem exhibeam, homini, quod fateor, in Auguſtino verſatiſſimo, cui tamen minimè concedam, qui ab hinc annis quadraginta Auguſtinum verſo, & perſpectum, & exploratum habeo, neque me patiar vinci à Ianſenio, aut lectione, aut intelligentia Sanctiſſimi huius Doctoris, cùm ferè nunquam è manibus deponam, & vacuus, & attentus legerim, ac eius ſemper ſtudio flagrauerim, minoribus quàm Ianſenius diſtractus negotiis, paucioribus curis diſtrictus. Neque ſolùm eius doctrinam hauſi, & typis mandaui, ſed etiam palàm pro roſtris ſæpius explicaui, & ſuſtinui, & defendi, ac non ſemel meæ huius lectionis, & comprehenſionis ſpecimen præbui. Illud mihi vindico ſæpè ad lectionem preces adhibuiſſe, quibus à Deo locorum difficilium intelligentiam impetrarem. Non eo hæc dico, quòd velim de Auguſtini intelligentia gloriari, ſed vt lectores admoneam, ne præiudicatam habeant auctoritatem Ianſenij, quaſi ille primas habeat, nam has ego ei non tribuo, cùm præſertim ad eum diſcendi gratia auidus acceſſerim, in ætate matura, inſtructus ſacris litteris, ac Theologia, tum ſpeculatiua, tum practica, tum polemica, integris ſenſibus, illibata valetudine, quam nullus hactenus morbus tentauit: ac non ſemel perpetuum legerim, & in mente ſtudio, & in corde amore impreſſum geram. Itaque non minor mihi habenda fides, quàm Ianſenio, à quo in multis diſcrepare me confirmo, & nunc in hac ſententia, & & hypotheſi multùm diſcrepo. Adesdum lector: oculos tantùm tuos exigo: ſatis erit mihi ſi legas; aberrare eum à mente Auguſtini comperies, & ab hoc vno lapſu diſce omnes.

SECTIO III.

Refellitur Ianſenij & ſequacium loci Auguſtini expoſitio.

HÆc intepretatio impoſtura eſt, & quidem iniurioſa Auguſtino. Id primum ſcias, lector, hanc ſententiam Auguſtini de qua diſputamus inueniri lib. 3. de libero Arbit. prope finem, & recognoſci lib. 1. Retract. c. 9. Itaque ex loco, qui origo, & fons eſt in lib. 3. de liber. arbit. petendus eſt ſenſus, quem exprimit Auguſtinus, omnino contrarius ei, quem intrudunt Ianſenius, & nouus auctor. Si Auguſtinus per *Primordia naturalia* intelligat *concupiſcentiã malam ex natura ſua, & immutabiliter malam*, vincit Ianſenius, ſin contrà de bona, & in bonum vertibili, ac perfectibili. Vinco ego. Loquatur Auguſtinus: tu eſto auditor, & arbiter.

Igitur Auguſtinus præmiſſa diuiſione quatuor ſtatuum animarum;

quod aſſolet, iuxta diuerſa placita ſententium, ſubtiliter naturam animæ in vno ex ijs ſtatu ſeparato, & innatam ei concupiſcentiam conſiderat: de qua ſic loquitur c.20. Comparando ſtatum animæ ante peccatum cum ſtatu animæ in peccato. *Si ergo altera*, ideſt anima, *talis eſſe cœpit non ſolum ante peccatum, ſed ante omnem vitam ſuam, qualis alia poſt vitam ſuam, qualis alia poſt vitam culpabilem facta eſt, non paruum bonum habet, vnde conditori ſuo gratias agat, quia ipſe ortus eius, & inchoatio quouis perfecto corpore eſt melior. Non enim mediocria bona ſunt, non ſolùm quòd anima eſt, qua natura iam omne corpus præcedit ſed etiam quod facultatem habet, vt adiuuante Creatore ſe ipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod ſi ita eſt, non erit naſcentibus animis ignorãtia, & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium*. Nihil hic eſt Manichæum, imo contrarium. Datur enim Concupiſcentia naturalis quę non ſit pænalis, nec ad peccatum inclinet. Pergit. *Non enim ante omne meritum boni operis parum eſt accepiſſe naturale iudicium, quo ſapientiam præponat errori, & quietem difficultati, vt ad hæc non naſcendo, ſed ſtudendo perueniat. Quod ſi agere noluerit, peccati rea iure tenebitur, tanquam quæ non bene vſa ſit ea facultate, quam accepit*, Ecce mala, non natura, ſed voluntate quidem libera. *Quanquam enim in ignorantia, & difficultate nata ſit, non tamen ad permanendum in eo, quod nata eſt, aliqua neceſſitate comprimitur* Procul hinc Manichæa hypotheſis; *neque omnino potuit, niſi Deus omnipotens eſſet etiam talium Creator animarum, quas & non dilectus ipſe faciat, & diligens eas reficiat, & dilectus ipſe perficiat: qui & non exiſtentibus præſtat, vt ſint, & amantibus eum, a quo ſunt, præſtat, vt beatæ ſint*.

Progreditur ad ſtatum Animarum ante corpora exiſtentium, & in corpore miſſarum. *Si verò in Dei aliquo ſecreto iam exiſtentes animæ mittuntur, ad inſpiranda, & regenda corpora ſingulorũ quorumq; naſcentium, ad hoc vtique mittuntur officium, vt corpus, quod de pœna peccati, hoc eſt de mortalitate primi hominis naſcitur, bene adminiſtrando, ideſt, caſtigando per virtutes, & ordinatiſſimè, atque legitime ſeruituti ſubiiciendo, & ipſę comparent ordine, atque tempore opportuno cæleſtis incorruptionis locum. Quæ cum introeunt in hanc vitam, ſubeuntque geſtanda membra mortalia. ſubeant etiam neceſſe eſt & obliuionem vitæ prioris, & præſentis laborẽ: vnde illa ignorantia, & difficultas conſequitur*: nõ inerat per ſuam naturã: *quod in primo homine ſupplicium mortalitatis fuit ad animi expendendam miſeriam: in iſtis autem ianua miniſterij ad reparandam corporis incorruptionem: nam hoc quoque modo non dicuntur iſta peccata, niſi quia caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad ſe animis hanc ignorantiam, & difficultatem facit, quæ neque his, neque creatori tanquam culpanda tribuatur*: Non ergo Deus condidit illas cum ea concupiſcẽtia mala, nec illa erat animę innata, vt ſupponebant Manichæiſmo contra. *Dedit enim ille & facultatem bene operandi in laborioſis officijs, & viam fidei in obliuionis cæcitate. Indicium illud vel maximè, quòd anima omnis, & quærendum eſſe concedit, quod inutiliter neſcit, & perſeueranter in officioſis laboribus enitendum ad euincendam rectè faciendi difficultatem, & opem à creatore implorandam: vt conan-*

tem

tem adiuuet. Igitur facere aliud poterant cum libertate nec vllo neceſſitatis vinculo tenebantur. Peruenit tandem ad quartum ſtatum Animarum præexiſtentium quidem corporibus, & ad ea ſua ſponte venientium eodem capite, vbi ſic. *Si autem alibi Animæ conſtitutæ non mittuntur à Domino Deo, ſed ſua ſponte ad inhabitanda corpora veniunt, facile eſt iam hoc videre, quicquid ignorantiæ, difficultatiſque ſecutum fuerit earum propriam voluntatem, nullo modo Creatorē hinc eſſe culpandum: quandoquidem etiam ſi eas ipſe miſiſſet, quibus etiam in ipſa ignorātia, & difficultate liberam voluntate petendi, & quærendi, & conandi non abſtulit, daturus petentibus, demonſtraturus quærentibus, pulſantibus aperturus, omnino extra culpā eſſet. Hanc enim ignorantiam, & difficultatem ſtudioſis, & beneuolis euincendam, ad coronam gloriæ valere præſtaret, negligentibus autem, & peccata ſua de infirmitate defendere volentibus, non ipſam ignorantiam difficultatemque pro crimine obijceret: ſed quia in eis potiùs permanere, quàm ſtudio quærendi atq; diſcendi, & humilitate confitendi, atq; orandi, ad veritatē, ac facilitatē peruenire voluerūt, iuſto ſupplicio vīdicaret. Harū autē quatuor de anima ſententiarum, vtrum de propagine veniant, ac in ſingulis quibuſque naſcentibus nouæ fiant, an in corpora naſcentium iam alicubi exiſtentes, vel mittantur diuinitus, vel inde ſua ſponte labantur, nullam temerè affirmare oportebat*.

Vbi vbi hic eſt hypotheſis illa Manichęorum? ſupponens Deum creaſſe naturam aut concupiſcentiam malam, & immutabiliter malam, *ac ob id eſſe laudandum, quòd etſi mala libidinum diuerſarum eſſent homini à Deo Conditore primitus data, ex eo ſequitur eis licitè poſſe conſentiri?* (vt ait Ianſenius pag. 400. columna 1. lib. 3. de ſtatu puræ nat. c. 20. & ſequaces ipſius) his verbis Auguſtinus, *admiſſit hominem cum concupiſcentia creatum, & ſine iſta nequaquā creari potuiſſe: vrgebat verò hæreticos etiam tum Deum fore laudādum, nam nulla culpa Dei fuiſſet facere, quod fieri non poterat*, Contrà ſupponit Auguſtinus, ſcilicet illam malam concupiſcentiam non fuiſſe naturalem, ſed voluntariam, & ſecutam ex voluntate: unde nullo modo Creator eſſet culpandus. Lōgè aliter ſenſit, quā fingit Ianſenius, id eſt conſentiendi neceſſario deſiderijs naturalibus cōpellētibus, quibus cōſentire cogebatur: cum Deus etiam poſt contractam penalem concupiſcentiam inſtrumenta vitandi peccata, & bene operandi naturæ ſuppeditaret.

Ac ne quanquam turbent hi ſtatus Animarum ab ijs pręſcindendo proſequitur Auguſtinus c. 22. *Quoquo modo ſe iſtud habeat*, eandem tradens doctrinam de illo genere concupiſcentiæ, quæ non ita ſit mala, vt inducat neceſſitatem male operandi, imo ſtet cum libertate, ita vt non niſi propriæ voluntati peccata tribuenda ſint. Attendat qui legit.

Ignorantia verò, & difficultas ſi naturalis eſt, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem, donec in ea perficiatur vita beata promoueri. Quem profectum in ſtudijs optimis, atque pietate, quorum facultas ei non negata eſt, ſi propria voluntate neglexerit, iuſtè in grauiorem, quæ iam pænalis eſt, ignorantiam, difficultatemque præcipitatur, decentiſſimo, & conuenientiſſimo rerum moderamine in inferioribus ordinātc. Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum: ſed

ſed quòd ſcire non ſtuduit, & quòd dignam facultati comprobandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Idem quomodo diſtinguit duas concupiſcẽtias, vnam naturalem negatiuam, & inchoatam, alteram poſitiuam, & pænalem, & illam primam ſubiectam eſſe voluntati, ac in eius ad vtranque partem poſitam poteſtate? Audi ſequentia.

Creator verò eius vbique laudatur, vel quòd eam ab ipſis exordijs ad ſummi boni capacitatem inchoauerit, vel quòd eius profectum adiuuet, vel quod impleat proficientem, atque perficiat: vel quod peccantem, ideſt, aut ab initijs ſuis ſeſe ad perfectionem attollere recuſantem, aut iam ex profectu aliquo relabentem, iuſtiſſima damnatione pro meritis ordinat. Non enim propterea malã creauit, quia nondum tanta eſt, quanta vt proficiendo eſſet, accepit: cum eius exordio perfectiones omnes corporum longè inferiores ſint, quas tamen in ſuo genere laudabiles eſſe iudicat, quiſquis de rebus ſaniſſimè iudicat. Quòd ergo ignorat, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accepit: ſed hoc, quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit, bene vſa fuerit. Accepit autem, vt piè, & diligenter quærat, ſi volet. Et quòd agnoſcens, quod ſibi agendum ſit, non continuò valet implere, hoc quoque nondum accepit: præceſſit enim quædã pars eius ſublimior ad ſentiendum, quòd rectè faciat bonum: ſed quædam tardior, atque carnalis non conſequenter in ſententiam ducitur: vt ex ipſa difficultate admoneatur eumdem implorare adiutorem perfectionis ſuæ, quem inchoationis ſentit auctorem. Hac ſententia perſpicua, & manifeſta ceu gladio iugulatur hypotheſis illa ficta Manichæorum. Quid enim ab ea alienius?

Ne vero hanc inchoationem cum aliquo malo culpæ coniunctam eſſe putes, adijcit. ibi c. 24. *Sed tamen habebat aliquid quo, ſi bene vti vellet, ad id quod non haberet aſcenderet*. Et mox *Sicut autem natura rationis præceptum capit, ſic præcepti obſeruatio ſapientiam. Quod eſt autem natura ad capiendum præceptum, hoc eſt voluntas ad obſeruãdum*. Redit ad voluntatem. Rurſum. *Sapiens peccat ſi ſe auerterit à ſapientia, ſapientia autem non eſt ab illo, qui illuminatur, ſed qui ab illo illuminat. Quid ergo, eſt vnde non laudandus ſit hominis creator? Bonum eſt enim aliquod homo, & melius quam pecus, ex eo quod eſt præcepti capax, & hoc melius cum præceptum iam cepit*. Rurſus. *Hoc melius cum præcepto paruit*. Hæc eſt cauſa laudandi Deum, quòd bonam creauerit cum capacitate inchoata ad bonum, non perfectam, ſed minimè malam, cum principio, & inſtrumento piè, & diligenter quærendi perfectum bonum, imperfecta quidem, ſed non mala, ordinata ad vitam beatam, à Deo, cuius bonitate habet, vt ſit, quæ certè bonitas non malam, ſed bonam condidit, niſi fortè dicat Ianſenius, & ſequaces fieri malam à bonitate Dei, quo nihil cogitari poteſt abſurdius.

Poſtea facta hypotheſi quod ignorantiæ, & difficultas non ſint animis naturales: *Reſtat*, inquit, *vt, aut officio ſuſceptæ ſint, aut irrogatæ ſupplicio*. *Officio* indicat voluntariam; *ſuppliciũ* pænalem concupiſcentiam. Nihil eſt quod inuoluat fatalem illam, malam & immutabilem neceſſitatem. Docet præterea hoc genus concupiſcentiæ naturalis medium quiddam eſſe, & adiaphorum, ſiuè indifferens ad vtrũque malum, & bonum, non verò natura malum iuxta ſenſum Manichæi. Loquatur Auguſtinus c. 24. *Quaſi verò,*

rò, inquit, *natura humana præter ſtultitiam, & ſapientiam nullam mediam recipiant aff:ctionem, quæ nec ſtultitia, neque ſapientia dici poſſit tunc enim homo incipit, aut ſtultus eſſe, aut ſapiens vt alterum horum neceſſario appelletur, cum iam poſſet, niſi negligeret, habere ſapientiam, vt vitioſæ ſtultitiæ ſit voluntas rea*. Semper antecedit malum voluntas libera, negligens bonum: igitur nullum ante libertatem malum erat, ſed quiddam medium inter malum, & bonum. *Ex quo rurſum*, inquit, *apparet naturam hominis recipere aliquid medium, quod neque ſtultitiam, neque ſapientiam rectè vocaueris*. Ex quo manifeſtè, & conſequenter deducitur illam Concupiſcentiam naturalem, appetitum eſſe indifferentem ex natura ſua, non qualem ponebant Manichæi malum, & immutabiliter malum, vnde hypotheſis iſtius doctrinæ magis accedit ad hypotheſim Pelagianam, quàm Manichæã. Quorsũ igitur abit Ianſenius, cum ſua illa opinatione de mala natura & neceſſario mala, & immutabiliter mala? quæ prorſus aliena eſt à ſcopo Auguſtini. Patet illum à recto tramite deuiaſſe, & ſecum in tranſuerſum aſſeclas ſuos duxiſſe. Quod autem aiunt hic ſolum Auguſtinum fauere Pelagianis: falſum eſt. Nam ſæpe alias Auguſtinus diſtinxit naturam, ac eius primordia à malo vitio annexo bono naturę etiam diſputans contra Manichæos: imo in hoc 3. libro de lib. arb. id agit ex inſtituto; legat qui volet c. 13. & ſequentia ad 17. comperiet principia naturæ immunia à vitio, & defectu, qualia cõdidit Deus, & omne earum à vitium voluntatis profectum c. 13. ait *Omne bonum, aut Deus, aut ex Deo. Omnis ergo natura rationalis quæ cum libero arbitrio condita eſt, ſi manet in fruendo ſummo, atque incommutabili bono procul dubio laudanda eſt*. Non ergo ineſt ei malum. Tum. *Omnis autem, quæ in eo nõ manet, & non vult agere vt maneat & in quantum non id agit, vt ibi ſit vituperanda eſt. Si ergo laudatur rationalis natura, quæ eſt facta, nemo dubitat laudandum eſſe qui fecit*. Huc pertinent quæ de initio mali tradit in alijs libris contra Manichæos tomo 6. vbi inquirit, vnde malum? & ſtatuit originem, & fontem illius eſſe defectum, quem reſoluit in Nihileitatem, non autem in aliquod poſitiuũ malum, vt dicebãt Manichæi. Ita lib. contra epiſt. Fundamenti. a c. 15. ad fin. Libo illam vocem cap. 38. *Cum audis naturam ad Deum pertineat, cum audis corruptibilem ad nihilum*. & illam. *Voluntariæ corruptioni addi iudicio diuino pœnalem corruptionem manifeſtiſſime Paulus Apoſtolus atteſtatur*. Eodem modo procedit liber de duabus Animabus a. c. 8. ad finem oſtendens, quicquid eſt naturæ, omne id ex Deo, & bonum eſſe: quicquid eſt vitioſum, & malum omne id eſſe ex defectu, & quidem voluntario ſi eſt peccatum: cuius auctorem ſemper negat eſſe Deum. Verum quidem eſt id ſuadere argumento illo, quod ſi eſt naturale, & aliter fieri non poſſet, nullum id eſſe peccatum poſſe, ſed hoc nihil contra iſtam noſtram doctrinam facit: imo eam confirmat cum Deus auctor mali peccati eſſe non inducatur: nec Manichæi dicebant Deum bonum eſſe auctorem illius mali, ſed malum Deum. De quo poſtea commemorabimus. Nunc decerpo illud. *Animas vitioſas dicerem, non in quantum vitioſæ, ſed in quantum animę ſunt, Deum ſibi Creatorem eſſe oportere*. Adde ſententiam ex lib. 1. Retract. cap. 13 vbi de concupiſcentia ſic. *Tutiùs cupiditas, quàm voluntas*

pro-

mihi eſt ambigendum habere Paruulos, quod eis dimittat, qui ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum, ita & in tertio libro de libero arbit. ſecundum vtrunque ſenſum reiectis Manichæis, ſiue ſupplicia, ſiue primordia naturæ, ſine ignorantia, & difficultas, ſiue quibus nullus hominum naſcitur, & tamen vnum horum teneo: ibi quoque à me ſatis euidenter expreſſum eſt, quòd non ſit iſta natura inſtituti homis, ſed pœna damnati. Nec opponas Auguſtinum loqui in ſenſu Manichæorum, quia dicit pænalem concupiſcentiam eſſe primordia naturæ, quaſi vellet hypotheſim naturæ immutabiliter malę ſignificare, atque adeo contra eos verba retorqueri. Etenim Auguſtinus ſolùm admiſit ſuppoſitionem concupiſcentiæ malæ ex accidenti, non ex natura, cùm ſemper dixerit illam naturam eſſe ita inſtitutam vt poſſet meliorari, ac perfici vti ſupra vidimus, non autem vt permaneret mala, & immutabiliter mala, quod erat proprium dogma Manichæorum. Hoc enim nunquam admiſit, nec ſumpſit in eo tertio libro de lib. arbitr. Auguſtinus, nuſquam inducta neceſſitate fatali malũ operandi, ac in eo quod aliter fieri non poſſet perſeuerandi. Satis duxit ſupponere illam concupiſcentiam, quæ nobis poſt peccatum eſt pęnalis, inclinare ad malum, & peccatum. Apparet id ex eo quod reſtrinxit concupiſcentiam ad ſtatum pænalẽ, qualis non erat ſenſus Manichæus negantiũ peccatum originale: vnde dixit poſtea *quod nonnulli errantes opinantur*, quos diſtinguit ibi à Manichæis. Expendamus ſequentia ueritas conſtabit: *Contra quos mea dirigebatur intentio ſic mihi viſi ſunt refellendi, vt ſi pęna eſſet peccati originalis in paruulis quod veritas habet, ſiue non eſſet, quod nonnulli errantes opinantur, nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur.* Hæc particula iugulat expoſitionem Ianſenianam, ſi enim vera eſſet ſequeretur mixtio iſta bonæ, ac malæ naturæ, quoniam illa admittit malam concupiſcentiam ſecundum eſſentiam, & ſolùm excludit rationem peccati, quæ inde exiſteret neceſſariò naturaliter; ſine vlla voluntate, ſine qua nullum eſt peccatum. Illa verò aliter facere non poterat. Igitur hæc ratio peccandi implicans contradictionem tantùm excluditur in illa ſuppoſitione Ianſenij, at nõ excluditur miſtio naturarum bonæ, & malæ: quæ manet in ea natura mala immutabiliter per ſuam eſſentiam, qualem inducebant Manichæi, & Auguſtinus excludit expreſsè dicens *nullo modo tamen quam Manichæorum error inducit duarum naturarum boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur*: Non dixit quę inde ſequitur neceſſitas immutabiliter peccandi, quæ ſequebatur ex permixtione, quæ tamen peccato prorſus careret, quòd ita erat comparata illa natura, quæ aliter facere non poterat. Præterea in lib. 1. Retract. c. 9. ſunt quę iſtam Ianſeniſtarum opinationem refellant. Retractans enim ibi libros de libero arbitrio teſtatur multa ſe dixiſſe, quæ in Pelagianos poſtea exortos verti poſſunt. Illud in primis ad finem capitis: *Ecce quam longe antequam Pelagiana hæreſis extitiſſet ſic diſputauimus velut iam contra ipſos diſputaremus*. Nec ego dubito quin ipſemet Deus Auguſtino ea inſpirauerit, quæ ad ſuæ gratiæ doctrinam ſpectabant, vel eo nihil de re cogitante, ſed iam cauſam Dei agente; nec id nouum in eo, qui & expoſitio-

modo ergo tam facilè dat, quod toties penitus negat? Legatur in vind.c.3. §. 4.à pag. 42. vſque ad 50. & a pag. 114. ad 119. Itaq; nullum admittit actum bonum naturalem ſine gratia, & omnia quæ ſine fide habituali fiunt mala eſſe, ac peccata aſſeuerat, in Vind. pagina 14.& 90. Neſcio vnde noua iſta liberalitas erga naturam, & voluntatem naturaliter bonam plures & actus bonos naturales concedendo? Secus ſane ſenſit, & dixit in vind.pag. 90.aiés de infidelibus. *Opera quæ ipſi faciunt ſemper ſunt peccata, niſi vbi aliquando Deus quoſdam bonos actus ipſis neſcientibus in eorum voluntatibus operatur*. Immemorem ſui ſe prodit. Dixerat voluntatem ſe ipſa bonam elicere plures actus naturaliter bonos, & laudabiles pag.32.nunc contra ſentit, & dicit. Si qui ſunt actus boni in voluntate infidelium eos Deum in eadem voluntate operari. Verum peior hinc exiſtit conſequentia, quàm iſthæc cōtradictio. Etenim ſi admittantur huiuſmodi actus naturales boni, ſequitur Pelagiana illa de tertio animarum ſtatu poſt mortem tantoperè ab Auguſtino, & ab iſto auctore deteſtata ſententia, quia cum hoc genus ſit bonum, & naturale ſine ope gratię, aliquod præmium meretur in alia vita, quod cum ſupernaturale eſſe non poſſit, neceſſe eſt, vt ſit naturale, atque adeo extra Cælum, & intra terminos naturalis beatitudinis: qui ſit ſtatus medius inter manum dextram, & ſiniſtram Iudicijs: quo argumento ipſemet auctor putat ſe premere illos Scholaſticos, qui dicunt Paruulos non baptizatos poſt diem iudicij in naturali quodam ſtatu beatitatis futuros: quemadmodum ſcribit in Vind. pag. 50. 51. 59.68. Nec opponat per illos actus mereri ſolū felicitates naturales, & tēporales, non verò æternas. Nam illud genus actuum cùm ſit rationalis creaturæ, & immortalis non ſolo tempore menſurandum, & terminandum eſt, ſed ad æternitatem extendendū, cum pręſertim ij actus ex amore aliquo Dei procedant, vti eſt author eſt naturæ, quibus præfectò eo informatis premium immortale reſpondet: cùm pręſertim hi homines boni naturaliter, ſępe miſeri, ac ærumnoſi ſint, & vexati à malis multa patiantur. Vnde niſi aliquid pręmij poſt mortem conſequantur, indonati remanebunt, & ad miſerias ęternas tranſibunt. Neceſſe igitur eſt, vt hiſce actibus aliquod poſt hāc vitam præmium reponatur, cùm pręſertim inter eos ſit Amor Dei naturalis, qui maxime eſt rationi conformis, & voluntati ſecundum rationem operanti congruens, & conueniens: Vrgeo vehementius hominem. Si voluntas naturaliter bona eſt, & naturaliter pro ſua inclinatione operatur bonum, ſibi relicta nunquam operabitur malum, nec habebit principium, & radicem peccandi, nec peccare poterit, niſi à malo aliquo principio, vel ſibi concreato, quale eſt Manichęorum, vel aduenientе aliunde, ac eam in peccatum trahente, quale eſt concupiſcētia, neutrum dici ſalua Fidei poteſt: non primum vti patet; non ſecundum quia concupiſcentia eſt pęnalis. Pæna autem ſupponit culpam non antecedit, ac proinde voluntas debet in ſe, & ex ſe habere principium, & radicem peccandi, quod erit ipſa defectibilitas, & nihileitas, quam ponit Auguſtinus in teſtimonijs toties ſupra laudatis. Ex quo ij quos impugnant Theologi didicerunt, contrà quam nouus Auctor opinatur, qui ſtudio eos impugnandi à ſuo (quando eum toties vocat *Meū*) Auguſtino deſciuit. Atque vt ſuam

incogitantiam, dico molliùs, agnoſcat: attollat quæſo paulùm oculos, & acié in Cælum intendat, ibi videbit Angelos ſine vlla concupiſcentia, intrinſecoue vllo principio peccantes. Vnde illud Peccatum? Erat in ijs voluntas recta, & bona naturaliter, nihilominus ceciderunt in peccatum. Cur? quia creaturæ erant mutabiles, defectibiles ex nihilo creatæ, & ad nihilum ex ſe tendentes. Inde peccatum pro infirmitate naturæ, & libertate arbitrij, non autem pro malignitate aliqua, aut ingenita, aut inducta. Quin ipſemmet Adam in Paradiſo, cùm primum admiſit peccatum integer erat, rectusque natura naturaliter bonus, nec ſine gratia, & tamen defecit, & propria voluntate, imo & tota cum libertate peccauit. Vnde hoc malum? non niſi ex defectu orto ex nihileitate, quemadmodum nos docuit contra Manichæos Auguſtinus.

Ex alio capite incidit hæc ſententia in errorem Pelagij, videlicet quia ſequitur inde naturam per ſe eſſe valentem ad operandum bonum ſine vlla gratia, ex proprijs viribus, & ad vitanda peccata, ſaltem leuia, & vincendas leues tentationes: quæ ſunt dogmata Pelagiana contra S. Auguſtinum lib. de natura, & gratia, & contra Iulianum lib. 3. & 4. & contra Concilium Arauſicanum ſecundum, & doctrinam Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum. Imo & contradicunt ijs, quæ tradit ipſemet Auctor in Vindic. c. 3. §. 4. de operibus Infidelium affirmans eſſe peccata, niſi fiant ex gratia, & Fide. Confundit igitur hæc ſententia naturam cum gratia, & ſtatuit pro gratia naturam, quando in ipſamet natura lapſa, & vitiata per concupiſcentiam ponit bonitatem talem, quæ eliciat non obſtante concupiſcentia actus honeſtos naturales bonos: qui maior eſt error, quàm Pelagij, & Iuliani. Etenim hi negabant Peccatum originale, & pœnalem ob illud concupiſcentiam ſtatuendo naturam integram in ſtatu puro, vnde minus errabant, quàm hic auctor, à quo admittitur peccatum Originale, & ex eo concupiſcentia, catholicè hoc quidem, ſed inconſequenter: nec enim debuit tribuere naturæ lapſæ, ac vitiatæ, quod Pelagius, & Iulianus naturæ puræ, & integræ tribuerunt. Errarunt hi quidem, ſed Logicè proceſſerunt ponendo conſequens conforme principio. At verò Auctor errauit logicè, colligendo bonitatem ex malo principio. Imo, & contra ſui Auguſtini doctrinam collegit, qui nihil ſtatuit frequentiùs, quam illud Chriſti in Euangelio. *Arbor bona bonos fructus facit, arbor mala malos fructus facit*: eoq; refellit Iulianum ponētem puram & illæſam ſine pænali concupiſcentia naturam, deducendo ex natura mala opera mala, quod ſciret nō poſſe refelli Iulianū admiſſa bona natura. Contra nouus auctor largitur Pelagianis Arborem bonam, vnde naſcantur opera bona: ſubtrahendo malam vnde exiſtant opera mala. Prætereà euertit ſuum principium tanta mole in Vindicijs ceu fundamentum iactum. Scilicet Naturam per peccatum Originale non ſolum fuiſſe ſpoliatam gratuitis, ſed etiam vulneratam in naturalibus: nam modò id euertit, ponendo naturā puram, integram, & illæſam, tam procul à vulnere, vt validam, fortem, valentemque relinquat ad bene operandum pro ſuo arbitrio naturali. Nihil ergo debilior, ac infirmior euaſit per peccatum Originale, & nihil per concupiſcentiam mali, vitijue accepit Quin & nullam ad peccatum inclinationem habet etiam affecta concupiſcentia,

piſcentia, quando ſibi relinquitur inuiolata, in ſua integra poteſtate, & cum naturali bonitate, à qua opera bona, & honeſta naturalia erumpant ſine ope gratiæ, ſine præſidiis ſupernaturalis auxilij. Quod neſcio quomodo cohæreat cum doctrina Tridentini Concilij dicentis concupiſcentiam ad peccatum inclinare, & rurſum cum doctrina eiuſdem, & Arauſicani docentis, Liberum arbitrium per peccatum manſiſſe in nobis *attenuatum, inclinatum, infirmatum*. Manet ergo illud erectum integrum, validum, & forte, indifferens, & in æquilibrio conſtitutum, quale ſtatuebant Pelagiani æqua lance in vtranque partem virtutis, & vitij libratum: quod Auguſtini doctrinę fundatiſſimę, qua illa duo nituntur Concilia, penitus aduerſatur. Perit item differentia, quam facit Auguſtinus Arbitrij liberi, & liberati ponens liberum in natura, citra gratiam, liberatum verò à gratia, ſupra naturam, ac exinde dicens arbitrium tantùm liberum non eſſe ſatis ad bene operandum, niſi ſit per gratiam liberatum. Itaque ſtatuit arbitrium quidem liberum, non neceſſitatum, nec captiuum, ſed captiuatum, indigens omnino gratia liberante, & libertatem ei donante, *qua libertate Chriſtus nos liberauit* ad bona agendum etiam naturalia: quemadmodum ipſemet auctor docet cum negat, idque animosè, ac conſtanter in ſuis Vindiciis cap. 3. § 4. per multas paginas, vllum actum bonum, & honeſtum ſine ope, ac præſidio gratiæ, imo & Fidei habitualis elici poſſe à voluntate, & impugnat eos, qui de operibus ad ſalutem æternam ſpectantibus S. Auguſtinum interpretantur: imo & contendit contra eoſdem omnia opera ſine gratia, & fide elicita eſſe peccata. Ac ibidem pro magno ponit vnum actum bonum admitti ab Auguſtino ſine gratia, id eſt *illum quo homo appetit ſummum bonum*. Tam abhorret ab ea, quam hic tradit ſententia de multis actibus bonis naturaliter elicitis à libera per naturam voluntate. Quod aſſumptũ de illo actu bono falſum eſt, cùm id Auguſtinus non dicat, qui de appetitu innato, non de actu elicito loquitur, ſicut ex locis, quæ ibi citat, & quidem vnum mendoſum, apparet. Nihilominus illo vti debuimus, vt ſe ſibimetipſi opponi liqueret, dum hic vnum ſolum actum bonum, quòd maximè ſit naturæ conueniens, quaſi quiddam grande, ac notabile admittat, & alibi tam facilè, ac liberaliter tot actus bonos naturali libero arbitrio conceſſerit.

Verùm, vt hoc obiter dicam hanc ſententiã Ianſenij de operibus infidelium ſine fide habituali malis, quam prius tradiderat Baius, & tradit magna contentione diſputandi nouus Auctor damnatam fuiſſe à Summis Põtificibus affirmat Leſſius de Auxil. c. 10. art. 5. Tannerus diſput. 6. de grat. qu. 3. Ioannes Baptiſta Gonet inſignis Patrum Prædicatorum Theologus d. 1. a. 1. de neceſſit. grat. § 3. à quo multi errores Ianſenij propalantur, & refelluntur: nequid de eruditiſſimo Patre eiuſdem cum Goneto Ordinis Magiſtro Sebille commemorem, quem malleum Ianſeniani dogmatis, dixeris: quo cum nos errorem de neceſſitate in peccando Ianſenij, & Noui Auctoris euidenter refellemus: ibique demonſtrabimus neutrum mentem S. Auguſtini, quæ veriſſima, & profundiſſima eſt, attigiſſe: imo ei turpem calumniæ perſonã impoſuiſſe. Quàm verò vana ſit eorum de intelligendo

Au-

Auguſtino iactantia, ex ſubiectis quæ producentur Schematibus apparebit, quorum vnum abſurdam vtriuſque opinationem continet: Adamũ, quod haberet ſemper paratum *Auxilium ſine quo non*, tam ſibi ſufficientẽ, ad perſeuerandum fuiſſe, vt non indiguerit oratione, & recurſu ad Deum, imò & fruſtrà, & inaniter Deum oraturum, vt vires ſibi ad mandata faciẽda miniſtraret: idque affirmare non vereantur nomine Auguſtini, quaſi is abſurdum illud tradiderit, Vir profectò humillimus, & orationis ſtudioſiſſimus, quique bona omnia, & dona ad Deum referenda, & ſentiat, & ſcribat: adeo vt ne ipſis quidem Angelis illud, quod Adamo concedunt iſti duo Auctores priuilegium, conceſſerit, cùm Amplius adiutos perſeuerãtes, quàm deficientes dixerit lib. 12. de Ciuit. Dei c. 9. *Amplius*, inquit, *adiuti.* Alterum exhibeo locum de Perſeuerantia, in quo nouus Auctor affirmat hominem iuſtificatum priuari potentia proxima ad perſeuerandum in pœnam peccati originalis: quæ certè ſententia penitus aduerſatur doctrinæ Concilij Tridentini, & Auguſtini.

Iudicio hic opus non eſt. Iuuat loco eius Clauem producere à me tandem inuentam Libertatis à neceſſitate, qua cum ſtare dixerunt Baiani, & Ianſeniani libertatem, decepti, quo nos etiã decipere volunt, teſtimonio, de quo hactenus diſceptauimus, Auguſtini, obtentu malę ex natura ſua concupiſcentiæ, quaſi eam in hypotheſi Manichæorum admiſerit, cum ea maximè ad ſtatuendam libertatem conducat, & ad Pelagianos pertineat.

Prò Iudicio eſtò
S C H E M A
proximè exhibendum.

PRO

Digitized by Google

PRO IVDICIO ESTO CLAVIS AVGVSTINIANA

Liberi arbitrij à Seruitute neceſſitantis Concupiſcentiæ Vindicati.

DVcenti fermè ſunt anni, ex quo Seruum Arbitrium Lutherus, & Caluinus cum Sectarijs, hauſtò Vuicleffi, & Huſſij veneno, iniecto neceſſitatis à mala intrinſecùs concupiſcentia vinculo per ſummam impudentiam in ſcenam induxerunt, quam ſeruitutem quidam noſtrùm Baius, Ianſenius, Auctor Hiſt. Pelag. per imprudentiam affirmarunt: adulterato Auguſtini teſtimonio perſpicuo, & irrefragabili pro libertate arbitrij à neceſſitate Concupiſcētiæ per naturam ſuam malæ, qualem ij adſtruunt affinem Manichæę. Teſtimonium Auguſtini eſt in lib. 3. de Libero Arbitr. à cap. 20. ad fin. & expreſſiùs in lib. 1. Retract. c. 9. *Quam miſeriam Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione deſcendere, negantes Originale peccatum: quamuis ignorantia, & difficultas* (id eſt Concupiſcentia) *etiam ſi eſſent primordia naturalia: nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. Sicut in eodem tertio libro* (de lib. arb.) *diſputauimus.*

Si hæc hypotheſis fiat in ſenſu Manichęo pro mala per ſuam naturam Concupiſcentia Vincunt Hæretici. Sin autem in ſenſu Pelagiano vincunt Catholici.

In ſenſu Manichæo ſumit Ianſenius lib. 3. de ſtatu puræ nat. c. 20. pag. 379. col. 2.

PErſpicuum eſt Auguſtinum refelliſſe Manichæos ex hypotheſi ad hominem, eaque falſa, & impoſſibili, ſed quæ ſufficeret ad eorum inſanias reuincendas. Et paulo infra pag. 400. col. 1.

Hypotheſis eſt itaq; impoſſibilis, vt ignorantia, & mala libidinum diuerſarum deſideria ſint naturalia, & homini à Deo conditore primitùs data. Ex qua tamen rectè ſequitur eis licitè poſſe conſentiri. Et rurſum. *Ex quo rectè conſequenter ſequitur: quicquid illa ignorantia, ac deſiderijs naturalibus appetitur ſine vllo peccato in pura natura poſſe perpetrari.* Et poſtea, *Ex qua denique hypotheſi ſimiliter rectè ſequitur Deum in iſtis naturæ primordijs adhuc eſſe laudandum; Dei naturam non eſſe mixtam cum gēte tenebrarum, Deum à creatura ſic condita peccatis eſſe remotiſſimum, quæ Auguſtinus contra Manichæos in iſta ſuppoſitione ſpectabat. Si enim tunc in hypotheſi peccat creatura, laudemus Creatorem, quia non peccat niſi dum ab inſtituto ſui Creatoris abſcedit: Si vero non peccat laudemus Creatorem, quia nihil præter Creatoris inſtituta committit.*

Interprete Ianſenio vincūt Hæretici.

AVGVSTINVS Contrà, non hypotheſim Manichæorum ſumit, ſed Pelagianorum. Lib. de Dono Perſeuer. c. 11. ad fin.

Q*Vamuis ergo in lib. 3. de libero arbit. ita de paruulis diſputauerim, vt etiam ſi verum eſſet, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam, & difficultatem, ſine quibus nullus homo naſcitur primordia, non ſupplicia eſſe naturæ vincerentur tamen Manichæi.* Ecce hypotheſis in ſenſu bono *Pelagianorum*, non *Manichęorū* malo, ipſomet Auguſtino ſui interprete. Idque repetit ibid. c. 12. ad med.

Interprete ſui Auguſtino vincunt Catholici.

Eant nunc hæretici, & qui ijs fauent Catholici, ac erubeſcant de praua Auguſtini interpretatione: & tu Lector, *Crimine ab vno diſce omnes.*

Neq; verò opponas, Pelagianos, tū cum Auguſt. illos libros ſcripſit, non dum eſſe. Nam ille etiam hoc habet in lib. de dono Perſeuer. poſt Pelagianos, & Semipelagianos exortos, & in lib. Retract. ponit hypotheſim, quos libros ſcripſit in fine vitæ ſuæ. Itaque non eſt habenda ratio de perſonis, ſed de errore, qui fuit poſteà perſonarū.

In ſenſu Manichæo ſumit Auct. Hiſt. Pelag. In Vind. Auguſtin. cap. 3. §. 2. pag. 32. & 33.

O*Pponunt Auguſtinum lib. 1. Retract. c. 9. Dixiſſe: Quamuis ignorantia, & difficultas, etiamſi eſſēt hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. Ergo, inquiunt, ex Auguſtino laudandus eſſet Deus, tametſi hominem creaſſet abſque perfecta concupiſcentiæ ſubiectione. In hoc vno, tam claro Auguſtini, vt aiunt, Teſtimonio ſibi victoriam canunt, cum tamen S. Doctor innumeris locis oppoſitum aſſeruerit, nec ibidem vt ipſi perperam arbitrantur ipſorum ſententiam docuerit. Etenim S. Doctor eo loco contra* Manichæos *diſputabat, qui dicebant. Concupiſcentiam eſſe malam quandam naturam, & omnium malorum productricem commentabantur. Auguſtinus vt eoſdem refelleret, hypotheſim vtramque gratia diſputationis admiſit, nempe hominem cum concupiſcentia creatum, & ſine iſta nequaquam creari potuiſſe, vrgebat verò hæreticos etiam tunc Deum fore laudandum, nam nulla culpa Dei fuiſſet facere, quod fieri non poterat.* Lege (nam eſt mendum) *aliter fieri non poterat.*

Interprete Auctore Hiſt. Pelag. vincunt Hæretici.

Digitized by Google

Schema ſecundum erroris de Perſeuerantia contra Concil. Tridentinum.

Concilium Tridentinum ſeſſ.6. cap. 11. *Deus*, inquit, *ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi prius ab ipſis deſeratur*. Et cap. 13. de Perſeu. *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*.

Contra Concilium Nouus Auctor ſic ait: In Vind. Auguſt. pag. 132. *Homo ex peccato originali incidit in priuationem gratiæ iuſtificantis, & in priuationem potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum in ſemel accepta gratia iuſtificante*. Et rurſum p. 33. *Vnde per gratiam ſanctificantem non tollitur ipſa priuatio potentiæ proximè expeditæ ad perſeuerandum, hæc verò priuatio eſt in pœnam primi peccati*. Poſtea ibid. *Iuxta mentem Sancti Doctoris ſupponitur, priuationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeuerandum eſſe pœnam maſſæ peccato originali infectæ*. Tandem pag. 134. *Carentia doni perſeuerantiæ eſt Cauſa damnationis, ſed peccatum originale eſt cauſa carentiæ doni perſeuerantiæ; ergo peccatum originale eſt cauſa damnationis: Homo enim iuſtificatus ſi tentatione graui pulſetur, & ſtet ſub priuatione potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum infallibiliter ſuccumbet, niſi Deus ſpeciali auxilio donet eum perſeuerandi, quod auxilium cum ex primo peccato non debeatur homini, iuſtè à Deo negari poteſt*.

Igitur hoc Auctore, Homo iuſtificatus deſeritur à Deo antequam Deum deſerat, quia dum eſt iuſtificatus non deſerit Deum, & tamen deſeritur à Deo negante gratiam neceſſariam ad perſeuerandum, & auferendo illi poteſtatem proximam perſeuerandi, ſine qua perſeuerari non poteſt. Ratio verò cur priuatur à Deo de peccato originali contracto, etiam pugnat cum Concilio Trid. quia homo iuſtificatus caret omni peccato, tum originali, tum actuali, ergo non deſerit Deum, neque per peccatum originale, neque per actuale, & tamen deſeritur à Deo ſubtrahendo poteſtatem proximam ad perſeuerandum, ergo deſeritur antequam deſeratur, & aduerſatur Auctor Concilio Tridentino.

Ex alio capite item pugnat ea doctrina cum eodem Concilio, in quo loquens de Perſeuerantia cap. 13. *In Dei*, inquit, *auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent*. Quomodo enim firmiſſima erit ſpes in auxilio, quod impoſſibile eſt haberi, cum in poteſtate hominis non ſit præteritum peccatum originale, quod eſt ratio ſubtractionis auxilii? Non eſt igitur ſpes in Deo reponenda, imò deponenda & deſperandum de illius auxilio, quod propter contractum peccatum originale denegatur ab ipſomet Deo, in quo ſperare iubetur.

Denique Concilium Tridentinum loquitur de peccato actuali, non autem de originali, & huic attribuit negationem auxilii diuini ad perſeuerandum: ait enim Concilium cap. 13. *Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Vbi perſpicuè loquitur de operatione actuali, & peccato actuali hominis qui gratiæ actuali deeſt, non autem loquitur de peccato habituali præterito originali, quod non poteſt ſignificari per illa verba: *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, quæ ſupponunt poſſe hominem operari cum illa gratia, quam eis tribuit Deus ad ad continuandam cœptam operationem; & ſanè illud verbum *deſerit* ex cap. 11. *ſemel iuſtificatos non deſerit*, excludit ſenſum de peccato originali. Vnde manifeſtè apparet doctrinam Auctoris aduerſari Tridentino Concilio.

Audiatur Cardinalis Bellarm. lib. 1. de grat. & liber arb. cap. 11. *Auguſtinus cap. 7. lib. de correpi. & grat. Docet iuſtificatos poſſe perſeuerare ſi volunt, quod etiam definitur in Concilio Arauſicano can. 25. & Tridentino ſeſſ. 6 cap. 13. ex quo ſequitur: Omnes iuſtificatos habere auxilium ſufficiens ad perſeuerandum*, & paulò poſt, *Videbitur Deus amicos ſuos deſerere antequam deſeratur ab eis. Nam cum iuſtus aliquis peccat, certè non habuit gratiam efficacem ad reſiſtendum peccato, ſi enim habuiſſet vtique non peccaſſet, quòd ſi ne ſufficientem quidem habuit, qua poſſit reſiſtere, quomodo non fuit à Deo deſertus antequam ipſe Deum deſereret? infra. Concilium Tridentinum apertiſſime docet Deum non deſerere, quia non denegat auxilium; dicit enim eos, qui piè, iuſtè, & fortiter viuunt in bono poſſe perſiſtere, quia Deus non deſerit, niſi deſeratur ſeſſ. 6. cap. 11. & rurſus debere omnes iuſtos firmiſſimam ſpem in Dei auxilio collocare, quia niſi ipſi gratiæ eius deſint Deus ipſis non deerit. At ſi nullum eſſet auxilium niſi efficax non poſſemus hanc ſpem in Deo collocare*.

Hoc ipſum expreſſit S. Auguſtinus lib. de correpſ. & grat. c. 13. in fine, vbi loquens de adultis iuſtificatis non perſeuerantibus ſic ait, *Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeuerant; deſerunt, & deſeruntur*, vbi expreſsè ponit non perſeuerantes adultos prius deſerere Deum, quàm deſerantur à Deo. Diſtinguit autem ibi eos qui ex ſolo peccato originali damnantur, ab iis qui damnantur propter peccata actualia, quæ diſtinctio ſuperuacanea eſſet ſi originale eſſet ratio non perſeuerandi.

Schema Tertium de neceſſitate orandi in Adamo innocente.

Ianſenius lib. 3. de grat. Chriſti Saluat. c. 4. pag. 104. col. 2. loquens de Adamo *negat neceſſitatem orandi, quia non deerat gratia, qua oraret, vt haberet, aut faceret, quod habebat in poteſtate*.

Nouus Autor In Vind. cap. 5. § 6. pag. 86. Idem tenet. *Cùm ex inhærente diuino adiutorio potuiſſet legem implere, fruſtrà oraſſet Deum, vt vires ſibi ad mandata facienda miniſtraret*.

Hæc doctrina eſt contra duos ſummos Pontifices, & contra Sanctum Thomam, & contra Sanctum Auguſtinum.

Sanctus Innocentius I. Papa Epiſt 95. inter epiſt. Auguſt. in medio.

Quid acerbius in Deum fingere poſſent, quàm vt quamuis adiutoria diuina ceſſarent, cauſam ne diuinæ, id eſt quotidianæ precationis auferrent, hoc eſt dicere, quid mihi opus Deo? Ac ne quis opponat, loqui de homine in ſtatu naturæ lapſæ ſequitur: *O prauiſſimarum mentium peruerſa doctrina: Aduerte tandem, quòd primum hominem libertas ipſa decepit, vt dum indulgentius frenis eius vtitur in præuaricationem præſumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, niſi ei prouidentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus. Audi Dauid dicentem adiutorium noſtrum in nomine Domini: & adiutor meus eſto ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus, quæ ineſſum dixiſſe tantum in eius erat poſitum voluntate, quod à Domino flebili ſermone poſcebat*.

Gelaſius in dictis aduerſus Pelagianam hæreſim Tom. 3. Conc. pag. 31. editionis Pariſienſis Anno 1636. loquens propriè de Adamo ante lapſum.

Illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit tanquam ipſe, qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſeruandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu deuotè currit, & conſulit, ſuaque ſe credit inter proſpera voluntati, facile ſine præſidio Creatoris patuit Deceptoris inſidiis, & in præuaricationem tracta conſequenter illicitis conditionem præfixa mortis inuenit.

Sanctus Thomas 1. p. q. 94. a. 4. ad 5.

Poteſt dici quod diuinitus ei ſubuentum fuiſſet ne deciperetur in his, quorum ſcientiam non habebat Nec eſt inſtantia, quam quidam aſſerunt, quod in tentatione non fuit ei ſubuentum, vt non deciperetur, licet tunc maximè indigeret. Quia iam præceſſerat peccatum in animo, & ad diuinum auxilium recurſum non habuit. Rurſum q. 17. De verit. a 5. ad 3. docuit eum indiguiſſe ad perſeuerandum *Diuina prouidentia dirigente, & adiuuante*: Accedit Concilium Arauſicanum Can 19. *Natura*, inquit, *humana etiamſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore non adiuuante, ſeruaret*. Loquitur autem Concilium de gratia efficaci, de qua locutus eſt Diuus Thomas, qui etiam in 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3. ex Auguſtino docet quod: *homo in primo ſtatu accepit donum per quod perſeuerare poſſet, non autem accepit, vt perſeueraret*. Igitur indigebat efficaci auxilio, pro illo etiam ſtatu. Vnde Sanctus Auguſtinus in Angelis perſeuerantibus recognouit maius auxilium, ita lib. 12. de Ciuit. cap. 9. de Angelis bonis, comparando eos cum Angelis malis ſic ait. *Iſtis minia voluntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt*.

Legatur item S. Thomas 2. 2. q. 137. a. 4 ad 2. & 3. vbi exponit locum S. Auguſtini, quo abutuntur Ianſenius, & nouus Autor. Teſtimonia, quæ afferunt Auguſtini præciſe loquuntur de auxilio gratiæ, quod iam à creatione habebat, quod iam collatum non erat petendum. Non loquitur autem de Viribus completis, ac perfectis ad reſiſtendum tentationi, & perſeuerandum. Vnde non eſt pia illa vox noui Autoris in Vind. pag. 87. *Poſita tentatione neutiquam niſi inaniter à Deo petiiſſet vires eidem reſiſtendi*. Contrà ſenſerunt Pontifices Innocentius, Gelaſius, & Concilia, & S. Thomas, & Auguſtinus.

COL-

COLLATIO QVARTA

DIFFERENTIA III.

De gratia Animæ Chriſti.

Ad q.7.3.p.a.11.S.Thoma, & in 3.d.13.q.4.Scoti.

SECTIO I.

Mens S.Thomæ, & Scoti inquiritur.

MEns S. Thomæ dubia videtur nam in 3.p.q.7.art.11. ſic ait in corpore loquens de Grat. Chriſti habituali: *Dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundum quod eſt quoddam ens, & ſic neceſſe eſt quod ſit ens finitum. Eſt enim in anima Chriſti ſicut in ſubiecto: anima autem Chriſti eſt creatura quædam habens capacitatem finitam, vnde eſſe gratiæ cùm non excedat ſuum ſubiectum, non poteſt eſſe infinita.* Nec quæ poſtea addit obſtant, imo firmant dicta exemplo Solis de quo ait: *Sicut ſi dicamus lucem ſolis eſſe infinitam, non quidem ſecundum ſuum eſſe, ſed ſecundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere poteſt.* Rurſum a. 12. in corp. Negans augeri poſſe gratiam Chriſti, non affert rationem ex parte infinitatis: ſed ex parte *ſummæ menſuræ*, & quod eſt *gratia in termino* comprehenſoris, non viatoris. Ex quibus patet gratiam augeri nō poſſe in infinitum. Et ad primum reſpondendo argumento quantitatis idem tradit. Adijciens in fine reſponſionis *Propter hoc non oportet, quòd gratiæ Chriſti poſſit fieri additio, quamuis ſit infinita ſecundum ſui eſſentiam.* Concordat in 3. ſent. d. 13. q. 1. a. 5. in corp. & ad 1. & ad 3.

At verò 2.2.q.24 docet gratiam habitualem, & charitatē poſſe augeri in infinitum. In corpore autem commemoratis modis augendi formam in ſubiecto ſic: *Nullo,* inquit, *iſtorum modorum imponitur terminus augmento charitatis in ſtatu viæ, ipſa enim charitas ſecundū rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet.* Et mox *ſimiliter cauſa augens charitatem: eſt infinitæ virtutis ſcilicet Deus. Similiter etiam ex parte ſubiecti terminus huic augmento præfigi non poteſt, quia ſemper charitate excreſcēte excreſcit habitus ad vlterius augmentum.* Hic locus deduxit eos, Thomiſtas in hanc ſententiam, de quibus queritur Caietanus in Comment. ad hunc art. §. *ex*

Digitized by Google

Schema ſecundum erroris de Perſeuerantia contra Concil. Tridentinum.

CONcilium Tridentinum ſeſſ.6. cap. 11. *Deus*, inquit, *ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi prius ab ipſis deſeratur*. Et cap. 13. de Perſeu. *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere*.

Contra Concilium Nouus Auctor ſicait: In Vind. Auguſt. pag. 132. *Homo ex peccato originali incidit in priuationem gratiæ iuſtificantis, & in priuationem potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum in ſemel accepta gratia iuſtificante*: Et ruſum p. 33. *Vnde per gratiam ſanctificantem non tollitur ipſa priuatio potentiæ proximè expeditæ ad perſeuerandum, hæc verò priuatio eſt in pœnam primi peccati*. Poſtea ibid. *Iuxta mentem Sancti Doctoris ſupponitur, priuationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeuerandum eſſe pœnam maſſæ peccato originali infectæ*. Tandem pag. 134. *Carentia doni perſeuerantiæ eſt Cauſa damnationis, ſed peccatum originale eſt cauſa carentiæ doni perſeuerantiæ: ergo peccatum originale eſt cauſa damnationis: Homo enim iuſtificatus ſi tentatione graui pulſetur, & ſtet ſub priuatione potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum infallibiliter ſuccumbet, ni Deus ſpeciali auxilio donet vim perſeuerandi, quod auxilium cum ex primo peccato non debeatur homini, iuſtè à Deo negari poteſt*.

Igitur hoc Auctore, Homo iuſtificatus deſeritur à Deo antequam Deum deſerat, quia dum eſt iuſtificatus non deſerit Deum, & tamen deſeritur à Deo negante gratiam neceſſariam ad perſeuerandum, & auferendo illi poteſtatem proximam perſeuerandi, ſine qua perſeuerari non poteſt. Ratio verò cur priuatur à Deo de peccato originali contracto, etiam pugnat cum Concilio Trid. quia homo iuſtificatus caret omni peccato, tum originali, tum actuali, ergo non deſerit Deum, neque per peccatum originale, neque per actuale, & tamen deſeritur à Deo ſubtrahendo poteſtatem proximam ad perſeuerandum, ergo deſeritur antequam deſeratur, & aduerſatur Auctor Concilio Tridentino.

Ex alio capite item pugnat ea doctrina cum eodem Concilio, in quo loquens de Perſeuerantia cap. 13. *In Dei*, inquit, *auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent*. Quomodo enim firmiſſima erit ſpes in auxilio, quod impoſſibile eſt haberi, cum in poteſtate hominis non ſit præteritum peccatum originale, quod eſt ratio ſubtractionis auxilii? Non eſt igitur ſpes in Deo reponenda, imò deponenda & deſperandum de illius auxilio, quod propter contractum peccatum originale denegatur ab ipſomet Deo, in quo ſperare iubetur.

Denique Concilium Tridentinum loquitur de peccato actuali, non autem de originali, & huic attribuit negationem auxilii diuini ad perſeuerandum: ait enim Concilium cap. 13. *Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Vbi perſpicuè loquitur de operatione actuali, & peccato actuali hominis qui gratiæ actuali deeſt, non autem loquitur de peccato habituali præterito originali, quod non poteſt ſignificari per illa verba: *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, quæ ſupponunt poſſe hominem operari cum illa gratia, quam eis tribuit Deus ad continuandam cœptam operationem; & ſanè illud verbum *deſerit* ex cap. 11. *ſemel iuſtificatos non deſerit*, excludit ſenſum de peccato originali. Vnde manifeſtè apparet doctrinam Auctoris aduerſari Tridentino Concilio.

Audiatur Cardinalis Bellarm. lib. 1. de grat. & liber arb. cap. 11. *Auguſtinus cap. 7. lib. de corrept. & grat. Docet iuſtificatos poſſe perſeuerare ſi velint, quod etiam definitur in Concilio Arauſicano can. 25. & Tridentino ſeſſ. 6 cap. 13. ex quo ſequitur: Omnes iuſtificatos habere auxilium ſufficiens ad perſeuerandum*. & paulò poſt. *Videbitur Deus amicos ſuos deſerere antequam deſeratur ab eis. Nam cum iuſtus aliquis peccat, certè non habuit gratiam efficacem ad reſiſtendum peccato, ſi enim habuiſſet vtique non peccaſſet, quòd ſi ne ſufficientem quidem habuit, qua poſſet reſiſtere, quomodo non fuit à Deo deſertus antequam ipſe Deum deſereret? iuxta. Concilium Tridentinum aperiſſimè docet Deum non deſerere, quia non denegat auxilium; dicit enim eos, qui piè, iuſtè, & ſobriè viuunt in bono poſſe perſeuerare, quia Deus non deſerit, niſi deſertus ſeſſ. 6. cap. 11. & rurſus debere omnes iuſtos firmiſſimam ſpem in Dei auxilio collocare, quia niſi ipſi gratiæ eius deſint Deus ipſis non deerit: At ſi nullum eſſet auxilium niſi efficax non poſſemus hanc ſpem in Deo collocare*.

Hoc ipſum expreſſit S. Auguſtinus lib. de corrept. & grat. c. 13. in fine, vbi loquens de adultis iuſtificatis non perſeuerantibus ſic ait. *Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeuerant, deſerunt, & deſeruntur*, vbi expreſsè ponit non perſeuerantes adultos prius deſerere Deum, quàm deſerantur à Deo. Diſtinguit autem ibi eos qui ex ſolo peccato originali damnantur, ab iis qui damnantur propter peccata actualia, quæ diſtinctio ſupervacanea eſſet ſi originale eſſet ratio non perſeuerandi.

Schema Tertium de neceſſitate orandi in Adamo innocente.

IAnſenius lib. 3. de grat. Chriſti Saluat. c. 4. pag. 104. col. 2. loquens de Adamo *negat neceſſitatem orandi; quia non deerat gratia, qua oraret, vt haberet, aut faceret, quod habebat in poteſtate*.

Nouus Autor In Vind. cap. 3. § 6. pag. 86. Idem tenet. *Cùm ex inhærente diuino adiutorio potuiſſet legem implere, fruſtrà oraſſet Deum, vt vires ſibi ad mandata facienda miniſtraret*.

Hæc doctrina eſt contra duos ſummos Pontifices, & contra Sanctum Thomam, & contra Sanctum Auguſtinum.

Sanctus Innocentius I. Papa Epiſt 93. inter epiſt. Auguſt. in medio.

QVid acerbius in Deum fingere potuerunt, quam cum adiutoria diuina ceſſarent, cauſam iræ diuinæ, id eſt quotidianæ precationis auferrent, hoc eſt dicere, quid mihi opus Deo? Ac nequis opponat, loqui de homine in ſtatu naturæ lapſæ ſequitur: *O prauiſſimarum mentium peruerſa doctrina: Aduerte tandem, quòd primum hominem libertas ipſa decepit, vt dum indulgentius frenis eius vtitur in præuaricationem præſumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, niſi ei prouidentia regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus. Audi Dauid dicentem adiutorium noſtrum in nomine Domini: & adiutor meus eſto ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus, quæ incaſſum dixiſſet ſi tantum in eius erat poſitum voluntate, quod à Domino flebili ſermone poſcebat*.

Gelaſius in dictis aduerſus Pelagianam hæreſim Tom. 3. Conc. pag. 31. editionis Pariſienſis Anno 1636. loquens propriè de Adamo ante lapſum.

ILla primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit tanquam ipſe, qui condiderat non egeret, nec de perceptis agit gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec de conſeruandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſata tentatoris acceſſu deuotè currit, & conſulit, ſuaque ſe credit inter proſpera voluntati facile ſine præſidio Creatoris patuit Deceptoris inſidiis, & in præuaricationem tracta conſequenter illecti conditionem præfixa mortis incurrit.

Sanctus Thomas 1. p. q. 94. a 4. ad 5.

POteſt dici quod diuinitus ei ſubuentum fuiſſet ne deciperetur in his, quorum ſcientiam non habebat Nec eſt inſtantia, quam quidam aſſerunt, quod in tentatione non fuit ei ſubuentum, ne deciperetur, licet tunc maximè indigeret. Quia iam præceſſerat peccatum in animo, & ad diuinum auxilium recurſum non habuit.

Rurſum q. 17. De verit. a 5. ad 3. docuit eum indiguiſſe ad perſeuerandum *Diuina prouidentia dirigente, & adiuuante*: Accedit Concilium Arauſicanum Can 19. *Natura*, inquit, *humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret*. Loquitur autem Concilium de gratia efficaci, de qua locutus eſt Diuus Thomas, qui etiam in 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3. ex Auguſtino docet quod: *homo in primo ſtatu accepit donum per quod perſeuerare poſſet, non autem accepit, vt perſeueraret*. Igitur indigebat efficaci auxilio, pro illo etiam ſtatu. Vnde Sanctus Auguſtinus in Angelis perſeuerantibus recognouit maius auxilium, ita lib. 12. de Ciuit. cap. 9. de Angelis bonis, comparando eos cum Angelis malis ſic ait. *Iſtis mala voluntate cadentibus, illi amplius adiuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt*.

Legatur item S. Thomas 2. 2. q. 137. a. 4. ad 2. & 3. vbi exponit locum S. Auguſtini, quo abutuntur Ianſenius, & nouus Autor. Teſtimonia, quæ afferunt Auguſtini, præciſè loquuntur de auxilio gratiæ, quod iam a creatione habebat, quod iam collatum non erat petendum. Non loquitur autem de Viribus completis, ac perfectis ad reſiſtendum tentationi, & perſeuerandum. Vnde non eſt pia illa vox noui Autoris in Vind. pag. 87. *Poſita tentatione neutiquam niſi inaniter à Deo petiiſſet vires eidem reſiſtendi*. Contrà ſenſerunt Pontifices Innocentius, Gelaſius, & Concilia, & S. Thomas, & Auguſtinus.

COL

COLLATIO QVARTA

DIFFERENTIA III.

De gratia Animæ Chriſti.

Ad q.7.3.p.a.11.S.Thoma, & in 3.d.13.q.4.Scoti.

SECTIO I.

Mens S.Thomæ, & Scoti inquiritur.

MEns S. Thomæ dubia videtur nam in 3.p.q.7.art.11. ſic ait in corpore loquens de Grat. Chriſti habituali: *Dupliciter poteſt conſiderari. Vno modo ſecundum quod eſt quoddam ens, & ſic neceſſe eſt quod ſit ens finitum. Eſt enim in anima Chriſti ſicut in ſubiecto: anima autem Chriſti eſt creatura quædam habens capacitatem finitam, vnde eſſe gratiæ cùm non excedat ſuum ſubiectum, non poteſt eſſe infinita.* Nec quæ poſtea addit obſtant, imo firmant dicta exemplo Solis de quo ait: *Sicut ſi dicamus lucem ſolis eſſe infinitam, non quidem ſecundum ſuum eſſe, ſed ſecundum rationem lucis, quia habet quidquid ad rationem lucis pertinere poteſt.* Rurſum a. 12. in corp. Negans augeri poſſe gratiam Chriſti, non affert rationem ex parte infinitatis: ſed ex parte *ſummæ menſuræ*, & quod eſt *gratia in termino* comprehenſoris, non viatoris. Ex quibus patet gratiam augeri nō poſſe in infinitum. Et ad primum reſpondendo argumento quantitatis idem tradit. Adijciens in fine reſponſionis *Propter hoc non oportet, quòd gratiæ Chriſti poſſit fieri additio, quamuis ſit infinita ſecundum ſui eſſentiam.* Concordat in 3. ſent. d. 13. q. 1. a. 5. in corp. & ad 1. & ad 3.

At verò 2.2.q.24 docet gratiam habitualem, & charitatē poſſe augeri in infinitum. In corpore autem commemoratis modis augendi formam in ſubiecto ſic: *Nullo,* inquit, *iſtorum modorum imponitur terminus augmento charitatis in ſtatu viæ, ipſa enim charitas ſecundū rationem propriæ ſpeciei terminum augmenti non habet.* Et mox *ſimiliter cauſa augens charitatem: eſt infinitæ virtutis ſcilicet Deus. Similiter etiam ex parte ſubiecti terminus huic augmento præfigi non poteſt, quia ſemper charitate excreſcēte excreſcit habitus ad vlterius augmentum.* Hic locus deduxit eos, Thomiſtas in hanc ſententiam, de quibus queritur Caietanus in Comment. ad hunc art. §. *ex*

quibus dicens *eos non percepiſſe mentē auctoris*. Ipſe autem Caietanus negat hoc augmentum in infinitum hoc in loco 2.2.q.24.& 3.p.q.7.a.9. & q.10. art.4. Inſignes tamen Diui Thomæ ſectatores ſecùs, ac Caietanus iudicāt. Suarez d.22.n.3.p.q & Vaſquez ib. d. 47.c.3. affirmantes ita ſentire recētiores Thomiſtas cum Capreolo, & nobilibus antiquis. Quare inuito Caietano Schola penè omnis affirmat iſtud augmentum in infinitum.

Scotus in 3.d.13.qu.4. *§. ad primam quæſtionem* verſu: *ad quod eſt vidēdum* n. 2. *Accepta aliqua gratia determinata infinita, puta, A, quæro aſcendēdo, aut eſt ſtatus ad aliquam ſupremam, & habetur propoſitum: aut non, ſed poteſt procedi infinitum, & tunc ſequitur quod quantò aliqua magis excedit, tantò eſt perfectior, & per conſequens illa, quæ in infinitum excedit eſt in infinitum perfectior, & ita in ſe erit intenſiùs infinita: & tamen cùm ipſa videatur ab intellectu diuino, ſicut vnum creabile poteſt vna creatione creari, & ita præter hoc quod infertur impoſſibile, ſcilicet quod gratia ſit infinita habetur propoſitum, quòd iſta gratia poſſit vnica creatione creari: ſicut ab intellectu diuino videtur vt vnum creabile. Ab iſta ratione habent euidentiam aliæ duæ rationes, quarum vna accipitur à Philoſopho primo Phyſicorum cap. de infinito, quòd quantum contingit eſſe in potentia tantum contingit in actu, & ita non eſt procedere in infinitum in potentia eundo ad formam, & ideo neceſſe eſt in forma quacunque perfecta ponere terminum qualitercunque poſſibile*. Ex quo patet mens Scoti dicentis ponēdum omninò eſſe terminum gratię, ne ſequatur ſimpliciter in infinitum procedere.

SECTIO II.

Proponitur S. Thomæ, & Thomiſtarum ſententia.

SVmmam eſſe in Chriſto gratiam ſupponit vtraque Schola. Thomiſtica tamen docet eam gratiam poſſe in infinitum augeri. Primum fundamentum eſt, quia non repugnat iſtud augmentum gratiæ, neque ex eo quòd qualitas eſt, nec ex & quòd gratia eſt. Igitur poteſt augeri in infinitum. Probatur dilemma quo ad primam partem, quia intentio ſiue fiat per gradus, ſiue per radicationem maiorem in ſubiecto, poteſt magis, & magis augeri, ergo non repugnat in genere qualitatis. Aſſumptum probatur, quia illa infinitas non eſt ſimpliciter, nec enim vnquam poterit poni in actu qualitas infinita, ſed talis vt ſemper poſſit eſſe maior, vnde fit, vt ſemper ſit finita: quæ enim poteſt creſcere finita eſt. Secunda pars dilemmatis ſuadetur, quia in gratia nulla eſt repugnantia vt creſcat, quod ea ratione probatur, quia illud augmentum gratiæ non reddit eam ſimpliciter infinitam, ergo in tali genere creſcere poteſt in infinitum.

Secundum fundamentum eſt, quia in diuerſis hominibus poteſt dari vna gratia perfectior alia, vt, ſi Deus creet diuerſos Angelos vel homines alios aliis perfectiores, & gratiores illorum gratia diuiſiuè ſumptorum erit in infinitum creſcens; igitur & in vno ſubiecto poterit creſcere & augeri gratia in infinitum.

Tertium capacitas ſubiecti creati, quæ eſt potentia paſſiua non eſt aliqua perfectio poſitiua, ſed tantùm non repugnantia, ergo poterit correſpondere

gra-

gradibus ſucceſſiuè venientibus in infinitum, cùm ex eo non creſcat perfectio capacitatis tanquam aliquid poſitiuum, ſed tanquam receptiuum in ordine ad diuinam potentiam, quę ponit illam maiorem perfectionē creatam, & finitam, & nunquam dici poterit capacitatem eſſe infinitā, ſed eſſe indifferentem ad infinita. Ex quibus fundamentis apparet gratiam Chriſti Domini, quamuis ſit ſumma, poſſe tamen augeri, & creſcere in infinitum.

21 Confirmatur exemplo quantitatis, quæ poteſt in infinitum augeri, nec enim apparet repugnantia. Igitur etiam qualitas augeri poterit; nec enim progreſſus in infinitum repugnat qualitati ex peculiari aliqua ratione. Pro hac ſententia pugnant communiter Thomiſtæ, & Suarez 3. p. d. 22. ſect. 1. & 2. Vaſquez diſp. 58. Becanus c. 8. q. 4. Gaſpar Hurtado d. 7. q. 5. à quibus multi citantur auctores, ac inter eos Capreolus in 3. d. 13. ar. 2. ad tertium. Gregorius in 1. d. 17. q. 6. concl. 3. & Ochamus in 3. d. q. 7. & in 1. q. 8. concl. 1. Gabriel in 3. d. 13. art. 1. not. 3. & art. 2. in princ. quibus aſſentitur Orlandus d. 4. q. 2. Gabriel à S. Vincent. d. 7. dub. 10.

Hiſce argumentis addo de meo penu aliam rationem, quia ſi Chriſti Domini gratia non poſſet in infinitum augeri, ſequeretur Chriſtum, vel non poſſe niſi per certos quoſdam numero actus mereri, vel merendo nihil gratiæ acquirere; vtrumque autem eſt falſum. Primum, quia Chriſtus Dominus de potentia abſoluta poſſet ſemper per alios, atque alios actus in æternum mereri. Cur enim id repugnaret ſeruata libertate, & ſtatu merendi? Igitur mereretur. Tunc ſequitur ſecundum, videlicet nihil acquiſiturum gratiæ per illos actus, quod omnino eſt abſurdum. Dicendum igitur eſt gratiam Chriſti Domini de potentia abſoluta poſſe fieri intenſiorem. Hæc ſunt ſatis ad huiuſmodi ſententiam adſtruendam argumenta.

SECTIO III.

Aſſertur Scoti, & Scotiſtarum placitum.

Contra opinatur Scotus, & Schola. Scotus quidem hoc in loco tertij d. 13. q. 4. §. *ad primam quęſtionem*, & §. ad 2. q. Aretinus d. 23. q. 1. art. 5. Lychetus in hunc locum. Tataretus ibid. Faber, & Caſtillo diſ. 11. q. 5. n. 7. & Felix c. 11. difficul. 4. cum quibus ſentit Caietanus 3. p. q. 7. art 9. 10. & 12. & q. 10. art. 4. & in 2. 2. q. 24. art. 7. & Durandus in 1. d. 17. qu. 9. qui omnes negant gratiam Chriſti de potentia abſoluta poſſe augeri: ſequitur Delgadillo de Incarnatione. c. 1. diſ. 2. dub. 3. & 4.

Probatur primò, quia proceſſus in infinitum in ordine ad formam, & perfectionem eſt impoſſibilis, & ſuper capacitatem formæ finitæ: ſed talis eſt gratia, ergo in infinitum augeri non poteſt. Antecedens eſt Ariſtotelis 2. de Ani. tex. Comment. 41. his verbis, *Omnium natura conſtantium eſt finis tam magnitudinis, quàm accretionis*. Et Commentator in 3. phyſ. fatetur proceſſum ad formam vlteriorem nō progredi in infinitum, exceptis numeris, quia iſti creſcunt per diuiſionem continui, in qua proceditur ad materiam, non autem ad formam: quę perficitur, & perfici in infinitum nequit. Ita commen. 60. 61. 63. 68. Minor patet: conſequentia colligit.

Probatur ſecundò: omnis potentia eſt reducibilis ad actum, ſed iſta eſt potentia, ergo poterit ad actum reduci, vnde ſequitur fore infinitam actu il-

Digitized by Google

lam intentionem gratiæ, quocumque tandem modo facienda eſſet, ſiue per additionem gradus ad gradum, ſiue per maiorem radicationẽ in ſubiecto.

Probatur tertiò, quia capacitas creaturæ eſt finita, & limitata: Igitur non poterit ſuſcipere, niſi gratiam finitã, & ſibi proportionatam. quæ ratio mouit Diuum Bonau. in 1. d. 17. 2. p. diſt. art. 1. q. 4. & Richard. ibid. art. 2. q. 4. ad negandum in ſubiecto finito poſſe ineſſe gratiam ſine termino, & propter eandem amplexus eſt hanc negantem ſententiam Driedo tract. 2. de captiu. de captiu. & Redemp. cap. 2. p. 6. ſent. 8. Neque ſatisfacit dicere potentiam illã recipiendi eſſe obedientialem, quia hæc non tollit naturam rerum, ſed tantùm eleuat ad effectus ſupernaturales; non tamen idcirco reponit extra ſuam ſphæram, vnde non poterit tribuere infinitam capacitatem entitati finitæ.

Probatur quartò, quia non eſt intelligibilis accretio illa, & augmentatio in infinitum; nam ſi qualitatis intenſio fiat per gradus, quomodo poteſt intendi qualitas, & perfici vſque ad infinitum? ſi autem fiat per maiorem radicationem in ſubiecto quomodo iſtud, cum ſit limitatum, & finitum poterit præſtare ſubiectum capax infinitæ radicationi? vnde apparet ſententiam affirmantem eſſe inintelligibilem.

Probatur quintò, quia hac ratione non poſſemus aſſignare certam gratiam animæ Chriſti Domini: nam cùm ei debeatur in ſententia Thomiſtarũ gratia proportionata vnioni hypoſtaticæ, quæ eſt infinitæ dignitatis, dici non poteſt eam gratiam fore finitam, & limitatam. Si autem dicamus eſſe infinitam, dabimus gratiã Chriſti in actu infinitam, contra quod ipſi ſentiunt: qui dicunt eam poſſe creſcere, & augeri, in quo eſt contradictio; nam quod poteſt augeri eſt finitum, & aliunde ſupponitur gratiam carere termino, & aſcendere ad infinitatem; ergo datur contradictio in adiectis. Propter hæc fundamenta preferenda videtur Scoti ſententia negatiua affirmatiuæ doctoris Angelici. Tenendum itaq; eſt in Chriſto eſſe gratiam ſummam, quæ ſit in vltimo ſuo complemento, & ut ita dicam, in ſuo Auge, ſine augmento. Non quia Chriſtus deficiatur gratia proportionata, & digna ſua perſona, ſed quod ſubiectum non ſit capax gratiæ vlterioris, & quia natura gratiæ ſit finita, & limitata. Nec eſt inconueniens iſta magnitudo gratiæ, quæ creſcere non poſſit; ſunt enim quædam virtutes creatæ, quæ ſunt maxime in ſuo genere, & excedunt omnes vires finitas, & creatas. Affero idoneum, me auctore, exemplum, ea naturæ vis quæ reſiſtit vacuuo, eſt finita, & limitata, & tamen tanta eſt, vt excedat omnes vires creatas; ita enim reſiſtit, vt non poſſit vinci illa reſiſtentia per vires, etiam Angelicas. Adeo vt per ſolam virtutem diuinam poſſit ſuperari. Quid igitur mirum quòd gratia Chriſti ſumma ſit, & augeri non poſſit? neque requiras in exemplo omnimodam veritatem, obijciendo ſicut poteſt vinci reſiſtentia vacui per diuinam virtutem, ſic etiam poſſe augeri gratiam per eandem virtutem, non enim ſequitur hoc ſecundum ex illo primo. Exemplum fuit poſitum ad monſtrandum poſſe dari aliquid ſummum, & maximum in rebus creatis, quod non poſſet vinci per vires finitas; non fuit adductum, vt ſicuti reſiſtentia vacui poteſt auferri per virtutem diuinam, ita etiam poſſit augeri ſumma illa gratia per eandem

Digitized by Google

dem virtutem; ratio diuerſitatis eſt, quia illa reſiſtentia non eſt aliquid poſitiuum, neque perfectiuum, qualis eſt augmentatio gratiæ; hæc etenim fit per intrinſecam receptionem, quæ ſumitur ex capacitate ſubiecti, quæ cum ſit finita reſtringit infinitam virtutē. At verò reſiſtentia, quando vincitur euertitur, & aufertur per diuinam potentiam, per deſtructionem impedimenti, non autem per accretionem, & perfectionem augmenti. Manet igitur ſtabilita Scoti ſententia, quæ ſtatuit gratiam Chriſti in ſummo, itaut nihil deſideret, nec capere poſſit vlterioris perfectionis.

SECTIO IV.

Argumenta in oppoſitum diluuntur.

PRimo reſpondetur, & quidem facilè, negando aſſumptum quoad vtranque partem. Repugnat enim illa augmentatio in infinitum vtroque modo, quemadmodum hactenus manifeſtè oſtendimus. Itaque cùm argumentum falſum aſſumat per ſeruit, nec opus eſt laborare vlterius, ſed negare, & expectare probationem, quæ nulla erit.

Secundò dicitur, negando exemplum: nec enim poſſunt creari perfectiores in infinitum creaturæ; quia ſequeretur poſſibilem eſſe creaturam in actu infinitæ perfectionis, quod eſt omninò impoſſibile: & recurrit argumentum Scoti.

Tertio ſatisfit negando eam capacitatem, quæ ſupponitur ad infinitū, nō repugnare ſubiecto finito, & limitato, quare inficiandum eſt, quod argumētum aſſumit: eſt enim liberum, nec vlla ratione perſuadendum. Quod attinet exemplum quantitatis; dicendum illam accretionem eſſe poſſibilem, quia eſt materialis, & quaſi iuxta poſitionem. At vero augmentatio per gradus, in qualitate, fit proficiendo per intenſionem in eadem qualitate, quæ quanto magis augetur, tantò magis perficitur actu, & formaliter: quod repugnat. Poteſt etiam negari hoc exemplum quantatis infinitæ poſitę in actu, quia daretur implicatio; vel enim poſſet augeri, vel non: ſi non exhauriretur diuina potentia: ſi poſſet iam non eſſet infinita, quo etiam modo ſoluit Delgadillo cap. 7. diſſ. 1. dub. 4.

Maiorem difficultatem habet illud argumentum à me excogitatum. Sed illud tamen ſoluitur dicendo, nullum eſſe inconueniens, quòd Chriſtus non poſſit per plures, & plures actus nouos in infinitum mereri, quia hoc repugnat ex parte actuum, & ex parte limitationis ſubiecti. Neque defendo doctrinam ipſorum aduerſariorum, qui tenentur dicere Chriſtum Dominum tantum mereri per vnum ſolum actū; quantum per plures, quia cum eius meritum in illorum ſententia ſit infitum, in genere meriti, ſequitur ſuperfluos eſſe alios actus: nam infinito non poteſt addi. Igitur poſito vno actu Chriſti Domini iam poſitum eſt totū meritum, nec oportet adiicere alios actus: vnde apparet non eſſe inconueniens, quòd Chriſtus Dominus contineatur intra illos terminos gratiæ limitatæ, nec vltra illam poſſit operando procedere.

Cætera, quæ auctores huius ſententiæ contrariæ producunt, conſiſtunt potius in exaggeratione potentiæ obedientialis, quam in rei veritate, & pendent à doctrina de potentia, in qua diligenter eſt animaduertendum potentiam obedientialem non debere

corre-

Digitized by Google

correſpondere omnipotentiæ diuinæ operanti ſecundum ſe ſpectatæ: hoc enim modo nihil repugnaret ſingulari entitati creatæ, ſed attendendum eſſe etiã ad capacitatem naturæ creatæ, vtrum correſpondeat illi omnipotentiæ in ea operanti. Alioquin nihil eſſet impoſſibile creatæ naturæ eleuatæ per omnipotentiam diuinam, quod eſt omnino falſum, & apparet in iis, quæ ſunt extra ſphæram potentiæ creatæ: nulla enim poteſt etiam per potentiam diuinam abſolutam vltra hoſce terminos euagari. Exẽplo ſit oculus corporeus, qui nequit ad videndum ſpiritum eleuari.

SECTIO V.

Explicatur, & illuſtratur Scoti Doctrina.

PRimò tenendum Chriſtum, & habuiſſe gratiam habitualem, & per illam formaliter ſanctificatum eſſe. Ita Scot. in 3. d. 2. q. 1. §. *Ad argumenta principalia.* verſu *Ad rationem probantem n.* 12. Et d. 14. q. 4. §. *Ad argumenta* n. 10. & ſequ. qui enim potuit haberi illa gratia ſine aliquo effectu? Cùm autẽ eius ſit ſanctificatio, eum omnino præſtare debuit, & quidem formaliter; qua ratione refutantur ij, qui exiſtimant Chriſtum fuiſſe Sanctum formaliter per vnionem hypoſtaticam, quales ſunt Vaſquez, Suarez & Lugo, quemadmodum ſupra obſeruauimus: & nunc de nouo contra eoſdem ſtatuimus cum Caſtillo d. 11. q. 2. & Delgad. c. 7. diffi. 2. dub. 2. & Felice c. 11. diffi. 2. Verum quidem eſt eam gratiam fuiſſe conſequentem, & debitam vnioni, vt eſſet ſumma; non idcirco tamen amiſit conditionem, & effectum gratiæ. Quo ſenſu locuti ſunt Patres, quos laudant Suarez, & Vaſquez, & Lugo ſignificantes Chriſtum fuiſſe vnctum, & Sanctum per vnionem, id eſt diſpoſitum, & in radice, qualis erat vnio, vnde omnia dona gratiæ pro manabant: non autem formaliter, ac propriè, quod non erat vnio formalis ſanctificatio, & ita demum faſſus eſt Lorca doctus ſanè, ac eruditus in Patribus d. 36. n. 4. Et quidem duplex erat Dei in Criſto inhabitatio: vna per diuinitatem opera vnionis hypoſtaticæ: altera per ſanctitatem mediante gratia. Nam ſi ſecus eſſet, non tam perſpicuè Patres, & Scholaſtici Doctores ponerent gratiam habitualem, & Charitatem infuſam in Anima Chriſti, adeo vt id de Fide eſſe dicant cum Suarez d. 18. ſect. 2. Raguſa d. 67. c. 1. Lorca d. 37. Felice c. 1. diffi. 2. & oſtendit Aretinus d. 13. q. 1. a. 3. conforme concilio Tridentino, quod nullam aliam agnoſcit formam iuſtificantem præter gratiam. Ita ſeſſ. 6. c. 7. & Can. 21. & ſeſſ. 14. c. 1. & 4. Quamuis enim de Sanctificatione hominum loquatur, non de Anima Chriſti, cõſequenter de ea intelligendum eſt, cùm non aliam rationem ſanctificandi agnouerit, niſi per gratiam. Igitur cenſuit eam eſſe vbique formam ſanctificantem. Idq; colligitur ex loco Ambroſij lib. de Spir. Sanct. c. 21. Cùm enim dixiſſet Chriſtum de Spiritu Sancto *natum eſſe* & *renatum* ſubiungit. *Quem natum de Spiritu Sancto confitemini, quia negare non poteſt is, renaſci negatis. Magna inſipientia eſt, vt quod ſingulare eſt hominum confiteamini, quod commune eſt hominum denegetis?* Quo ſignificat eodem modo, id eſt per ſpiritum Sanctum, homines omnes, & ſingulos, & Chriſtum etiam ipſum ſanctificari. Auctores contrarios miror id negare; tenentur enim dicere

Gra-

Gratiam ſanctificantem, quam ineſſe Chriſto affirmant, in ſubiecto nihil efficere, & cùm ſit forma carere effectu formali, quod inuoluit contradictionem.

Secundò conſtat gratiam Chriſti eſſe ſummam, & in termino vltra quem tendere, intendi ve nequeat, finitam quidem, ſed impoſſibilem augeri, & creſcere, quòd ſuum habeat iuſtum, & neceſſarium complementum. Sunt enim multa finita, quę non ſunt capacia augmenti: cuiuſmodi eſt ſubſiſtentia in ſua terminandi, & complendi ratione, & vnio in ratione vniendi. Finitæ quidem ſunt: nec tamen ſuo in genere poſſunt augeri. Talem eſſe puto potentiam materiæ primæ ad recipiendas formas, & reſiſtentiam naturæ ad vacuum admittendum. Vnde non ſequitur eſt quid finitum, ergo augeri poteſt. Et in hoc quidem cum Scoto, & Schola conuenit Caietanus, quem ſuprà retulimus. Eiuſque iudicio Diuus Thomas 3.p.q.10.imo & 2.2. q.7. contra mentem Thomiſtarum, & Suarij, & Vaſquij, qui ſecus ſentire maluerunt.

Tertiò patet: gratiam Chriſti omni creata gratia eſſe maiorem, neque poſſe vllam illa maiorem conferri a Deo, vel etiam de potentia abſoluta, cùm ea iuſto ſit in termino conſtituta, quem tranſgredi vlla non poteſt alia, neque Angelica, neque ſupra Angelicam creabilis. Vtrum autem creari poſſit æqualis? quæritur. Reſpondetur affirmando. Videlicet, ſi Spiritus Sanctus aſſumeret naturam humanam, ſicuti Verbum aſſumpſit, exiſteret homo cum æquali gratia, atque homo Chriſtus: nec eſt inconueniens, quòd eſſent duo capita contra diuiſa: non enim vterque eſſet Redemptor, neque caput aliorum, ſed conſiſteret ſeparatus, ac ſolitarius ſua fruens dignitate, & prærogatiua ſingulari: quod ſpectata Dei potentia abſoluta nullam inuoluit contradictionem. Vnde Scotus q.4. ꝟ. *Ad argumenta* negat de potentia ordinata. non autem de abſoluta, quia ea ratio de duplici capite manet intra ordinatam, quod rectè animaduertit Aretinus d. 3. q. 2. a. 2. An autem poſſit creatura non aſſumpta recipere æqualem gratiam naturæ aſſumptæ? ambigere videtur Scotus, dum ait eo loco qu. 4. nu. 8. ꝟ. *ſecundum* in fine, ſiue *naturæ aſſumptæ, ſiue fortè*, (ſic ait) *non aſſumptæ*, vbi ly *Fortè* inuoluit dubium. Placet mihi dicere de potentia abſoluta minimè repugnare, cùm illa gratia ſit finita, ac proinde conuenire poſſit creaturæ finitæ ſine hypoſtatica vnione, quæ non eſt neceſſariò requiſita ad tantam gratiam, ſed ex quadam æquitate & conuenientia ei confertur, iuxta decorum perſonæ, non autem ex intrinſecis principijs vnionis; cui gratia non eſt annexa vti proprietas naturalis: atque adeo cùm ſit Dei gratuitum donum poterit, naturæ nō aſſumptæ communicari, quod tandem Aretinus, & Delgadillo fatentur. Quare quod ambiguè poſuit Scotus pro certo rectè ratiocinando habendum. De gratia Chriſti, vti is eſt caput Angelorum, & hominum ſuo loco diximus: nec oportet tractata retractare.

IVDICIVM.

Qvem iuuet Scoti mentem cum Sancti Doctoris ſenſu conferre, iudicabit is manifeſtiùs de illius ſententia conſtare, quòd eam & perſpicuè expoſuerit, & conſtanter te-

tenuerit, cùm S. Thomas minus certam ſuam obſcuriùs loquendo rediderit. Nam in 3.p.q.illa 7. videtur docuiſſe Gratiã ſuum iuſtum habere, ac præfinitum terminum, atque adeò augmentum excludere. Rurſum vero in 2.2.quæſt.24. tradidiſse charitatis, & gratiæ nullum eſse terminum, ac proinde poſse magis, ac magis in infinitum augeri. Vnde orta Scotiſtarum inter ſe conſenſio, & Thomiſtarum diſſenſio. Et quidem mihi non diſplicet Caietani veri, ac germani Thomiſtæ opinio: Diuum Thomam eandem, quam poſtea tradidit Scotus, ſententiam tenuiſse. Videlicet gratiam Chriſti ſummam fuiſse, & finitam reapſe, & limitatam, nec tamen augeri potuiſse eo, quem Thomiſtæ adſtruunt ſenſu, actu in infinitum. Præterea conſideranti mihi eiuſdem Sancti Doctoris teſtimonia tum prædicta, tum 3. libri ſententiarum d.3. perſuaſum eſt Caietanum à mente præceptoris minimè deuiaſse. Sed quoniam cæteri penè omnes ab eo diſcedere maluerunt, ac inter eos duo externi gente, ſenſu propinqui Suarez, & Vaſquez, quibus vehementer ſtudeo, ac indulgeo, malui ſequi plures, & multitudini me dare, cùm præſertim viderem eos nomine Doctoris Angelici Scoti doctrinam impugnare. Accinxi me igitur ad quæſtionem ita tractandam, vt palam facerem ſatis eſse ad ſuſtinendam doctrinam Scoti eiuſdem auctoritatem, & ratiocinationem, nec vllo alio præſidio indigere, idque ſum, opinor, conſecutus, tum probando argumentis placitum Scoti, tum obiectiones aduerſus illud diluendo: vt nihil obſtare videatur, quin Scoti doctrina non ſolùm inoffenſo pede currat, ſed etiam probabilior, meo iudicio, videatur. Nec ea patrocinio auctorum deſtituitur, quorum nos iuſtum numerum collegimus, eoque dicta muniuimus, quemadmodum præſtare diſputando ſoliti ſumus. Supereſt unum dubium remouendum. Quomodo ſtet doctrina tradita de ſumma gratia Chriſti cum illo teſtimonio Lucæ 2. *Puer Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum, & homines?* profectus quippe fit auctu, & augmento. Nec illud augmentum eſt tantùm in ſpecie, & apparens hominibus: nam expreſsè ponitur *apud Deum*, quæ particula infert veritatem rei, non apparentiam viſionis: quam rationem interpretandi refert, & reprobat Auguſtinus libro 83. qu. quæſt. 9. & confirmatur ex Paulo ad Heb.4. *Didicit ex his quæ paſſus eſt Obedientiam*. Igitur dicendum Chriſtum Dominum verè profeciſse per varios actus cognitionis, tũ intuitiuæ, tum abſtractiuæ, quos multiplicabat, & in experimentali ſcientia creſcebat. Specialiter verò in ſententia Scoti omninò acquirebat ex obiectorum præſentia nouas notitias intuitiuas, quas per ſolas ſpecies habere non poterat, ac ex ijs nouas item ſpecies memoratiuas comparabat: vnde & habitualiter in hac ſententia Scoti in ſcientia proficiebat. Certe in omni Schola experimentali ſcientia proficiens augebatur, atque hoc modo experiendo diſcebat, vt ait Paulus *Obedire Patri*, eiuſque voluntatem implere; in dies magis, ac magis progrediendo in cognitione rerum, quæ occurrebant, tum abſtractiua, tum intuitiua; quomodo etiam Scotus in hac 3. quæſt. num. 14 intellexit, & poſuit ad finem quæſtionis, vbi

vtrunque

Vtrunque locum & Lucæ, & Pauli interpretatur. Eadem ratione ſoluenda eſt difficultas de augmento gratiæ, videlicet multiplicando actus, tum eiuſdem, tum diuerſarum virtutum, prout ſe dabant occaſiones, quæ augmenta ſequebantur cognitiones prædictas experimentales: iiſque reſpondebant: manebantque ex actibus virtutum ſpecies memoratiuæ in intellectu, & habitus virtutum acquiſiti in voluntate augebantur, & quidam de nouo acquirebantur, oblata noua materia virtutis, quæ pro tempore exercenda occurrebat.

COLLATIO QVARTA

DIFFERENTIA IV.

De Scientia Animæ Chriſti.

SECTIO I.

Vtrum poſſibile fuerit intellectum animæ Chriſti videre omnia, quæ Verbum videt?

His terminis proponit quæſtionem Scotus in 3. d. 14. & in Report. eadem quæſtione. Sanctus Thomas vero in 3. d. 14. q. 1. a. 2. ſic: *Vtrum anima Chriſti videndo Deum comprehendat ipſum?* & 3. p. qu. 10. a. 1. *Vtrum anima Chriſti comprehenderit Verbum ſiue diuinam naturam?* & a. 2. *Vtrum anima Chriſti in verbo cognouerit omnia?* Et art. 3. *Vtrum Anima Chriſti in Verbo cognouerit infinita?*

Negat Sanctus Thomas ijs in locis. Ac primùm in 3. ſent. d. 14. q. 1. a. 2. ſic. *Anima Chriſti totam naturam Verbi videt, non tamen eam comprehendit, quia eam non totaliter videt*. Et in 3. p. q. 10. a. 1. ad primum: *Dicendum quod homo aſſumptus conformatur diuinæ Trinitati in ſua cognitione, non ratione comprehenſionis; ſed ratione cuiuſdam perfectiſſimæ cognitionis præ cæteris creaturis*. Et a. 2. in corp. *Quædam ſunt in ſola potentia diuina, & ſic eiuſmodi nō omnia cognoſcit in Verbo anima Chriſti: hoc enim eſt comprehendere omnia quæ Deus poteſt facere, quod eſſet comprehendere diuinam virtutem, & per conſequens diuinam eſſentiam. Quædam verò ſunt non ſolùm in potentia diuina, ſed etiam in potentia creaturæ, & huiuſmodi omnia ſcit anima Chriſti in Verbo*. Explicatiùs loqui-

tur ad ſecundum. *Scit ergo anima Chriſti omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam viſionis: non tamen omnia, quæ Deus in ſe ipſo cognoſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*. Tandem ad tertium, *Scientia diuina excedit ſcientiam animæ Chriſti, non ſolum quantum ad modum, ſed etiam quantum ad numerum ſcibilium*. Concedit Sanctus Thomas animæ Chriſti ſcientiã omnium futurorum, negat omnium poſſibilium. Dat completam, & perfectam ſcientiam viſionis, ſubtrahit ſcientiam perfectam ſimplicis intelligentiæ.

Hanc ſententiam Diui Thomæ intellexit, & expoſuit perſpicuè Scotus in 3. d. 14. q. 2. §. *ad ſecundum*, nu. 9. *Diſtinguitur ergo de ſcientia Dei; quia quædam eſt ſimplicis notitiæ, quæ eſt reſpectu poſſibilium, & actualium: & quædam eſt ſcientia viſionis, quæ eſt tantùm reſpectu habentium exiſtentiam in aliqua parte temporis: omnia cognita ſcientia viſionis ponitur anima Chriſti cognoſcere in Verbo: non autem omnia cognita ſcientia ſimplicis notitiæ.*

Secùs Scotus exiſtimat in 3. d. 14. q. 2. initio, vbi n. 1. *Contra Magiſter in litt. c. 2. Omnia videt quę Verbum videt*, & mox nu. 2. *Dico quòd ſic propter eandem rationem, propter quam diſtin. præced. qu. 1. dixi voluntatem eius poſſe habere ſummam charitatẽ, & ita veriſimile eſſe de facto. Quod confirmatur per illud Iſidori lib. 6. de ſummo bono. cap. 3. Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & homini aſſumpto, quod non poteſt intelligi niſi de notitia in termino, vel ſimpliciter, uel poſſibili creaturæ*. Idem proſequitur eadem quæſt. §. *ad ſecundum* n. 6. & pergit affirmare; vbi varios modos affert tuendi ſuam ſententiam, qui quatuor ſunt ſicuti poſteà videbimus, cùm de ijs iudicium feremus. Verùm in Reportatis d. 14. q. 2. nu. 2. in fine *Oppoſitum*, inquit, *Magiſter in littera, & adducit illud Ioannis 3. Animæ Chriſti datur ſpiritus non in menſura: igitur omnia videt*. Quæ eſt concluſio Scoti ibidem §. *dico igitur ad quæſtionem*, quo in loco ſuam declarat mentem adducens quatuor illos modos videndi in Verbo, & quærit quis ſit idoneus, & concludit n. 24. *Oppoſitum*, inquit, *eſt de Anima Chriſti per imperium voluntatis ad quodcunque quod Verbum videt poteſt illud videre: ita ratio habet ſuum obiectum primum, vt Verbum; ergo ſimul obijciuntur ſibi omnia, ſed non intellectui aliarum animarum*. Et tandẽ §. *ad principale* n. 25. *dicitur quod videt infinita habitualiter*, & ſoluit argumenta contraria Sancti Thomæ.

SECTIO II.

Proponitur Prima D. Thomæ ſuis argumentis nixa ſententia.

PRimùm afferendi auctores Sanctus Thomas 1. p. q. 10. Caietan. & Interpretes Thomiſtæ ibi. Paludan. d. 14. q. 1. Richard. ibi art. 2. qu. 3. Capreol. q. 2 art. 1. concl. 1. Vaſquez 1. Tom. in 3. p. d. 50. c. 3. qui ſe remittit ad 1. p. Suarez tom. 1. in 3. p. d. 26. Hurtado citans eos, & Becanum d. 8. dif. 5. Orland. tract. 3. q. 2. q. 4.

Argumenta omnia ſumuntur ex Diuo Thoma locis proximè allegatis. Eſto primum. Si Chriſtus in Verbo videret omnia, quæ Verbum videt, videret infinita, hoc autem eſt impoſſibile, ergo & illud ex quo ſequitur. Maior patet, quia Verbum videt omnia, tum futura, tum poſſibilia, quæ ſunt infinita: Minor ſuadetur, quia videre infinita, vt videt Verbum eſt, æquare

per-

Digitized by Google

perfectionem viſionis Verbi. Præterea videre infinita arguit infinitam capacitatem, & virtutem in potentia, quę cùm ſit concreata humanitati Chriſti Domini, nequit eſſe infinita.

Secundo ab alio inconuenienti deducitur ſic. Si anima Chriſti videret omnia, quæ videt Verbum conſequenter cognoſceret omnia, quæ cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & per ſcientiam viſionis: hæc autem ſi cognoſcerentur ſimul comprehenderetur Deus, ergo ea cognitio eſt impoſſibilis, Maior, & minor patent, quia conoſceretur Deus in quantum eſt cognoſcibilis, tum quo ad ſe, tum quo ad creaturas actuales & poſſibiles quarum eſt cauſa, & attingeretur cauſa infinita intenſiuè in ſe, & cognoſcetur in ſuis effectibus, vnde reſultat comprehenſio, nihil enim ſupereſt cognoſcendum in Deo. Comprehendi autem Deum, eſt impoſſibile; & ita traditum eſt de fide, vti probatur in materia viſionis beatæ, igitur non poteſt ſuſtineri ſententia Scoti affirmatiua.

Tertiò. Si anima Chriſti videret illa omnia quæ Verbum videt, non poſſet ab Angelo illuminari, ſed omnino poteſt illuminari, ergo non videt omnia quæ Verbum videt. Maior patet, quia qui videt omnia, nihil poteſt de nouo percipere, vel cognoſcere. Supponitur autem Verbum videre omnia, & videndo percipere; Si autem illuminaretur ab Angelo perciperet aliquid de nouo, ergo conſtat maior. Minor ſuadetur quia Angeli ſunt ſuperiores natura Chriſti anima, ergo poſſunt illam illuminare, alioquin auferetur ordo debitus, & aptus inter Angelicam naturam, & humanam; & negabitur veritas pſalmi Dauid, *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*.

Quartò: non eſt poſſibilis modus videndi omnia quæ Verbum videt, ergo id omnino negandum. Aſſumptum oſtenditur, quia vel illa viſio fieret habitualiter, vel actualiter; neutro modo, ergo nulla eſt. Probo non habitualiter ex eodem Scoto impugnante Bonauenturam, & Henricum aſſerentes Animam Chriſti videre omnia quæ videt Verbum habitualiter, hoc eſt per aliquod principium inditum ipſi animæ aptum reuelare omnia illa obiecta. Hoc autem Scotus refutat ex eo quod illud principium eſſet infinitè perfectum, ac proinde implicat contradictionem. Quo ad actum verò probatur; quia ille actus attingens obiecta infinita eſſet extra capacitatem finitam animæ Chriſti, & præterea argueret infinitam perfectionem in in actu, qui repręſentaret in ſe, ac exprimeret infinitas imagines creaturarum, euaderetque earum ſpeculum, ſicuti Deus format in eſſentia ſua ſpeculum creaturarum. Hoc autem eſt impoſſibile: ergo impoſſibilis eſt actus per quem videantur, & repræſententur infinitæ creaturæ.

Quintò, redundat in iniuriam Dei communicare hanc perfectionem animæ creatæ Chriſti Domini, derogagatur quippe prærogatiuæ diuinæ, faciendo creaturam æqualem Deo in cognoſcendo, & repreſentando infinita, vnde non eſt dicendum animam Chriſti tanta eccellentia frui, vt Deum poſſit æquiparare.

Tandem hæc ſententia non habet fundamentum in ſacris litteris, vnde non eſt adſtruenda: imo videtur repugnare Sacræ Scripturæ, componit enim hominem Deo, tribuens animæ Chriſti attributum proprium Dei; nec ſatisfacit dicere, hominem eſſe Chriſtum Deum, nam ipſe minor eſt Pa-

Digitized by Google

tre, & proptereà dicitur in Euangelio *neſcire diem iudicij* ex communi Patrum interpretatione; quod ſi aliquid ignorat anima Chriſti ex futuris, ſequitur multa alia non cognoſcere, ſaltem ex poſſibilibus. Quòd attinet Concilia, & Patres nullum proferetur teſtimonium idoneum ad probandum animam Chriſti videre infinita, & multo minus videre omnia quæ Verbum videt.

SECTIO III.

Afferuntur affirmantis Scoti ſententiæ fundamenta.

OPponamus auctoritatem auctoritati, ac diligenter recenſeamus auctores tradentes Scoti Doctrinam, quandoquidem aduerſarij iactant ſuam eſſe communem, noſtram verò priuatam, vt eius probabilitatem eleuent, ac infirment.

Hanc præter Scotum docuit Magiſter tum hic in litera perſpicuè, tum in 4.d.14.& Albertus ib. Alenſ.3. p. q. 13. memb.17 Durand.in 3. d. 14. qu. 2. & non diſſentit Henr.quodl. 7. q.4. idem fermè tradit Bonauent.d.14.a.2.q.3.& Marſ.q.10. art. 2. quamquam in modo differant ab Scoto. Almainus vero cõſenſit q.1.art.1. & Gabr. q.vn. art.1. & Ioan. de Ripis laudatus à Vaſq.in 2. d. 7. cap. 1. quem mihi videre non contigit. Sequuntur Magiſtrum Lychetus, Tataretus, Rada. Contr.9.ar.3. Aretinus in 3.d.14 qu.2.ar.4. Faber d.14.c.1. & 2. Ouand. hoc in loco Cauel.& Pontius. Caſtillo d.15.q.2.n.12. Felix c.15. diff.3. Delgadillo cap. 8. diff.1. à dub.6. Addo his quos poſtea vidi . Baſſolum hic q. 2. Guililemũ Ruerbion. item q. 2. Ocham.in 4. q.12. Antiſiodorenſ. in ſumm.lib.3.tract.1.c.5.

Quòd attinet rationes, quibus Scotus ſtabilire contendit opinionem ſuã, eas Pater Suarez negligit, & contemnit; propterea volo illas accuratè referre & expendere.

Prima ſit illud celebre effatum Scoti in 3.d.13.q.4.§. *quantum ad ſecundũ*, tribuendum eſſe Chriſto quidquid poſſibile eſt ei tribuere perfectionis, & excellentiæ, ſed poſſibilis eſt iſta perfectio, & excellentia in Chriſto, ergo eſt ei tribuenda. Effatum eſt rationabile, quòd ex eo deducitur differentia, quæ intereſt inter animam Chriſti, & Angelos, quibus omnino præferenda eſt; non poteſt autem præferri, niſi communicata huiuſmodi viſione; alioqui videret Angelus ſecundum naturam Angelicam perfectiùs, & cùm videat clare, & intuitiuè Deum, & multa poſſibilia in Deo, non multum excederetur ab Anima Chriſti.

Secunda: Si Anima Chriſti non videret omnia quæ Verbum videt, non haberet perfectam beatitudinem, debet autem hæc perfecta eſſe, ergo videre debet omnia quæ Verbum videt; maior eſt certiſſima, quia beatitudo animæ Chriſti debet *quietare*, vt ait Scotus, *intellectum*, vt nihil amplius deſideret, ſi autem (quod ſpectat ad minorem) non videret omnia quæ Verbum videt, non haberet integram ſatisfactionem, & anhelaret ad vlteriorem perfectionem. Hinc colligitur conſequentia, videlicet oportere, vt anima Chriſti videat infinita.

Tertia: omnis perfectio, quæ non implicat contradictionem debet concedi animæ Chriſti, non implicat autem contradictionem videre infinita in Verbo: ergo concedenda eſt animæ Chriſti Domini. Maior conſtat; minor oſtenditur, quia infinitæ cognitiones

non

non ſunt incompoſſibiles in anima Chriſti; nam cognoſcere infinita non pugnat ex natura ſua cum intellectu finito, cùm tantum ſit attingentia obiectorum, quæ ſe habent extrinſecùs terminando cognitionem, vnde non reſultat in intellectu virtus infinita, ſed tantum terminatio, & extenſio ad obiecta infinita. Declaratur exemplo ſuppoſiti diuini, ad quod terminatur natura humana Chriſti Domini, nec tamen inde ſequitur perfectio infinita in natura humana, ita etiam ex cognitione infinitorum poſſibilium non reſultat infinita perfectio in anima Chriſti.

Quarta: Anima Chiſti habet potentiam receptiuam indifferentem ad infinitas cognitiones, nec inde ſequitur infinita perfectio; igitur quamuis cognoſcat elicitiuè infinita obiecta, non idcirco arguitur infinita perfectio. Et quidem connaturalis eſt appetitus cognoſcendi infinita; quòd ſi eſt naturalis non eſt irrationabilis, nec impoſſibilis, vnde poterit poni in effectu ſine inconuenienti infinitę perfectionis.

Quinta: Si quid obſtaret huic ſententiæ eſſet comprehenſio Dei, qui videretur comprehendi, ſi videretur ille cum omnibus, quæ in eo ſunt formaliter, & eminenter. Hoc autem non ſequitur, ergo nihil obſtat veritati huius ſententię. Magnam vim faciunt in hoc argumento nobis oppoſito auctores contrariæ ſententiæ, & hic eſt eorum Achilles. Sed exarmandus eſt negando ſequi comprehenſionem; nam non dicimus cognoſci ſimul Deum, vt cauſam creaturarum, & creaturas vt in cauſa, ſed dicimus Deũ videri, vt ſpeculum, & in eo ſpeculo creaturas, in quo non datur comprehenſio, quæ daretur ſi cognoſceretur ſimul Deus, vt cauſa infinitarum creaturarum. Coniungeretur enim quidquid eſt in Deo cognoſcibile, ac proinde comprehenderetur, & intrinſecè, & extenſiuè, quod requiritur ad comprehenſionem. Quando autem attingũtur creaturæ in ſe, vel in ſpeculo habente ſe diſparatè, & ſeparatè eſt ſola infinitas extenſiua, quæ non inuoluit comprehenſionem. Quemadmodum ergo quando Deus videtur intuitiuè attingitur infinitum obiectum, & tamen non comprehenditur, quia deeſt infinita extenſio ad poſſibilia, ita etiam quando attinguntur creaturæ, fit tantum infinita cognitio extenſiua, quæ non eſt comprehenſiua. Illud autem, quod opponunt per cognitionem infinitorum effectuum cognoſci perfectionem cauſæ, falſum eſt, quia ſunt extra illam, ſecus eſſet ſi cognoſcerentur in virtute cauſæ, tunc enim reſultaret comprehenſio; vnde ruit argumentum.

Hæc eſt ſententia Scoti, qui acutè illam, & ſubtiliter tractauit, proferendo varios modos, quibus poſſit ſuſtineri, qui reducuntur ad duos. Alterum habitualem, alterum actualem; quæ ſic explicanda ſunt. Si per habitum intelligatur inhærens qualitas, quæ in actu primo habeat virtutem cognoſcendi infinita, eamque præſtet actui, quæ eſt ſententia Bonauenturæ, & Henrici, eſt falſa poſitio, quia ſequeretur eum habitum eſſe infinitæ virtutis, & perfectionis. Si autem ponatur habitus, vel per modum habitus in ipſa viſione Verbi, in quo tanquam in ſpeculo relucent, & videntur creaturæ, tunc vera eſt ſententia, nam Verbum eſt ſpeculum infinitũ, & infinitũ principiũ notitiæ creaturarum; & nõ repugnat ita videri, & hic eſt modus habitualis. Modus autem actualis etiã duplex eſt, vnus quando actus viſio-

Digitized by Google

nis elicit immediatè cognitiones infinitas, & cohærentes cum cauſa: hic actus eſt impoſſibilis, quia euadit infinitus: ſecundus quando actus ille eliciriuus terminatur ad obiecta infinita ſeparatè à ratione cauſæ, hic autem eſt poſſibilis, cùm ex eo non arguatur infinita perfectio in actu, quemadmodum proximè diximus. Hæc ſunt fundamenta ſententiæ Scoti, & modi defendendi illam, in quibus multùm laborant interpretes, & commentatores noſtri, nos perſpicuè, opinor, & breuiter quæſtionem explanauimus. Videre autem Animam Chriſti omnia ſcibilia per viſionem Beatam, etiam actualiter, probabile æſtimat Rada 3.p.contr.9.a.3.concl.5. Aretin. in 3.d. 14.qu.2. ar.4. Caſtillo apud Delgadillo qui eos ſequitur. diff.1.cap.8. nec mihi certè diſplicet: quicquid enim non implicat contradictionem æquum eſt tribuere Chriſto Domino.

SECTIO IV.

Reſpondetur contrarijs argumentis.

PRimo conceditur animam Chriſti cognoſcere infinita eo modo, quo diximus, nec id eſſe, aut impoſſibile, aut inconueniens; cùm nec repugnet virtuti intellectus, nec inde ſequatur infinita perfectio, quæ repugnet creaturæ infinitæ, ſed tantum terminatio ad obiecta infinita repreſentata, tanquam in ſpeculo, non cognita in virtute cauſę, cui par eſſe non poteſt virtus finita.

Secundo reſpondetur negando ſequi ex iſta cognitione comprehenſionem Dei, quia vt detur comprehenſio debet cognoſci quidquid eſt in Deo ſimul, & nexum, vt intenſiuè ſimul, & extenſiuè cognoſcatur, quod negamus fieri modo explicato. Accedit, quòd quamuis anima Chriſti videat omnia quæ Deus videt, non ſequitur comprehenſio, quia cognitio diuina eſt infinitè perfecta, & cognoſcit perfectiſſimè, quod non facit cognio creata; vnde iſta non comprehendit Deum, nec enim æquat perfectionem obiecti: quod autem obiicit Suarez perfectionem cognoſcendi, non requiri ad comprehenſionem admittimus, neq; id affirmamus, cùm ſpectet ad pluralitatem, & nobilitatem comprehenſionis, non autem ad comprehenſionẽ, & in hoc conſentimus Suario. Aduertimus tamen cognitionem perfectiſſimam, qualis eſt diuina, ſemper inuoluere maiorem cognitionem, penetrat enim intimè quidquid eſt cognoſcendum in obiecto; vnde ſequitur non ſolùm melior, & perfectior, ſed maior, & amplior cognitio, quod ſpectat propriè ad comprehenſionem; quando igitur Deus ſe comprehendit, adęquat omnino infinitum obiectum, penetrando omnia cum ſumma claritate, ita vt nihil detrahatur de cognitione obiecti, tum intenſiuè, tum extenſiuè, quod non poteſt præſtare creatura, quæ et ſi commẽſuretur obiecto, non illud tamen adæquat, ac pro inde non comprehendit, & ita intelligendus eſt Scotus cum negat comprehendi Deum. Accedit Deum propria virtute cognoſcere Animam Chriſti virtute precaria, & communicata.

Reſpondetur tertio: illud nõ vrgere, aſſumit enim quod eſt negandum, videlicet Angelos illuminare Chriſtum Dominum, cùm Angeli ab illo illuminentur; neque debemus attendere naturam præciſè, ſed vnitam & nexam cum donis gratiæ, & gloriæ, quæ ex vnione hypoſtatica oriuntur; in quibus Anima Chriſti Domini excellit An-

Digitized by Google

Angelis *tantò melior Angelis effectus*, vt ait Paulus, *quantò differentius nomen hæreditauit*: facilis itaque eſt argumenti ſolutio.

Reſpondetur quarto affirmando dari modum, quo ſine contradictione, & implicatione anima Chriſti poſſit, imo & de facto videat quæcunque Verbum videt, quemadmodum perſpicuè & accuratè articulo proximo expoſuimus. Nec opus eſt in eo amplius immorari.

Reſpondetur quinto item negando detrahi aliquatenus Deo per illam viſionem, cùm infinita ſit diſtantia inter cognitionem diuinam, & creatam animæ Chriſti, vti expoſuimus in argumento comprehenſionis. Non eſt igitur metuendum ne adæquetur Deo creatura. Imo gratulandum Deo quod poſſit, & voluerit eam prerogatiuã tribuere animæ Chriſti propter vnionem hypoſtaticam, vt illa videat omniam quæ Verbum videt.

Ad vltimum reſpondetur non deeſſe Patres, qui faueat ſententiæ noſtræ. Satis erit allegare Magiſtrum in hac diſtinctione littera B, vbi ſic: *Dicimus animam Chriſti per ſapientiam ſibi gratis datam in Verbo Dei, cui vnita eſt, quod etiam perfectè intelligit, omnia ſcire quæ Deus ſcit*. Et mox *Anima illa præ omnibus ſpiritum Dei habuit cui ſpiritus non eſt datus ad menſuram, vt ait Ioannes Euangeliſta. Dona ergo Spiritus Sancti ſine menſura habuit, ergo & ſapientiam. Omnia ergo ſciuit anima illa: Si enim quædam ſciuit, quædam non: tunc non ſine menſura ſcientiam habuit, ſed ſine menſura ſcientiam habuit, ſcit ergo omnia. Fulgentius etiam in ſermone quodam multa inducit, quibus aſſerit animam illam rerum omnium ſcientiam habere, vtens auctoritate Apoſtoli dicentis. In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: Idque pergit Magiſter ratione probare.

SECTIO V.

Explicatur magis Scoti Sententia, & tota quæſtio abſoluitur.

QVi legat Sanctum Thomam 3. p. q. 10. a. 2. comperiet Sanctum Doctorem attribuiſſe aliquam infinitatem viſioni animæ Chriſti: ibi enim in corpore dicit: *Quædam ſunt non ſolum in potentia diuina, ſed etiam in potentia creaturæ, & huiuſmodi omnia ſcit anima Chriſti in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ eſſentiam, & per conſequens potentiam, & virtutem, & omnia quæ ſunt in potentia creaturæ.* Hæc autem cùm æternitati corriſpondeant infinita ſunt, ergo anima Chriſti, auctore Sancto Thoma, cognoſcit infinita. Iterum eadem quæſtione art. 3. ponit. *Anima Chriſti cognoſcit totam ſuam potentiam, & omnia quæ poteſt; poteſt autem in emundationem infinitorum peccatorum ſecundum illud Ioannis primo c. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non autem pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mũdi. Ergo anima Chriſti cognoſcit infinita.* Et poſtea in corpore ſic ait. *Quantum ad primum modum ſcientiæ anima Chriſti non ſcit infinita, quia non ſunt infinita in actu, etiam ſi accipiantur omnia quæcunque ſunt in actu ſecundum quodcunque tempus, eo quod ſtatus generationis & corruptionis non durat in infinitum. Quantum vero ad alium modum ſciendi anima Chriſt in verbo ſcit infinita: ſcit enim vt dictum eſt, omnia quæ ſunt in potentia creaturæ; vnde cum in potentia creaturæ ſint infinita per hunc modum ſcit*

ſcit infinita, quaſi quadam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientiæ viſionis. Et iterũ hoc repetit in ſolutione ad tertium, & ad ſecundum: quo in loco Caietanus viſa difficultate conatur explicare, & conciliare iſtam ſententiam Sancti Thomæ affirmantis animam Chriſti infinita cognoſcere in Verbo cum eiuſdem ſententia negante. Hoc etiam obſeruauit in Diuo Thoma Orlandus trac.3.de Scientia Chriſti diſ.2.q.6.vbi ita explicat difficultatẽ: *Secunda difficultas eſt: An ex poſſibilibus producibilibus à cauſis creatis cognoſcat etiam anima Chriſti actu infinita?* & adiungit: *Prima Concluſio. Anima Chriſti per ſciẽtiam quam habet rerum poſſibilium, producibilium à cauſis creatis cognoſcit actu infinita. Ita Diuus Thomas hic art.3.*

Deinde ſtatuit ſecundam concluſionem huiuſmodi. *Anima Chriſti per ſcientiam, quam habet rerum exiſtentium in qualibet differentia temporis per viſionem beatam cognoſcit actu infinita. Ita Diuus* Thomas. Et ſoluit argumenta oppoſita. Quin ipſe Pater Suarez acerrimus impugnator Scoti negat animam Chriſti cognoſcere aliquod infinitum in actu, ſeu categorematicè: ait tamen hanc controuerſiam ferè eſſe de modo loquendi. Ita diſp.26. ſect.4. ex quo apparet Scoti ſententiam etiam ex Schola Thomiſtica ſuos hahabere ſectatores. Dato verò ſemel animam Chriſti cognoſcere infinita infinita actu in Verbo, non video quomodo negari poſſit poſſe etiam cognoſcere abſolutè infinita; cùm preſertim de poſſibilibus non detur tam diſtincta notitia, neque ex ea ſequatur comprehenſio.

Duo ſuperſunt enodanda; vnum aduerſarios nobis obiicere Arnaldum damnari in Directorio inquiſitorum Secunda parte q.11. quòd dixerit animam Chriſti ab inſtanti ſuæ conceptionis ſciuiſſe omnia quæ Deus ſcit. Terriculamentum eſt, & ſpectrum inane, quod euaneſcit lecta condemnatione Arnaldi, nam ille non condemnatur propter nudam illam propoſitionem, ſed quia exiſtimabat in Chriſto Domino nullam aliam cognitionem fuiſſe præter increatam Verbi, qui erat error Monothelitarum. Longè igitur eſt a cenſura Scoti doctrina: Nec P. Gabriel Vaſquez multùm curat hunc locum Arnaldi, cuius ait non meminiſſe Bernardum Lutzenburgenſem, nec Prateolum. Itaque ſolùm ait *Abſurdam eſſe ſententiam*. Addo quod eſt capitale: Arnaldũ dixiſſe *Animam Chriſti ſcire omnia quæcunque ſcit Deus*, nullo excepto, vnde ſequitur comprehenſio, quam nos omnino excludimus.

Alterum eſt Caietanum hoc in loco 3.p.q.70.art.2.§. *in reſponſione ad 2.* queri de Scoto, quòd impoſuerit calumniam Sancto Thomæ, & ſcribit: *Vnde patet error Scoti, qui hoc videtur imponere Diuo Thomæ in q.2.14 ſent. diſt.in 3.* Diſtĩguit enim Caietanus *ſcire omnia nota Deo ſcientia viſionis, & non ſcire omnia nota Deo ſimplici intelligentia, & aliud eſt dicere animam Chriſti ſcire tantum ea, quæ ſunt nota Deo ſcientia viſionis, nam hoc ſecundum eſt falſum*. Neque illud dicit Diuus Thomas, cùm concedat quòd anima Chriſti cognouit multa in potentia, quæ non fuerunt vnquam, nec erunt in actu; & ideo Caietanus dicit Scotum erraſſe imponendo D. Thomæ, quod ille non dixerat. Sed pace Caietani nimis properè legit Scotum; nam hic non imponit errorem Diuo Thomę, ſed ex dicto illius confirmat ſuam ſententiam contra Diuum Thomam

mam, quaſi diceret Scotus illa q. 2. d. 14. n. 9. Ais hic animam Chriſti poſſe in Verbo videre aliquod poſſibile quod nunquam erit, ergo poterit etiam cognoſcere infinita poſſibilia, quia non eſt maior ratio de vnis, quàm de aliis, & intellectus eſt capax illius cognitionis, ergo ſi videre poteſt aliqua poſſibilia, non repugnat poſſe videre omnia, ac id animaduertit Lychetus. Nihil ergo falſi impoſuit Scotus Doctori Angelico: ſed ex eo, quod dixerat infert quod facit in rem ſuam: quod longe aliud eſt; & ab omni calumniæ ſpecie alienum.

IVDICIVM.

IN gloriam Chriſti redundat Scoti ſententia, excogitata demum via, qua eius Anima ad perfectiſſimam viſionem Dei pertingat attingendo infinita citra Dei comprehenſionem. Debemus hoc Subtiliſſimo illi inter mortales ingenio, quòd cum acutiſſimè videat, multa explorat, quæ nos minus acutos latent, & fugiunt. Nihil hic eſt non tutum, non aptum, non dignum Chriſto, quem ſibi proponit exornandum ratione Perſonę Diuinæ. Nec verò humanitati plus imponit, quàm ea ferre poſſit: cùm ex hac plenitudine ſcientiæ non ſequatur infinita perfectio, aut naturæ, aut operationum, quemadmodum ſatis ipſe, ac perſpicuè demonſtrauit; quòd ſi vnio hypoſtatica ſingulari gratia naturam illam humanam ſic affecit, vt ex ea, & Diuina vnum fieret ſuppoſitum, mirandum non eſt inde ea dona eſſe conſecuta, quæ extra omnes mortales anguſtiæ terminos ſe extendant: & quiddam diuinum ſapiant, ac præferant. Itaque huiuſmodi affectu ductus Doctor Subtilis, cùm iter expeditũ, Aquilæ inſtar, videret, terminos, vbi Doctor Angelicus reuerenter ſubſtiterat, præteruolare maluit, & ſublimiùs nidum ponere. Animoſus ſanè, ac felix Ales, qui in ardua nitens libratis pennis, quò aciẽ intenderat, eò euolauit, & garritu tinnulo laudes Animæ Chriſti celebrauit eaſque ſuis pullis identidem ſubuolantibus præcinuit, & propoſuit cantillandas. Eas nos lubentes accepimus, & quo maximè poſſumus ſpiritu modulamur. Neque verò quicquam abſonum, aut inſolens muginamur. Sunt in ſacris litteris voces, quibus accinamus. Præit Paulus Coloſ. 2. *In quo ſunt*, inquit, *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Omnes* nihilo detracto. Exhauſit omninò theſauros. Præit Ioannes c. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Nihil non plenum: vacuum nihil. Iterum in Apocal. cap. 5. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem, diuinitatem, & ſapientiam*. Ita exponente gloſſa eo loco, ideſt *omnium veram cognitionem*, quid manifeſtius? Quo cum teſtimonio concordat quod de Verbi Diuini Incarnatione diuinitus ſcripſit Anſelmus lib. 2. *Cur Deus homo*. cap. 13. his verbis. *Nihil amatur, quod non cognoſcatur. Si ergo nihil eſt boni, quod ignoret, bonum autem nemo perfectè nouit, niſi qui ſcit à malo illud diſcernere, nullum ergo erit malum quod ignorabat, ex quo relinquitur quòd omnium bonorum, & malorum ſcientiam habuit*. Itaque neceſſe eſt ſciat omnia, Anſelmo auctore, qui nouit quæcunque ſunt bona amãda, & quæcunq; ſunt mala fugienda; atque adeò infinita cognoſcat, vt nihil ſit, in quo Deum non amet: qui nequit perfectè amari, niſi vti eſt infinitus ametur. Non eſt igitur mirandum,

ſi Scotus in materia de Viſione inſtar Aquilæ acutiſſimè vidit. Quàm vellem hanc Magnarum alarum Aquilam imitari, & libratis nobili niſu pennis generosè in altum euehi: ac ex ea præeunte diſcere. Inuitat ea nos prouocans ad volandum, more auium, quæ pullos ſuos vix dum plumatos erudiunt ad volatum: cum hoc tamē diſcrimine, quod omnes alię Aues, etſi Aquilæ ſint, ſuccumbunt, ac demittunt alas, vt eos ſuperimponant, & ſic inſtituant ad volandum. At non eſt ſperandum de hac Aquila noſtra velociſſima, vt patiatur quemquam ſupra ſe eminere. Docet quidem, ſed ita docet, vt nunquam ſe pullis ſubijciat. Semper volat altior. Qui ab ea velit diſcere, ſupra volantem intueatur, & infra poſitus admiretur, & admirando imitetur. Quam deſcripſiſſe videtur Moyſes, cùm cecinit Deuter. 32. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.* Vt retineat dignitatem, & nullum ſibi auferri, æquariue permittat. Prouocat deſuper, altior, ſublimior, eminenter volitando docet, ſed *ſuper eos*, nunquã demiſſa, quæ ſi demitti vellet non poſſet, cùm ita ſit natura comparata, vt omnibus etiam velociſſimis volando præſtet, & pariter ſecum volandi adimat poteſtatem.

COL-

COLLATIO QVINTA

DIFFERENTIA I.

De Scientia Chriſti tum infuſa, tum aquiſita.

Ad q.11.& 12.3.p.D.Thomæ, & q.3.& 4.d.14.in 3.Scoti.

SECTIO I.

De mente Scoti.

REmouẽda prius eſt difficultas, in quã impingitur ſtatim in limine. Vtrum Scotus admiſerit ſciẽtiam infuſam, quæ ſit propriè, ac per ſe infuſa, diſtincta ab ea, quæ eſt infuſa per accidens? Sunt qui negent Scotum eam admiſiſſe, nec vllam aliam, quàm eam, quæ eſt per accidẽs, poſuiſſe. Hi ſunt Vaſquez diſp. 52. c. 1. Suarez diſput. 26. ſect. 1. Orlandus tract. 3. diſp. 3. q. 2. *§. oppoſitam*. Conſentiunt Thomiſtæ, qui eum annumerant cum ijs, qui ita ſentiunt Alex. 3. p. q. 13. memb. 1. & 2. lib. ibi quæſt. vnica arti. 2. Richard. art. 3. q. 1. Marſ. q. 10. art. 2. q. 4. Almai. d. 14. q. 1. art. 2. quamquam Marſilius minus perſpicuè loquatur. Medi. 3. p. q. 9. art. 6. & Cornexo temerariam hanc ſententiam appellant, à qua nota eam liberant noſtri & in ijs Orlandus. Aretinus contrà in Thomiſtas inuehitur, & rectè docet, quæ opinio omnem prorſus ſcientiam per ſe infuſam excludat, ſiue per ſe, ſiue per accidens, eam ſolum temerariam eſſe, non autem eam quæ alteram concedat. Ita n. 3. diſt. 13. q. 3. art. 1. Cauellum miror hominem ex noſtris accutum, ac diligentem in Scholio huius quæſtionis tertię §. *hic diſtinguitur* ſic ſcribere: *Videtur ex ratione 2. Scoti, & alijs hic tractatis negari ſcientiam per ſe infuſam datam animę Chriſti*. Secus exiſtimat Pontius in Commentario, vbi obiter pungit, me auctore, Cauellum: quem mallem reprehenderet Delgadillus, dum eius dictum commemorat. Conueniunt igitur Scotiſtæ in hoc placitum affirmantes Scotum ſtatuiſſe ſcientiam per ſe infuſam, partim diſtinctam à ſcientia per accidens infuſa, partim indiſtinctam. Diſtinctam quoad ſupernaturalia: indiſtinctam quoad naturalia. Ita Rada controu. 9. art. 4. Aret. diſt. 14. art. 1 Pont. in Comment. Delgadillo c. 8. diffic. 3. Verum ſupponunt potius quàm probant Scoti ſentẽtiam, de qua ne ambigant Scotiſtæ, id ego

probando efficiam. Hoc ipſum in loco manifeſtè habetur. Scotus enim ſumit hanc ſententiam, & ſumptam ſecum defert rationando per totam diſtinctionem accommodãdo eam ad ſuam ſententiam, diuerſam à mente Diui Thomæ, & ſæpius nominat ſpecies infuſas. Ita quæſt. 3. ℞. *ad quæſt.* n. 4. *per ſpecies*, inquit, *infuſas niſi quidditatum.* Et verſu *quia ſi alicui*. *Poteſt*, inquit, *dici, quod hæc anima nouit habitualiter, & abſtractiuè aliqua ſingularia per proprias ſpecies infuſas, & aliqua non nouit habitualiter*. ℞. *loquendo n.* 6. *Si dicatur quod potuit hanc habere per ſpecies infuſas*. Et poſtea pergit agere de repræſentatione per ſpeciem infuſam obiecti. Quæſt. vero 4. loquens de cognitione perfectiſſima Chriſti in genere proprio n. 1. §. *d. habituali* ſtatuit probabile eſſe de Anima Chriſti quod habeat ſpecies intelligibiles perfectiſſimas, quæ ſine dubio ſunt infuſæ. Et patet amplius ex eo quod in eodem loco ait de intellectu animæ Chriſti, admiſſo quod ſit per propriam naturã imperfectior, quàm intellectus Angeli, æquari tamen eius cognitionem cognitioni Angelicæ, ſi qua ſpecies infuſa alicuius obiecti in anima Chriſti ponatur. Quos locos doleo aut non vidiſſe, aut non attendiſſe Cauellum. Conſtat ergo Scotum hoc genus ſciẽtiæ admiſiſſe, & in eo a Diuo Thoma diſſenſiſſe: quòd S. Thomas ſcientiam ex integro poſuit circa omnia obiecta naturalia, & ſupernaturalia, quę vnã, & integram conſtituerent, eoque nomine appellauit. At vero Scotus ſolùm ſtatuit ſcientiam per ſe infuſam circa obiecta ſupernaturalia, ſiue quæ cognoſcuntur per ſpecies, quæ minimè in poteſtate naturæ habentur, circa reliqua acquiſitam potuit; & appellauit. Hic ponenda ſunt verba Diui Thomæ 3. p. q. 11. art. 1. in corpore, & q. 12. art. 1. *Per hanc ſcientiam cognouit Chriſtus omnia illa* vtens verbo *omnia* quo item vtitur q. 12. art. 1. Contrà Scotus in 4. d. 14. q. 3. §. *hic diſtinguitur* n. 2. & 3. impugnat hanc vniuerſalitatem, & ſtatuit ſuam diuiſionem.

SECTIO II.

Proponitur ſententia S. Thomæ.

Docet S. Thomas Chriſtum Dominum per ſcientiam infuſam cognouiſſe omnia, & quæcunque obiecta ſine vlla reſtrictione, ita vt ſe extendat ad naturalia & ſupernaturalia. Addit animam Chriſti per eandem ſcientiam cognouiſſe, & vniuerſalia, & ſingularia, non ſolum exiſtentia ſed etiam futura. Itaque ſentit Diuus Thomas omnia obiecta naturalia, & ſupernaturalia fuiſſe cognita a Chriſto, tùm per ſcientiam per ſe infuſam, tum per ſcientiam acquiſitam. Atque adeo tres in Chriſto ſcientias ex integro ponit. Scientiam beatam: per ſe infuſam: & acquiſitam. Ita Caietanus hoc in loco & alij Thomiſtæ Suarez in 3. p. 1. tom. d. 27. Vaſquez in 1. tom. 3. p. d. 12.

Contrà inſurgit Scotus in 3. d. 14. q. 3. ℞. *hic diſtinguitur*. Primò negans per vtranque ſcientiam cognoſci eadem obiecta, quia pugnat hæc ſententia cum alia Diui Thomæ, qui in 4. d. 50. q. 1. a. 2. exiſtimat duo accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto; hic autem dicit in eodem intellectu eſſe poſſe cognitionem infuſam, & acquiſitam earum rerum. Supponit enim Scotus cognitionem per ſe, & per accidens infuſam eſſe eiuſdem ſpeciei; vnde ſequitur benè impugnare Diuum Thomam, quòd poſuerit in eodẽ intellectu duas cognitiones eiuſdem ſpeciei.

Se-

Digitized by Google

Secundò quia ſi cognoſceretur idē obiectum per duas cognitiones diuerſas, ſequeretur vnam non eſſe ſuperfluam, ſed vna ſuperflua eſt, igitur non poteſt cognoſci per duas, vna quippe aufert alteram: inuenit enim poſitum in intellectu quod ipſe ponere hic intendit; vnde vel non debent eſſe cognitiones perfectæ, vel perfectæ negandæ.

Tertiò, impugnat rationem Diui Thomæ, quia ex ea videtur ſequi beatum, ex quo habet intellectum agentem, & poſſibilem poſſe aquirere cognitionem de nouo. Hoc autem eſt contra Sanctum Thomam id negantem; ſequeretur etiam quòd beatus per alias potentias poterunt habere nouos actus, & in patria augeri, & minui, puta potentiam augmentatiuam, per hanc enim poſſet beatus creſcere, & augeri, quod non videtur dicendum.

Contra ſecundum tria opponit Scotus in hac quæſtione tertia. Primum dato quòd in Chriſto ponatur cognitio abſtractiua omnium ſingularium ponendas eſſe tot ſpecies ſingulares, quot ſingularia ſunt, & idem dicendū de ſpeciebus intelligibilibus ſpecierum, & poſſibilium. Secundum in Chriſto non poſſe dari cognitionem intuitiuā per ſpecies infuſas omnium ſingularium, tum quia ſpecies infuſa repræſentat obiectum, vt abſtrahit ab exiſtentia actuali, & eodem modo repræſentat obiectum ſiue exiſtat, ſiue non: tum quia veritates cognoſcibiles contingentes non poſſunt cognoſci per quaſcunque ſpecies innatas, quæ non repræſentant veritatem complexam coniunctionis terminorum. Tertium quia non omnia ſingularia per ſcientiam infuſam cognoſcuntur, nec id probat ratio Diui Thomæ, quia non eſt ſufficiens fundamentum ad hoc affirmandum ponere, quòd Chriſtus debuit ſcire omnia, tanquam caput per ſapientiam quandam vniuerſalem debitam ſibi, quia hæc ratio tantùm militat in rebus agibilibus cum prudentia cōiunctis, non autem in alijs, quæ pertinent ad ſpeculabilia, & ſunt extra rationem prudentiæ.

Caietanus Diui Thomæ ſtudioſiſſimus ægrè patitur iſtas obiectiones Scoti contra ſententiam S. Thomæ. Ego ei oppoſuerim Sanctum Doctorem, vt ipſemet notat, aliquantulum diuerſimodè ſenſiſſe in 3. ſent. d. 14. art. 3. q. 1. & in quæſt. de verit. qu. 20. art. 6. vbi *modificans infuſam Chriſto ſcientiam eximit ab eo non ſolum diuinam ſcientiam, ſed ſingularia, vt cogitationes cordium, quia non pertinent hæc ad perfectionem humani intellectus tam ſecundum naturæ, quam gratiæ ſtatum*, quæ verba ſunt Caietani. Si ergo Diuus Thomas à ſe ipſo diſſenſit, mirum non eſt ab eo Scotum diſſenſiſſe. Verum quidem eſt Caietanum hoc in loco aduertere Diuum Thomam in partibus doctiorem ſe ipſo euaſiſſe, quàm fuerit in ſententiarijs. Nobis ſatis eſt ſi dicamus Scotū cum D. Thoma quando minus erat doctus ſenſiſſe. Tam eſt enim doctus Diuus Thomas, vt etiam minus doctus doctiſſimos faciat. Vnde autem deducit Caietanus Sāctum Thomam vti minus doctum in ſententiarijs, quàm in partibus hac de re iudicaſſe? ego quidem opinor cum Scoto melius de re tota in 3. ſent. quàm in prima parte iudicaſſe, cùm hic non ſe corrigat. Caietanum ſequuntur Vaſquez, & Suarez, & alij, qui eius Scholam plerumque ſectantur, & conantur diluere Scoti obiectiones. Vtrum id præſtiterint videamus.

Digitized by Google

SECTIO III.

Afferuntur ſolutiones Thomiſtarum ad obiectiones Scoti, & refutantur.

CAietanus in commentarijs. Vaſquez in 3. p. diſp. 52. c. 1. & Suarez diſp. 27. ſect. 1. contemnunt primam obiectionem, & Vaſquez *friuolam* appellat. Monſtrabo eam ardere, & illum gelare. Noſtri ſuſtinent, & confirmant doctrinam obiectionis. Lychetus, Aretinus, Pontius, Delgadillus ſuperius citati, & alii; & quidem rectè. Nam ſi obiectum materiale, & formale eſt eiuſdem ſpeciei, quodcunque ſit eius principium, non inducit diuerſitatem ſpeciei. Patet in potentia nutritiua, quæ in diuerſis animalibus eſt, eiuſdem ſpeciei. Cum tamen ipſa ſint ſpecie diuerſa: dum enim principium non operatur ſecundum id quod eſt diuerſum non inducit diuerſitatẽ. Vnde viſio lapidis, ſiue fiat per ſpeciẽ naturaliter immiſſam ab obiecto, ſiue per aliam immediatè à Deo infuſam ſolo numero differt, non ſpecie ab alia viſione. In rem. Lapis cognitus per ſcientiam acquiſitam, & per ſcientiam per ſe infuſam non variat ſpeciem cognitionis; quod quidem patet præcipuè cùm loquamur de eodem intellectu nimirum Chriſti; vnde eluduntur exempla aduerſariorum, qui aſſerũt cognitiones diuerſas ex diuerſis omnino ſpecie principijs, quales ſunt cognitio Angelica, & cognitio humana, quæ ſunt aliena à re noſtra quæ verſatur intra eundem intellectum, nec variat principium, ſed tantùm modum, & inſtrumẽtum cognoſcendi. Quomodo enim poteſt induci diuerſitas ſpeciei in cognitionem eiuſdem lapidis? nam ex parte ſpeciei datur repræſentatio lapidis, ſiue ſit infuſa, ſiue acquiſita; lapis autem, & eius imago ſemper eſt eiuſdem rationis. Adijcio etiam in diuerſis ſpeciebus ex parte principij, quando principium formale, & proximum eſt vnum, & idem ſpecie, ſemper exire effectum eiuſdem ſpeciei. Videlicet Sol, & Ignis ſunt principia remota ſpecie diuerſa, & tamen producunt ignes ſolo numero differentes, quia nimirum producunt per calorem, quod eſt formale, & immediatum principium ignis. Rurſum: Sol & Mus generant murem: ij ſunt omnino diuerſi, effectus idem, quia virtus eſt eadem gignendi, quemadmodum ex Auguſt. euincit Scotus tùm hic tum in Report. q. 3. nu. 4. Immeritò ergo Suarius, & Vaſquez cum Caietano conantur elidere rationem Scoti. Nec ij aſſignant principium diuerſitatis cùm ſint homines acuti, & ſubtiles; quod ſi volunt vt ex lumine infuſo ſumatur diuerſitas ſpeciei, nihil euincunt, quia lumen non mutat naturam imaginis rei cognitæ, tantùm perficit, & auget, vt clariùs cognoſcat obiectum. Hinc autem non prouenit diuerſitas ſpecifica, ſed tantùm numeralis ſecundum gradus perfectiuos; itaque obiectio Scoti eſt inuicta, nec poteſt à quoquam rectè ratiocinante refelli.

Secunda item firma, & immobilis conſiſtit. Patet, quia ſuperfluitas vnius non patitur alteram, & quidem vel aduerſarij hoc fatentur: & D. Thomas fauet huic argumento in 4 d. 50. q. 2. a. 1.

Tertia verò ſuppoſita ſententia Diui Thomæ ita rem conuincit, vt non poſſit refutari, vti conſideranti patebit, propterea duas haſce obiectiones Caietanus, & alii fermè ſilentio prætereriere.

Quod

Quòd attinet ad tres alias obiectiones recurrunt Thomiſtæ ad ſuas pręiudicatas ſententias, quas in primis differentijs huius operis examinauimus, & refutauimus. Itaque prima, quæ nititur in repræſentatione ſpecierum vniuerſalium, per quam cognoſcantur ſingularia, prorſus ruit; non enim ſingularia per vniuerſalia cognoſcuntur, cùm ſint obiecta certa, & determinata, vniuerſales verò ſpecies ſint communes & in eſſendo, & in repreſentando, alioqui dicant aduerſarij habere quaſdam rationes peculiares repræſentandi ſingularia, quod quid aliud eſt, quam in noſtram ſententiam reuolui?

Secunda, quę habet duas partes, quo ad primam negatur aduerſariis dicentibus ſpeciem illam intuitiuè repreſentantem obiectum gignere intuitiuam notitiam, quæ eſt eorum doctrina. Scoti autem eſt contraria, requirit enim præter ſpeciem rei præſentiam, ita vt non ſufficiat repręſentatio exiſtentię in ſpecie, ſed neceſſaria ſit ipſamet exiſtentia actualis, ſine qua non poterit fieri notitia intuitiua, vnde ſi Deus relinquat ſpeciem lapidis, in oculo, amoto lapide, ea viſio non erit intuitiua, quia deeſt præſentia lapidis imo ſequeretur decipi ſenſum, ac deludi manente illa ſpecie ſine præſentia actuali. Qua doctrina retenta manet inconcuſſa obiectio Scoti. Sicut etiam quo ad ſecundam partem de connexione futuri contingentis; nam hæc in ſpecie relucere non poteſt, quę tantùm repræſentat extrema, non autem coniunctionem contingentem, quæ non ineſt, ſed aduenit extremis extra illam ſe habentibus: vnde neceſſe eſt vt de nouo reuelatio intercedat, vel ad ſcientiam beatam recurſus fiat.

Tandē tertiæ obiectioni non aptè reſpondetur ab aduerſarjis Chriſtum Dominum cognoſcere omnia ſingularia, cuiuscunq; tandē generis ſint; nullo enim firmo fundamento aſſeritur; nam ea quæ ſunt naturæ, & in ſuo eſſe naturali pertinent ad Deum, non autem ad perſonam Chriſti, vti Deus & homo eſt, & caput omnium creaturarum: hæc enim ratio continet quiddam pertinens ad redemptionem, & demptionem, & gratiam, non autem ad naturam, & conſtitutionem naturalem. Vnde procedit argumentum Scoti diſtinguens inter agibilia, & ſpeculabilia, quod perinde eſt, ac dicere ad Chriſtum pertinere noſſe omnia, quæ ad prouidentiam ſupernaturalem ſpectant, & eam aliquo modo cōcernunt, non autem alia, quę ad ſolam naturam referuntur, & ad Deum creatorem propriè, non redemptorem pertinent, quod ſanè maximè conueniens videtur rationi, ac decoro perſonæ Chriſti Domini, quò ſemper tractans de hoc hoc myſterio mens Scoti aptiſſimè collineauit.

SECTIO IV.

Proponitur Doctrina Scoti, & ab obiectionibus Thomiſtarum liberatur.

PRima Concluſio. Intellectus Animæ Chriſti Domini habuit ſpecies infuſas omnium quidditatum, & omnes in proprio genere abſtractiuè cognouit.

Secunda. Idem intellectus habuit ſpecies intelligibiles infuſas omnium ſingularium, per quas cognouit omnia in proprio genere habitualiter abſtractiuè. Vbi aduertendum per hanc ſcientiam non potuiſſe Chriſtum proficere. Ratio autem, qua nituntur hæ duæ

duæ concluſiones, quia anima Chriſti fuit perfectiſſima, & ſicuti abundauit ſumma gratia, ita & abũdauit ſumma ſcientia. Id docuit Auguſtinus exponens locum Pſal. 21. *de ventre matris meæ Deus meus es tu*; quo cum conſentit Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 17. cùm præſertim perſona Verbi, cui anima Chriſti vnita erat, ſit ipſamet ſapiẽtia Dei formaliter, ac proinde conueniret animæ Chriſti perfectio intellectualis, quod indicauit Iſaias c. 11. *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ*. Et Ioannes innuit cap. 1. illis verbis *Plenum gratiæ, & veritatis*, coniungens plenitudinem gratiæ cum plenitudine veritatis in Chriſto, vnde deducitur vtraque pariter, & ſapientia, & gratia excelluiſſe.

Tertia Concluſio. Intellectus animæ Chriſti non cognouit actualiter omnia in proprio genere; ratio eſt quia illa virtus cognoſcendi naturalis non poterat ſe extendere æqualiter, & ſimul ad omnia, quorum habebat ſpecies inditas, ſed oportebat vt modò illa cognoſceret, modò alia.

Quarta Concluſio. Anima Chriſti non cognouit omnia in proprio genere notitia intuitiua habitualiter perfecta. Ratio eſt quia nulla creatura etiam perfectiſſima continet eminenter in virtute ſua intellectiua omnes alias creaturas, itaut actualiter omnes poſſit cognoſcere habitualiter.

Quinta Concluſio. Anima Chriſti non cognouit actualiter omnia in proprio genere perfecta notitia intuitiua. Patet quia non habebat actualem præſentiam omnium creaturarum, quæ neceſſaria omnino eſt Auctore Scoto, ad cognitionem intuitiuam in proprio genere.

Sexta. Intellectus Animæ Chriſti non cognouit omnia habitualiter in proprio genere per notitiam intuitiuam etiam imperfectam. Suadetur quia potuit elicere multos actus, à quibus cauſarentur ſpecies intelligibiles in eius intellectu, per quos potuiſſet acquirere notitiam intuitiuam imperfectam, quos tamen actus, vt apparet non elicuit, atque adeo nec perfectè cognouit habitualiter.

Septima Concluſio. Quòd attinet ad cognitionem pertinentem ad memoriam, quæ propriè eſt rei præteritæ, Chriſtus non habuit cognitionem omnium rerum, ſed in ea proficiebat diſcurſu temporis. Ratio eſt quia non vidit intuitiuè omnia ſingularia in genere proprio, vnde nec potuit habere de illis memoriam, nec enim potuit cognoſcere vt præterita, quæ non cognouit vt præſentia.

Octaua. Per ſpecies rerum futurarum, vel præteritarum infuſas non potuit anima Chriſti euidẽter cognoſcere, nec præterita, nec futura, vt futura, & præterita, ſed opus fuit lumine reuelante ad eam cognitionem. Conſtat quia ſpecies infuſa ex natura ſua non repræſentat rem vt futuram, nec vt præſentem, ergo neceſſarium eſt aliud medium ad cognitionem, cùm præſertim res futuræ eſſent contingentes, tunc enim non poterant cognoſci niſi accederet diuina reuelatio.

Nona Concluſio. Cognitio actualis abſtractiua, quam anima Chriſti habuit, quatenus erat ab intellectu, non fuit perfectiſſima, quia intellectus animæ Chriſti naturaliter conſideratus non eſt perfectior intellectu Angelico.

Decima. Cognitio actualis abſtractiua animæ Chriſti Domini per ſpecies infuſas perfectiſſima fuit in ſuo genere. Probatur, quia ſpecies fuerunt perfectiſſimæ, & abundantes lumine

ſu-

Digitized by Google

ſuper naturali, vnde eleuato intellectu ſupra perfectionem Angelicam exiſtebat cognitio perfectiſſima.

Vndecima Concluſio. Intuitiua rei in proprio genere nec fuit, nec potuit eſſe perfectior cognitione intuitiua angelica. Apparet in ſententia Scoti, quia ad cognitionem intuitiuam concurrit præſentia obiecti, non vt repręſentatur in ſpecie, ſed vti eſt in ſe, vnde ſequitur non attingi in lumine, & ſpecie: itaque nihil accipiens perfectionis, nec nobilitatis à lumine, & ſpecie euadit imperfectior, quàm Angeli, quia reducitur ad principia naturalia.

Duodecima Concluſio. Species rerum infuſæ animæ Chriſti perfectiſſimæ, & ſupra angelicam perfectionem fuerunt, itaque cognitio per eas Chriſti Domini multò fuit perfectior cognitione Angelorum. Patet quia Chriſto Domino fuit collata plenitudo ſcientiæ proportionatæ ad dignitatem hypoſtaticæ vnionis, ſicuti etiam gratia, & gloria, igitur excellentior, & perfectior Angelis.

Hæc eſt doctrina Scoti dilucidè propoſita. Sunt tamen aduerſus illa obiecta præcipuè Caietani, à quo primùm obijcitur contra iſtam vltimam Concluſionem, quia non ſequitur ex eo quod gratia, & gloria Chriſti multo ſit perfectior, quàm gratia, & gloria Angelorum ſit etiam cognitio perfectior, & excellentior, quia dona gratiæ, & gloriæ ſunt ſupernaturalia, cognitio verò naturalis, ac proinde non ſit proportio. Reſpondetur falli Caietanum, nàm ſemel dato quòd fuerit aſſumpta natura humana Chriſti à Verbo, omnes iſtæ perfectiones ex æquitate, & decoro conſequuntur, tum intellectus, tùm voluntatis, imo intellectus maiori iure cum ab eo incipiat animæ operatio. Præterea cùm perſona Chriſti ſit perſona Verbi Filij Dei, qui eſt ipſamet ſapientia Dei, decet, vt habeat ſapientiam perfectiſſimam, vti proximè notauimus. Nobiſcum ſentit Suarez diſp. 29. ſect. 1 faſſus ſe hac in parte à D. Thoma, & Schola Thomiſtarum recedere. Et Vaſq. cuius hæc ſunt verba diſput. 54. cap. 4. *Caietani impugnatio infirma eſt, neque enim rationem, & modum colligendi Scoti videtur ipſe intellexiſſe*, & ibi ſequitur Scotum.

Secundò arguit Caietanus contra vndecimam concluſionem, & grauiter, & accerbè pungit Scotum, dicens eum *ponere in Cælum os ſuum*, quaſi blaſphemus eſſet, quod dixerit Chriſtum Dominum per intuitiuam notitiam res in proprio genere actu præſentes imperfectiùs, quàm Angelos cognouiſſe, auſus appellare *Infandam* hanc Scoti ſententiam. Reprehenſione dignus eſt Caietanus, ac eò maiori iure, quòd ſi vera eſt hæc cenſura in eandem recidit ipſe, & quod ferri non poteſt, etiam Doctor Angelicus. Patet ex ſententia in proximo articulo huius quæſtionis 11. tradita, vbi ſic. *Scientia animæ Chriſti eſt infra ſcientiam angelicam, ſcilicet, quantum ad modum cognoſcendi, qui eſt naturalis animæ humanæ*. Ecce manifeſtè Sanctus Thomas concedit ſcientiam Chriſti infuſam, quòd ſpectat ad naturalem perfectionem eſſe inferiorem angelica, quod neceſſe eſt fateatur item Caietanus. Recidit igitur in eam notam, quam inuſſerat Scoti ſententię.

Præterea art. 6. eiuſdem quæſtionis iterum D. Thomas in corpore: *dicendum, quòd ſcientia indita animæ Chriſti habet modum connaturalem animæ humanæ, vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate, quàm Angeli*. Rurſum

Digitized by Google

in reſponſione ad primum: *dicendum quod ſcientia animæ Chriſti eſt perfectiſſima, & excedens Angelorum ſcientiam, quantum ad id quod conſideratur in ea ex parti Dei influentis: eſt tamen infra ſcietiam Angelicam quantum ad modum recipientis*, quàm doctrinam admittit Caietanus nec tamen idcirco *ponit in Cælum os ſuum*, cùm ſit multo aſperior huiuſmodi opinio, quàm illa Scoti, adeo vt ipſemet Suarez proximè citatus contrà ſentiat, & ſtatuat concluſionem, Species infuſas Chriſti Domini fuiſſe vniuerſaliores, quàm ſint ſpecies Angelorum, & allegat eundem Sanctum Thomam in 3. diſt. 14. art. 3. & Richardum art. 4. q. 2. & Scotum q. 4. Itaque non poteſt reprehendi Scotus, ne eo nomine Doctor Angelicus reprehendatur. Continendus eſt igitur in officio Caietanus, ac illius de Scoto iudicium temperãdum. Cum Suario ſentit Vaſquez d. 54. c. 4.

IVDICIVM.

Qui ſententias vtriuſque doctoris conferre velit, inueniet diuerſa ſentire; qui methodum, rationemq; tractandi, reperiet vtrumque parem; & quidem Scotum tam perſpicuum, & accuratum, vt Princeps interpretum Lychetus quæſtionem quartam de cognitione in proprio genere commentari omiſerit, quod nihil in ea non erat & perſpectum & exploratum. Suſcepit tamen Pontius prouinciam, & fusè omnia & copioſè, vt aſſolet, explanauit. Nos verò ſtatuimus primum id quod ambiguũ quidã noſtri fecerant, & nonnulli Thomiſtæ affirmarunt Scotum eam negare, quorum eſt Gabriel à S. Vinc. d. 9. dub. 4. ſcilicet conſtare Scotum ſcientiam per ſe infuſam in Chriſto admiſiſſe, ne cui eſſet obnoxius notæ, quam quidam nimis ſeueri rerum æſtimatores negantibus inurunt. Certè Scotus ponit, & ſpecies, & habitum per ſe infuſum: minorem tamen ei, quàm Sanctus Thomas, ſphæram aſſignat: in quo ille certè ſcopum videtur attigiſſe, cum per ſe infuſa ſcientia obiecta naturalia, & quæ ſciri naturaliter poſſunt minimè videatur comprehendere. Altior eſt illa, & diuina, & in ſublimi ſupernaturalium rerum ordine verſatur; atque in hoc ſenſu intulit *in cælum os ſuum*, imo diuinitus multa dixit, digna quæ pro oraculis habeantur, non autem eo ſenſu, quem Caietanus inuexit accipiendus eſt Scotus, quaſi minus de Chriſto honorificè ſenſerit, dum tradidit intellectum Chriſti Angelico natura cedere: ſpectabat quippe naturam; quod ſi velit Caietanus improbare, à ſe ipſo, & à Magiſtro deficiet concedente intellectum Chriſti in perfectiorem eſſe Angelico, quæ communis eſt philoſophorum, & Theologorum ſentẽtia. Equidem comperio S. Thomam docere intellectum Angeli, & hominis eſſe ſpecie diuerſum, & conſequẽter nobiliorem eſſe Angelicum. Ita 1. p. q. 75. a. 7. ante corpus vbi expreſsè *Anima ergo, & Angelus non ſunt vnius ſpeciei*. Et ibi ſtatuit intellectualem virtutem eſſe in Angelo perfectiorem, & concludit in ſolutione ad tertium. *Anima tenet inferiorem gradum intellectualitatis, quàm Angelus*, idque deducit ex ordine ad corpus. Quod explicatiùs tradit ibi q. 79. a. 2. *Intellectus Angelicus ſemper eſt in actu ſuorum intelligibilium, propter propinquitatem ad primum intellectum quia eſt actus purus. Intellectus autem humanus, qui eſt infimus in ordine intellectuum, & maximè remotus à perfectione diuini intellectus*. Ecce

ce perſpicuè Sanctus Thomas docet intellectum Angelicum eſſe humano perfectiorem. Chriſti autem intellectus eſt humanus, nec enim tranſijt in Diuinum, alioquin incideremus in errorem Monophyſitarum, ſiue Monathelitarũ; igitur eſt imperfectior Angelico. Et verò Diuo Thomæ Doctori inter homines Angelico de Angelis loquenti penitus credendum, cùm in eorum ſit vicinia, ac eodem ſpiritu affletur, eoſque in partibus habeat. Scotum video hac in re problematicum eſſe, qui hominem agere voluit: nam in 2.d.1.q.5.a.6. vtranque ſentententiam in medio reliquit. Vti etiam in Reportatis d. 13. qu.3. *§. ad tertiam quæſtionem*. verſ. *Dico quod ſi ponerentur*, quod nos in 2.tom.Collat. obſeruauimus, vbi magis propendimus in partem negantẽ diuerſas eſſe intellectualitates, quamuis eſſent diuerſę naturæ, hominibus, quàm Angelis propiores: ſed nunc memores illius verſus Pſalm.8. *Minuiſti eum paulominus ab Angelis* cum Scoto hic ſentire malumus, non quod canamus Palinodiã, vel canente Dauide, ſed quòd ſequenti problemata liceat in vtranque partem opinari. Animaduerto tamen Scotum ſeruaſſe Chriſto decorum, non enim negauit eum perfectiùs intelligere, quàm Angelos, ſed diſtinxit principia cognoſcendi; & naturæ ſecundas dedit, primas tamen cognitioni, tribuendo Chriſto perfectiores ſpecies, quàm Angelis, vnde perfectior intellectio exiſteret. Quemadmodum enim in rebus gratiæ non habetur ratio naturalis ordinis, ſed ſupernaturalis, vnde aliqui, ſopinor, Sancti perfectiùs amant, & vident Deum, quàm Angeli, ita etiã in ſcientia per ſe infuſa, maior erit perfectio Chriſti, quàm Angeli cognoſcentis. Quod ſi aliquis de Sanctis dubitet, de Beata Virgine non erit dubitandum. Saltem Scotus non dubitabit. Quare in alio ſenſu poſuit Scotus *in Cęlo os ſuum*, quàm accepit Caietanus: nempe dum in Cęlo Beata Virgine, quæ maxima Cœli pars eſt, & Signum magnum, quod apparuit in Cęlo, iſtam perfectionem collocauit. Tandem animaduerto Thomiſtas communiter affirmare ſpecies infuſas Chriſti Domini Angelicis imperfectiores eſſe, & cognitionem per eas imperfectiorem item eſſe cognitione Angelorum. Ita expreſsè Gabriel à S. Vincentio inſignis Thomiſta Carmelitanus Excalceatus: affirmans S.Thomam, & omnes Thomiſtas ita ſentire d.11.dub.13 n.172. Quo iure igitur Caietanus Scotum reprehendit? cùm ille primo loco inter alios ibi à Gabriele nominetur. Si per ætatem licuiſſet Caietano in Gabrielẽ incidere haud ſcio an eum, et ſi nomen Archangeli præſeferret, acerbè ſugillaret.

COLLATIO QVINTA

DIFFERENTIA II.

De merito, & ſatisfactione Chriſti Domini.

D. Thomæ 3.p.q.1.a.2. & q.2.a.11.& q.7.a.1.ſeq.q.q.19.a.2. Scotus.in 3.d.18.q.vn.& d.19.q.vn.

SECTIO I.

De conditionibus ad meritum requiſitis.

DE Merito Chriſti duo Summi Doctores Angelicus, & Subtilis varijs in locis tractant. Angelicus 3. p.q.1.a.2. q.2.a.11.q.7.a.1.& ſeq. q. 19. a. 2. p. 34. a. 3. p.48.49.59.& q.57.a.6.& q.59.a. 3. Et in 3.d.18. Scotus in 3.d.18.q.vni.& in d. 16.q. vn. & in Report.d.19.q.vn. & d.20. vbi de ſatisfactione Chriſti. Et ſupra d. 2.q. 2. De merito autem abſolutè agit Sanctus Thomas in 1.2.q.114.& in 3.d.30. a. 5. & 2.2.q.182.a.2.& in Ioannem lect.10.Scotus in 1.d.17.q.2.& 3.& in 2.d.28.& in Quod lib.d.17. Ex eorum doctrina, & communi præmittendæ ſunt conditiones ad merendum requiſitæ.

Prima conditio eſt ex parte actus vt ſit honeſtus: nec enim per actum prauum quis meretur, ſed demeretur. *Quæ mala ſunt non coronat Deus* ait Auguſtinus lib.de Grat.& lib.arb.c.3. Secunda vt ſit liber. Auguſtinus lib. 2. de lib.arb.c.1.*Pæna iniuſta eſſet, & præmium, ſi homo voluntatem non haberet liberam.* Debet autem hæc libertas eſſe non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, quemadmodum definitum eſt ab Innocentio Decimo contra Ianſenium propoſitione 4. Tertia vt ſit proportionata præmio, quod id circo merces dicitur ab Auguſtino lib. de grat.& lib.arb.c.8. *Vita æterna quæ datur, quoniam præmium eſt gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia, quia reddit vnicuique Deus ſecundum opera eius.* Quarta ſumitur ex parte perſonæ, vt ſit Deo grata. Hinc illud Gen. 4. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Et illud Auguſtini in Pſ. 31.*Ille ſperat, qui bonam conſcientiam gerit: vt ergo ſperet regnum habeat bonam conſcientiam: credat, & operetur.* Quinta vt ſit viator qui meretur: quã conditionem quidam dicunt negare Scotum apud Suarium d. 39. Sect. 1.

Sed

Digitized by Google

Sed immeritò, cùm eã ipſe conſtituat d. 18. huius Tertij, & notat Suarez. Tradit hanc conditionem Auguſtinus frequenter.

Sexta ex parte Dei, quæ eſt ipſius promiſſio,& pactum cum acceptatione operis noſtri, vt remunerari poſſimus, ac debeamus: in qua conditione multus eſt Scotus,auctor idoneus iſtius acceptationis in 1. d. 17. q. 3. & in 3. d. 16. & in 4. d. 15. & cum Auguſtino lib. de grat.& lib.arb.ſerm.3. de verb. Do. Serm.16.de Verb.Apoſt. lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelag. c. 7. Epiſt. 15. ad Sixtum. Pſal.7. conc.2. Pſal 93. Libo illud ex Serm.3. de verb.Dom. *O magna bonitas Dei,cui cum pro conditione reddere debeamus obſequia,vt ſerui Domino,famuli Deo ſubiecti poteti mancipia Redemptori nobis præmia repromittit.* Propterea Serm. 16. de verb. Apoſt. *Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid acipiendo, ſed quod ei placuit promittendo*. Vnde videtur Concilium Tridentinum Seſ.6.c.16. hanc doctrinam haurire voluiſſe.

Septima, vt bonum opus ex virtute charitatis procedat. Hãc ponit Scotus hic.q.vn §.*In iſta quæſtione* n.4. & vocat *affectionem iuſtitiæ* diſtinguens charitatem per amorem beneuolentię ab amore concupiſcentiæ, quem affectionem commodi appellat, vt obſeruat Lychetus in Comment. ad hunc locum 3.d.18.Lit.c.n.ſuo ſecundo. Secutus eſt Scotus Auguſtinum, qui ſæpiſſimè docet hanc eſſe radicem meriti.lib. de morib.Eccl.c. 15. ſerm.16. de verb.Apoſt.Epiſt.144. De fide & operibus c. 22. lib. de nat.& grat.c.22.pſal. 118. conc. 26. lib.de grat.& lib. arb. c. 18.lib.15. de Trinit. c. 18. ſerm. 50. de verb. Dom. Carpo illam breuem ſententiam ex lib.de nat. & grat. c.4. *Charitas eſt veriſſima,pleniſſima,perfectiſſimaque iuſtitia.* Has omnes conditiones debuit habere Chriſtus Dominus ad merendum. Vtrum autem eas habuerit? quęſtio eſt,ac in primis de libertatę, quæ negotium exhibet Theologis, ac proinde exactè pertractanda.

SECTIO II.

Vtrum in Chriſto Domino fuerit libertas ſufficiens ad rationem meriti? Afferuntur variæ difficultates.

NVlla meo iudicio quæſtio eſt in Theologia difficilior, vti aliàs animaduerti propter impeccabilem Chriſti Domini voluntatem. Et quidem in ſententia S.Thomæ,& Sectatorum difficillima, quia ponit impeccabilitatem à principio intrinſeco nixum ſanctificatione ſubſtantiali communicata naturæ humanæ per vnctionem quandam,& affectionẽ diuinitatis, vti ſuperius diximus. Faciliùs ab hac controuerſia ſe expedit Scotus cum ſua Schola, cum radicem impeccabilitatis non ponant in illa cõmunicatione diuinitatis intrinſecam per vnionem ad Verbum, ſed in participatione ſummæ gratiæ viſionis, quæ venit ab extrinſeco principio, & illæſam libertatem relinquit. Quare luctandum eſt Thomiſtis cum difficultate ineluctabili: quam ſic ij proponũt, vt nunquam exhauriant, quamuis ſe multis modis verſent, vexentque. Equidem legens eorum Commentarios,& videns varias eorum vias excogitatas ad euadendum ex hac difficultate ſoleo illos admirari; ac in primis Suarium,& Vaſquium,quòd vetus,& arcta mihi cum ijs neceſſitudo eſt, iam inde à puero contracta,vt pote qui in eorundem ſim operibus verſatiſſimus. Doleo eorum vicem, quòd noluerunt

Scoto

Scoto adhærere, ac præter conſuetudinem mutuò inter ſe diſcordandi in eo conuenire, de quo maximè diſcordare deberent. Quibus cum item laborat Bellarminus inſignis Scriptor, duobus aliis non impar, quem tertium in amore, & obſeruantia ſemper habui. Adiicio Cardinalem de Lugo, quem iam ſenem Romæ vidi, ac ſæpè conueni, ſi non imparem tribus, certè ſupparem.

Igitur Suarez primo tom. 3. p. d. 37. per totam. Vaſquez. d. 74. Bellarm. de amiſſ. grat. & ſtat. peccat. lib. 5. c. 11. & Lugo d. 26. Varios modos excogitant conciliandi libertatem Chriſti cum illa intrinſeca impeccantia, præſertim in actibus præceptis, quorum eſt ſumma difficultas, vt ij fatentur, quos ego in lib. quem in ſcripſi *Mens Innocentij Diuinitus inſpirata* breuiter, ac perſpicuè commemoraui, & ſingulos exponendo refutaui. Vbi obiter animaduerti, non eſſe eandem formam libertatis tribuendam nobis mortalibus viatoribus, & Chriſto ad merendum, cùm aliquantulum ſit ſtatuenda diuerſa. Cæterùm omnia ibi congeſſi, quæ ſolent Magiſtri Scholæ Thomiſticæ afferre documẽta libertatis Chriſti, ad eam adſtruendam, & ſuſtinendam, quæ Suarez, & Vaſquez, & qui antè, & poſt ipſos ſcripſere, fuſiſſimè diſputando proponunt, ac longa tractatione refert Maſtrius d. 3. de Merit. Chri. qu. 9. adductis item ſolutionibus argumentorum, quæ in contrarium militant, quorũ ea minus difficilis ſolutio eſt, quæ ſumitur ex diuerſitate motiuorum, quam magnoperè exaggerat Vaſquez, quaſi verò eam ipſe inuenerit, cùm eandem Suarius tradiderit, quamuis multas alias euadendi rationes excogitaſſet. Verùm, vnde conſtat illa motiua non fuiſſe etiam præfinita, & præſcripta? Si vnus paſſer, aut vna frons arboris non cadit in terram ſine prouidentia Dei, ſi omnes capilli capitis numerati ſunt apud Deum, cur illa motiua non erunt omnia, & ſingula præuiſa, prouiſa, præſcripta? Idque videtur exprimi in illis verbis Ioannis. *Sicut Mandatum dedit mihi Pater ſic facio* cap. 14. *Quæ* particula indicat modum vltra præceptum. Cuius ſenſus auctor eſt Hilarius ibi *Modum*, inquiens, *præſcriptę ſibi operationis expleuit*. Quod teſtimonium eſt contra Vaſquez d. 74. c. 5. n. 34. Quamuis ipſum infringere incaſſum laboret: quin & perperam negat vllum interpretem ita expoſuiſſe, cùm magnus ita interpretetur Hilarius. Quare cùm hoc ſit tam congruens rationi, & conueniens dignitati myſterij, vt nihil non in eo ſit prædefinitum, commendatum, & præſciptum à Patre, credendum penitus eſt omnia motiua fuiſſe præcepta, & à Chriſto, ſicut ſibi præcepta erant, ita re præſtita, ac exhibita fuiſſe. Quo accepto perit tota ratio libertatis, quemadmodum fatetur ipſemet Vaſquez acer eius opinionis defenſor. *Quòd ſi Deus*, inquit, *non tantum decreuiſſet opera Chriſti cum omnibus circunſtantijs, ſed cum illis ea etiam præcepiſſet, fateor ſanè nullam in Chriſto libertatem futuram in obſeruatione præceptorum: nam tunc illud ita obſeruaret, vt nihil illius omittere poſſet, neque hoc, & illo actu, hoc eſt illo loco, hoc & illo affectu illud poſſet efficere, quod pręcipiebatur.* Hoc idem poſt longam contentionem ſtatuit Suarez d. 37. ſ. 4. his verbis. *Si concedamus præceptum determinare, & actum, & modum, & motiuum, & omnes denique circunſtantias, non video quomodo ſuppoſita neceſſitate actus amoris* (de hoc enim loquitur) *relinquatur indifferentia*

tia

tia aliqua in obſeruatione talis præcepti. Et addit: *Vnde ſi aliàs in ipſo præcepto vel obedietia nulla relinquitur indifferentia, non eſt in quo poſſit manere libertas.* Hoc mihi perſuaſum habeo in Schola Diui Thomæ non videri poſſe hanc libertatem in Chriſto, poſito præcepto moriendi ſuſtineri. Nam Diuus Thomas 4. contra gentes c. 36. dicit: Magis cõſentaneum fuiſſe Chriſtum voluntate humana nihil voluiſſe niſi ſecundum quod eum velle voluntas diuina diſpoſuit, ſecundùm illud Ioann. 8. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Idem mihi videor colligere ex illis verbis eiuſdem S. Thomæ 3. p. qu. 21. a. 4. in corp. *Secundum voluntatem rationis Chriſtus nihil aliud voluit, niſi quod ſciuit Deum velle.* Quo tollitur omnis indifferentia ex parte Chriſti ad eligendum, atque adeò neceſſitas ſtatuitur. Et quidem ſi illa ratio merendi ex diuerſitate liberâ motiuorum ſtare poſſet, ex alio capite iudico eam non eſſe idoneam pro dignitate operum Chriſti; nam non eſſet libera quo ad ſubſtantiam operis, ac proinde in re moriendi non eſſet Chriſtus liber, quod multum detrahit dignitati meriti. Quid enim ſupereſt in re nobiliſſima Paſſionis, & mortis Chriſti præter motiua aduenientia operi tanquam accidentia ſubſtantiæ? quæ & adeſſe, & abeſſe poſſunt, nec ſunt de neceſſitate meriti in re verſantis. Igitur in moriendo Chriſtus liber non fuit, ſed in circunſtantijs quæſiuit libertatem, quòd eam habere non poterat in morte, per quam nos redimebat, & in qua erat ſita ſalus vniuerſalis; ita que redactum fuit meritum ad circunſtantias, quæ alienæ erant à mortis libertate. Quo ſanè argumento ſemper fui ab hac ſententia deterritus. Cùm præſertim viderem Sacras litteras de mortis præcepto loqui citra huiuſmodi Scholarum ſubtilitates. Loquitur enim de morte in proprio, & germano ſenſu.

Hinc eſt, quòd nonnulli Theologi negarunt hoc præceptum, ne cum tanta difficultate luctarentur. Sunt hi ex antiquis Paludanus in 3. d. 12. q. 2. ar. 3. & Dionyſius Charthus. in 3. p. q. 3. a. 2. conc. 6. Ex Recentioribus Victoria grauis Auctor Thomiſta apud Medinam. Codice de pœnit. tract. 3. qu. 1. & Lorca diſp. 73. & quidam ex Diſcipulis Patris Sparza, qui hoc mordicus Romæ me præſente ſuſtinebant; ac nitebantur loco Baſilij, quem inuenerant apud Cornelium à Lapide. Poterant item allegare Chryſoſtomum, quem citant Suarez, & Aretinus Ho. 59. & 74. in Ioan. Hi multis teſtimonijs Scripturarum à me circũuſi egrè ſed affectata fiducia reſpondebant magnũ aliquid ſe inueniſſe, ſcilicet, Spiritum S. nunquam fuiſſe vſum vocabulo præcepti, ſed mandati, & ponderabant *Sicut mandatum dedit mihi Pater*, non præceptum, quod multùm intereſſet inter vtrunque. Itaque inficiabantur, Chriſtum pręceptum Patris habuiſſe. Verùm id quod aſſumunt prorſus eſt falſum, ſi de ſacris litteris loquamur: in quibus vox *Mandatum*, Pręceptum verè, ac propriè ſignificat. Patet id tum in teſtamento veteri, tum in nouo, Gen. 26. *Cuſtodierit præcepta, & mandata mea.* Prou. 7. *Serua mandata, & viues.* Pſal. 118. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Ibid. *A mandatis tuis non erraui* Et ſæpè alias. Matt. 18. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Io. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* 1. ad Corinth. 7. *Circuncisio nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum.* Verùm, vt vt ſit de sẽſu horum locorum, ſunt in re, & in rem propria teſtimonia,

quæ

quæ illud effugium præcludant. Chriſtus de ſe ipſo dicit Ioan. 12 *Si præcepta mea ſeruaueritis manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectionem*. Quibus verbis illa opinatio concuſſa ruit. Cæterùm tam eſt expreſſa Chriſti obediētia in ſuſcipienda morte, vt negari præceptum de illa Patris non poſſit. Pſal. 39. loquens de hoc pręcepto Patris, *Deus meus*, inquit, *volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Voluit Chriſtus, ſed voluntas illa fuit legi, & præcepto obnoxia. Obedientis erat, quod obſeruauit Agatho Papa Epiſt. 1. quæ refertur in Synodo vi. actione 4. apud Ioan. cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio*. Ad quæ verba Auguſtinus pręceptum interpretatur. Quin & locus Matth. 26. *Pater mi ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum: fiat voluntas tua* Damaſceno Auctore de voluntate præcipiente intelligitur. Idem illud Pauli teſtimonium ad Ro. 50. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi*, ad obedientiam Chriſti patientis refert. Omitto locum illuſtrem, quòd obuius eſt ad Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*. Quamquam verear, ne iſti ſcioli ita exponant, vt dicant Chriſtum vſque ad mortem obediuiſſe, excludendo mortem, atque adeo ſenſum eſſe excepta morte in cæteris Chriſtum obidientem fuiſſe: quæ interpretatio eorum eſt ingenio congruens, quia ſubtilis videtur hominibus nouitatem amantibus.

Ad locos Patrum facilè eſt reſpondere: eos non negare præceptum, ſed tale præceptum, quod inuolueret ſeruitutem indignam Filio Dei naturali quomodo S. Thom. exponit Chryſoſtomum 3. p. qu. 47. art. 2. Citatur item Anſel. *Cur Deus Homo?* At ille non negat præceptum moriendi, ſed tantùm fuiſſe immediatum, & directum negat, quia fuit poſitum mediante prædicatione veritatis, propter quam immediatè occidendus erat: deinde non fuit Chriſto præceptum, vt ipſe efficeret mortem ſuam, ſed vt eam ſibi violenter ab alijs illatam ſuſtineret, quod ſubtiliter notauit Scotus in hoc 3. d. 16. qu. 2. ad 2. in fine q. Hoc autem animaduertit Suarez diſp. 44. ſect. 1. in fin. & Aretinus in diſt. 16. qu. 2. a. 3. qui Suario prorſus conſentit. Ego autem adijcio Scotum ſecutum eſſe ſententiā Anſelmi, quod non video ab vllo Scotiſta obſeruari. Igitur Scotus hic in 3. d. 21. qu. vn. §. *Tunc ad quæſt. Credendum*, inquit, *eſt, quod ille Homo, ideſt Chriſtus, paſſus eſt propter iuſtitiam: vidit enim mala Iudæorum quæ fecerunt, & quomodo inordinata affectione, & diſtorta afficiebantur ad legem ſuam, nec permittebant homines liberari in Sabbato, & tamen extrahebant ouem, vel bouem de puteo in Sabbato, & multa alia. Chriſtus igitur volens eos ab errore illo reuocare per opera, & ſermones, maluit mori, quàm tacere, quia tunc veritas erat dicenda Iudæis, & ideò pro iuſtitia mortuus eſt.* Nimirum ex præcepto Patris debebat mori, ſed non excludebat illud præceptum aliud motiuum moriendi, quod erat in Chriſti poteſtate. Vtrum autem hinc ſequatur Scotum approbaſſe ſententiam de libertate Chriſti circa motiua & circunſtantias, quam hactenùs impugnare viſi ſumus, inferiùs cùm de mente Scoti egerimus, aptè, & commodè exponemus.

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

Proponitur vera, & perſpicua ſecundum Scotum de merito Chriſti cum libertate ſententia.

PRocedam per pronunciata. Primùm dico liberum fuiſſe Chriſtum ſufficienter ad merẽdum. Patet in via Scoti, quia voluntas Chriſti retinebat ſuam integram, & naturalem libertatem ſine vlla coactione, ſine vlla intrinſeca neceſſitate. Nec enim vnio hypoſtatica, nec per eam mediantem diuinitas influebat in voluntatem Chriſti humanam, mutando intimè naturalem facultatem. Vnde manebat intrinſecè indeterminata, & indifferens quantum erat ex innata poteſtate. Nec iſta auferebatur per præceptum, quod adueniebat extrinſecùs nihil adimens nihil auferens de dominio, & libertate. Hoc pronunciato poſito, quod conſtans eſt, & infallibile in doctrina Scoti, dico ſecundùm voluntatem Chriſti, ſuppoſito quòd erat comprehenſor, & viator per diuinam diſpenſationem, vt ait Scotus d.12. q. vn. §. *reſpondeo* remanſiſse liberam ad merendum. Non quod fuerit diſpenſatus in merito, quaſi illud genus merendi Chriſti non eſſet idoneum, niſi diſpenſaretur, vti perperàm dixit Maſtrius d.3.q.9. a.3.in fine. Sed quòd ex illa diſpẽſatione ſtatuum ſecuta fuit in Chriſto vera, & propria libertas ad merendum. Itaque priuilegium cadit ſuper ſtatum viatoris, ne impediretur per ſtatum comprehenſoris, non autem cadit ſuper genus merendi, quod comitatur ſtatum viatoris. Dico tertiùm liberum fuiſſe Chriſtum, ad merendum, pro vt erat viator, per proprium genus meriti cum ſufficiente libertate intrinſeca, & indifferentia ad vtranque partem contradictionis, & contrarietatis, & ab extrinſeco tantùm ad vnam partem, ideſt bonum, & præceptum redacta, itaut omnis virtus Phyſica integra remaneret, moralis tantùm modificaretur per gratiam, & prouidentiam Dei ne peccaret: contra quàm Maſtrius ſentit, qui illo articulo tertio in fine ait Chriſtum impeccabilem redditum *Ne dum moraliter, ſed etiam Phyſice*. Hæc omnia pronucniata ſunt Scoti in 3.d.12. & ibi Lychetus ea tradit. Audiamus egregium Interpretem ad argumenta principalia: *Ad ſecundum*, inquit, *reſpondet quòd natura ſumpta ex eo quod habuit liberum vertibile ad vtrunque, potuit verè peccare, ſtante tamen beatitudine nullo modo potuit peccare*. Vnde Scotus ibidem §. *reſpondeo* comparat Chriſtum cum alijs beatis, qui ſolùm ex vi perfectæ fruitionis peccare nequeunt: cùm autem Chriſtus fuerit diſpenſatus in hac perfecta fruitione, ne totam voluntatem occuparet, ſequitur eum ſatis liberum ad merendum fuiſſe. Quare iterum Scotus §. *ad primum argumentum* n.3. *Dico*, inquit, *quòd natura, quam aſſumpſit, erat de ſe poſſibilis peccare, quia non erat beata ex vi vnionis, & habuit liberum arbitrium, & ita vertibile ad vtrumlibet: ſed per beatitudinem eſt confirmatum à primo inſtanti, vt ſit impeccabile, ſicut beati ſunt impeccabiles*. Quam doctrinam latiùs & explicatiùs tradit d.18.q.vn.à.§. *in iſta quæſtione* n.4. Ex quo fit, vt quemadmodum beatus ſi reduceretur ad ſtatum viæ, & a fruitione totali reuocaretur, vt non occupata voluntate operaretur, omnino liber in merendo exiſteret: hoc modo Chriſtus, quo cum ita diſpenſatum eſt, merebatur. Perſpicuè

Scotus: *Alij beati à Chriſto, quia ſecundum totam voluntatem coniuncti ſunt vltimo fini affectione iuſtitię perfectiſſimæ &c. ideo non poſſunt habere actum oppoſitum, vt liberè velint aliquid quod non ſit ijs commodum:* qua ratione interpretatur Lychetus. Quod autem illa impeccabilitas Beatorum proueniat ab extrinſeco, notat Lychetus ibid: *Patet: quia voluntas diuina determinauit nunquam concurrere ad aliquid, quod ſit oppoſitum bono commodi Beatorum.* Hinc oritur ratio differentiæ inter Chriſtum Beatum, & alios Beatos: Quia Deus determinauit, & voluit disiungere voluntatem Chriſti ab illa perfectiſſima fruitione, ac proinde locum dare merito inde conſecuto. Illud autem diligenter obſeruandum, de ſtatu beatitudinis Chriſti aliquid fuiſſe detractum à Deo, videlicet omnimodam, & perfectam fruitionem, vt eſſet libera ratio merendi: at verò de libertate, & poteſtate liberi arbitrij innata, & ingenita voluntati, nihil omnino detractum fuiſſe, ſed additum per ſummam gratiam ſingulare genus cuſtodiæ, & prouidentiæ diuinæ, per quod illa voluntas impeccabilior redderetur. Itaque voluntas humana nihil amiſit de ſuo, ſed admiſit aliquid de nouo, vt ſimul mereretur liberè, & peccare tamẽ non poſſet. Præclarè Scotus d. 18. §. *Contra illud quod eſt* n. 8. *Ex miraculo non habuit ſumũm bonum ſibi coniunctum quantum potuit coniungi ſicut eſt ſimpliciter in Beatis, & Chriſto modò de facto in Patria.* Multi hoc priuilegium declarant exemplo prædeſtinatorum, & confirmatorum in gratia, qui habent quandam moralem impotentiam peccandi, quod affirmat Delgadillo cap. 9. diff. 1. dub. 4. num. 18. Verùm maior eſt impeccabilitas moralis in Chriſto: habet quippe hæc impeccabilitas moralis ſuam latitudinem: vnde magis erat impeccabilis Beata Virgo, quàm Baptiſta, & Apoſtoli, cùm careret fomite peccati, vel ſaltem ligatum haberet, nec peccauerit vnquam venialiter: quod alij non habuerunt: Chriſtus vero multò magis fuit impeccabilis, quàm Beata Virgo, propter excellentiorem ſanctitatem.

Nunc videamus, quomodo, & quatenus Chriſtus meruerit, & ad praxim iſtud meritum reducamus. Primùm docet Scotus, quod ratio meriti principaliter conſiſtit in affectione iuſtitiæ pręſuppoſita charitate: quæ vt ait Lychetus, vel inclinat voluntatẽ ad ad huiuſmodi affectum, vel partialiter concurrit cum voluntate ad talem affectionem, ſicuti patet ex 1. d. 17. & ex hoc loco 3. d. 18. De amore verò concupiſcentiæ, quæ reſpicit beatitudinem cum fruitione, & affectus commodi appellatur, vt hic obſeruat, & in 2. d. 6. q. 2. ait: *Si ſiſtat in commodo proprio non eſſe actum meritorium, imò demeritorium, quia ordinat ſummum bonum propter ſe amandum ad aliud,* & vt ſolet dicere Auguſtinus *Fruitur utendis.* Vnde hæc affectio commodi proprij debet benè ordinari, itaut non ſiſtat in proprio commodo, ſed eo vtatur ad amãdum amplius ſummum bonum. Hoc præmiſſo diſtinguit Scotus inter Beatos, & Chriſtum, quod Beati cum ſint ſolummodo cõprehenſores, mereri nequeunt, quia ſunt perfectè coniuncti cum vltimo fine ſecundum totas, & integras vires voluntatis. At verò Chriſtus cùm ſit etiam viator habet portionem inferiorem voluntatis obnoxiam pœnæ, & ſecundum illam pati poteſt per miraculum, non redundante in eam partem beatitudine. Vnde Scotus ait:

Chri-

Digitized by Google

ſtus fuit Viator,& paſſibilis ſecundum partem ſenſitiuam. Portio enim inferior propriè ſumpta reſpicit, *temporalia, & entia ad finem*, vt ait Lychetus in fine commentar. lit.f.ſecundum dicta diſt.13. & 14. cùm portio ſuperior reſpiciat æterna, & diuina.

Hinc oritur primus modus merendi ſecundum portionem inferiorem, quem ponit Scotus in hac.d.18.a.4. vſque ad 9. eſtque ſumptus ex Auguſtino epiſt. 56. ad Dioſcorum, & lib. 3. contra Maxim. c. 20. probatur à D. Thoma 3.p.q.28.a. 5.& q.19.a.2. Eſt apud omnes communis. Rada Cont. 12.a.1.Aretinus d.18.q.vnica a. 2. Tataretus.Lychetus hoc loco. Delgadillo proximè citatus. Felix,& Caſtillo, qui ab ipſo allegantur.

Secundus modus eſt per actus portionis ſuperioris:quem ſic tradit Scotus d.18.q.vn.§.*contra* n.9. Merendo per actus vtriuſque portionis includendo etiam actum amoris beatificum. Videtur quippe Scoto difficilè conſtituere meritum in parte inferiori ſine ſuperiori,quæ radix eſt merendi. Et quidem: An Chriſtus meruerit per illum actum amoris beatifici? ardua quæſtio eſt. Negant Bonauentura, Alenſis, Antiſiodor. quos laudat, & ſequitur Vaſquez diſp.24.Caietanus,& Ferrar. quibus adhæret Suarez diſput. 39. ſ.2. cum Diuo Thoma q.34.ar.3. Soto, Viguerio, Medina, Durando;cuius item ſententiæ ſunt Becan. c.14. q.3. Hurt. d.14.diffic.2.&alter Hurt.d.63. ſ.1. §. 20. Lorca d.172.concluſ.2.& 3. Ratio eſt quia ille actus eſt omnino neceſſarius, & proprius comprehenſoris. Affirmant tamen Scotus noſter hic. Gabriel d.18.qu.vn.concl.2.Capreolus in finr quæſt.ad argum. Aureoli. Maior hic q.2.Almainus,Holcot.ibidem.Lychetus, Tataretus, Faber, Aretinus Caſtillo d.14.q.1.n.11.Felix c.14.diff.1. Delgadil.c.9. diff.2. dub.3. Rada contr. 12.art.2.Pontius d.38.qu.vlt. Maſtrius d.3.de merit.Chri.q.10.art.2. cum Gallo, & Belluno quos citat.

Fundamentum priorum eſt, quia ille actus amoris Dei beatificus eſt omninò neceſſarius, qui prorſus excludit meritum. Antecedens patet, cùm ſit elicitus à vidente Deum intuitiuè, quod eſt obiectum neceſſitans voluntatem ad amandum, oritur quippe ab intuitiua viſione, nec patitur indifferentiam ad non amandũ, vel odiendum: quæ ratio perſuadet in communi ſententia beatorum amorem elicitum ex viſione beata neceſſarium prorſus eſſe, nec vlla ratione liberum, ac proinde minimè meritorium. Hanc difficultatem vidit Scotus d.18.q.vn.§.*ad ſecundũ* n.9.vbi ſic *Hoc tamen eſt difficile tenere propter beatos, qui tunc poſſunt mereri in infinitum*. Loquitur autem Scotus de huiuſmodi actu beatifico in voluntate Chriſti.

Verùm eo non obſtante tenendum cum poſterioribus ad mentem Scoti illum actum beatificum ſuppoſita doctrina eius de merito per acceptationẽ, eſſe meritorium. Ratio eſt idonea, & congruens Scoti doctrinæ; quia ille actus,cùm ſit perfectiſſimus poteſt acceptari à Deo,& fieri meritorius ex acceptatione diuina, ſicuti etiam poteſt acceptari, reddique meritorius actus Beati Deum intuitiuè videntis: eſt quippe eadem ratio ex parte actus digni acceptatione. Veruntamen non eſt dicendum beatum mereri per illũ actum, ſicuti Chriſtus meretur per ſuum, ob eam differẽtiam, quia beatus non eſt viator, ſed ſolum comprehenſor. At Chriſtus ſimul eſt comprehẽſor,& viator: atque adeo ratione ſtatus viatoris meretur per actum beatificũ

Digitized by Google

proprium comprehenſoris: non quà eſt comprehenſor, ſed quà eſt viator, qui eſt ſtatus libertatis, & meriti. Audiamus Scotum ibid. §. *Reſpondeo* nu. 10. Perſpicuè; nemo enim præclariùs, & diſtinctius reſpondet obiectioni, quàm Scotus. *Sicut meritum non reſpicit, nec conſiſtit tantùm in actu elicito, ſed in conditionibus aliquo modo perſonæ, ſiue ſuppoſiti elicientis, ſic acceptatio diuina non ſolum reſpicit actum, ſed conditiones accidentales ſuppoſiti elicientis*. Idque perſuadet idoneo exemplo. Vidit quippe difficultatem, & rurſus ait in fine *Quod videtur difficile*. Sed non idcirco deſtitit à tradita ſententia de merito. Nec enim eſt vlla contradictio in acceptatione illius actus in ſtatu, & perſona viatoris, cuius non eſt omnimoda neceſſitas, ſed ſolùm ex parte actus, non autem perſonæ elicientis. Atque vt appareat Scoti prudentia, & ſubtilitas, ita probat hanc viam, vt ſtatim afferat aliam; quam tenent auctores primæ ſententiæ de illo actu, prout tendit in alia obiecta reuelantia in Verbo, ſicuti eſt dilectio matris ſuæ, & electorum, imo & inimicorum propter Deum, ad quos actus ille Charitatis extenditur, qui ratione ſui obiecti eſt liber, non neceſſarius in Beato. Et concludit Scotus, *Vtroque modo Chriſtum meruiſſe, & maximè vt actus tendit in alia obiecta à Deo viſa, & dilecta.* ibi: in fine num. 9. & concludit *Eligatur via ex tribus magis grata*. Ita intellexit, & probauit mentem Scoti Tataretus, & Lychetus.

Hic ſummo iure *mirabilem* dixit, ego & rationabilem, meritò dixerim. Nam admiſſa acceptatione in ratione meriti congruens eſt hic modus accipiendi actum in ſe neceſſarium pro ſtatu viatoris libero. Rem confirmo. Conſtat actum liberum in via tranſire in neceſſarium in termino propter ſolam rationem termini extra viam. Igitur ſola ratio ſtatus valet ad ponendam, & auferendam libertatem actus. Patet in homine damnato, qui mortuus eſt in actu peccati mortalis, qui erat liber in via, & nō fuit retractatus poſt mortem, & tamē amiſit rationem demeriti; eo ſolùm quia perſona mutauit ſtatum viatoris, nulla alia facta mutatione. Quemadmodum ergo hic manente actu anteà libero, & demeritorio fit incapax noui demeriti per ſolā rationem ſtatus, ita & fieri poteſt, vt ſtet actus neceſſarius natura ſua cum ſtatu libero, & ratione liberi ſtatus capax ſit libertatis ad merendum. Quod verò attinet ad Beatum poteſt Deus reducendo illum ad ſtatum viæ acceptare eiuſdem actum beatificum, vti ſufficientem ad meritum ratione mutationis de ſtatu termini neceſſarij ad ſtatum perſonę liberę, & poterit per illum mereri.

Miror Radam controu. illa 12. a. 1. concl. 3. propè finem articuli dicere ab omnibus tradi hanc ſententiā de merito Chriſti per actum beatificum: cùm ea ſit propria Scoti, & poſita illius de acceptatione ad meritū doctrina conſequēter deducatur ex illius principijs. Qua ratione item non probo anxietatem Maſtrij in quærendo principio libertatis in hoc actu beatifico Chriſti ad ponendum fundamentum merendi liberum, vnde ipſe recurrit ad potentiam remotam liberam voluntatis. Ita. a. 12. q. 19. Etenim Scotus non emendicauit hanc libertatem idoneam ad merendum à libertate illa remota, quæ certè non eſt ſatis ad ſaluandam rationem liberi: inuenitur quippe in omni actu ſimpliciter neceſſario, & refutatur exemplo amoris beatifici in quo-

Digitized by Google

quolibet beato: quin imo neceſſarium, eum eſſe conſtat, & Scotus fatetur hoc in loco, qui non agnouit illam ad merendum rationem in actu iſto beati, nec in alio actu Chriſti, & idcirco recurrit ad ſtatum viatoris, & ex eo ſumpſit probabilitatem ſuæ ſententiæ de libertate Chriſti, non autem eum conſtituit in remota potentia, quæ non inducit differentiam à libertate voluntatis beati, quæ retinet potentiam illam remotam. Vidit ergo Scotus acutiſſimè non inde peti libertatem merendi, ſed ex ratione ſtatus, & perſonę viatoris in Chriſto: quę conditio non erat in beato. Itaque hanc ſententiam Scoti ſic à me propoſitam, & explicatam defendo. Non dubito autem, quin ſit facilior, & probabilior alia de obiecto ſecundario amoris Beatæ Virginis, & aliorum, quam video placuiſſe Scoto, & noſtris, imo & alijs aliarum Scholarum Theologis, etiam Thomiſtis, quibus adhæret Lugo Cardinalis d. 27. ſect. 1. quemadmodũ etiam probabile duco Chriſtum meruiſſe per actũ amoris elicitum ex cognitione ſcientię per ſe infuſę, qui non eſt actus beatificus, de quo vulgaris eſt Theologorum conſenſio extra Scholam noſtram: non tamen illum inculco Scotiſtis noſtris, quia non apparet in Scoto, cuius & interpretem, & diſcipulum ago. Satis ſint illi duo modi ita expoſiti, & muniti, qualis non eſt ille tertius qui videtur facilior, cum ſit maximè difficilis in Schola Angelici Doctoris negantis poſſe duo accidentia eiuſdem ſpeciei eſſe in eodem ſubiecto, quales ſunt illæ duæ dilectiones, quas nemo idoneus philoſophus dicet eſſe diuerſæ ſpeciei, idque mihi eſt perſpectum, & exploratum. Video hanc dilectionem per ſciẽtiam infuſam affirmari à Delgadillo c. 9. diffic. 1. & tribui à Scoto in 3. d. 18. *In iſta quæſtione* verſu *tunc ad propoſitionem*. Vbi nihil omnino eſt in rem præſentem, de qua agimus. Maſtrius negare prorſus videtur cum Belluto, quem laudat. Ego ſic ſtatuo: poſſe quidem admitti hunc modum, quia non repugnat Scoti doctrinæ, ſed admitti non debere, cùm nihil de eo Scotus ſtatuerit, vnde illum prætereundo ſatis oſtendit ſibi non placuiſſe. Thomiſtis eum, & alijs ijs adhęrentibus relinquamus; inter quos eſt Suarez d. 39. S. 2. & Lorca d. 72.

IVDICIVM.

HAc in cõtrouerſia de cõditionibus admerendum requiſitis fermè conueniunt Theologi: de vna tantùm differunt Thomiſtæ a Scoto, imo & cum eo de illa, grauiter expoſtulant, ſcilicet de acceptatione, quaſi ſine illa meritoria opera eſſe non poſſint, & omnis ratio meriti ſit in acceptatione collocãda. Falſa eorum opinatio eſt; rem enucleatè, ac neruoſè trado. Scotus nunquam abſtulit meritum ab operibus bonis, & honeſtis, imo ſuppoſuit: idque ipſum apparet ex acceptatione diuina: nam Deus non acceptaret illa opera, niſi eſſent bona, & honeſta, & debitè relata ad vltimum finem, poſuit tamen acceptationem, quia vidit Deum non teneri, nec obligari vllo modo ad remunerandũ ex vi illorum operum, quæ ſibi omnibus titulis debebantur; vnde interpoſuit acceptationem, ut ipſe ea remunerarct, quaſi ex æquitate, & debito quodam, non quidem rigoroſæ iuſtitiæ, vti poſteà dicemus, ſed ex pacto, & fidelitate, quod quidem congruebat illis operibus bonis, & honeſtis ſibi oblatis. Eſt igitur acceptatio complementum quoddam ponens meritum in eſſe perfecto,

ᵹto. Affero exemplum. Materia prima per ſe, ſuamque naturam appetit formas; imo eſt in potentia ad illas, quam puram vocant, quaſi ea ſit pura potentia, nequit tamen informari, niſi accedat vnio, qua veniente eſt in eſſe perfecto, & quieto, nihil amittendo de natura ſua, ſed accipiendo complemẽtum per vnionem. Aliud exemplum eſto. In natura ſubſiſtente: hæc eſt in eſſe perfecto eſſentiæ, & exiſtentiæ ante ſubſiſtentiam, & tamen à parte rei nequit actualiter exiſtere, niſi compleatur, & terminetur ſubſiſtentia: Vnde reſultet ſuppoſitum ſiue perſona. Tertium exemplum eſto. Ignis qui per naturam ſuam calefacit, non poteſt tamen calefacere, niſi approximatio intercedat. Et quamquam hæc exempla ſint phyſica, declarant optimè rationem acceptationis in merito. Aptiora ſunt moralia. In ipſo auro, & argento, vbi eſt pretium morale, hoc ipſum apparet. Bonum certè metallùm eſt Aurum: non habet tamen valorem certum, quando eſt infectum, & brutum, niſi ex pondere, ſed cùm eſt factum, & expolitum, tum incipit valere apud homines, quando cuditur, & ſignatur imagine principis, & tantum valet quantum ipſe princeps vult; nihil perdit de ſuo ingenito pretio: verùm indiget illa publica imagine, ſiue forma, vt in republica valeat, & tantum valeat, quantum à Principe, vel à republica æſtimatur. Vnde apparet vis & veritas acceptationis. Aurum quidẽ eſt actio bona, & honeſta, & cõueniẽs, & congruens ad meritum: indiget tamen approbatione, & acceptatione Dei complentis eius valorem acceptando illam ad ſuum placitum, & pro ſua voluntate attollendo, & applicando ad talem, & talem remunerationem: congruè quidem ſemper, & proportionatè ad præmium, ſed non ex neceſſitate, & iuſtitia. Quemadmodum ſupra diximus; quoniam in materia de merito, & ſatisfactione quæ nititur gratia, & ope diuina interuenit miſericordia, & liberalitas Dei donantis, & voluntas accipientis. Ex quo apparet optimè Scotum tantum momenti in huiuſmodi acceptatione poſuiſſe, in qua Diuus Auguſtinus, & Concilium Tridentinum docuerunt complemẽtum meriti noſtri conſiſtere, quia *merita noſtra ſunt munera diuina*, nec Deus poteſt obligari per illa ex rigore iuſtitiæ, ſed ex ſuo libero pacto, & fidelitate; vnde ſequitur meritũ de condigno, non tamen ex vera, & rigoroſa iuſtitia, cuius erga homines incapax eſſe poſteà demonſtrabitur.

Quod attinet ad libertatem merendi Chriſti Domini, & ſi ſatis ſupra diximus, operæpretium erit Lectori noſtra conſulere, quę olim ſcripſimus Pariſijs in libro de *Cortina Auguſtini*, & in altero *Mens Innocentij Diuinitus inſpirata*, & in tertio quem inſcripſimus *Scrinium Auguſtini*. Quorum, quia rari ſunt, & ægrè inueniuntur, nonnullas ſententias decerpſimus, & congeſſimus in tomum Collationũ ſuper 2. ſentent. Scoti Collat. 7. diff. 3. Quàm vero Scotus ſcopum de merito attigerit illud perſuadet, quod ſenſus Auguſtinianos expreſſit ad liberalitatem, & gratiam Dei mirabiliter comparatos: quos qui teneat tutus incedet, & nunquam à recto veritatis tramite deuiabit.

Digitized by Google

COLLATIO QVINTA

DIFFERENTIA III.

De infinitate meriti Chriſti, eiuſque ſatisfactionis.

Ad q.1.a.3.ad 2.& q.7.a.11.ad 2.q.48.a.2.ad 3.in 3.p.& in 3.d.18.q.1.a.6.& de verit.q.29.a.7.Sancti Thomę. Ad d.18.qu.vn. ℱ. *Quantum ad ſufficientiam dico* in 3.Scoti, & in Report.d.19.qu.vni. §. *ad iſtam*, & in 4.d.15.q.1.ℱ.*de ſecundo*, ver. *Item paſſio*.

SECTIO I.

Afferuntur textus, & teſtimonia producuntur.

SAnctus Thomas 3.p. q. 1. a. 2. ad 2. *Peccatum*, inquit, *contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maieſtatis. Vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem, vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vt potè Dei, & hominis exiſtens.*

Iterum q.7.a. 11. ad 2. *Dicendum quod gratia Chriſti habet infinitum effectum, tum propter infinitatem prædictam gratiæ, tum propter vnitatem diuinæ perſonæ, cui anima vnita eſt.*

Tertio q.48.a. 2. ad 3. *Dicendum quod dignitas carnis Chriſti non eſt æſtimanda ſecundum carnis naturam, ſed ſecundum perſonam aſſumentem; in quantum ſcilicet erat caro Dei, ex quo habet dignitatem infinitam*. In corpore autem articuli dixerat. *Propter dignitatem vitæ ſuæ, quam pro ſatisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & hominis, quod erat principium infinitatis.*

In 3. ſent.d.18.q.vn. art. 6. in corp. *Dicendum quòd ſicut dicit Damaſcenus in 3. lib. Caro Chriſti, & anima erat quaſi inſtrumentum Deitatis; vnde quamuis eſſet alia operatio Dei, & hominis, tamen operatio humana habebat in ſe vim diuinitatis, ſicut inſtrumentum vi agit principalis agentis, & propter hoc dicit Damaſcenus, quod ea quæ hominis ſunt ſupra hominem agebat; vnde & actio meritoria, quamuis eſſet actio humana tamen, agebat in virtute diuina.* Inde infra ad 3. *Chriſtus ea, quę ſunt hominis agebat ſupra hominem.*

Contrà Scotus in 3.d. 19. §. Quantum ad ſufficientiam n. 7. *Dico quod meritum Chriſti fuit finitum, quia à principio finito eſſentiali dependens, etiam accipiendo ipſum cum omnibus re-*

reſpectibus, ſiue cum reſpectu ad ſuppoſitum Verbi, ſiue cum reſpectu ad finem, quia omnes iſti reſpectus erant finiti, & ideo quomodocunque circunſtantionatum finitum erat, aut ſi fuit infinitum, tunc non fuit ſecundum velle Verbi increatum.

In Report. d. 19. q. vn. §: *ad iſtam queſtionem* n. 3. Vbi adducta, & expoſita ſententia S. Thomæ de infinitate meriti, & ſatisfactione Chriſti n. 4. ſic ait: *Contra hunc modum dicendi arguo quòd dicta illa quibus dicitur, quod vita Chriſti fuit ita excellens, vt habuerit quandam infinitatem, & cætera, videntur eſſe hyperbolica, & exponenda, quia loquimur pro nunc, de bono velle Chriſti, quo meruit, & acceptauit Deus paſſionem pro omnibus quantum ad ſufficientiam, vt dicunt. Si bonum velle Chriſti tantum fuit acceptatum, quantum erat perſona Verbi, tunc cum perſona illa ſit infinita, ſimpliciter infinitum fuit velle bonum eius acceptatum: ed Deus non acceptat aliquid niſi quãtum habet de acceptabilitate: ergo bonum velle illius naturæ reſpectu ſuppoſiti habuit infinitam rationem acceptabilitatis, & tunc in acceptabilitate non eſſet differentia inter velle Verbi, & velle illius naturæ in Verbo*. Et pergit ille argumentando vlterius multis modis contra meriti infinitatem, concluditque; *Præterea non fuit homo iſte infinitus formaliter; cum ergo humanitas illa immediate vnita illi naturæ fuit cauſa meriti, ergo nec meritum fuit in ſe infinitum, nec quantum ad ſufficientiam.*

In 4. ſent. q. 1. §. *de ſecundo* verſ. *item paſſio Chriſti* n. 6. *Paſſio Chriſti*, inquit, *fuit bonum finitum, etiam accepta ſecundum totam ratione meriti in ea, quia non erat bonum increatum, nec per conſequens acceptatur à Deo infinitè ex parte obiecti, quia non fuit Deus beatus volendo illam paſſionem, ſicut amando ſuam eſſentiam: ſi ergo infinitas in peccato prohiberet ſatisfactionem poſſibilem, etiam prohiberet eam poſita paſſione Chriſti.*

Sanctum Thomam rectè capiunt, & concorditer ſequuntur ſui. Ex noſtris nonnulli Recentiores aliter interpretantur Scotum, cùm tam perſpicuè ſuam de merito Chriſti ſimpliciter finito tradat ſententiam, vt in dubium reuocari nequeat: quibus cum poſtea expoſtulabimus nominatim eos recenſendo. Omnes quippe antiqui cum Principe Interprete Lycheto, Scoti mente, Scotum finiti meriti in Chriſto faciunt auctorem.

SECTIO II.

Proponitur Sancti Thomæ de merito Chriſti infinito ſuis & rationibus, & auctoribus munita ſententia.

EA tradit meritum, & ſatisfactionem (eſt enim vtriuſque par ratio, vti notat Suarez diſp. 4. ſect. 4.) Chriſti ſimpliciter eſſe infinitum ratione diuinæ perſonæ, in qua natura humana ſubſiſtit; à qua per vnionẽ ſanctificatur, & recipit valorem diuinum deriuatum cũ ipſamet ſanctitate à perſona diuina, cuius eſt actio elicita Theandrica, ideſt Dei virilis: vnde exiſtit infiniti pretij, quod pretium conſiſtit in valore morali, qui oritur ex dignitate, & æſtimatione perſonæ operantis, non autem ex phyſica operatione. Declaratur exemplo diuinæ offenſæ, quæ cùm fiat ab homine omnino & per naturam, & per ſuppoſitũm finito, euadit tamen infinita, quia eſt contra Deum infinitum. Hęc enim duo offenſa, & ſatisfactio menſurantur

tur

Digitized by Google

tur à perſona, cui fit offenſa, & à qua exit ſatisfactio, & meritum. Vnde offenſa facta Deo euadit infinita, quia ferit perſonam infinitam, & meritum, & ſatisfactio ſumit valorem infinitum egrediens à perſona item infinita: quæ ſunt principa recepta communiter in Schola Thomiſtarum, & aſſeclarum. Hæc eſt ſumma huius ſententię, quam non nulli prolixè dilatant, vt refert Vaſquez d.6. de Incarnat. c.2. & dilatando, vt idem obſeruat, implicant, & difficilem reduntille breuiter, ac perſpicuè pronunciat nu 9. & 10. *Satisfactionem & meritum Chriſti fuiſſe infinitum, quia ille qui ſatisfaciebat erat infinitè Sanctus, & gratus Deo*. Non vult igitur ex ſola dignitate perſonæ ſumerę rationem meriti, & ſatisfactionis, ſed ex dignitate illius talis perſonæ, pro vt eſt nexa, & coniuncta cũ natura merẽte affecta infinita ſanctitate. Non contentus infinitate perſonæ ſatisfacientis, & merentis, niſi ſit imbuta illa ratione infinitæ gratiæ, quam ille vocat *dignitatem naturæ* deriuantis ad ſe per vnionem hypoſtaticam ſanctitatem infinitam. Quem modum dicendi inſinuat fortè Suarez d.4. ſ.4. Ait enim *Vnio hypoſtatica eſt quædam infinita dignitas humanitatis aſſumptæ, quia perſona infinita ſimpliciter eſt illi humanitati coniuncta, & per ipſam mirabili modo illam afficit, & ſuſtentat*. Et mox: *Ratione ergo huius coniunctionis habebunt infinitam quandam dignitatem, & valorem moralem*. Vnde ille ponit quendam influxum perſonæ operantis, quem infinitum eſſe docet moraliter; ex quo videtur ſentire cum Vaſquio. Ita rem exponunt hi duo inſignes Theologi, quamuis Suarez minus expreſsè dicat, quàm Vaſquez. Reliqui, præſertim antiqui, vim præcipuè faciunt in perſonæ infinitæ dignitate, eoque principio nituntur tacita illa media infinita ſanctificatione inde exiſtente, quam exprimit Vaſq. & fortè Suarez, quæ tamen ineſt, ſiue ſupponitur ad meritum, & ſatisfactionem infinitam, vt videre eſt in Diuo Thoma, Caietano, & alijs intimis eiuſdem Scholæ.

Hæc ſententia pulchra, & ſpecioſa eſt, & allicit animos ſua dignitate. Sequuntur eam Alexander 3.p. qu. 17. memb.5.a.2. Bonauen. in 3.d.13.a.1.q.1. Richar.a.1.q.2. Palud.d.10.q 2.a.2.ad 3. Durand.q.vni.a.1. Capreol.ibid. Ferrar.4.contr.gen.c.55. Caietan.q.1.ar.2. Scotus in 4.d.1.q.3.a 5. & d.19.q.2. a.2. & in 3. lib. de nat. & grat.c.6. Andreas de Vega lib.7. ſuper Concil. Trid.c.19. Vaſquez d.6. à c. 2. Suarez d.4. ſect.4. Becan.c.14. & 15. Orlan.d.2.q.7. Hurtad.d.1. diffic.19. Ariaga, Auerſa, Caſpenſis & alij quos adducunt. Vtuntur locis Patrum in primis Baſilij ſuper Pſal.48. ad illum verſum: *frater non redimet homo* ſic aientis: *Chriſti Sanguinis pretium excedit omnem valorem*. Nazianz. orat.42. ad finem. Affirmantis *Guttas exiguas ſanguinis Chriſti vniuerſum Orbem inſtauraſſe*. Ambroſij præfat. in Pſal.35. pronunciantis *Sanguinem Chriſti lauare omne peccatum*. Huc trahendum, quod ait Bilius in Scholijs ad vitam Nazianzeni *Sanguinem Martyrum infinitis interuallis diſtaet à Sanguine Chriſti*. Quo in genere plurima, & præclara tradit Anſelmus lib.1. Cur Deus homo? c.14 19. ſed præcipua vis eſt in Clemente VI. extrauag. *Vnigenitus* de pœnit. & remiſſ. vbi diſertè aſſerit *Chriſtum ſuis meritis, & ſatisfactionibus acquiſiuiſſe infinitum theſaurum hominibus, & vnam guttam Sanguinis Chriſti fuiſſe ſufficientem ad perfectam redemptionem noſtram*; & ibidem ex hac infinitate

infert *Nil nobis eſſe timendum*, *ne exhauriatur ille theſaurus*.

Hinc ſua principalia ſumunt argumenta Thomiſtæ. Primum eſto: meritum, & ſatisfactio Chriſti fundatur in dignitate perſonæ merentis, & ſatisfacientis. Hæc eſt infinita, ergo meritū, & ſatisfactio eſt infinita. Antecedens patet ex diſcurſu anteà facto. Nam operatio Chriſti eſt Dei virilis, non humana ſolum, & finita, ſed profecta à natura vnita ſuppoſito diuino, cui actiones tribuuntur, & à quo accipiunt dignitatem, & valorem. Perſona autem eſt infinita, ergo valor infinitus.

Secundum: quia niſi eſſet infinitus iſte valor poſſet aliquo modo exhauriri, & deficere: quod eſt contra auctoritatem Patrum, & contra rationem: tunc enim non eſſet ſufficiens ad omnia peccata diluenda, quod eſt ſanè falſiſſimum.

Tertium: quia valor non eſt quid phyſicum, ſed morale, quod in exiſtimatione conſiſtit. Quis ergo negare audeat Chriſti opera æſtimari, & exiſtimari infinitè? cum ſint à perſona Verbi coniuncta naturæ humanæ per intimam vnionem. Hinc Paulus dixit ad Hebr. c. 5. *Chriſtum exauditum eſſe pro ſua reuerentia*.

Quarto: indignum eſt Chriſto Deo homine illud genus meriti finiti, quod ſit proprium creaturę, & menſuratum eadem menſura finita, ad quam poſſet creatura peruenire æquando Chriſtum, imo & ſi Deus vellet, ſuperando.

Quinto: quia ſecus non eſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum pro vno peccato mortali ad æqualitatem; nam cùm malitia peccati ſit infinita in eo genere morali non poterit tolli per ſatisfactionem finitam.

Sextum: quia ſublata infinitate non erit vnde ſumatur ratio differentiæ, & diſtantiæ inter opera meritoria creaturæ puræ, & Chriſti; cùm cetera omnia poſſint eſſe pro miſura, & æqualia: conſtituendū ergo eſt principium hoc infinitum, natum ex vnione hypoſtatica, & ex illius in actiones Chriſti influentia eas infinitè dignificantis.

Septimum, & vltimum Hæc ſententia eſt fermè communis in Scholis, & tutiſſima, & pro dignitate Chriſti filij Dei. At verò contraria Scoti videtur detrahere Chriſti honori, eiuſque exiſtimationem imminuere. Vnde ipſimet Scotiſtæ fluctuant, & tumultuantur inter ſe: quòd quidam eorū ſibi timent à duritie, à nouitate, & aſperitate ſuæ ſententiæ: itaque negant Scotum eam tradidiſſe, ac eius ſenſum ſic exponunt, vt in partes Sancti Thomæ vel inuitum compellant, quemadmodum ſequenti capite apparebit.

SECTIO III.

Adducitur oppoſita de finita Chriſti ſatisfactione Scoti, & Scholæ ſententia.

SCotus contrà exiſtimat ſatisfactionem, & meritum Chriſti finitum eſſe, vti natura, & operatio humana ſunt finitæ; quamuis intercedat vnio hypoſtatica, quæ quamuis dignificet, & ſanctificet naturam, & operationem, nō mutat tamen earum, naturalem virtutem, & rationem, cùm minimè influat phyſicè, nec eleuet eam ad ſtatum diuinum, ſed tantùm præbeat ei rationem ſuppoſiti ſine vlla influentia reali in terminando, & complendo eam, ſubſiſtentem reddens in perſona Verbi, non autem transferendo illam de vno ſtatu in alium per aliquam phyſicam, & intrinſecam mutationem

Digitized by Google

tionem : Vnde tota meriti, & ſatisfa-ctionis virtus manet in ſe finita, qualia ſunt principia immediata, & intima operantis, ideſt natura finita, gratia etiam finita affecta : Audiamus Scotum in 3.d.19.q.2 n. ſ. *quantum* num.7 *Meritum Chriſti fuit finitum, quia à principio finito eſſentialiter dependens, ſiue cum reſpectu ad ſuppoſitum Verbi, ſiue cum reſpectu ad finem, quia omnes iſti reſpectus erant finiti.* Vbi Lychetus nu. 1. *Dicit quod meritum Chriſti fuit finitum, & per conſequens Paſſio Chriſti fuit meriti finiti, & ratio eſt quia à principio finito formaliter non poteſt eſſe eſſentialiter effectus formaliter infinitus.* Addit ibi. *Omnes iſti reſpectus fundati in voluntate, & terminati ad Verbum, ſiue ad vltimum finem, ſiue ad Deitatem ſunt formaliter finiti.* Quomodo autem potuerit ſatisfacere, ac mereri pro infinitis hominibus, exponit Scotus: per acceptationem diuinam id effectum, volente Deo acceptare illud finitum pro infinitis. Habuit ergo infinitum valorem ex acceptatione Dei, non autem præciſè ex vnione hypoſtatica, aut perſona diuina. Meritum, inquit, *Meritum Chriſti tantum potuit acceptari paſſiuè quantum tota Trinitas voluit, & voluit acceptare actiuè ſed ex formali ratione ſua, quam habuit, non potuit acceptari in infinitum pro infinitis, ſed pro finitis.* Quam particulam ſic exponit Lychetus n. ſuo 4. *Ex ratione formali dicitur Paſſio accepta; quia Deus voluit ab æterno, quod talis paſſio vt abſolutè elicita a voluntate humana circunſcribendo reſpectum ad illud ſuppoſitum, eſſet meritoria de congruo pro finitis perſonis, & ſic quãtum ad ſufficientiam poſſet valere tantum pro finitis.* Ita ex ſua ratione formali ſe habuit ſatisfactio, & meritum pro finito effectu, ideſt pro ſalute hominum numero finitorum: reſpiciendo ſolum ad meritum, & ſatisfactionem ſecundum ſe iuxta operationem naturæ humanæ finitæ in ſuppoſito infinito ſubſiſtentis. Quo ad reſpectum verò ad ſuppoſitum diuinum aſſerit Scotus habuiſſe illud meritum, & ſatisfactionem quandam ab extrinſeco congruitatem, & acceptationem pro infinitis, quam non habent aliarum creaturarum merita, & ſatisfactiones. Vnde apparet excellentia Chriſti merentis, & ſatisfacientis. *Ex circunſtantia ſuppoſiti,* inquit Scotus ibid. n.7. *Et de congruo ratione ſuppoſiti habuit quandam rationem extrinſecam: quare Deus potuit acceptare illud infinitum, ſcilicet extenſiuè pro infinitis. Si autem illud meritum fuiſſet alterius perſonæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuiſſet congruitas acceptationis illius pro infinitis.* Denique concludit, aptè ac perſpicuè *Pro quantis, & pro quot Deus voluit paſſionem illam, ſiue bonum velle acceptare pro tot ſufficit, ſed quantum eſt de formali ratione rei acceptabilis in ſe, non fuit acceptabilis pro infinitis, ſicut nec in ſe fuit formaliter infinita.* Quod præclarè exponit, & illuſtrat commentando Lychetus. Omne tulit punctum Scotus, & nihil omiſit eorum, quæ venire poterant in quæſtionem. Diſtinxit meritum in ſe & ex ſua ratione formali à merito cum reſpectu ad ſuppoſitum: & ſtatuit illud ex ſe, & formaliter eſſe finitum, quia à principio finito: & ita acceptandum fuiſſe à Deo proportionatè ad effectum finitum: Hoc autem meritum ex reſpectu ad ſuppoſitum habuiſſe quandam incongruitatem proportionatam ad acceptationem pro infinitis: qua ratione excellentius erat meritum omni alio creato, & puræ creaturæ; quæ ſunt ex

arcanis exquiſitæ doctrinæ petita, & omnino rectæ, conſentanea rationi. Fateor me neſcire quid ſubtilius, quid ſolidius, quid explanatius, quid fundatius, quid verius dici poſſit. Sententiam vero hanc Scoti prorſus à Thomiſtica eſſe diuerſam manifeſtum eſt: hæc ponit meritum & ſatisfactionem Chriſti intrinſecè, ac formaliter infinitum, non ſolum ex terminatione, & reſpectu perſonæ, ſed ex vera influentia diuinitatis in operationem, quam vult eſſe infiniti valoris à principio intrinſeco, atq; adeo de condigno, etiam præciſa acceptatione diuina. Ex quo apparet perſpicua diuerſitas, quæ item ſuadetur ex alijs conſectarieis ſuperius adductis de impeccabilitate intrinſeca Chriſti, de ſanctificatione intima per diuinitatem, quæ omnino ſunt à mente Scoti aliena. Vnde miror dubitaſſe quoſdam Scotiſtas Recentiores de intelligentia Scoti, & eum ita explicaſſe, vt ad ſenſum Thomiſticum reducerent. Cuius modi ſunt Vulpes to.3. p.4.d.56.ar.9.& Merinerus d.2.qu.4.& Delgad.cap.9 diffic.2.dub.5.qui oppoſitam Thomiſtarum mordicùs tenet ſententiam, & audet affirmare Scotum eam cum Thomiſtis tradidiſſe, & in hũc ſenſum conatur cum ſuo Merinero, (tantum valet præoccupatus affectu animus) interpretari Scotum: quin & Cauellum ſibi patronum quęrit: ſumma certè doctiſſimi viri iniuria. Sed iſtos minimè curamus, quia aberrare à recta Scoti intelligentia voluerunt, & totam Scholam deſerere auſi ſunt. Igitur cum Scoto ſentiunt Mayronus, Baſſolis, Lychetus, Tataretus, Rada, controu.13.ar.2. Faber in hunc locum tertij. q.vn. Aretinus in 3. d.20.q.vn.a.6. Maſtrius diſp.3. de merit. Chriſt.q.8.& apud eum Bellutus, Gallus, Gentinus, Felix c.3.diff.2. Caſtillo d.3.qu.2. à nu.11. Adducũt pro ſe ex ex aliis Gab.in 3.d.19.q.vn.a.1.& 2. Almain.& Durand.ibi Eam expreſſit, & ſtabiliuit Ioannes Medina Codice de pænit.tract.3.q.de ſatisfact.

SECTIO IV.

Expoſita ſuperiùs doctrina ſuis argumentis probatur.

HAnc Scoti doctrinã ita explicatum multis, & ille primùm, & diſcipuli poſteà argumentis probant: quæ ad ſex reducit Vaſquez diſp.6.c.1. qui ea diſtinctè, ac breuiter proponit. Nos ea ſic formamus. Primũ: velle Chriſti meritoriũ, vel creatũ eſt, vel increatũ. Increatum nullum fuit: igitur creatum, & finitum: alioqui tam eſſet acceptabile, quàm increatum; & infinitè, vti diuinum velle Verbi, mereretur, quod eſt prorſus falſum. Ergo minus, quàm velle Verbi valet, & meretur, atque adeo finitè, & ex conſequenti indiget acceptatione.

Secundum: principium merendi in Chriſto erat ſimpliciter finitum, ergo & meritum. Antecedens patet, quia natura humana, & voluntas, quæ ſunt principia merendi, ſunt finita, ergo & operatio ab iis elicita, & meritum eſt finitum. Deinde reſpectus ad perſonam eſt quid extrinſecum, nec inducit aliquam rationem intrinſecam in principia merendi.

Tertium: Perſona verbi non cõcurrit ad merendum, ſed ad ſubſiſtendum, ſupplens vicem perſonæ creatæ, at iſta non ingreditur rationem meriti, ſed tantùm ſuſtentat, & terminat naturam, ſiue operetur, ſiue non; ergo perſona non confert vim peculiarem merito; & ſuadetur quia actio meritoria eſt actio immediatè orta ex potentia, ad quam

Digitized by Google

quam non datur concurſus ſubſiſtentiæ.

Quartum: Perſona Verbi non potuit concurrere ad effectum ſibi repugnantem; ſed meritum, & ſatisfactio repugnāt perſonæ; ergo ad ea non poteſt concurrere. Maior eſt certa, quia perſona cum ſit diuina, eſt incapax merendi; Minor patet. Conſequentia colligit.

Quintum: Vnio hypoſtatica ſolùm eſt conditio, non autem principium meriti. Patet quia principium influit phyſicè in meritum, conditio autem ſe habet extrinſecè tantum ad accipiendam denominationem, non autem dando intrinſecam influxionem.

Sextum: perſonalitas diuina non afficit naturam, vt prȩſtet ei omnem ſuā perfectionem, qualis eſt infinitas ad merendum infinitè, alioqui communicaret ei ſuam immenſitatem.

Septimum: Si perſona diuina facit meritum infinitum, trahit ad ſe meritum naturæ, & accipit ab ea conditiones merendi, eaſque in actum deducit, quod eſt falſum, nec enim illæ conditiones, quæ ſunt finitæ tranſire poſſunt in perſonam diuinam infinitam.

Octauum: ſi hoc meritum infinitum eſſet, ſequeretur vnum infinitum eſſe maius alio, quado per multos actus Chriſtus merebatur, vel mereri tantum per vnum ſolum actum quam per plures, ſed hæc ſunt abſurda. Ergo non eſt meritum infinitum.

Nonum: hoc genus meriti infiniti pugnat cum dignitate diuina, quia neceſſitaret Deum ad acceptandum illud & ad prȩmiandum præmio infinito: hoc autem pugnat cum dignitate diuina, cui hoc modo neceſſitas infertur.

Decimum, & vltimum: iſti reſpectus morales in re phyſica finita non ponunt pretium infinitum. Patet, quia actus charitatis, qui terminatur ad Deū infinitum non eſt infinitus in genere morali. Peccatum quod offendit Deum infinitum caret malitia infinita. Oblatio Chriſti infiniti, quæ fit à Sacerdote in Miſſa non euadit infinita; ergo dato quod actus bonus habeat reſpectum ad perſonam infinitam terminantem, & complentem naturam infinitam non euadet infinitus.

Hæ rationes demonſtrāt veritatem Scoticæ doctrinæ: quare quia eam ſugillant non carent reprehenſione, inter quos eſt Vaſquez in 1. 2. d. 214. & Arriaga d. 8. & Bartholo. Medina 3. p. q. 1. a. 2. quibus annumerandus eſt noſter Vulpes d. 56. a. 7. n. 11. quem miror & propriam Scoti ſententiam deſeruiſſe, & alienam ei impoſuiſſe.

Illud animaduertendum Thomiſtas in eo vulgo labi quòd putent Scotum totam rationem meriti in acceptatione Dei collocare: cùm Scotus non auferat valorem, operum, ſed vltra illum exigat acceptationem Dei, tanquam illius complementum, quod oritur ex ſuprema Dei maieſtate, qui liberaliter acceptat quod omnibus titulis ſuum eſt, & vertit in meritū debitum ſibi obſequium. Vnde Pater Hurtado, qui altiùs Scoti principia penetrauit 3. p. d. 11. & d. 63. nouit eum poſuiſſe valorem intrinſecum in bonis operibus; & vlterius pactum, & acceptationem Dei ſtatuiſſe, vt prȩmium redderetur, alioquin nullam ſpeciem obligandi inducerent: quemadmodum ſuperiùs diximus ex Auguſtino.

SE-

Digitized by Google

SECTIO V.

Reſpondetur argumentis Thomiſtarum.

AVtoritati Patrum reſpōdet Scotus egregiè, vno verbo, eorum dicta eſſe *hyperbolica* ita d. 19. q. vn n. 4. atque adeo *exponenda*. Nos ſigillatim dicemus. Ad S. Baſilium, eum non exprimere infinitum meritum: ſolùm dicere excedere omnem valorem ſcilicet aliorum meritorium loquendo de facto, non autem de poſſibili, ideſt nullum eſſe pretium eo valore ſanguinis maius: quod non continet rem infiniti. Nazianzenus minus vrget, dum ait *exiguas guttas*: debuiſſet dicere *vnam guttam* ſi meritum infinitum ſignificare voluiſſet. Præterea mentionem facit de inſtauratione vnius mundi, quæ vox cum reſtringatur ad vnum, non extenditur ad plures mundus: qua extenſione opus eſſet, ſi infinitum pretium inſinuaſſet. Bilius non tanti eſt, vt pro Patre ſit habendus. Ille exageratè loquitur, & cum reſpectu ad perſonam Verbi, qui eſt extrinſecus, nec inducit formalem valorem. Locus Clementis V. in Extrauagante *Vnigenitus* ad hyperbolem pertinet extollendo valorem theſauri meritorum Chriſti ad fiduciam in nobis excitandam, & continet moralem doctrinam ad conciones vulgares comparatam. Ita ſunt accipienda illius verba, ſicuti illa Ioannis vltimo *Arbitror nec ipſum mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi cum libros*. Inſuper nihil auctoritates cōtinent contra Scotum, cum hic manifeſtè dicat, acceptatum fuiſſe meriti Chriſti pro infinitis, & ſtatuat meritum ſecūdum reſpectum extrinſecum infinitum, ac proinde cum Canone Clementis concordet. Hactenus ad auctoritates. Nunc ad rationes.

Prima ſoluitur concedendo dignitatem Perſonæ eſſe infinitam in ſe, ac per ſe, negando tamen communicari operationi finitæ, quæ reapſe humana eſt, & finita, & ſolum extrinſecè & denominatiuè infinita. Quare nihil aduerſus Scotum concludit, quemadmodum ex eo quod ſacrificium eſt infinitum, non ſequitur ex eo quòd Sacerdos offerens ſit finitus detrahere ſacrificio illud eſſe infinitum.

Secunda diluitur dicendo valorem illum non exhauriri, quia acceptatur à Deo congruè ad perſonam pro infinitis, nec opus eſt infinitate intrinſeca pretij ad ſatisfaciendum, & merendum pro infinitis, cum ſatis ſit acceptatio nixa congruitate ſumpta ex infinitate perſonæ.

Tertiæ admittitur valorem eſſe quid morale, non Phyſicum, negatur tamen hoc morale eſſe ſimpliciter infinitum, cùm eius omnia principia, & circunſtantiæ ſint finitæ; ex quibus non oritur æſtimatio ſimpliciter infinita; & retorquetur argumentum, quia ſi valor ille moralis eſſet infinitus ſimpliciter, nulla poſſet interuenire acceptatio diuina, quæ omnino excluderetur, inducta in Deum obligatione. Auctoritas Pauli non cogit, quia illa reuerentia erat ex congruitate, non ex iuſtitia, quæ ſi interueniret non diceret Paulus *Exauditus eſt pro ſua reuerentia*, ſed pro ſuo iure. Tacendo autem ius, exprimendo reuerentiam, ſatis ſignificauit meritum non eſſe infinitum, ſed tantùm acceptabile congruenter, & reuerenter.

Ad quartum negatur aſſumptum, ſcilicet indignum eſſe Chriſto hoc genus meriti ſimpliciter, ac per ſe finiti;

Digitized by Google

ti; nec enim eſt indignum Chriſto, quod ſequitur ex natura, & conditione rerum, imo eſt congruens, & conueniens, cùm aliter eſſe non poſſit. Quemadmodum conuenit Chriſto natura humana cum ſuis proprietatibus, & operibus finitis, & limitatis, quę inuoluunt reſpectus etiam finitos, & limitatos. Explicatur. In Chriſto præter vnum ſuppoſitum omnia ſunt creata, & finita; alioqui confunderentur natura, & perſona, & exiſteret permixtio prætextu infinitatis. Vnde apparet hanc ſpeciem dignitatis nocere potius, quàm iuuare doctrinam. Remouenda itaque eſt infinitas intrinſeca, & extrinſeca retinenda, quæ cum acceptatione diuina pro infinitis mereatur; & ita ſeruatur decorum Chriſto, & redditur dignitas Deo.

Quintò reſpondetur vtrumque meritum & Chriſti, & noſtrum verſari in genere finito, ſi loquamur de merito ſimpliciter, & intrinſeco; ſicuti enim ſumus cum eo ſimiles in natura, ita & in proprietatibus, & conditionibus naturæ ſimiles ſumus. Itaque meritum eiuſdem generis eſt, cùm ſit à natura, & operatione natura libera, & humana, non autem à natura, neque voluntate, neque operatione diuina, ſicuti etiam gratia Chriſti, & noſtra finita eſt in ſua entitate, non infinita. Nec iſtud eſt inconueniens, imo conſectaneum veritati. In eo Chriſtus excedit, quòd ratione ſuppoſiti diuini congruenter poſtulat ſummam gratiã propter ordinationem Dei ad redemptionem hominum, vnde congruitas ad acceptationem pro infinitis exiſtat.

Sextum non tam ſoluitur, quàm diſflatur: quòd fucus potius, eſt & bulla, quam argumentum. Fingit timorẽ, vbi non eſt locus timendi: oſtentat fiduciam, vbi timendum eſt. Scotus tutò procedit, dat quod ſatis eſt naturæ, non ei nimium tribuit. Addidit quod eſt ſupra naturam cum debito reſpectu ad perſonam. Aufert intrinſecum valorem, ponit infinitum extrinſecè cum congruitate ad acceptationem pro infinitis. Diuidendo, & ſeperando intrinſeca naturæ, quæ ſunt finita ab extrinſecis aduenientibus à perſona, retenta proprietate, & ſeruata iuſtitia: diuidendo munera, ſeruando decorum. Quod autẽ opponitur de diſſidio Scotiſtarum facile eſt auferre, cùm Thomiſtæ inter ſe diſſideant ſæpè, ac pugnent, & à mente ſui Auctoris diſſentiant, vti nos in hoc opere multis locis adductis demonſtrauimus.

IVDICIVM.

QVi doctrinam in hac Collatione contentam ſpecie, & pompa metiatur, & externam ſolum faciem conſpiciat, & vulgari ſe modo gerat, is longè Thomiſticam Scoticæ opinionem prætulerit. Verùm qui intimos controuerſia ſinus penetret, & occultas quæſtionis fibras rimetur, neruoſque, & robur, non colores, & decorem attendat, & philoſophica via incedat, ei conſtabit multò eſſe Scoticam doctrinam Thomiſtica probabiliorem.

Id autem liquet ex argumentis, et rationibus vtrinque factis. Etenim quæ Thomiſtæ afferunt, omnia ex quadam ſpecioſa dignitate petuntur, & morali quadam ęquitate nituntur, & pia religione iuuantur. Vt potius orando, & contemplando in eccleſijs agere videantur, quàm in Scholis argumentando. Quæ verò Scotiſtæ producunt ea ab acuta indagatione rerum & inueſtigatione arduæ veritatis proficiſcuntur, vt mihi videantur Thomiſtæ

Digitized by Google

miſtæ propter religionem, & æſtimatione pretij in Obſeruãtes tranſiſſe, & nobis Obſeruantibus Angelicas ſubtilitates reliquiſſe. Excuſandi ſunt tamẽ, quòd cum in merito quod quiddam eſt morale verſarentur, moraliter magis quam phyſicè argumẽtari voluerunt. Secus agit, & docuit Scotus totus ſubtilis, & acutus, qui rationes inquirit, & ijs ducitur: certus quidquid demum ſit, ſiue morale ſiue phyſicum: ſiue humanum, ſiue diuinum rationi conſonare Quod rationi repugnet, id à veritate alienum eſſe. Sanè tantus eſt in Chriſtum Scoti amor, & reuerentia, vt profeſſus ſit in 3.d.13.q.1. *Malle ſe in commendando Chriſtum excedere, quàm deficere.* Sed cum didiciſſet ex Auguſtino lib.3. de liber. arb.c.5. *Quod tibi melius vera ratione occurrerit, id ſcias feciſſe Deum* ante poſuit veritatem decoro, adeo vt niſi Chriſtus ipſe veritas eſſet, illud verè vſurparet & in ſacrum proloquium verteret: *Amicus Plato magis amica veritas* Itaque non licuit ei per rationem meritum infinitum Chriſti operibus attribuere. Verſent ſe ſe in omnes partes Thomiſtę, certè nõ efficient vt perſuadeant rationibus hãc infinitatem meriti, quam inducunt. Id ego ex illorum & inter ſe, & ſecum pugnantia deduco. Nam tres illi Principes huius ætatis Theologi Suarez, Vaſquez, Lugo, quibus placuit Thomiſtis adhærere, contraria docent, & dum conuenire cum Thomiſtis volunt inter ſe diſcrepant. Suarez videtur perſonæ infinitatem ſumere, & ſatis eſſe ad meritum infinitum cum Thomiſtis putare. Vaſquez negat ſatis eſſe, & ad Deitatem infinitè ſanctificantem operationes, cauſam infiniti valoris reuocat. Lugo diſtinguit inter meritum, & valorem, & ponit in merito infinitatem negatiuam, & in valore poſitiuam. Quæ omnia incongrua ſunt, & à ratione aliena. Suarij, quia nõ ſufficit ſola perſona ad conferendum infinitum valorem, cùm ſit reſpectus externus, & nihil influat, inducatue in naturam humanam operantem. *Nec ſit illius agendi ratio, nec formale principium actionum*, vt fatetur d.4. ſect. 4. *§. ad quartum*. Vaſq. quia illa formalis ſanctificatio, quam ponitur in humanitate per diuinitatem, quam ſtatuit d. 6.c.2.n.12. eſt prorſus imaginaria, cùm diuinitas nec ſit, nec eſſe poſſit forma humanitatis. Lugi, quia illa diſtinctio inter meritum, & valorem ab eo intruſa d.6.ſect.1.n.14. vt ſolitaria, & inſotent friget, & euaneſcit. Omnes concordant cum Scoto fatentes meritum eſſe formaliter, & ſimpliciter finitum, & in hoc benè ſentiunt, & cum Scoto rectè conſentiunt. Principium ſuæ infinitatis dum quærunt, & à Scoto, & à veritate diſſentiunt. Fateantur ergo valorem finitum ſimpliciter, cõgruum tamen ratione perſonæ, vt acceptetur pro infinitis. Quæ acceptatio non ſola meritum facit, ſed perficit, & complet, redditque valoris idonei pro infinitis, quemadmodum Scotus concludit, diſtinctè procedendo: attribuens actioni finitum valorem, dando congruentem perſonæ acceptabilitatem pro infinitis, largiendo merito acceptationem pro infinitis: ex quo proportionata quidem æquitas, at citra rigorem iuſtitiæ reſultaret.

COL-

Digitized by Google

COLLATIO QVINTA

DIFFERENTIA IV.

Vtrum Chriſti meritum, & ſatisfactio fuerit ex rigore iuſtitiæ?

Apud S.Thomam 3.ſent.d.20.q.1.a.1.ad 2.& 3.p.q.1.a.2.& q.48.a.2. Apud Scotum in 3.d.19.q.vnic.d.20.q.vn.in Report.d.19.&20. & in 4.d.15.

SECTIO I.

Textus vtriuſque doctoris proferuntur.

S. Thomas in 3. d.20. q.1. ar. 1. §. *ad ſecundam* quæſt. ſic. *Dicendum quod congruum etiam fuit, quòd natura humana per ſatisfactionem repareretur primò ex parte Dei, quia in hoc diuina iuſtitia manifeſtatur*. Et infra *Satisfactio Chriſti ſuperabundauit:* Et vocat eam *condignam*. Et art.2. in corp. *Reſpondeo dicendo, quòd ſicut dictum eſt, oportebat quòd pro peccato humanæ naturæ fieret condigna ſatisfactio. Ad hoc autem quòd ſatisfactio eſſet condigna oportebat quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat ſatisfactio infinitatem quandam habebat*. Ibid.art.3.ad 2. *Vita corporalis Chriſti habebat quendam infinitum valorem ex diuinitate coniunctum, & ideo poterat eſſe ſufficiens recompenſatio.*

Tertia p.qu.1.art.2. ad 2. *Dicendum quod aliqua ſatisfactio poteſt dici dupliciter ſufficiens. Vno modo perfectè quia eſt condigna per quandam adæquationem ad recompenſationem culpæ commiſſæ, & ſic hominis puri ſatisfactio eſſe non potuit pro peccato:* Et mox. *Vnde oportuit ad condignam ſatisfactionem vt actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, vt pote Dei, & hominis exiſtens*. Ibid.q.48.art.2. in corp. *Chriſtus ex charitate, & obedientia patiendo magis aliquid Deo exhibuit, quam exigeret compenſatio totius offenſę humani generis*. Paulò poſt. *Paſſio Chriſti non ſolum ſufficiens, ſed & ſuperabundans ſatisfactio fuit pro peccatis humani generis.* Deinde ad 3. *Dignitas carnis Chriſti non eſt æſtimanda ſolum ſecundum carnis naturam, ſed ſecundum perſonam aſſumentem, in quantum ſcilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.*

Digitized by Google

Contra Scotus in 3.d.19. q.vni.in fine, ad n. 24. *Bonum velle, ſiue Paſſio Chriſti conſiderata ſecundum ſe formaliter poſſit compenſari per aliquod bonum finitum ſicut ipſum, vel ipſa fuit non niſi finitum in ſe, premiat tamen Deus vltra condignum*. Et d.20. q.vn. §.*in iſtis* nu.8.ad finem. *Dico igitur, quod amor, quem offerre debet ſatisfaciendo, debet excedere amorem cuiuſcunque creaturæ: quod verum eſt; tamen ille actus quo conuertitur ad Deum in ſua ratione formali non eſt maior omni creatura: nec etiam amor Chriſti creatus, quo dilexit Deum fuit talis*. In Repor.d.19.q.vn.n. 6.§.*Vlterius ſciendum*. *Dico quod cùm actus merendi Chriſti fuerit formaliter finitus nullus reſpectus fundatus in eo potuit dare infinitatem formaliter*. Et infrà. *Meritum Chriſti fuit quaſi infinitum, non tamen formaliter infinitum, ſed vt infinitè acceptatum pro infinitis*. Et ibid.ad 4. n. 15. *Dicendum quod ſi pręmium paſſionis debet tribui ſecundum iuſtitiam commutatiuam, non poſſet tunc in bonũ finitum retribui, & ſic non poſſet mereri pro infinitis: ſed quia Deus retribuit ſecundum iuſtitiam diſtributiuam conſiderando conditiones non tantum ex parte actus merendi, ſed ex parte agentis, ideo potuit acceptari paſſio, quæ erat actus meritorius finitus ad pręmium infinitum*. Rurſus in Reportat. d. 20 quæſt vn. § *Circa*. n.10.ſic Scotus præclarè.Nota Lector. *Dato quod ſatisfactio requiratur, non requiritur neceſſariò, quod ſatisfaciẽs ſit Deus*. Mox: *Non eſt verum quod oportet ſatisfactionem pro peccato hominis excedere totam creaturam in magnitudine, & perfectione*, & concludit: *Amor creatus Chriſti non fuit infinitus*. In 4.d.15.qu 1. §.*de ſecundo* verſ.*item Paſſio* n.6.in fine ita: *Paſſio Chriſti fuit bonum finitum, etiã accepta ſecundum totam rationem meriti in ea, quia non erat bonum increatum, nec per conſequens acceptatur à Deo infinitè ex parte obiecti, quia non fuit beatus volendo illam paſſionem ſicut amando ſuam eſſentiam: ſi ergo infinitas in peccato prohibeat ſatisfactionẽ poſſibilem, etiam prohiberet eam poſita Paſſione Chriſti*. Ex his teſtimonijs tum Thomiſtæ, tum Scotiſtæ deduxerunt: Principes ſuarum Scholarum contrarias tradidiſſe ſententias: ſcilicet Diuum Thomam Chriſtum ſatisfeciſſe de iuſtitia, Scotum verò minimè de iuſtitia ſatisfeciſſe, quos poſtea allegabimus.

SECTIO II.

Pręmittuntur nonnulla ad tractationem quæſtionis.

PRimò conueniunt omnes ad ſatisfactionem iuſtam triplicem neceſſariam eſſe conditionem. Vna vt non innitatur gratiæ creditoris. Altera vt ſit ex proprijs bonis debitoris. Tertia vt fiat ex bonis, quæ aliàs non ſint debita creditori; quas ego non exiſtimo eſſe diſtinctas, ſed ad vnam reduci, ſcilicet vt ſit ex proprijs bonis debitoris, aliter non erit ſolutio, ſed colluſio: nec ſatisfactio, ſed impetratio. Deinde concordant in eo, quòd debet intercedere diuerſitas inter ſatisfacientem, & offenſum: nã eiuſdem ad ſe ipſum non eſt iuſtitia, nec iuſta ſatisfactio. Tandem conſentiunt de valore ſatisfactionis, vt ſit æquiualẽs iniuriæ, ſeu debito, in quo iuſtitia verſatur tum commutatiua, tum diſtribuitiua, tum punitiua. Addunt plerique opus eſſe, vt creditor teneatur illam acceptare: quod tamen eòdem pertinet: nam cum redditum eſt æquale debito ineſt ei quid-

quid

Digitized by Google

quid exigi poteſt à creditore cui ſoluitur, vel ab offenſo cui ſatisfit. Vnde ſeu velit, ſeu nolit acceptare, nihil detrahetur de valore rei oblatæ à debente, vel ſatisfaciente. Hæc quæ ſunt omnium firmata conſenſu, & pertinēt ad communem, & receptam inter homines iuſtitiam videntur deficere reſpectu hominis ad Deum. Vnde nata eſt controuerſia inter Theologos, alijs affirmantibus veram hominis ad Deum, & contrà eſſe iuſtitiam: alijs negantibus: quorum hac ætate præcipui extiterunt duo illi Principes Theologi Suarez, & Vaſquez, qui contentioſiſſimè de eo decertarunt plurimis in locis, magno certè reipublicæ litterariæ bono; dum enim ſuam quiſque propugnauit ſentētiam; multa excogitarunt præclara, quę magno vſui Scholaſticis fuerunt. Affirmabat Suarez, negabat Vaſquez: vterque idoneis argumentis; quibus ſcholas nō infeliciter in partes diſtraxerūt. Ego qui omnes eorum doctrinæ fibras, & venas ſcrutari ſoleo, comperio de nulla ab ijs re ſæpius, & vehementiùs diſputatum.

Omiſſis quæ longiùs ſunt poſita ſumo ea quę è re ſunt, & inquiro. Vtrum omnes illæ conditiones interueniant in ſatisfactione Chriſti? rurſum, ſi non interueniant, an deficiat ratio rigoroſæ iuſtitiæ? Et quidem prima conditio videtur deeſſe, quia ſatisfactio, & meritum Chriſti fundatur in gratia, & iure vnionis ſiue ſanctificationis, ſine qua fieri nequit: præterea non eſt vlla res in Chriſto, quę non ſit aliàs debita Deo, qui eſt omnium dator & Dominus. Inſuper interceſſit pactum gratuitum ex miſericordia profectum de redemptione mundi damnati per Verbum Incarnatum, cuius myſterij auctor eſt Deus, vnde videtur prima conditio prorſus deficere. Secunda etiam deſideratur. Nam Chriſtus eſt vnus, & idem vnitate perſonæ: eiuſdē autem ad ſe ipſum non poteſt ſecundū Ariſtotelem eſſe ſatisfactio. De tertio litigant Scholæ. Thomiſtica affirmat infinitum valorem ſimpliciter, & formaliter. Scotica negat, vnde in hoc diſſidio, altera ab altera diſſentit, cùm diuerſa ſtatuat principia.

Nihilominus, vt ab hac extrema incipiamus, quamuis principia ſint diuerſa conueniunt in eo quod ſatisfactio eſt ſufficiens ad æqualitatē, quāuis Scotus excludat ab iniuria offenſam ſimpliciter infinitam, atque adeo inducat ſatisfactionem finitam ſimpliciter, ſed tamen cum reſpectu ad perſonam infinitam, & ex acceptatione diuina ſufficientē pro infinitis, ac proinde inferat æqualitatē iuſtam: tamē alia via incedens à iuſtitia non recedit. Circa ſecundam conditionem de vnitate ſuppoſiti communis vtrique difficultas eſt. Circa primam diſſentiunt. Thomiſtæ volunt pretium, & valorē ſimpliciter, & formaliter infinitum pro ratione offenſæ, quam eiuſmodi eſſe putant, id eſt ſimpliciter infinitam. Scotiſtæ verò malunt ſimpliciter, & formaliter valorem finitum cum acceptatione tamen pro infinito. Vnde illi aiunt rem oblatam ratione perſonæ offenſæ extra acceptionem diuinam eſſe æquiualentem ex iuſtitia: hi autem negant præciſa acceptatione, atque adeo aliunde petunt æqualitatem, quam ſtatuunt in Chriſti ſatiſfactione. Illud hic palmarium eſt, omnes aſſerere iuſtitiam in ſatisfactione Chriſti, metu ne ſi negent, contradicant Scripturis, & Patribus ita loquētibus. At quidam nomine iuſtitiæ intelligunt veram, & propriam, rigoroſamque iuſtitiam, qualis eſt Suarez &

Sectatores: quidam vero nomine iuſtitiæ accipiunt iuſtitiam impropriam, & ſecundum quid, iudicantes inter hominem, & Deum non poſſe intercedere veram, & germanam, & propriam iuſtitiam, qualis eſt Vaſquez cum adhærentibus. Noſtri Scotiſtę, quos Thomiſtæ ſolent reprehendere, quaſi omnem iuſtitiam auferant, & ſatisfactioni Chriſti detrahant, metu increpationis ponunt iuſtitiam veram, & propriam, auferunt rigoroſam, diſtinguentes inter ambas: quales ſunt Rada controu. 13. a. 3. Delgadillo diffic. 2. dub. 41. Aretin d. 20. q. 1. a. 6. Imo ſunt qui credentes ſtare non poſſe cum acceptatione diuina veram rationem iuſtitiæ, turbati dicunt eſſe veram & propriam iuſtitiam, ſed ſecundum quid: qualis eſt Maſtrius d. 5. de ſatisfactione Chriſti q. 4. a. 1. vbi ſic ait *Dicendum Deum erga Chriſtum ſatisfacientem remittendo peccata noſtra exercere veram, & propriam iuſtitiam, & non tantùm communiter, vel metaphoricè dictā*. Et concludit. *Quare erit iuſtitia ſecundum quid*. Hoc autem ſtare meo iudicio non poteſt, vt ſit propria, & vera iuſtitia, & ſit tantùm ſecundum quid: cum hæc duo videantur inter ſe pugnare.

SECTIO III.

Noua, & notabilis animaduerſio Auctoris.

NIhil eſt in tota Theologia impeditius, nihil implicatius, quàm hæc de iuſtitia Dei erga homines quæſtio. Ego in ea diu, multumq; verſatus illud demùm ſtatuo. Si ſumatur iuſtitia prout ab Ariſtotele, & Philoſophis ſumitur, & inter homines exercetur, ac exerceri debet, non cadere in Deum erga homines eiuſmodi iuſtitiam: non quòd Deus non ſit capax iuſtitiæ, ſed quòd iſtius humanæ iuſtitiæ incapax ſit. Aliam eſſe formam iuſtitiæ diuinæ, aliam creatæ; ſicuti alia eſt forma ſcientiæ diuinæ: alia creatæ: alia forma miſericordiæ diuinæ, alia creatæ. Quemadmodum ergo Deus prædicamento non capitur, ita neque prædicato iuſtitiæ continetur. Sapiens eſt, ſed altiori ſapientia: miſericors eſt, ſed alia miſericordia: iuſtus eſt, ſed alia iuſtitia. Itaq; illa forma iuſtitiæ creatæ, quæ nos comprehēdit, propria noſtra eſt, à Deo prorſus aliena; quemadmodum noſtra ſciētia quæ eſt diſcurſiua propria noſtra eſt, & à Deo aliena, qui diſcurſus, & ratiocinationis incapax eſt, & tamen nos ſcientiam noſtram quaſi vera ſit & propria, diſcurſu, & illatione ratiocinante definimus, quæ certè definitio in diuinam ſcientiam cadere non poteſt. Idem apparet in miſericordia. Hoc autem non inde oritur, quòd deſit in Deo virtus iuſtitiæ ſecundum ſe, ſed quòd non ſit in Deo ita ſumpta vti eſt in nobis, ſicut diximus de ſcientia, & miſericordia. Fallimur autem in eo quod putamus noſtram iuſtitiam eſſe perfectionem abſolutè, etiam reſpectu Dei, & ſi deſit, timemus ne deſit Deo aliqua perfectio, cùm contrà ſit: imo ſi noſtra iuſtitia eſſet in Deo, ſicut eſt in nobis, eſſet imperfectio in Deo. Idque exemplo ſcientiæ declaratur. Etenim ſi noſtra ſcientia diſcurſiua eſſet in Deo, eſſet etiam diſcurſus, qui eſt imperfectus in Deo. Itaque perfectio noſtra, quod ſit creaturæ finitæ, non quadrat in Deum. Vnde mirari ſoleo Theologos noſtros, homines tanti ingenij, & iudicij, quibus reuerenter aſſurgo, tanto ſtudio contendere iuſtum facere Deum eo quo nos iuſti

iuſti ſumus modo, ac reprehendere eos, qui eum iuſtum eo modo eſſe inficiantur, cum ij reprehendendi ſint, quod velint formam noſtræ iuſtitiæ in Deum transferre, quemadmodum ſi quis vellet in Deo ponere ſcientiam diſcurſiuam, erraret, & correptione indigeret. Pugnat hæc noſtra iuſtitia cum omnimoda Dei independentia, cum ſupremo Dominio Dei, cum ſumma eius libertate. Nulla in eo obligatio, nullum vinculum iuris, nullus nexus erga nos eſſe poteſt. Omnia quæ habemus, quæ agimus, quæ meremur ad eius omnipotentiam, miſericordiam, gratiam referuntur. Omnium bonorum radix libera illius voluntas eſt. Ab hac promanant pacta, promiſſa, leges, data, accepta, reddita, debitores ei ſumus etiam cùm reddimus: reddimus enim quę donauit. Petere ab eo, & poſſumus, & debemus, quia creditores eſſe non poſſumus. Ipſe ſe debitorem conſtituit, dum promittit, dum paciſcitur: omne illius pactum, & noſtrum meritum ad fidem eius pertinet: iuſtus eſt, quia fidelis, & verax eſt, non quia obligatus, aut nexus eſt, quod nos docent Scripturæ Iob. 14. *Si iuſtè egeris, quid dabis ei, aut quid ipſe accipiet de manu tua?* Et rurſum c. 22. *Quid prodeſt Deo ſi iuſtus fueris: aut quid ei confers, ſi fuerit immaculata via tua?* Pauli ad Ro. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Vnde obſeruo in eodem Paulo ad Ro. 3. dixiſſe *quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*: non abſolutè *iuſtitiæ*, ſed *ſuæ*, ſignificans iuſtitiam Dei non eſſe hanc noſtram, ſed aliam propriam Dei, nixam gratia, & miſericordia. Hoc diſcrimen nouit, & tradit Auguſtinus perſpicuè, ac eleganter, quemadmodum ſæpè in noſtris de gratia commẽtariis animaduertimus, qui meritorum noſtrorum iuſtitiam, cùm eo nomine meritorum afficiuntur, ad miſericordiam reuocat. Epiſt. 105. *Non fruſtrà Deo cantatur. Et miſericordia eius præueniet me: & miſericordia eius ſubſequetur me: vnde & ipſa vita æterna, quæ vtique ſine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur nõ à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur.* Iterum. *Cum Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quàm munere ſua.* Rurſum, *Ne iuſtitia de humano ſe extollat merito. Quid enim habes quod non accepiſti? Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia, cui debetur.* Simile habet lib. 9. Confeſſ. cap. 13. & ſerm. 15. de verb. Apoſt. Quin ſerm. 8. vel 7. de diuerſis, qui eſt ad Competentes *venale* dicit *regnum cælorum.* Emi tamen ſine pretio: *Gratis*, inquit, *emitis, ſi gratam gratiam quæ vobis offertur agnoſcitis*; bellè autem Pſal. 144. verſ. 8. ibi. *Totum de miſericordia ſua. Nuſquam iactes merita tua, quia & ipſa tua merita illius dona ſunt.* Illa verò rem maximè continent lib. de Grat. & lib. arbitr. c. 6. vbi conferens duo teſtimonia Dauidis, & Pauli, quæ videntur opponi, quod vnum iuſtitiam, & merita erga Deum exhibet, alterum miſericordiam perhibet *Nũquid*, ait, *non corona operibus redditur? ſed quia bona opera ille in bonis operatur, ideo dixit, Coronat te in miſericordia, quia eius miſeratione bona operamur, quibus corona redditur.* Paulus dixit 2. ad Timoth. 4 *Corona iuſtitiæ.* Dauid dixit Pſal. 102. *Coronat te in miſericordia*: quaſi perinde eſſet iuſtitia, & miſericordia. Concinit ſibi Auguſtinus lib. de corrept. & grat. c. 13. in quo iterum vſurpat locũ Dauidis *Coronat*

te

Digitized by Google

te in miſericordia. Et ſuauiùs ſerm.2. Delectaturque idem hac comparatione ſanè mirabiliter: vt hanc doctrinam inculcet, ſcilicet iuſtitiam noſtrã de præmio, & corona ad miſericordiam Dei pertinere: adeo vt locum celebrem Ioan. 1. *Gratiam pro gratia*: interpretetur de gloria reddita gratiæ, vt meritum, & rationem præmii, & coronæ à gloria non diſtinguat, & vtranque vertat in gratiã. Ita in tract. 3. in Ioan. ad med. *Accipis vitam æternam. Gratia eſt. Pro quo merito accipis vitam æternam? Pro gratia*. Et mox *Ipſa fides gratia eſt, & vita æterna gratia eſt pro gratia*: & ibi renouat Collationem coronæ Pauli ex iuſtitia, & coronam Dauidis ex miſericordia: & quidem elegantiſſimè & venuſtiſſimè. Sed nuſquam meliùs, quàm commentariis in Pſal.2. *Coronante in miſericordia, & miſerationibus. Cuius viribus? Tuis. Sed ab illo ſubminiſtratis. Coronaberis quia vinces. Sed vide quis prior vicerit. Vide quis te facit ſecundò victorem: qui in nobis victi ſumus, in illo vincimus. Ergo coronat te, qui dona ſua coronat, non merita ſua*. Pergit, *Plus omnibus laboraui, ait Apoſtolus, ſed vide quid adiunxit. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Et poſt labores omnes expectat coronam, & dicit bonũ certamen certaui. De cętero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Quare? quia per agonem certaui. Vnde certaſti? Non ego, ſed gratia Dei mecum. Ergo & quod coronaris illius miſericordia coronaris*. Inſignis etiam eſt locus lib. 14. de Trinit. cap. 15. Delibo hæc. *Quid iam faciat beatum niſi meritum ſuum, & præmium Domini ſui. Sed & meritum illius gratia illius eſt, cuius præmium erit beatitudo eius. Accepit ergo iuſtitiam, propter quam beatitudinem accipere mereatur. Vnde veraciter ei dicitur ab Apoſtolo, quaſi de ſuo ſuperbire incipienti, quid enim habes quod non accepiſti?* Ecce iuſtitia accepta non propria hominis, ſed Dei, & à Deo data homini. Vide lector quàm longe ſimus auctore Magno Auguſtino, à iuſtitia, quam vulgò conamur inducere in Scholas? Quærimus apud Deum ius, non inuenimus niſi miſericordiã. Sit Coronis huius capitis locus Auguſtini ex ſerm. de Verb. Apoſt. *Quid reſtat niſi corona iuſtitiæ? Ipſa certè reſtat, ſed etiam in ipſa, & ſubit ſi non ſit caput turgidum, vt recipiat coronam*. Audi attentè pſalmum. *Qui coronat te in miſeratione, & miſericordia. De miſericordia te coronat, de miſeratione te coronat*. Et rurſum. *Diſcute bona merita tua, & videbis quia dona ſunt mea. Hæc eſt ergo iuſtitia Dei*. Diſco à Magiſtro Theologiæ, ab oraculo cæleſtis doctrinę non aliam eſſe inter nos, Deumque iuſtitiam, niſi eiuſdem erga nos miſericordiam. Non ideo tamen merendi libertatem negamus, nec meriti pretiũ apud Deum, nec præmium à Deo; ſed veram in eo iuſtitiam ad exigendum, tanquam creditores à debitore inficiamur: cum ipſamet libertas noſtra ita liberata, & expedita in merendo per Dei gratiam fiat, ſine qua nihil mereri poſſumus, qui cùm naturæ ſit auctor, & gratiæ donator, quæcunque noſtra ſunt, in illius ſunt dominio, & poteſtate. Serui ſumus, ille Dominus, & talis Dominus, vt ſit etiam dominator, qui propriæ iuſtitiæ incapax ſit. Tandem obſeruo phraſim Dauidis. *Coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Congeminat, & conglomerat voces miſericordiæ, & miſerationum, vt ſignificet iuſtitiam quodammodo multitudine miſerationum obrui, & abſorberi. Itaque nemo deinceps ſit, quin Scotum propter negatam

Digitized by Google

tam veram & propriam rationem iuſtitiæ, & inductam acceptationem ad complementum meriti, & ſatisfactionis audeat ſugillare.

Ex his patet quid de Chriſti ſatisfactione, ac merito ſi dicendum. Nimirum Chriſtum non potuiſſe ex vera, & rigorosa iuſtitia, qualem Ariſtoteles inuexit, & homines mutuo exercent, ſatisfacere, & nihil eo detrahi dignitati Chriſti, cùm ea ratio iuſtitiæ ſit propria creaturarum, non autem creatoris: in cuius gloriam redit illa, quæ videtur detractio, & reapſe eſt incapacitas, & impoſſibilitas orta ex ſupremo Dei Dominio, & independentia à creaturis, quibus obligari non poteſt. Refricemus exemplum. Nihil detrahit ſcientiæ diuinæ negatio diſcurſus, qui eſt dependentia cognitionum, imo augetur laus eius ſcientiæ cum negatur, remouet quippe à Diuino intellectu imperfectionem diſcurſiuam. Haud ſecus negando rigorem iuſtitiæ inter Chriſtum, & Deum nihil perfectionis ſubtrahitur Chriſto, imo tollitur imperfectio, quæ non decet Deum, ideſt dependentia, & obligatio, cuius Deus incapax eſt, & augetur illius honor, auferendo de medio ius creditoris ergà Deum, tanquam debitorem. Igitur negare in ſatisfactione Chriſti interueniſſe rationem veræ, ac rigoroſæ iuſtitiæ, non ſolum non eſt ſuſpectum, ſed congruum, & decorum Deo, in quem non quadrat definitio iuſtitiæ humanæ, quòd ſit imperfecta, & nexui obligationis addicta: quemadmodum neque definitio ſcientiæ humanæ congruit Deo, quòd ſit cum imperfectione diſcurſus copulata. Idque ex ſequentibus manifeſtum erit.

SECTIO IV.

Exponitur ſententia Thomiſtarum de Satisfactione Chriſti ex vera, & rigoroſa iuſtitia.

SANctum Thomam nõ ſolùm tradidiſſe ſatisfactionem Chriſti eſſe ex vera, & propria iuſtitia, verum etiam docuiſſe eſſe condignam & abundantem, & vltra abundantiam infinitam formaliter, ac ſimpliciter ratione diuinæ perſonæ affirmant diſcipuli: nos tamen negamus id ſatis eſſe ad conſtituendam iuſtitiam propriã, & rigoroſam, quod ei attribuunt Thomiſtæ, tum domeſtici, tum inquilini pro ſuo arbitrio eum intelligentes, ac interpretantes, in quibus ſunt Soto lib.3. de nat. & grat. c.6. & in 4. d.19. q.1. ar.2. Ledeſma 2.p.qu 11.a.2. Bartholomæus Medina in 3.d.19. q.1. Ferrar.4. contr. gentes c. 54. Suarez de Incarnatione d. 46. ſect. 5. & 6. Corneio de Incarn. d.5. dub.2. Valentia q.1. puncto 5. Granado tract.2.d.4. ſect.2. Orlando d. 2.q.10. ac ex noſtris Caſtillo d.3. q.4. n. 2. cum aliis, quos allegat. Plures adducit Maſtrius, & in vnum (quod ſolet) aceruatim coniicit, nullo indicato loco in 3.d.4.ar.2. qui omnes fermè vtuntur voce rigoroſæ iuſtitiæ, vt in dubium sẽſus reuocari nequeat, quod animaduerto propter Vaſquez acerrimi ingenij, & exquiſitæ doctrinæ virum, qui tomo de Incarn. d.7.c.5. vt infirmet opinionem Suarii, negat vllum ante ipſum termino illo *ex rigore iuſtitiæ* vsũ fuiſſe. Cui oppono tanti apud me eſſe Suarium, vt etiam ſi primus ille, imo & ſolus dixiſſet, ſatis vnus ſit ad reddẽdam eam ſententiam probabilem; quin admiſſo dicto illo Vaſquii maior ex eo laus Suarii ſequitur, quòd tantum auctoritate

Digitized by Google

ctoritate valuerit, vt quam primus ſententiam dixerit, eam tot, tamq; nobiles Theologi vnanimi conſenſu amplexi fuerint.

Ad queſtionem. Probatur hæc ſententia primò, quia ſatisfactio Chriſti fuit pretii infiniti ſimpliciter, vtpote à diuina perſona perfecta, & oblata, ergo ex rigore iuſtitiæ. Antecedẽs eſt commune in Schola Thomiſtarum, & vti vidimus, traditũ à pleriſq; etiam aliarũ, imo & in Schola Scotica à nonnullis receptum. Conſequentia inde deducitur, quia vbi eſt infinita ratio ſatisfaciendi nihil omnino deſideratur. Ergo ſi eſt infinita implet, & adæquat omnes conditiones ad rigoroſam iuſtitiam requiſitas.

Secundò Deus inſtituit hoc Myſterium ad ſatisfactionem accipiendam pro pecccatis mundi, ergo ex intentione perfectæ, ac rigoroſæ iuſtitiæ: aliter ſatis eſſet puræ creaturę cum acceptatione Dei ſatisfactio: quòd argumentum videtur idoneum. Nam cur Deus Homo factus eſt, niſi quod aliter iuſta, & adæquata ſatisfactio haberi non poterat?

Tertiò illa ſatisfactio Chriſti fuit ex motiuo veræ iuſtitiæ, ergo ex rigoroſa iuſtitia. Patet aſſumptum, quia motiuum iuſtitiæ eſt compenſatio iniurię, ſiue ad reſarciendum damnum, ſiue ad ſoluendum debitum ad æqualitatẽ; hoc autem fuit motiuum Chriſti in ſubeunda, & offerenda ſua Paſſione, & Dei in ea acceptanda: igitur fuit motiuum iuſtitiæ rigoroſæ.

Quartò ſublata iſta ſatisfactione iuſta, & rigoroſa ceſſat neceſſitas, imo & æquitas rationabilis Redemptionis Chriſti, quam toties ingerunt Scripturæ, ergo ea eſt ponenda. Antecedens videtur conſtare: illatio tenet, quia ex gratia, & liberalitate poſſet Deus acceptare ſatisfactionem creaturæ, nec vlterius quidquam requireret.

Quintò, in hac Chriſti ſatisfactione interuenit pactum, & conuentio oneroſa Chriſti dantis, & Patris accipientis: hæc autem pacti, & conuentionis forma includit veram, & rigoroſam iuſtitiam: ergo ea interuenit in ſatisfactione. Maior admittitur ab omnibus, minor, & conſequentia ſunt in forma.

Sextò, negatio huius rigoroſæ iuſtitiæ derogat ſatisfactioni Chriſti, & grauitati peccati, ergo affirmanda eſt. Aſſumptum ſuadetur, quia tollit æqualitatem rigoroſam meriti Chriſti, & reddit illud anguſtum, & finitum, & minuit grauitatem peccati, ſupponendo illud per ſatisfactionem finitam auferri poſſe.

Septimò, à partium enumeratione. Nulla conditio ad rigorem iuſtitiæ requiſita deeſt in hac ſatisfactione: igitur ea eſt adſtruenda. Aſſumptum probatur percurrendo, & numerando eas. Prima ſumitur ex æqualitate rei ad rem, quę in commutatione verſatur: hæc ſine dubio reperitur, cùm meritum Chriſti ſit, & infinitum, & æquale, & ſuperabundans. Secunda vt ſit ex bonis propriis, ideſt Chriſti; hæc non deſideratur, Chriſtus enim eſt operatus, & paſſus de ſuo in natura humana diſtincta à diuina, ergo ex bonis propriis redimentis, & ſatisfacientis. Tertia reperitur: cùm interuenerit pactum oneroſum, non gratuitum, hac enim conditione redemptus fuit mundus, ſi daretur pretium paſſionis, itaut niſi Chriſtus pateretur minimè ſequetur redemptio, & poſita paſſione non poſſet redemptio impediri. Quarta quę eſt ad alterum, minimè deeſt. Nam ſatis eſt naturarum in Chriſto diuerſitas ad eam inducendam, non obſtante vnitate ſuppoſiti, cuius diſtinctionem ſi

Ari-

Digitized by Google

Ariſtoteles requiſiuit, propterea fuit, quia loquebatur de iuſtitia puri hominis compoſiti ex natura, & ſuppoſito humano ignorando myſterium Incarnationis, quod ſi noſſet non negaſſet ſatis eſſe diſtinctionem naturarum ad diuerſitatem inducendam. Quinta quæ ſumitur ex indebitis, & quæ non ſint in dominio creatoris etiam interuenit, quia Chriſti actiones liberæ, ac in eius poteſtate conſtitutæ: & quamuis Deus ſuper ijs haberet dominium, hoc erat altioris ordinis, quod non auferebat illud dominium ſingulare, quemadmodum etiam concurſus primæ cauſæ, non obſtat quo minus propriæ ſint actiones cauſarum ſecundarum quæ proprium, & ſingularem concurſum impendunt. Manent ergo omnes conditiones ad rigorem iuſtitię requiſitæ. Etenim vna quæ ſupereſt, ſcilicet vt Deus teneatur acceptare oblatam ſatisfactionem, & ſi illam nonnulli requirant, cum Soto in 4. d. 19 q. 1. a. 2. Ledeſma 2. p. 11. art. 7. dub. 1. Orland. d. 2. q 10. num. 158. ea non eſt antecedens, ſed ex promiſſione diuina, vti bene obſeruat Suarez d. 4. ſect. 5. nec fugit Orlandum citatum. Vnde abſolutè non eſt neceſſaria præſertim in ſatisfactione pro offenſa, licet in ſolutione debiti ſimpliciter acceptanda ſit in ſpecie commutatiuæ iuſtitiæ.

Hæc ſententia ſic explicata eſt propria Thomiſtarum: quam ipſi Diuo Thomæ attribuunt, & diffusè admodum diſponunt: mihi placuit eam breuiter proponere, & explicatè tamen tradere, ſolidè probare habita ratione neruorum, non ſanguinis, vt qui legat hanc meam tractationem nihil opinor ad perſpicuitatem roburque deſideret. Ea verò multùm debet clariſſimo Theologo Franciſco Suario, qui perſpicuè expoſuit, dilucidè tractauit, validè confirmauit, formiter ſuſtinuit, magnoperè amplificauit: nuſquam ingenioſius, ſubtilius, explanatius, vehementius ſe geſſit, cùm in eum Gabriel Vaſquez ſtudiorum Æmulus, & ingenio, & doctrina par inſurrexiſset, & omnibus Scholæ machinis adhibitis arcem ab illo erectam, & munitam oppugnaſſet. Acre inter eos, & diuturnum certamem fuit: ſæpius concuſſum, & collato pede dimicatũ, diſcuſſum ambiguo marte, iniecta victoria, diſtractis in partes Scholaſticis, fatigatis lectoribus, quorum ego vnus fui vtriuſque amantiſſimus, & qui à puero illorum me ſcriptis addixi, amborum doctrinam ſolitus & cōferre, & admirari. Vtrum ſim hac in re ſecutus inferius apparebit.

SECTIO V.

Proponitur oppoſita Scoti, & ſuorum ſententia.

CONſideratis ijs, quæ docet Scotus de iuſtitia in 1. d. 17. in ſolutionis primæ quæſt. & in 3. d. 19. & 20. & in 4. d. 15. q. 1. & d. 36. q. 1. & d. 46. q. 1. ſatis conſtat iuſtitiam Dei erga homines rigoroſam nullam penitus eſſe poſſe, idque ſua peculiari doctrina ſtatuit Doctiſſimus, & ſolidiſſimus noſter Scholæ Doctor. Laurentius Brancatus Laurea Tom. de virtutibus. diſp. 20. art. 1. his verbis vtitur. *Dico tertio: Iuſtitia Dei non poteſt appellari iuſtitia ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Eſt Scoti in 4. d. 36. q. 1. & communis*: idque confirmat locis Scripturæ, & doctrina Concilij Tridentini ſeſs. 6. cap. 16. vbi tradit, *merita noſtra eſſe, quæ ſunt Dei dona*, quod eſt ex Auguſtino deſumptum, vnde Hiquæus in Commentarijs ad quæſtionem 1. d. 15. in 4.

ſent. *In noſtra*, inquit, *ſchola negatur iuſtitia rigoroſa ſumpta in Deo , vel ad Deum*, & negat interuenire potuiſſe illam in ſatisfactione, & meritis Chriſti, & Iuſtorum , tantum admittit iuſtitiam fundatam, *in fidelitate, & promiſſione ſub exhibitione operis boni*. Altius ordiendo id continet Scoti definitio in 4.d.15.qu.1. §. *Reſpondeo* init. q. verſ. *de primo* cum 3. *Satisfactio*, inquit, *eſt redditio voluntaria , æquiualentis alias indebiti*, quæ breuis quidem, ſed iuſta eſt definitio: cuius vis eſt in vltimis vocibus *æquiualentis indebiti*, vna quippè ponit æqualitatem rei, ad rem: altera excludit dominium Creditoris, ita vt procedat ex bonis Debitoris nō autē Creditoris quæ duo conſtituunt iuſtitiā rigoroſam. Et vero ex parte Chriſti æqualitatis, hæc datur in ſatisfactione offerentis æqualem, imò & ſuperabūdantem ſatisfactionem, quamuis formaliter, & ſimpliciter finitam quia offenſa non eſt ſimpliciter infinita; præterea interuenit acceptatio diuina proportionata perſonæ congruentis ad acceptationem ſui operis pro infinitis , atque adeo creditoris, qui acceptando illa non fuit debitor. Verum deeſt in hac æqualitate rigor iuſtitiæ , quia prouenit à beneficio , & liberalitate Dei, & completur per acceptationem, vnde cadit à rigore iuſtitiæ.

Secunda autem conditio indebiti defuit in hac Chriſti ſatisfactione, quia non obtulit indebita, ſed donata, & debita Deo, propter ſupremum eius Dominium, ex quo fit, vt obligatio recipiendi ſatisfactionem oriatur ex promiſſione, & pacto libero Dei, non autem ex vi operis oblati. Itaque non ineſt huic ſatisfactioni ratio rigoroſæ iuſtitiæ. Hanc ſententiam ita expoſitam tradit Scotus locis citatis, quem ſic interpretantur, & ſequuntur Lychetus, Tataretus, Baſſolis, & Mairon. Rada contr.13.a.3. Aretinus diſp.20.q. vnica. art.6. Maſtrius diſp.4.q.4.a.2. Delgadillo cap.9.dif.2. dub.11. Ex alijs Vaſq. in 1.2. diſput.223. & 1. Tom. in 3. p. diſp. 8. Cardinalis de Lugo diſp. 3. ſect. 10. Ioannes Medina C. de pæniten. tract. 3. q. de Santifact. Lorca diſp. 8. & alij.

Probatur hæc ſententia primò . Chriſtus Dominus quidquid habuit à Deo accepit , ideo non potuit ex proprio, & vero rigore iuſtitiæ eidem ſatisfacere. Antecedens patet diſcurrendo: Vnio hypoſtatica fuit beneficium Dei, & gratia & talis quippe ab Auguſtino paſſim dicitur , & in hac vnione eſt fundamentum meritorum Chriſti. Deinde gratia ſanctificans à Deo, Chriſto, & quidem ſumma, collata, quæ ſunt duo principia meriti, & ſatisfactionis. Præterea pactum de Redēptione cum Chriſto redimente fuit à Deo ordinatum liberè, & gratuitò ad ignoſcendum hominibus per acceptationem oblationis, cuius valor non obligaret Deum, niſi ipſe vellet ſe interpoſita ſua fide obligare : quæ omnia ſunt certiſſima. Hæc autem excludunt rigoroſam iuſtitiam, vt patet, ergo ea interuenire non potuit.

Secundò. Quanto magis contendunt aduerſarij exaggerare dignitatē, & infinitatem meriti, & ſatisfactionis Chriſti ad ſtatuendam rigoroſam iuſtitiam, tantò magis eam elidunt, ac euertunt, igitur vndè exiſtimant ſtatui, inde eandem deiici reperiuntur. Aſſumptum patet, quia ij recurrunt ad infinitatem perſonæ diuinę, ac infinitæ, & exindè petunt æqualitatem, & ſuperabundantiam ſatisfactionis, at hæc infinitas, & ſuperabundantia oritur ex vnione hypoſtatica, quæ merè gratis facta fuit; hæc autem repugnat iuſtitiæ, & quanto magis receditur ad

ſup-

Digitized by Google

ſuppoſitum diuinum, hoc autem repugnat iuſtitiæ; nam quanto maior eſt illa gratia, tantò minus habet de iuſtitia. Igitur quo magis euehitur, eò magis deijcitur, quod eſt diligenter notandum.

Tertiò ad hominem contra aduerſarios. Ij tribuunt Chriſto quandam ſanctitatem, ita intrinſecam, vt ſit quædam intima vnctio, & veluti influxio in humanitatem, per quendam illapſum diuinitatis facientis eam infinitè ſanctam: ſed huiuſmodi ſanctitas eſt propria Dei, ergo ſi per eam fit ſatisfactio, non fit ex bonis proprijs humanitatis, ſed potiùs ex bonis diuinitatis, ac proinde ex alienis, quæ ſunt propria creditoris, & corruit vera, & rigoroſa ratio iuſtitiæ.

Quartò: inter Deum, & Chriſtum non eſt ſufficiens diſtinctio, vt poſſit ſatisfactio eſſe ad alterum, ergo nequit ex illius defectu inter vtrumque exerceri rigoroſa iuſtitia, quæ niſi ſit ad alterum nulla eſt. Antecedens patet, quia Chriſtus eſt Deus, & includit eſſentialiter ſuppoſitum, quod cùm ſit diuinum, inter ſuppoſitum Verbi, & Deum non eſt diſtinctio, cum ipſummet Verbum ſit Deus. Nec valet dicere naturam humanam diſtingui à ſuppoſito Verbi, cum & natura in abſtracto non mereatur, nec ſatisfaciat, vnde neceſſariò debet ſuppoſitum intercedere merendo, & ſatisfaciendo; ex quo patet nullam eſſe ex hoc capite iuſtitiam rigoroſam.

Quintò: detrahit Deo qui ponit in Chriſto verã ſatisfactionem in rigore iuſtitiæ conſtitutam: ergo ea excludenda eſt à ſatisfactione. Aſſumptum monſtratur, quia rigor iuſtitiæ ſupponit in ſatisfaciente proprietatem, quæ non ſit in acceptãte, & inducit quandã obligationem acceptandi quod offertur, quæ duo ſunt indigna Deo, cui nihil boni non eſt, & qui non eſt capax obligationis ab extrinſeco prouenientis.

Sextò: quia ex hac iuſtitia reſultat indignitas in Deo: ponitur enim in eo nexus iuridicus, quo tenetur reddere præmium, vel dimittere debitum ex debito, ac preter eius fidem, & voluntatem.

Septimò: ſequitur ex hac iuſtitia in Chriſto Domino eſſe aliquod bonum, quod ſibi ſoli poſſit appropriari, quod eſt impoſſibile, cum quidquid eſt in Chriſto, ſit intra Dominium Dei.

Octauò. Illa Conditio, quæ eſt præcipua ad ſatisfaciendum non poteſt reperiri in ſententia aduerſariorum in Chriſti ſatisfactione, & merito: igitur nequit eſſe ex rigore iuſtitiæ. Antecedens apparet, nam principalis conditio eſt libertas ipſius operantis, quæ facit opus meritorium, & ſatisfactorium. At qui libertas huiuſmodi in oppoſita ſententia non eſt in Chriſto qui caret principio libero, & indifferente proximè ad merendum, & ſatisfaciendum, cùm ſit ab intrinſeco impeccabilis, & formaliter Sanctus per intimam quandam Deitatis communicatam virtutem, quæ cum indifferentia ad pecandum, & non peccandum ſtare non poteſt, vnde concluditur carere principali conditione ad merendum, & ſatisfaciendum. Confirmatur ex obligatione præcepti Chriſto à Patre impoſito, cui non poterat non obedire. Quomodo ergo habet libertatem proximam, & expeditam ad meritum, & ſatisfactionem?

Ex his liquet iuſtitiam, quam vocãt ſtrictam, & rigoroſam ex Ariſtotelis, & Philoſophorum doctrina petitam, non habere locum in Chriſto erga

Deum, ac proinde aliam formam iuſtitiæ eſſe ponendam, quæ ſine illis conditionibus conſiſtat, ſit tamen vera iuſtitia propria hominis Dei: cuius puri homines, & creaturæ capaces non ſunt quemadmodum nec miſericordia hominum propria quadrat in Deum, qui condolere non poteſt miſeriis, & malis creaturarum, nihilominus tamen miſeretur. Et rurſum declaratur exemplo ſcientiæ diſcurſiuæ propria hominis, quæ Deo tamen minimè cōuenit, nec propterea Deus caret ſcientia, cum ſit perfectiſſimè ſciens. Falluntur itaque eiuſmodi auctores in eo quod exiſtimant illum rigorem noſtræ iuſtitiæ eſſe quiddam perfectum abſolutè, ac in Deo poſſe reperiri cum reſpectiuè tantùm ad humanam iuſtitiam, quæ virtus ſit creata perfectionem dicat. Sublimior ergo, purior & nobilior quærenda eſt ſpecies iuſtitiæ, quæ Deum deceat ex fidelitate, & miſericordia ſumpta, quæ includat liberalitatem & gratiam, qualem ſupra ex Auguſtino deſcripſimus.

SECTIO VI.

Soluuntur argumenta Thomiſtarum, & in eoſdem retorquentur.

ET ſi ex proximis, & Scoti argumentis, doctrinaque in ijs contenta Thomiſtarum argumenta ſolui poſſint: nihilominus tamen ad maiorem perſpicuitatē, & vſum Scholarum diluenda ſunt eo, quo propoſita ſunt ordine.

Primò. Reſpondetur neminem noſtrum negare ſufficientiam, & abundantiam pretij, & meriti in ſatisfactione Chriſti: nec de eo eſſe quæſtionem: ſed de principio vnde ſumatur illa ſufficientia controuerti, ſcilicet an ſit infinitas intrinſeca, & abſoluta, an verò extrinſeca reſpectiua ad perſonam infinitam, quæ offert, & ad Deum pro infinitis acceptantem? Quæ vtraque diuerſa eſt, & tuta ſententia. In eo diſcrepamus à Thomiſtis, quòd hi volunt, vt ille valor ſumatur à perſona ſatisfaciente diuina per creatam, & humanam actionem, quam dignificat infinitè, præcisè etiam acceptatione propter infinitam virtutem intrinſecam in merito imbibitam: nos verò dicimus ſumi à merito naturæ ſubſiſtentis in perſona Verbi, non intrinſecè infinito, ſed tamen proportionato, & abundanti cum acceptatione in diuina pro infinitis. Vnde ex diuerſo principio concedimus quandam infinitatem incluſam in merito, & ſatisfactione. Quod autem contendunt Thomiſtæ meritum, & ſatisfactionē habere ab intrinſeco valorem æqualem ex ſua intrinſeca ratione, nec indigere aceptatione, id ſanè inficiamur, & in aduerſarios retorquemus, quia illud genus meriti pugnat cum iuſtitia cùm offeratur Deo à quo eſt pretium ſatisfactionis, vnde redit valor ad creditorem, qui ex ſuis bonis ſibi ſatisfacit, quod cum iuſtitia pugnat, & magis pugnat, quàm acceptatio, quæ eſt extrinſeca merito, & complementum meriti, non autem meritum, quod in ſententia Thomiſtica totum eſt formaliter, & abſolutè à natura ſubſiſtente, atque adeo bonum proprium naturæ ſubſiſtentis quidem, ſed non accipientis formaliter meritum à perſona, ſed in perſona, quæ congruenter ſe habet ad acceptationem pro infinitis.

Secundum, ſoluitur admittendo aſſumptum de intentione Dei inſtituentis myſterium Incarnationis ad ſatisfactionem pro peccatis mundi, ſed negando eam fuiſſe iuſtitię rigoroſæ humanæ

Digitized by Google

manæ, & Ariſtotelicæ, cuius capax non erat illa ſatisfactio nixa vnione gratuita hypoſtatica, & merito ex ea promanante cum ſumma gratia interueniente pacto, & promiſſione diuina, ſine vllo vinculo obligationis in Deo, ſine diuerſitate perſonæ tota fundata in bonis creditoris, eique omnino debitis, quemadmodum ſupra diximus.

Tertij eadem eſt ſolutio: nec enim Chriſtus potuit aliter ſatisfacere, quam poſtulabat illa iuſtitia proportionata perſonæ ſatisfacienti, & Deo acceptanti, quæ vti non eſt rigoroſa, ita nec potuit talis eſſe ſatisfactio, cum tota in gratuitis beneficijs fundaretur. Itaque antecedens aſſumit falſum.

Quartum diluitur largiendo hanc ſatisfactionem fuiſſe Deo inſtitutam ex dignitate, ac decoro diuino ad abūdantiam ob infinitatem meriti, quæ non poterat inueniri, niſi ſatisfaciens eſſet Deus, & homo; verùm negatur inde ſequi habuiſſe conditiones iuſtitiæ rigoroſæ, quarum capax non erat, nec eſſe poterat. Illud tantum ſequitur aliud genus ſatisfactionis per creaturam operantem minus fore nobile, & magis habiturum de acceptatione, quàm de merito, vnde minus rigoroſæ iuſtitiæ, nam huic deeſſet intrinſeca æqualitas illi, deeſſent aliæ conditiones, quas toties repetiuimus.

Quintum facile expeditur, dicendo illud pactum oneroſum fuiſſe, quatenus erat dantis, & accipientis: ſed caruiſſe alijs conditionibus, quæ requiruntur ad onus verum, & rigoroſum cùm ſatisfaciens daret non ex proprijs, ſed ex prius acceptis per gratiam vnionis, & beneficium ſummæ gratiæ, ac proinde debitis accipienti, qui ſuo pacto ſe obligabat, non autem ex aliquo iure, & obligatione ex propria iuſtitia, promiſſione, & acceptatione excluſa.

Sextum reijcitur reſpondendo ſupponere falſum auferri æqualitatem, imo & abundantiam ſatisfactionis ſublato rigore Ariſtotelicæ iuſtitiæ, quæ verſatur inter homines & eſt diuerſæ rationis ab ea, quę verſatur inter Deū & hominem, & inter Deum & hominem Deum: vtrobique eſt æqualitas, imo etiam abundantia, & infinitudo: verùm in illa humana ſunt conditiones diuerſæ ab illis diuinæ, quæ non eſt capax illarum humanarum, vti notauimus. Non deeſt ergo ęqualitas, nec abundantia, ſed deſiderãtur proprietas, ius, obligatio, diuerſitas perſonarum, & omnia redeunt ad gratiam & beneficium Dei ſatisfacientis & ex datis gratuito ſatisfactionem accipientis.

Septimò, per partes ſatisfit hoc modo. Prima conditio æqualitatis, & ſuperabundantiæ admittitur, ſed ab ea rigor excluditur, quia non eſt ex indebitis, & prouenit à dono, & promiſſo accipientis, & nititur gratia vnionis, & gratuitæ ſanctificationis. Secunda aſſumit quod eſt alienum nec enim merita Chriſti ſunt ita propria, vti ſunt bona iuſtitiæ, quæ ſoluuntur ab hominibus, cùm ſint dona Dei, cui vti debentur ita non efficiunt debitum rigoroſum, cùm ſint omnibus titulis debita Deo, & nihil obligationis iuridicæ inferant, ſed pacti, & fidelitatis. Tertia non inducit pactum oneroſum, ſed honorificum Dei volentis conferre gratiam vnionis, & ſanctificationis vt ſibi ſatisfieret per ea quæ donabat, dominio non amiſſo, ſed retento. Quarta retorquetur, quia illa diuerſitas naturarum, & non ſuppoſitorum non fuit nota Ariſtoteli utranque ponente in ſua iuſtitia, quare ea conditio noua eſt; vndé ſequitur etiam in iſta ſatisfa-

ctione

Digitized by Google

ctione noua, & mirabilis ſpecies iuſtitiæ prorſus diſtincta. Quinta non vrget: quia illa ipſa Chriſti libertas eſt diuerſa à noſtra, cùm ſit incapax peccãdi, & in opinione aduerſariorum impeccabilis, atque adeo donum Dei; prętereà nihil eſt in actione Chriſti libera, quod non ſit in dominio, & poteſtate Dei, cùm omne meritum, & ſatisfactio fundetur in bonis creditoris donantis vnionem hypoſtaticam, & gratiam ſummam ſanctificantem. Exemplum concurſus ſecundæ cauſæ cum prima nō facit ad inſtitutum, quia hic eſt omnino naturalis; nos autem agimus de concurſu ſupernaturali.

IVDICIVM.

ECquis credat huiuſmodi controuerſiam, tam variam, tanta contentione agitatam propè nominalem eſſe, quod ſit in notione, & ſignificatione iuſtitiæ cōſtituta, ac inde totam pẽdere; nam vti quiſque accipit nomen iuſtitię ita de re iudicet neceſſe eſt. Equidem obſeruo multas huiuſmodi in Philoſophia, & Theologia quæſtiones excitari, quę facile poſſent auferri, ſi de ſignificatione nominis cōſtaret. Quantū laborant Scholæ, & Scholaſtici omnes in ſignificatione vocum? de quibus dum digladiantur, de rebus maximis contendunt. Exemplo ſit vox Hypoſtaſis, quæ diuerſo modo accepta Theologos in factiones diuiſit; à qua, dum non conſtitit quid ſignificaret, minimè deſtiterunt. Sanè vt Verbum Diuinum rem, & dictum continet, & dum gignitur, dicitur, vtrunque còniungens, ita verba in ſacris pondus rerum habent, ac ex iis etiã magna fidei myſteria pendent; ac ſępe inordinata verba prolata hæreſim, auctore Hieronymo, inducunt. Quãta in Scholis noſtris quæſtio eſt: Vtrũ ſit in Deo ſubſiſtentia abſoluta præter relatiuas? ei occaſionem dedit ambigua vocis ſignificatio. Nam qui communicabilem negant eandem inficiantur; qui affirmant, concedunt. Vnde niſi ex diuerſa nominis acceptione? Itaque de rę conuenitur, de vocabulo diſceptatur. Haud ſecus in hac controuerſia de iuſtitia ſatisfactionis Chriſti apud Deum, ad intelligentiam vocis iuſtitiæ redit quæſtio; aliis preſsè, aliis latè ſignificationem ſumentibus, ac inde rem æſtimantibus. Vtri melius ſentiant? ambigitur. Quòd me attinet, & intra Scholam Scoti, & extra olim poſitus, pronunciaui mihi placere Auguſtini, quam ſuperius in animaduerſione poſui, doctrinã: ſcilicet in Deo erga nos, & contrà non interuenire illam quam vocant propriam, & rigoroſam iuſtitiam, quod hæc pũgnet cum diuina maieſtate, & poteſtate, nec obligari Deum niſi ex fidelitate, & bonitate ſua, nec ei quidquam quod ſit extra eius dominium, ac ei indebitum offerri poſſe. Has quippe cōditiones auguſta illa Diuinitas ferre non poteſt. Nec id derogat formæ excellentis iuſtitiæ, qualis eſt in Deo, decetque Deum, ſed illa ſolùm, quæ ineſt creaturæ, ac eius eſt genuina proprietas illius anguſtiis proportionata. Quare non eſt perfectio abſoluta, ſed reſpectiua, & naturæ, & ſtatui creato accommodata vinculi, & obligationis capaci, ob limitationem, & imperfectionem ſubiecti finiti. Quemadmodum exemplo miſericordiæ, & ſcientiæ declaraui.

Digitized by Google

COLLATIO SEXTA

DIFFERENTIA I.

De principio & poteſtate merendi, ac demerendi.

SECTIO I.

Arbitrium liberum nō ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate eſſe Principiū merendi et demerendi oſtenditur.

Poſtquam diximus de principio merendi in Chriſto Domino, ac de illius impeccabilitate egimus: ſequitur quærere de principio peccandi, & merendi in creaturis, doctrina eſt certiſſima, & de fide, arbitrium liberum non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate eſſe principium, & merendi, & demerendi. Ita definiuit Concilium Trid. ſeſſ. 6. Can. 6. *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, anathema ſit*, & merito à Pio Quinto, & Gregorio 13. Damnatæ ſunt illæ propoſitiones Baii. *Quod voluntariè fit etiamſi neceſſitate fiat liberè tamen fit*: quæ erat eius 39. propoſitio. Et *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, quæ erat 66. Et quidem aſſerente Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. *Liberum hominis arbitrium excitatum à Deo poſſe diſſentire ſi velit.* Et Innocentius X. Secutus Prædeceſſores Pontifices in Bulla aduerſus quinque propoſitiones Ianſenii quartam iſtam propoſitionem damnauit hoc modo conceptam: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, de qua ſic Pontifex: *Hæreticam declaramus & vti talem damnamus*. Hoc iudicium de illa opinione tulerat S. Thomas q. 6. de malo his verbis: *Hæc opinio eſt hæretica tollit enim rationē meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit quod vitari non poteſt.* Ac ita de illa cenſuit vniuerſa academia Pariſienſis in Collegio Sorbonæ anno 1560. Menſis Iunij 27. in cenſura ſolemni.

Hanc eſſe Auguſtini doctrinam conſtat. Nihil in eo ſæpiùs, nec expliciatiùs occurrit. In omnibus quippe libris contra Manichæos ſtatuit liberū arbitrium principium & radicem eſſe peccandi cum poteſtate ad vitandum peccatum, ita lib. 3. de libero Arbit. ita contra Epiſtolam fundamenti, ita lib. de duab. animab. et cont. Secundinum, Adimantum Fortunatum lib. de nat. hom. lib. de fide contra Manich. & lib.

5. Re-

5. Retract. c. 9. & 15. & 16. lib. de grat. & lib. arb. lib. de ſpir. & litt. Vnde abſolutè lib. de vera relig. pronunciauit *peccatum niſi voluntarium ſit non fore peccatum*. Loquitur autem de voluntario ideſt libero ad vitandum, & non vitandum cum poteſtate, & vtrunque patet ex loco citato lib. 3. de lib. arbit. & relato lib. de nat. & grat. cap. 67. *Quæcunque iſta eſt cauſa voluntatis ſi non poteſt ei reſiſti ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt non ei cedatur, & non peccabitur. At forte fallit incautum? Ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia eſt vt caueri non poſſit? Si ita eſt nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod vitari nullo modo poteſt? Peccatur autem, caueri igitur poteſt*. Et lib. de duab. Animab. *Peccati reum teneri aliquem quia non fecit quod facere non potuit ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ*. Horum ſimiles ſi referre vellem infinitus eſſem. Pergamus ad meritum idem ſtatuit S. Auguſtinus pluribus in locis. Lib. de nat. & grat. c. 63. dicit *ſe toto corde ſuſcipere* illam Hieronymi ſententiam *Nos neque ad virtutem, neque ad vitia neceſſitate trahi*. Seruandæ meritum legis poteſtati noſtrę aſſignat lib. de actis cum Felice Manichæo c. 5. Nam cum hic dixiſſet multos ſeruare legem voluiſſe probabit Auguſtinus, & reſpondit. *Qui enim legem ſeruare non vult in poteſtate eius eſt ſi velit*, & in Pſal. 34. Ad illud *noluit intelligere, vt bene ageret. Non quia non poſſunt*, ait, *ſed quia nolunt* lib. 1. Retract. c. 22. *Eſt in noſtra poteſtate*, inquit, *vel inſeri bonitati Dei, vel excidi eius ſeueritate*. Himiliarum Homil. 50. *Cum per Dei adiutorium in poteſtate tua ſit vtrũ conſentias diabolo, quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deſideras?* Et rurſum. *Rogo ergo vos fratres cariſſimi quare Satanas ſeducit ad peccãdum? Cum Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Satanæ?* Similis ſunt loci tract. 53. in Ioan. Pſal. 55. 1. Retract. c. 10. & c. 22. Epiſtola 49. q. 2. lib. de dono Perſeu. c. 15. lib. cont. Fortunat. d. 1. ad med Celebre eſt, & hoc ſit ſatis, Auguſtini dictum lib. de ſpir. & litt. c. 34. *Conſentire, & diſſentire propriæ voluntatis eſt*: quod vſurpauit Cõcilium Tridentinum ſeſſ. 6. Canon. 4. Hoc autem nos ſuſcepto ſtudio probauimus in noſtra Cortina Pariſiis edita in 1. q. *de libert. & neceſſitate peccandi*, & in lib. inſcripto *Mens Innocentij Diuinitus inſpirata* art. 3. & 4. In eodem argumento verſatur liber doctiſſimus Patris Alexãdri Sebille grauiſſimi Theologi Dominicani per id tempus in lucem editus eandem veritatem in Auguſtino monſtrauit doctè, ac eruditè inſignis noſtræ ætatis Theologus Ioſephus Maria Requeſenius Ieſuita in libello quem inſcripſit *Additio ad quæſtiones ſelectas* aduerſum Henricum Neris diſp. 3. §. 2. *de effectibus peccati originalis* n. 159. Idem præſtitit Reuerendiſſimus Pater Guilielmus Herincx noſtri Ordinis decus, & ornamentum quà pietate, quà doctrina, quà regimine clariſſimus.

Hanc verò libertatem, tum in peccando, tum in merendo ſemper Auguſtinus retinuit tum ante, tum poſt Pelagianos exortos cum hac moderatione, vt admitteret concupiſcentiam inclinantem ad peccatum in natura lapſa, quæ non erat in natura integra. Vnde diſtinxit duas formas voluntarij, ac liberi, vnam propriam naturę integræ, quæ erat in æquilibrio indifferentiæ libratæ in vtramuis partem boni, & mali voluntatis: alteram naturæ lapſæ per infectionem originalis peccati inclinatæ ad malum potius, quam ad bonum voluntatis propter con-

concupiſcentiam ortam ex primi Parentis Adæ peccato: vt ex illa recta, & in puncto indifferentię poſita libertate deſcenderet, & declinaret ad peccatum, non amiſſa libertate,nec perdita ad bonum poteſtate: ſed non retento æquilibrio indifferentis, & paribus momentis ſuſpenſæ in æquamento libertatis, quem ſecundum ſtatum Pelagiani negantes peccatum originale, & pęnalē concupiſcentiam auferebāt: & naturam per ſe valentem ſine ope, ac proinde gratiæ ad rectè vitandum, & meritum acquirendum inducebāt: quemadmodum apparet in ſcriptis Pelagij, & Cæleſtij, & Iuliani apud Auguſtinum tomo 7. præcipuè libro de nat.& grat.& Epiſt.106.

Producamus hic ſchema huiuſce doctrinę, quemadmodum expreſſum fuit à nobis olim in lib. inſcripto *Mēs Innocentij diuinitus inſpirata*: vt perſpecta huiuſmodi libertatis diuiſione aperiatur aditus ad controuerſiam decidendam. Igitur ſic eo in libro ar.5. in Cenſura 4. Propoſitionis Ianſenij pag.81. Aliud,inquam, profectò eſt, aliud Indifferentia Arbitrij,aliud libertas voluntatis. Nam Indifferentia eſt quiddam *Adiaphoron* in æquilibrio conſtitutum in neutram partem præponderans,ceu bilanx æquamento recta lingula temperato, quæ in puncto indiuiſibili conſiſtit. Libertas verò eſt *Poteſtas* dominij in ſuos actus, ac per illos in obiecta, quæ latitudinem habet, & recipit magis,& minus, & admittit inclinationes,& motus in vtranque partem,& cum iis optime conſiſtit. Itaque poteſt voluntas manere libera, & inclinata manere: atque adeo poteſt libertatem *Reſiſtentię*, amiſſa libertate *Indifferentiæ* retinere. Et verò hanc diſtinctionem Indifferentiæ, & libertatis ex duorum Conciliorum Sacroſancta doctrina deduco. Etenim Concilium Arauſicanum 2. c. 1. ait: *Animi libertatem illæſam poſt peccatum Adæ non durare*: quo conſtat in aliquo lęſam illam hodie eſſe: non in nobis certè quoad libertatem, ergo quoad Indifferentiam. Cap.8. Vult Arbitriū eſſe *Vitiatum & Infirmatum, Læſum*, non quatenus *liberum*, ergo quatenus *Indifferens*. Cap. 13. rurſum affirmat Arbitrium *Infirmatum*. Nimirum quòd minus ad bonū ſit, quàm ad malum propenſum: imo ad malum ex ſe pronum: quod eſt non eſſe *Adiaphoron*, nec *Indifferens*. Cap. 25. docet *Inclinatum,& Attenuatum fuiſſe liberum Arbitrium*, *vt nullus poſteà aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum eſſe poſſit, niſi Gratia eum, & Miſericordia Diuina præuenerit*. Vbi *Inclinatur* tollit æquilibrium *Indifferentiæ*: *Attenuatum* vim illius in vtranque partem æquiualentis poteſtatis extenuat. Sanè ex his omnibus locis conſtat aliquid ex eo primo Arbitrio diminutum, amiſſumque fuiſſe: nec voluntatem noſtram in ſtatu ruinæ eiuſdem omnino poteſtatis eſſe. Ex alia verò parte Concilium Tridentinum Seſſ.6. Can.5. Anathema iacit in eum, qui dicat *liberum hominis Arbitrium* poſt peccatum Adæ *Amiſſum,& Extinctum* eſſe. Hoc aſſumpto ex Tridētino, & illo ex Arauſicano accepto, & inter ſe ambobus collatis conſtat liberum arbitrium in nobis non eſſe *amiſſum*, nec *extinctum*: eſſe tamen *attenuatum, infirmatum, læſum*. Qua ratione, niſi quòd liberum ex integro eſt quoad libertatem; non eſt indifferens quoad æqualem in bilancis lingula poteſtatem? Manſit libertas, ſed inclinata, ſed prona in malum, id eſt non indifferens in æquili-

brio

brio ad bonum & malum. Huiuſmodi enim poteſtas, & indifferentia ad vtrunque bonum, & malum, quæ erat in Adamo *attenuata, infirmata, & læſa* eſt, cùm ad peccatum ex ſe voluntas prona ruat; ad virtutem non niſi adiuta Gratia conetur, vti ex Auguſtino ſummus Theologus Maldonatus in *Ioannem* comment. in cap. 6. num. 44. A quo ibi tota hæc de attenuato, & infirmato, Arbitrio doctrina explicata. Inter alia exponens illam celebrem Chriſti ſententiam. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Verbum*, inquit, *Poteſt, notarunt quidam interpretes non remotam, vt Philoſophi vocant, ſed proximam actui potentiam ſignificare. Nam etiam qui à Patre non trahuntur potentiam habere naturalem, vt ſi à Patre trahantur, veniant, ſed eam potentiam remotam eſſe, nec in actum reduci poſſe, niſi Gratia trahentis Patris adiuuetur. Quemadmodum antequam lumen ad videndum habeamus, naturalem habemus videndi facultatem, ſed niſi ea facultas lumine iuvetur, videre re ipſa non poſſumus. Sic ſe prorſus habet liberum arbitrium: quæ naturalis in bonũ, & malum facultas eſt. Sed in malum per ſe ſolum valet, in bonum non niſi Gratia iuuetur. Vera hæc ſunt. Venire, &c.* Et paulò pòſt manifeſte magna vi Gratiæ interdum opus eſſe ad erigendam, & iuuandam voluntatem pronam in peccatum affirmat.

Hanc eſſe ipſam puram putam Auguſtini doctrinam, & nos anteà in noſtra Cortina lib. 2. de adiutorijs oſtẽdimus. Nunc tantùm dicimus: Auguſtinum cum Concilio Tridentino docere ineſſe noſtris liberum arbitrium, illudque ſemper aſſerere, vel vbi maximè Efficaciam Gratiæ commendat, vti lib. de Grat, & lib. arbitr. & libris ad Bonifac. & lib. de Correpț. & Grat. ac illius libertatem aduerſus Manichæos defendere: rurſumque tradere cum Concilio Arauſicano: hoc ipſum Arbitrium infirmatum, Læſum, captiuatum, inclinatum, vitiatum eſſe: ita lib. de Nat. & grat. cap. 43. & 48. & in Pſal. 136. & Epiſt. 107. et lib. de Perfect. iuſt. c. 4. & lib. 1. ad Bonif. c. 2. & ſæpe aliàs, atque adeo amiſiſſe illam in vtranuis partem liberam cum æquali indifferẽtia poteſtatem, quam habebat Adamus, vt ait lib. de correpț. & grat. c. 12. *Magno merito peccati eſt amiſſa libertas*, & magnam ille ſolet libertatem appellare, & quam *perijſſe* dicit. l. 1. ad Bonif. c. 2. *per peccatum*, qua de re nos latius in quæſt. de neceſſitate & libertate peccandi, ac enucleatius egimus. Itaque ſecundum hanc Auguſtini & Conciliorum doctrinam iudicandum *libertatem indifferentiæ* omnino in illo puncto æquamenti in vtranvis partẽ æque liberam conſiſtere: quod Adæ proprium fuit, ac ita Auguſtinus contra Iul. & Pelag. lib. 6. cap. 11. & lib. de correpț & grat. cap. 10. 11. 12. ſed poſt peccatum ex eo ſtatu inclinatam, & pronam in malum propendiſſe: non tamen idcirco libertatem amiſſam extinctamque: ſed manere ac conſtare, & ſuas habere inclinationes in vtranuis partem: natura in malum ruente, Gratia in bonum trahente: quibus tamen poteſt reſiſtere liberè quidem, ſed non indifferenter; proindeque poſſe dari libertatem *Reſiſtentiæ*, ſine libertate *Indifferentiæ*. Inter quas ſi diſtinguamus, apparebit modus operandi tum Gratiæ Efficacis, tum Concupiſcentiæ vehementis: quarum motus in nobis ſæpe contrarios experimur cum diuerſis inclinationibus, & quidem non exiguis voluntatis. De quo Auguſtinus lib. 1. ad Bonifac. c. 9. ad

12.cap.18.& 19.& in Epiſt.ad Galat.& Serm.6.& 17. de verb.Apoſt. & lib. de Contin.c.3.& lib.de Spir. & Litt.c.18. & tract.26.& 41.in *Ioannem*.et Pſalm. 106.et 137. et alibi ſæpiùs. Poſita enim Gratia Efficaci in volũtate manet hæc ad bonum propenſa et inclinata, nõ vti ante gratiam erat ad malũ aut prona, aut indifferens æque ad bonũ et malũ: atq; adeo amittet, illud vel pronum ad peccatum, vel adiaphoron ad vtrumq; Peccatum et virtutem, ſi quod eſt in natura lapſa, nam accepta Gratia aliquid quod non habebat recipit, & aliquid ex eo ſtatu in quo erat amittit; non deſinet tamen libera eſſe voluntas ad reſiſtendum: contrà vero voluntas ſtimulante concupiſcentia, vehementi accenſa libidine ſæpè ex ſtatu Gratiæ ad peccandum deiecta trahitur, et in homine peccatore manet ad libidinem prona et inclinata, amiſſa illa æquali ex bilancis trutina poteſtate; retenta nihilominus in peccando libertate. Ecquis verò non videt ſecundùm motus Gratiæ et Concupiſcentiæ exiſtere in nobis magnas inclinationes vel ad virtutem, vel ad vitiũ: alioqui ſi voluntas ad illos pulſus vehementes maneret Indifferens, quid in ea concupiſcentia accenderet, quid gratia reſtingueret minimè appareret.

Et vero ſi voluntas, vt ſit libera, indifferẽs eſſe debet natura ſua: vbicunque ſit voluntas libera, indifferẽs quoque erit: cum naturam ſuam non poſſit amittere. Hinc autem ſequitur in duobus hominibus altero ſumma vi gratiæ excitato, altero maxima flamma cupiditatis accenſo, eodem modo eſſe liberam & indifferentem voluntatem: cum ille liberè mereatur, hic liberè peccet. Quod tamen nulla dici ratione poteſt. Igitur & diſtinguendum eſt Indifferens à libero: & in libero admittenda latitudo ſecundum magis, & minus, vt ita in duobus hominibus in diuerſas partes penitus inclinatis, ſit libertas ſine æquali ex bilance indifferentiæ poteſtate.

Id porrò ego inducto Sanctiſſimi Patris *Ignatij* exẽplo demõſtro. Conſtat eum vt ardentem admotis libidinis facibus iuuenem à cupidine reuocaret, maiori accenſum Diuini Amoris flamma detractis veſtibus in concretam gelu paludem nudum ſe ſæuiente hyeme conieciſſe. An erit quiſquam qui ſibi perſuadeat eandem fuiſſe in ambobus voluntatis, & indifferentiam & libertatem, cum Ignatius Diuino Amore arderet, iuuenis furiali cupiditate æſtuaret? Hic penè impos ſui, à concupiſcentia ſtimulatus rueret in libidinem: ille Charitatis ſtimulis incitatus alienam flammam ſuſcepto in ſe frigore vellet reſtinguere? Certe ſi vtrumque ſecum comparemus: multò minus ad libidiem quàm ad Pudicitiam propenſus Ignatius. Multo magis ad libidinem pronus iuuenis quam ad Caſtitatem: ergo non erant indifferentes. Si alterum cum altero conferamus, Ignatius libertatem cum maxima ad virtutem inclinatione ſeruabat: iuuenis libertatem cum ſumma ad peccatum pronitate retinebat. Ac cum vterque liber eſſet, diuerſa tamen alter ab altero libertate diſſidebat: & in tanta libertatis differentia vtrique tamen ſua libertas conſtabat. Indifferentes ego eos nullo modo, liberos quidem, ſed longe diſpari gradu, modoque liberos fuiſſe exiſtimo: niſi forte velimus tam propè eſſe à Caſtitate Ignatij juvenem, quàm Ignatium à iuvenis libidine, quod, qui velit indifferentem vtrunque, neceſſe eſt affirmare.

Liberum ego fuiſſe exiſtimo Diui-

num illum, quem maximè mirari ſoleo, virum *Xauerium* cum Diuina paſſus ſuperante cordis anguſtias infuſa ſuauitate: apprehenſa vtraque manu veſte, totos pectoris pandebat ſinus, & fixis in cœlo oculis vix ſui potens exclamabat, *Satis eſt Domine: ſatis eſt*: indifferẽtem tamen eum tunc ad peccandum fuiſſe non puto, qui ne de peccato quidem cogitare tunc poterat: quomodo autem eſſet indifferens, qui non erat in proxima poteſtate; imo nec cum expedita Libertate, cùm aduertentia ad Peccatum deeſſet, & Diuinitùs illa infuſa ſuauitas mentem abſorberet. Quod ſi recurrant ad phyſicam potentiam, nemo certè negabit integram eam & inuiolatam manere; ſed non de hac opinor, ſed de morali libertate, vt aiunt, & poteſtate ad operãdum in actu primo conſtituta loquũtur: nam illa phyſica & remota etiam cum Prædeterminatione phyſica, imo & cum neceſſitate ſtare poteſt. Quomodo autem voluntas poſita in actu primo ad agendum, poſſit eo momento eſſe indifferens, & adiphora ad agẽdum oppoſitum, cum non poſſit eſſe in actu primo ad duos actus oppoſitos, nec duo proxima ex aduerſo iudicia practica contrarios actus dictantia habere, intelligi certè non poteſt: nec quomodo ad negationem, & ſuſpenſionem actus, ad quem eſt expedita, & propoſito aptè obiecto prona, & iudicio practico inclinata, ſit æquè indifferens, cum ad ſe ſpendendum eum nihil proximè concurrat, nec pro tunc poſſit concurrere, niſi fortè in eodem momento eſt capax actus, & contradictionis eius. Adde ſæpe nos ita vnum agere, vt non aduertamus ad alterum, imo nec ad continendum actum aduertimus. Vnde apparet voluntatem cum eſt in actu primo liberam quidem eſſe, ſed dum in eo eſt æquè indifferentem ad oppoſitum, vel negationem illius eſſe non poſſe.

Et quidem conſideranti mihi hanc diſtinctionem Indifferentiæ, & libertatis, & latitudinem liberi ſecundum magis & minus, inclinationesque & momenta in vtramque partem voluntatis intra libertatem, perſuaſiſſimum eſt hac ratione cõciliari poſſe Efficaciã Gratiæ cum libertate Arbitrij: eamq; eius concordiæ *Clavim* eſſe exiſtimo. Nam, ſi ſemel diſtinguitur indifferens à libero, poterit Gratia Efficax in voluntate eos motus, & inclinationes efficere, quæ indifferẽtiam tollant, & relinquant libertatem: maneatque iſta inclinata non neceſſitata; ac in ea inclinatione appareat, quid in ea Gratia operetur, & quid ea operatura ſit virtute Gratiæ mouentis, & inclinantis, non neceſſitantis; retenta ſemper libertate *Reſiſtentiæ*, non *Indifferentiæ*. Et hanc diſtinctionem ex Auguſtino, ſummo meo ſtudio curaque depromptam, longè meliorem eſſe puto quàm *Scientiæ Conditionatæ* ad conſenſionem Arbitrij cum Gratia componendam, rationem. Imo nec ipsã exiſtimo *Conditionatam Scientiam* cum indifferentia voluntatis & Gratiæ poſſe conſiſtere; & hunc ei modum prorſus neceſſarium eſſe credo, vt certa & infallibilis euadat, cùm ex illis inclinationibus pronæ voluntatis poſſit, quò ſit ventura cognoſcere: nam certè durante illa & Gratiæ & libertatis indifferentia, non poterit Scientia certa, & determinata exiſtere: etenim de obiecto indifferenti & indeterminato conſtans, & definita notitia haberi non poteſt.

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.

Explicatur eadem doctrina, & confirmatur ex motiuis gratiæ, & concupiſcentiæ.

FAcem præbet Auguſtinus, quo nemo iſta ſubtilius diſtinxit nemo ſolidius probauit lumine cęleſti illuſtratus. Certa illius doctrina & conſtans eſt.

Varias, & multiplices voluntatis noſtræ vires eſſe, diuerſoſque gradus libertatis, ac ſecundum eos actuum in nobis varietatem exiſtere, per quos illa vis, & poteſtas liberi arbitrii ſe prodit, & manifeſtat. Hinc deſideria, hinc impetus, hinc conatus: hinc actus inchoati, & imperfecti, hinc iam formati, ſed remiſſi, qui deinceps augentur, & creſcunt, adeoq; intenduntur, vt ad gradum ſummum, qui heroicus eſt perueniant; creſcente, ac intendente ſe, & extendente libertate, quæ variè affecta in ipſis viſitur nunc minor, nunc maior, nunc remiſſior, nunc intenſior, nunc infirmior, nunc robuſtior intrà modum, & latitudinem libertatis. Eadem ratione varios, & multiplices eſſe motus Gratiæ voluntatem ad hoſce actus excitantes. Ita vt parua Gratia paruos, magna magnos, maxima maximos in voluntate motus efficiat: ſuaque habeat incrementa, & decremnta, intenſiones, & remiſſiones, varieque afficiat volũtatem, quæ iuxta pulſus Gratiæ multa liberè ſemper, ſed diuerſimode, prout excitatur, moueturque reſpondeat: atque adeo & Gratia diuerſos in excitando modos, gradusque, & voluntas in operando habeat. Omnes intra libertatem, ac citra neceſſitatem. Aliquando enim, ideſt, cùm eſt parua Gratia, tota eius virtus eſt in poteſtate voluntatis, imo ab hac obruitur, & opprimitur, quod validior, & potentior vis eſt malæ voluntatis, quàm Gratiæ excitantis: creſcente tamen virtute Gratiæ, ac ſe intendente ex parte Dei, remittenteque ſe voluntatis reſiſtentia paulatim flectitur, inclinaturque voluntas ad bonum, donec tandem non reſiſtat, & Gratiam vincentem ſequatur; à ſtatu priore cum prona erat ad malum, & à ſecundo cum ad vtrunq; bonum, ac malum indifferens, & ambigua erat virtute Gratiæ extracta, & ad bonum inclinata, & perducta: vt ſint hæc omnia momenta libratæ voluntatis, omnino intra libertatem, ſed effectus Gratæ Excitantis: quæ interdum vincitur, cum parua eſt, & remiſſa interdum vincit, cum eſt magna, & intenſa, vt ſuperet reſiſtentiam voluntatis, non tamen adimat potentiam reſiſtendi.

Et verò hic ratiocinandi modus apparet in motibus, quos in voluntate facit concupiſcentia ad malum. Cuius interdum tam parui ſunt, tamque tenues motus, vt eos voluntas non curet, præſertim ſi ſit in hominis iuſti & ſancti; interdum creſcunt, & intenduntur, ita vt faceſſant negotium voluntatis, & opus ſit ijs occurrere: interdum autem ſic augentur, vt opus ſit cum iis exertis omnibus viribus voluntatis luctari: & aliquando in ea lucta contingat iuſtum hominem deficere, & ſuperari. In his quatuor (tot ſunt quippe) euentibus ſemper eſt libera, & tamen diuerſo modo libera, & in eodem ſtatu libero, diuerſi tamen ſunt gradus libertatis, concupiſcentiæ tentantis motibus reſpondentes. Imo in eodemmet actu videbis inchoari amorẽ pulchritudinis, et paulatim intendi, donec inflammetur, ardeatque

vo-

voluntas: & tandem victa conſentiat. Annon per gradus ardor ille cupiditatis creuit vſque ad flammam, quæ in conſenſum erupit, decurſo ſpatio libertatis, intra quod ignis ille cucurrit? Ecquis enim ab illis carceribus primi conatus vſque ad metas conſenſus liberi curriculum eſſe non videt latũ, amplumque libertatis? imo in eo diuerſos gradus, ſtationesque, in quibus ipſa libera vis poteſtaſque conſiſtat? Hæc eſt germana, & genuina Auguſtini mens de motibus, tum libertatis, tum gratiæ, tum concupiſcentiæ. Cuius luculentior expoſitio ad tractatum quem cogito de libertate, & indifferétia reſeruanda eſt: non poſſumtamen non ſuis nunc idoneis teſtimoniis confirmare.

Primum de variis motibus, & viribus voluntatis in actus diuerſos imperfectos, & inchoatos: validos & perfectos, qui ex aptis, & accommodatis Gratiæ pulſibus exiſtunt, ita Auguſtinus. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 15. *Semper in nobis eſt voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona*: Tunc. *Gratia Dei ſemper eſt bona: & per hanc fit vt ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipſa bona voluntas quæ iam eſſe cæpit augeatur: & tam magna fiat, vt poſſit implere diuina mandata, quæ voluerit, cum valdè petfectæ quæ voluerit*. Et paulò poſt. *Oret vt habeat tantam voluntatem: quanta ſufficit adimplenda mandata. Sic quippe adiuuatur, vt faciat quod iubetur*. Et c. 16. *Ab illo petendum eſt, vt tantum velimus, quantum ſufficit, vt volendo faciamus*. Et rurſum cap. 27. *Qui vult facere DEI mandatum & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam: Sed adhuc paruam, & inualidam: poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam*. Alter locus eſto Ser. 3. de verbis Apoſt. *Sufficit tibi Gratia mea. Adiuuandus es vt plene velis, & impleas quod velis*. Tertius lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 3. *Ad nonnulla ſuperanda, vel quæ male capiuntur, vel quæ male metuuntur. Magnis aliquamdo, & totis opus eſt viribus voluntatis: quas non perfectè in omnibus adhibiturus eſſe præuidit Deus*. Et lib. de ſpiritu & litt. c. 34. *Fieret iuſtitia, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet tantem tanta, ſi nihil eorum quæ pertinet ad iuſtitiam nos lateret: & ea ſic delectarent animum, vt quicquid aliud voluptas, ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret*. Nec opus eſt pluribus huius generis teſtimoniis. Pergamus ad gratiam in qua reperiemus eoſdem gradus minoris, & maioris, ſiue intenſionis, & remiſſionis accommodatè ad voluntatem.

Primus, ac illuſtris eſto locus libro 2. de Peccat. mer. & rem. cap. 5. vbi ſic. *Adiutor noſter Deus dicitur. Nec adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: Illum tantum, illum autem non tantum: iſtum illo: illum iſto modo, penes ipſum eſt, & æquitatis tam ſecretæ ratio, & excellentia poteſtatis*.

Secundus huic geminus eſt in libro de Grat. & lib. arb. cap. 15. *Gratia Dei ſemper eſt bona: & per hanc fit, vt ſit homo voluntatis bonæ, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cæpit, augeatur, & tam magna fiat, vt poſſit implere Diuina mandata*, & cap. 16. *Ab illo Deo petendum eſt ad tantum*

ve-

velimus quantum ſufficit, vt volendo faciamus & mox. *Certum eſt nos facere cum facimus ſed ille facit vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Hinc patet alias eſſe vires paruas à parua Gratia, alias maiores à maiori, alias efficaces ab efficaci, alias efficaciſſimas ab efficaciſſima. Ad hanc pertinet quod ait eodem libro cap. 17. *Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna voluntate, hoc eſt magna charitate fecerunt.* Omitto alios, quibus pleni ſunt Auguſtini libri: vnus plures ſuppeditat liber de Corrept. & Grat. In quo non ſolum docet maiorẽ & potentiorem eſſe gratiam hominis lapſi, quàm ſtantis (vti ſæpiſſimè diximus) ſed etiam tradit, hanc eandem gratiam ſtantis hominis habere ſua incrementa, & acceſſiones: quod ſupra tetigimus loquendo de Gratia Martyrum, cuius Paradigma Auguſtinus proponit, quod ſumma ſit. Ecquis enim neget inuictam illam Martyrum conſtantiam Dei beneficium, & Gratiam fuiſſe, qua voluntates eorum vehementiùs excitatæ mundum cum omnibus *amoribus, terroribus, erroribus* ſuis vicerunt? Imo quoties Actus Heroici ſummę virtutis à iuſtis exercentur, toties ab Efficaciſſima Gratia excitãtur; niſi quis dicere velit, cum eadem omnino inuariata ac indifferente Gratia ſine vllo pulſu, motuque vehementi voluntatem ipſam conando, & agendo, ex ſe illam intentionem actuum operari, & quod à gratia non accepit, ipſam præſtare. Quod quid eſt aliud, quàm dicere gratiam accipere vires, et intenſionem à voluntate?

Volo rem hanc exemplis confirmare. Si gratia ex ſe non eſt diuerſa ſecundum gradus, nec alia eſt alia magis intenſa, ſed eadem omnino, ac eiuſdem rationis, neceſſe eſt tollere priuilegia ſummorum in Eccleſia Sanctorum, quæ à Deo iis conceſſa ſunt, puta, Ioannis Baptiſtæ, et Apoſtolorum, quibus nemo dubitet ſingularem gratiam datam eſſe: non dico gratis datã, ſed excitantem. et ſanctificantem. Sin dicamus Beatiſſimam Virginem non maiorem quouis alio iuſte gratiam accepiſſe, ne periculum ſit indifferentiæ eius voluntatis, in qua ſi libertas conſiſtit, nec admittit momenta, & inclinationes in vtranque partem, profectò non potuit Beatiſſima Virgo maiorem gratiæ vim, quàm quiuis iuſtus accipere, cum ſi eam acciperet, libertatem indifferentiæ eſſet amiſſura. Quod ſi Beatiſſima Virgo multo maiorem alijs gratiam à Deo accepit, & cum ea potuit libere operari, ac mereri, argumentum eſt libertatem non eſſe æquatam ex bilancis lingula poteſtatem, ſed habere gradus, & ſpatia, quæ cum decurrat non egrediatur terminos libertatis. Huc faciunt quæ de libertate Reſiſtentiæ ac Indifferentiæ ſupra quæſtione Pontificiæ Cenſuræ diſputauimus. & alias commodiùs & latiùs exponemus. Nunc alia de viribus concupiſcentiæ produco teſtimonia. Solet quippe Auguſt. delectati nes Carnis delectationibus Spiritus opponere, & in ea pugna concupiſcẽtiam cum gratia committere, & fortiori victoriam aſſignare. Non ego hic gratię cum concupiſcentia luctam, pugnantes que oppoſitas delectationes deſcribam, quod alterius loci ſit, id quod proprium tantùm eſt, ſumo; nimirum varios eſſe & motus, & gradus concupiſcentiæ: eiuſque delectationes intendi, & remitti creſcere, & decreſcere, atque adeo minus, & maius quiddam intra terminos libertatis recipere. Igitur Auguſtinus l. 1.

de

de Serm. Dom. in monte cap. 12. *Tria ſunt quibus peccatum impletur: ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione.* En proproſitio. Pergit. *Delectatio ante conſenſionem, vel nulla eſt, vel tam tenuis eſt, vt propè nulla ſit.* Vides inchoatam, & paruam delectationem. Tendo. *Poſtea cum ſuggeſtio reperitur, maior accenditur delectatio: quæ tamen adhuc multò minor eſt, quàm illa, quæ aſſiduis factis in conſuetudinem vertitur.* Et iterum, *Quiſquis carnalem delectationem aduerſus rectam voluntatem rebellare ſentit per cõſuetudinem peccatorum, cuius indomitæ violentia trahitur in captiuitatem, recolat, &c.* Ecce tres gradus delectationis. Prima *Tenuis*, & prope *nulla*. Secunda *maior, magiſque accenſa.* Sed *minor* inueterata. Tertia maxima & tanta, vt ob *violentiam* appelletur *Indomita*. Hos tres gradus opinor expreſſit Serm. 6. de verb. Apoſt. c. 10. hac ratione. *Mens repugnat, & condelectatur legi Dei. Iam verò ſi mens non conſentit peccato titillanti, ſuggerenti, blandienti, ſi mens non conſentit, &c.* nec opponas illud *blandienti* minus in tertium illum gradum delectationis Indomitæ ob violentiam quadrare: nam vis pulchritudinis delectantis, non atletico more nos impellit, & torquet, & facta impreſſione de gradu deijcit, & in foſſum arietat, ſed illecebris, & lenociniis quibuſdam nos pertentat, & allicit, & in animos altiùs penetrans ineſcat, & capit. Hunc expugnandi modum ſibi vendicat concupiſcentia, cuius maior eſt violentia blandientis, quàm vis fortitudinis oppugnantis. Hinc Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. c. 8. dixit. *Delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Huiuſmodi intenſionem per gradus ſuos delectantis cupiditatis exprimit Auguſtinus plurimis alijs in locis. l. 2. de Geneſi cont. Manich. Pſalm. 43. & 48. & 84. & 64. et 102. et 146. et 148. et l. 2. cont. Iulian. c. 9. et l. 5. c. 3. et Tract. 49. in Ioan. et Ser. 13. de verb. Apoſt. c. 9. et l. de ſpir. et litt. c. 28. & cap. 35. & in Enchir. c. 81. & l. 2. de pecc. mer. & rem, c. 17. & 19. & in comment. Epiſt. ad Galat. & l. 1. oper. imperf. contra Iulian. fol. 162. & alibi. Duos locos inſignes produco. Primũ. Serm. 44. de verb. Dom. c. 6. numerans gradus, per quos venitur ad conſuetudinem prauam. *Prima titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertia factum, quarta conſuetudo:* quarum illa prima *Titillatio* poteſt continere *ſuggeſtionem* in ſuperiori ſententia poſitam, vt duos motus complectatur ante conſenſum. Ecquis autem dubitet liberam eſſe decurrentem per hoſce omnes gradus voluntatem? cùm & in primo conſenſu, & aliis, ante quã conſueſcat, haud dubiè peccatum cõmittat, in quo libertas ineſt, & poſtquam conſueuit, in ipſa conſuetudine libertatem peccando retineat. Huic latitudini concupiſcentiæ ad malum neceſſe eſt, vt altera Gratiæ in operando bonum reſpondeat, quemadmodum ſupra oſtendimus: iiſdemmet gradibus recedens à malo, & accedens ad bonum: vt fiat tranſitus malę voluntatis ad ſanctam: & hinc exiſtit ſumma libertatis amplitudo, quòd & ad malum quatuor gradus ſint, & totidem ad bonum: ac in medio tranſitu à bono ad malum, vel à malo ad bonum datur quidam quaſi ſtatus ſimilis omnimodæ indifferentiæ, cùm in ipſo confinio mali, & boni, voluntas, quæ tranſitum facit, exactè verſatur. Videlicet Peccator, qui eſt obſtinatus inueterata conſuetudine, cùm venit ad maximam in virtute (quæ hic haberi poteſt) perfectionem oppoſitam

obſti-

obſtinationi paulatim diſcedit à conſuetudine, deſiſtens à peccando, & minus peccans: deinde à minoribus peccatis venit ad ſtatum quendam minus malum, & ab illo eò deuenit, vt cùm non alliciat multum delectatio peccandi, nec multum adhuc moueat delectatio Gratiæ, ſit veluti in quodam confinio vtriuſque, ac veluti in æquilibrio liberæ in vtranuis partem poteſtatis: à quo intendente ſe paulatim delectatione iuſtitiæ per diuerſos gradus boni ad culmen perfectionis aſcẽdit: in quo conſiſtens ſibi ipſi oppoſitus cernit decurſum à ſe ingens ſpatium libertatis: nulla omnino inducta neceſſitate, nec retenta indifferentia; cum ſemper anteà excepto punto tranſitus, inclinata in alteram partem fuerit, ſecundum varios quos deſcripſimus gradus libertatis. Hunc modum ratiocinandi docuit me Auguſtinus, lib. 22. de Ciuit. Dei. c. 30. *A delectatione, inquit, peccandi, vſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberabitur.* Loquitur de voluntate Beatorum in Patria, quæ peccare non poteſt, beata neceſſitate: & à poteſtate peccandi libera, ad quem terminum non peccandi in Patria, in quo eſt neceſſitas, ducit cogitationem per ſpatiũ illud medium liberum interiectum inter duos illos terminos principii peccandi, & termini peccandi ex beata neceſſitate: ita vt via vſq; ad eum terminum liberè tota per ſuos paſſus, graduſque liberos conficiatur.

SECTIO III.

Corollaria ſuperioris doctrinæ proponuntur.

PRimum eſto: Concupiſcentiam non eſſe aliquid natura ſua malum, neque in ſenſu Manichæo, qui malum ingenitum faciebant, neque in ſenſu Lutherano, qui malum neceſſarium per peccatum originale naturæ adueniens, eamque corrumpens ſtatuebat. Quandoquidem liberum arbitrium non fuit extinctum, neq; ſublatum, ſed tantùm deiectum, & inclinatum, amiſſa illa prima indifferentia in æquilibrio collocata: ex quo apparet manere poteſtatem idoneam cum libertate ad vtranque partem, quę ſatis ſit ad operandum bonũ, & malum. Vnde excluditur coactio, & neceſſitas peccandi intrinſeca à voluntate, quam inducebant Manichæi, & inducunt Lutherani ab eodem principio intrinſeco naturæ: cum hoc diſcrimine, quòd Manichęi ingenitam dicant peccabilitatem, Lutherani aliunde venientem naturæ, hoc eſt pœnalem, non naturalem. Audiamus Auguſtinum libro 1. contra duas Epiſtol. Pelagian. ad Bonifacium cap. 2. *Quis autem noſtrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate iuſtitiam; propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino, ſi vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad bene, iuſtèque viuendum.*

Secundum: Concupiſcentiam non eſſe qualitatem morbidam, neque aliquid phyſicum additum naturæ impellens, & trudens ad peccandum, quia ſi talis eſſet inferret neceſſitatem voluntati peccanti, qualem non timent admittere Ianſeniani, quorum opinio parum differt à Manichæis, & Lutheranis, eſtque manifeſta doctrina Caluini, qui admiſit peccatum cum neceſſitate diſtinguens inter coactum, & neceſſitatum excluſa coactione, indu-

Digitized by Google

ſta neceſſitate: quod Ianſenius cum ſuis non dubitauit concedere, imo & imponere Auguſtino, à cuius doctrina maximè abhorret, cùm ille ſemper perſpicuè, & conſtanter docuerit peccatum non poſſe cùm neceſſitate ineuitabili conſiſtere, & vitandi poteſtatē poſtulauerit, quemadmodum ſuperius diximus. Eſt autem argumentum contra iſtud phyſicum concupiſcētiæ malum ex Auguſtino petitum, ac experiētia probatum, videlicet magnam eſſe diuerſitatem motuum concupiſcentiæ in hominibus, quorum multi ardent, alii frigent, multi rapiuntur, alii continentur, multi facile auertuntur, alii difficile auelluntur, de quo eſt egregia apud Auguſtinum deſcriptio lib.4.cont.Iulianum Pelag. *Alij natura leues, alij leuiſſimis cauſis ira facillima ardentes, alij ad vindictæ cupiditatem inter vtroſque mediocres: alij ſpadones, alij in concubitu ita frigidi, vt vix omnino moueantur; alij libidinoſiſſimi, vt vix omnino teneantur, alij inter vtroſque, & moueri faciles, et teneri, alij timidiſſimi, alij audaciſſimi, alij neutrum; alij hilares, alij triſtes, alij ad nihil horum procliues: nec eorum quæ commemoraui aliquid inſtituto, ac propoſito, ſed natura.*

Hæc declarant non eſſe aliquid phyſicum illam vim concupiſcendi, ſi enim talis foret, omnes eodem modo afficeret, cùm oriatur ex peccato originali, quod in omnibus æquale, ac eiuſdem rationis eſt. Vnde ſi cauſa par eſt, effectus tam diſpares eſſe non poſſunt.

Tertium eos, qui ponūt huiuſmodi phyſicū impellens ad peccandū ſimiles eſſe Pelagio, qui negabat per peccatum originale vitiari naturam potuiſſe, quia peccatum non erat ſubſtantia, ſed negatio, quē Auguſt. c.20. conuincebat exemplo inediæ, quæ cū ſit priuatio cibi, tamen diminuit vires, & extinguit hominem; & confirmatur ex eo, quòd non requiritur ad peccandum principium poſitiuum, & phyſicum impellens ab intrinſeco ad peccatum, cùm Angeli ſine concupiſcentia peccarint, & primus homo ab illa liber, & immunis propria voluntate peccauerit, cum tamen gratia concomitante minime caruiſſent. De quo Auguſtinus lib.1.contr Iulian c.8. vbi concludit aduerſus Pelagianos, & Manichæos creaturam ex natura ſibi relicta peccare poſſe, & omnino peccaturam, etiam ſi non haberet principium intrinſecum impellens ad peccandum, cùm eſſet natura defectibilis, & ad nihilum tendens, præſertim gratia deſtituta, cuius adiutorium Pelagius excudebat, vti apparet ex illius errore commemorato ab Auguſtino in lib.de nat. & grat.c.20.& ſeq.

Quartum diſtinguendum eſſe inter liberum arbitrium, & liberatum arbitrium, quam differentiā diuinitùs Auguſtinus induxit. Arbitrium quippe liberum dicitur ex natura ſua conſideratum cum poteſtate operandi bonum, & malum, licet non cum æquali indifferentia, vti proximè diximus, quaſi poſſit ſine adiutorio gratiæ per vires ſolius naturæ vitare peccatum, operari bonum ad ſalutem, & vitam æternam conducens; ſed cum adiutorio gratiæ vtrumque poſſit efficere. Itaque liberandum eſt per gratiam; & ita liberatum vltra liberum euadit, ita vt liberum ſit, ſeruata ſua natura; ſed vlterius liberatum per gratiam, vnde fit liberum, & liberatum, quemadmodum ſolet idem Auguſtinus in ſuis libris diſtinguere liberum Arbitrium naturale, & liberatum cum gratia, quam *liberatricem* vocat

Epiſt.

Digitized by Google

Epiſt. 105. ad med. Hanc diſtinctionem luculenter expreſſam, vide in eadem epiſt. et epiſt. 107. lib. de perfectione iuſtit. c. 4. lib. de grat. et lib. arb. c. 12. et 13. lib. 1. ad Bonif. contr. 2. Epiſt. Pelagian. c. 2. 3. 10. lib. 2. c. 5. lib. 3. c. 7. ad med. et lib. 5. c. 2. lib. 2. de pecc. mer. & remiſ. c. 6. & 12. lib. de nat. et grat. c. 21. et 53. lib. 6. contra Iulian. cap. 12 et 14. lib. de Corrept. et grat. c. 1. 8. 11. 12. 13. Serm. 3. de verbis Apoſt. cap. 3. ſerm. 5. c. 10. ſerm. 13 cap. 12. Serm. 20. c. 2. d. 2. contra Fortunat. tomo 6. et ſæpè aliàs. Nam nihil eſt in Auguſtino frequentius, cui ſemper propoſitum fuit liberum arbitrium ſeruare, et retinere contra Manichæos, vt peccatum eſſet voluntarium, non naturale, neque neceſſarium: et addere gratiæ auxilium excitans, et adiuuans ad vitãdum peccatum, et vincendas tentationes.

Hæc autem doctrina neceſsaria fuit ad cõuincendũ Pelagium qui dicebat ſatis eſse liberum arbitrium ad ſalutẽ. Intelligens liberum arbitrium per vires ſuas naturales ſine vllo gratię adiutorio quod Auguſtinus negabat retinens liberum arbitrium, ſed requirens adiutorium gratiæ, quo fieret liberatum.

Quintum, Auguſtinum longiſſimè diſtare à dogmate Lutheri, & Calui ni de ſeruo arbitrio, in quo nulla ſupponitur libertas, imò ponitur neceſſitas. Qua in re animaduertendum Auguſtinum dicere liberum arbitrium captiuatũ, & interdum, captiuum, propter concupiſcentiam inclinantem ad peccatum, rarò tamen dicere arbitriũ *ſeruum* verè quidem, ac ſubtiliter, quia nomen *ſeruus* ſignificat ingenitam ſeruitutem prouenientem ab intrinſeco, at vero captiuus, & captiuatus ſignificat ſeruitutem extrinſecùs aduenientem, Seruus quippe ex ventre naſcitur; at verò captiuus iã natus, & adultus ex accidẽte efficitur. Declarauit ergo Auguſtinus differentiam concupiſcentiæ venientis ab extrinſeco per peccatum originale libero arbitrio, à ſeruitute innata, & intrinſeca, quam inducunt Lutherus, & Caluinus & Sequaces, qui auferunt & extingũnt libertatem arbitrij naturalem, affirmando arbitrium *ſeruum* eſſe, hoc eſt priuatum libertate ſua ingenita, cùm tamen Auguſtinus veriſſimè dixerit arbitrium captiuatum fuiſſe, cum ſit liberum per concupiſcentiam aduenientem pænalem propter peccatum originale, diſtinguens inter ſeruum, & captiuum, & inter liberum, & liberatum. Idque ego diligentiſſimè obſeruaui. Ac memini Auguſtinũ multoties, vt dixi, cũ D. Paulo nominare arbitriũ *captiuum*, ſiue *captiuatum*; non ſolere autem nuncupare liberum arbitrium *ſeruum*: ſcio dicere *ſeruire peccato* cum Diuo Paulo quia *ſeruire* verbum conuenit etiam homini libero captiuo, ſiue captiuato, nomen autem *ſeruus* propriè non quadrat in hominem natura ſua liberũ naturaliter, captiuus vero poteſt ſtare cum libero naturaliter. Nõ inficior tamen arbitriũ *Seruũ* dixiſſe lib. 2. contra Iulian. c. 8. verùm ibi ſic congruebat ad refellendum aduerſarium.

Sextum. Auguſtinum admiſiſſe neceſſitatem peccandi, ortam non ſolùm ex natura defectibili, ſed etiam ex inclinatione, & impulſu concupiſcentiæ pænalis, de qua præcipuè loquitur aduerſus Pelagianos, qui negabant peccatum oriri poſſe à natura pura, & negabant item concupiſcentiam pænalem, ex quo conſectaneum erat homines poſſe non peccare, & viuere naturaliter ſine peccato. Auguſtinus igitur docebat neceſſitatem quandam

Digitized by Google

eſſe peccandi, præſertim in natura lapſa propter vrgentem concupiſcentiam, quæ cum à peccato eſſet, & ad peccatum inclinaret, inducebat certam quandam infallibilitatem, imo & neceſſitatem peccandi. Ita lib. 3. de libe. arb. c. 18. & d. 2. contra Secundinum, & lib. de perfect. iuſt. cap. 4. & lib. 8. confeſ. c. 5. & ſerm. 4. de tempore, & lib. 1. Retract. c. 1. ac in primis lib. de nat. & grat. penè toto cõtra Pelagium, & ſic explicat locum Pſalmi 24. *De neceſſitatibus meis erue me*; & in hoc ſenſu negat fuiſſe vllum Sanctum ſine aliquo peccato aduerſus Pelagiũ aſſerentem multos fuiſſe ſine vllo peccato: quod negat Auguſtinus in eo lib. de nat. & grat. c. 36. vna excepta B. V. Maria, quam immunem facit ab omni prorſus peccato, propter honorem Domini, cuius mater fuit. Animaduertendum tamen hanc neceſſitatem verſari quo ad exiſtentiam peccati: quaſi dicat neceſse eſt vt aliquando incidamus in peccata propter fragilitatem noſtram, & propter impulſum concupiſcentiæ; non autem quo ad ineuitabilitatem peccati; quaſi dicat dari neceſſitatem ſine poteſtate vitandi peccatum: hoc enim nunquam dixit Auguſtinus, qui ſemper requiſiuit ad peccatum libertatem, & poteſtatẽ vitandi aduerſus Caluiniſtas, & Ianſenianos: quibus adhęrere maluit Henricus Noris.

Qui componunt libertatem cum neceſſitate ineuitabili, decepti locis ſuperius adductis: ac in primis Operis imperfecti, quibus adhæret Henricus Noris in Vindicijs pag. 80. falluntur quidem: nam et ſi Auguſtinus dicat peccatum, quod eſt pæna peccati, non eſſe liberum, intelligit de libertate poſita cum indifferentia in æquilibrio: qualis erat in Adamo ante peccatum: non componit verò neceſſitatem veram, & rigoroſam cum peccato, ſed ſolùm moralem quandam neceſſitatem, quæ continetur intra terminos difficultatis; & eſt quid medium inter libertatem indifferentiæ, & inter neceſſitatem, quæ continetur intra terminos difficultatis, & eſt quid poſitũ inter libertatem indifferentiæ, & inter neceſſitatem ineuitabilem. Animaduertendum tamen eſt diligenter: Auguſtinum appellare *conſuetudinem neceſſitatem*, non quod hæc neceſſitas ſit, ſed quod difficile vincitur propter inueteratam conſuetudinẽ peccandi: Hanc ſępiſſime deſcribit in ſuis operibus. Affero quædam teſtimonia lib. 3. confeſs. c. 1. lib. 6. cap. 12. lib. 8. cap. 5. vbi ait *ex conſuetudine faciam neceſſitatem*: lib. 12. de Ciuitate cap. 3. dicit *Vitium conſuetudine roboratum veluti naturaliter innoleuiſſe*, Qui autem velit illuſtre paradigma huius conſuetudinis inueteratæ intueri, legat ille lib. cont. Fortunat. d. 2. ad medium: quod huiuſmodi eſt. *In noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animam pernicioſa dulcedo, & voluptas, eadem ipſa conſuetudine ſic implicatur, vt poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt. Videmus multos iurare nolle: ſed, quia iam conſuetudinem lingua tenuit, non poſſe refrenare, quin ea exeant de ore ipſorum, quæ non poſſumus dicere ad mali ſtirpem non pertinere. Vt enim vobiſcum his verbis agam, quæ vtinam ſicut de ore veſtro non recedunt, ita & corde intelligantur, per paracletum iuratis. Si ergo vultis experiri, verum eſſe quod dico, inſtituite non iurare. Videbitis illam conſuetudinem ferri*

Digitized by Google

ferri quò ſolet: & hoc eſt, quod aduerſus animam pugnat conſuetudo facta in carne. Ipſa eſt nimirum carnis prudentia, quæ quandiù ita eſt legi Dei ſubijci nõ poteſt, quamdiu prudentia carnis eſt: ſed illuminata anima, deſinit illa eſſe carnis prudentia. Sic enim dictum eſt, prudentiam carnis non poſſe legi Dei eſſe ſubiectum, quemadmodum ſi diceretur glacialem niuem calidam eſſe non poſſe. Nullo enim pacto, quamdiu nix eſt, calida eſſe poteſt. Sed quemadmodum illa nix calore reſoluitur, & deſinit nix eſſe, vt poſſis caleſcere: ſic illa carnis prudentia, id eſt, conſuetudo facta cum carne, cùm fuerit mens noſtra illuminata, & ad arbitrium diuinæ legis totum hominem ſibi Deus ſubiecerit, pro illa conſuetudine animæ mala facit conſuetudinem bonam.

SECTIO IV.

Sancti Auguſtini ſententia à calumnia obiter vindicata.

MAgnum negotium exhibet Ianſenianis hominibus ponentibus Concupiſcentiam intrinſecè, ac natura ſua malam præclara illa Auguſtini ſententia lib. 3. de lib. arbit. à c. 20. & lib. 1. Retract. cap. 9. *Quamuis ignorantia, & difficultas etiam ſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus*, quo tanquam iniecta bipẽni eorum dogma præciditur. Eoque magis laborant, quò auerſarij vehementiùs obiiciunt, & obijciendo vrgent. Quare ij primum eleuare conantur põdus auctoritatis dicendo vnum tantummodo eſſe, & in vno tantùm loco poſitum teſtimonium, cùm alia in oppoſitum multa ſint, & ſæpiùs occurrant. Hoc autem falſum omninò eſt, & vt verum eſſet, cùm illud tam ſit perſpicuum accipiendum, & retinendum, ac exponendum foret, ne ſecum pugnaret Auguſtinus. Falſum id eſſe monſtrauimus indicando duos locos, in quibus inuenitur hoc teſtimonium expreſſum, videlicet cap. 11. & 12. lib. de Don. Perſeuer. & quidem in ſenſu Pelagiano, non Manichæo. Addo illam ipſam ſententiam multoties repeti in eo lib. 3. de lib. arbit. & accipi, & recognoſci in lib. 1. Retract. c. 9. Igitur hoc effugium obſtruitur.

Ad expoſitionem venio. Aiunt Auguſtinum eo in loco hypotheſim Manichæorum admiſiſſe, conuincendi eos gratia, argumentando recepto illorum dogmate ruere doctrinam Manichæam de natura per ſe ipſam mala, & peccatrice hoc modo. Admiſſo veſtro principio, Manichæi, ſcilicet naturam eſſe per ſe, & naturaliter peccatricem, ſi Deus eam talem conderet, nihil inordinatum fieret à Deo, quia conderet talem naturam, quæ non peccaret, ac proinde peccaret naturaliter, quod nullum eſſet peccatum, cùm aliter facere non poſſet. Vnde concluditur Deum non fore culpãdum imò laudandum, ſi eam talẽ conderet naturam, quę naturaliter ita fieri poſtulabat, & aliter ſe habere non poterat. Hæc expoſitio vti ſuperiùs demonſtraui in Claui liberi arbitri vindicati eſt prorſus contra mentem Auguni ſemetipſum interpretantis, & diſertè aſſerentis ſe loqui in hypotheſi contraria Manichæis, ſumendo concupiſcentiam per naturam ſuam bonã in ſenſu Pelagianorum, qui negabant malam eſſe naturam, & puram à peccato ponebant, & facta iſta hypotheſi Auguſt. Manichæos refutabat euertẽdo, non ſeruando ſenſũ Manichæum. Ex quo apparet incogitantia Ianſeniſtarum,

ſtarum, qui impoſuerunt Auguſtino hypotheſim Manichæorum ad eos reuincendos, cum ille contrariam aſſumpſerit Pelagianorum ad Manichæos refutandos. Itaque grauiter errarunt in facto.

Grauiùs tamen errarunt in iure, vt ita dicam. Rem expono. Aſſumunt in hypotheſi Deum bonum condere malam naturam, & immutabiliter malam: quæ aſſumptio non fuit Manichæa; etenim Manichæi non faciebāt Deum bonum auctorem malæ naturæ, ſed Deum malum principium mali, & idcirco duos principes finxerūt vnum bonum lucis, conditorem boni: alterum tenebrarum, conditorem mali: quia nunquam ſibi perſuaſerant à Deo bono creari poſſe malum, nec à Deo malo creari poſſe bonum. Quomodo ergo Iāſenius, & Aſſeclæ aſſumpſerunt tanquam Manichæum, quod nunquam Manichæi poſuerunt: imo ſemper negarunt. Errauerunt multò quā Manichæi manifeſtius in materia hypotheſis. Hi nunquam auſi ſunt inducere Deum bonum conditorem mali: illi facilè eum ſuppoſuerunt creatorem mali. Pugnat hæc hypotheſis cum hypotheſi Manichæa. An hoc diceret Auguſtinus nomine Manicheorum, qui omnes fibras illorum doctrinæ nouerat? Ab eius mente aberrant huiuſmodi expoſitiones. Si Auguſtinus vellet hypotheſim Manichæorum adſtruere, non Deum bonum, ſed malum naturæ malæ conditorem inducere debuiſſet. Pergo nunc ad errorem in Theologia. Aiunt Ianſeniani facta hypoteſi Manicheorum adhuc *Deum eſſe non modo non culpandum, ſed laudandum*. Vrgeo. Ergo Deus eſſet laudandus, ob id quod Diabolus feciſſet. Is feciſſet naturam per ſe malam, quod erat opus diaboli principis tenebrarum, laudandus ne eſſet? Ij concedunt. Ego non auſim. At reſpondent. Illa natura non poterat aliter fieri. Concedo. Verùm hoc non ſufficit ad excuſandum Deum bonū, ne dum laudandum; potuit enim aliter facere non condendo illam, quamuis illa aliter fieri non poſſet. Imo peccaret Deus, ſi eam talem faceret, cùm faceret liberè; nam Deus bonus non faceret neceſſariò naturam malam, vt ipſi Manichæi docebant. Igitur faceret liberè, atque adeo peccaret creando liberè naturam malam, cum eam liberè condere voluiſſet. Videant quid affirment. Admittunt Deum bonum facientem liberè naturam malā, quam malus Deus neceſſariò faciebat, Deus autem malus non peccaret, quia neceſſariò faciebat, Deus autē bonus peccaret, quia liberè faciebat. Falluntur verò dum ſatis eſse exiſtimant ad excuſandum Deum, imo & laudandum, eam rationem petitam ex impeccabilitate illius naturæ creatæ per ſe malæ: nam illa ratio creaturam excuſat, non creatorē; imo maximè culpat. Audiant Theologum Scholaſticum. Illa creatura per ſe mala eſſet cauſa multorum malorum naturalium, & moralium. Fac eam, vt eius mala ferebat natura, fore crudelem, impiam, ſceleratam, graſsari, vaſtare agros, pecora abigere, ſiccare fontes, euellere arbores, oppida euertere, vrbes excindere, homines extinguere. Laudandus ne eſſet Deus, quia talem naturam creaſſet? At illa non peccabat. Hoc ſolum malum eſt? Iſta non ſunt mala? non ſunt contra rationem? Contra iuſtitiam? Contra pietatem? Horum cauſa non redit ad Deum conditorem? Quomodo igitur eſset laudandus? Fac illam creaturam fore natura ſua ſuperbam, auaram, gu-

loſam, iracundam, fornicariam, inuidam, ebrioſam, pigram, immanem. Fac impiam perfidam, ſuperſtitioſam, ſacrorum inimicam; illa quidem non committeret crimina, ſed eſſet occaſio criminum plurimorum: deprimeret, conculcaret, præcipitaret multos, ſtupraret virgines, adulteraret matronas, violaret pueros, cogeret violare fidem, ſacra deteſtari, Deum negaret, aras euerteret, templa deſtrueret, religiones tolleret. An hæc quia neceſſario patraret, excuſanda ſunt, & laudandus erat auctor illius ſceleratæ peſtilentiſque naturæ? Finge tibi eam creaturam talem eſſe, quæ non poſſet non mentiri, quæ non poſſet nō odiſſe Deum, non eſſet irrationabile illud mendacium, & odium Dei? non foret ergo Deus conditor laudandus, imo deteſtandus, & execrādus, qui talem naturam condidiſſet. Longe ſunt iſta ab illo diuino Auguſtini ingenio. Tam hoſpites in eo eſtis boni viri, vt ignoretis eſſe paſſum non fuiſſe dogma Pelagianorum negantium originale peccatum, & tamen ponentium miſerias & pœnas paruulorum innocentium, quòd nollet quemquam ſine culpa puniri, imo ex ſupplicijs arguere eos peccatū originale contraxiſſe? Quomodo ergo admitteret Deum eſſe conditorem naturæ ſæuientis in innocentes, eoſque tot damnis ſupplicijs, ac pœnis afficientis? Negant Theologi librum de Prædeſtinatione & gratia germanū Auguſtini fœtum eſſe, quia in eo continetur ſententia illa, quàm nonnulli audent adſtruere, poſſe Deū omnipotentem damnare aliquem ad inferos ſine vlla culpa pro ſua omnipotentiſſima poteſtate. Et quidem iure negant: non enim Auguſtinus hanc ſententiam probaret, vel ferre poſſet; nec elabuntur dicendo in eo libro agi de Deo per ſe puniente, non autem de creatura, quæ ſuapte vi noceret, nec poſſet à nocendo cohiberi. Hoc enim nullum effugium eſt. Quid enim refert ſi tu per te, aut per alium noceas, cùm damnum illatum à te proueniat. Tenētur malefacti hortatores, & impulſores, erit innocens autor, & conditor malefactoris? Nā quod neceſſariò ageret, & abſtinere à malo non poſſet, ad peccatum proprium intereſt, non ad excuſandum alienum auctoris. At natura neceſſariò facit, nō liberè. Grauior ergo erit auctoris culpa, qui condidit creaturam, quæ non poſſet à nocendo ceſſare, nec à malo inferendo deſiſtere. Creet Deus ignem, eoque circundet orbem, an idcirco minus nocebit quòd neceſſariò comburet? Imo magis: quòd contineri non poteſt. Redeant ad ſe hi Scriptores, & norint quàm ineptam, & abſurdam hypotheſim Auguſtino tribuerint, & quàm temerè dixerint in ea hypoteſi Deum eſſe laudandum. Nihil horum committerent, ſi Theologi Scolaſtici eſſent. Sed ijs eſt inuiſum hoc genus ſtudioſorum, & ſtudiorum, quod tamen laudant Summi Pontifices, multò iuſtiùs, quàm ii dicunt Deum eſſe laudandum in creatione malarum creaturarum excuſando mala inde oritura, quòd à non peccantibus facta eſſent. An nō peccabit qui per ebrium aliquem occidat, vel per amentem templum euertat?

Diſcant ex Auguſtino quàm ſit ab eius mente hæc interpretatio aliena. Manichæi ponebant naturam malā à Deo quodam ſummo malo conditam, non à Deo ſummo bono: nouerat hoc Auguſtinus. Qui ergo in hypotheſi admitteret Deum bonum condentem naturam malam? Dicebant inde Manichæi naturam iſtam, malam eſſe,

gen-

gentem tenebrarum, inimicam gentis lucis; & inter principes lucis bonum, & caliginis malum, bellum exortum, & ex bello ortam comixtionem boni, & mali. Aiebant præterea animas ſua natura bonas ex Deo, & partes Dei eſſe, malas autem nihil prorſus de Deo bono habere. Non poterat ergo Deus bonus condere naturam malam. Adijciebant Deum & gentem bonam fuiſſe corruptam in eo bello à Deo malo, & gente mala, quod eſt alienum ab hypotheſi quæ ſumitur, neque enim Deus poterat naturam malam condere à qua corruptus fuerat. Tandem aſſerebãt animas & bonas, & malas peccare cæpiſſe, & pænitere peccati propter mixtionem mali, & boni. Diuerſa ſunt hæc ab illa hypotheſi intruſa Manichæorum. Nec hi dubitabant peccare illas animas ante mixtionem malas, quia naturæ, non voluntati peccatum aſſignabant; de quo eos errore abſurdiſſimo Auguſtinus arguebat docens non eſſe peccatum niſi voluntarium, & vitabile. Exiſtimabant tamen Manichæi eas ita per naturam peccantes damnari, & puniri propter illa natulia peccata, qui erat error abſurdior. Vtrum autem peccare bonas exiſtimarint ante comixtionem? obſcurius eſt in eorum ſcriptis. Verum Auguſtinus ſentit eos, id etiam affirmare ex theſauro Manichæi libro de fide contra Manichæos cap. 5. 6. & 7. Vtraſque autem peccare, & pænitere poſt comixtionem, ab ijs traditum, & ſtatutum fuit apud Auguſt. li. de duab. animab. c. 12. 13. 14. & diſput. 1. contr. Fortun. in fine, & rurſum diſput. 2. ad medium. Et cont. Secundinum cap. 8. Demùm Manichæus ipſemet inſtitutor, at princeps illius ſectæ falſus eſt in ſuo theſauro animas libertate, non neceſſitate peccare.

Itaque ſuſtineri nequit illa hypotheſis intruſa à Ianſenio, & auctore nouitio; non viderunt libros Auguſtini contra Manichæos, & integrum textum eius operum Tomum tranſilierunt. Tam enim ſunt in ijs expreſſa dogmata contraria huic expoſitioni, vt legentes latere non poſſint. Oportebat ea cognoſcere, expendere, aſſerre: quemadmodum nos, qui Auguſtinum integrum legimus, deuorauimus, concoximus, expendimus, protulimus, rectè omninò Magiſtrum interpretati. Doleo vehementer quòd laudati Auctores opinationes ſuas Auguſtini ſenſus eſſe dixerint, quæ à Manichæorum dogmate diſcrepant maximè. Primùm aſſumunt Deum bonum conditorem naturæ malæ, qualem Manichæi minimè poſuerunt, qui Deum malum, naturæ malæ auctorem aſſeuerarunt. Secundum ſuppoſuerũt à Deo bono, qui omnia bona ex ſe, ac de ſe condere à Manichęis ponebatur; malum creari potuiſse; quod nunquam Manichæi ſomniarunt, negantes ſummum malum poſse condere naturam bonam, & ſummum bonum, idelt, Deum bonum, poſse creare malum. Tertium non viderunt ſequi ex eo quod ſi Deus conderet malum eſset cõtradictio, nec enim malum eſse poſset cum eſset pars Dei boni, quæ nõ poterat eſse mala. Quartum non obſeruarunt tolli eo modò neceſſitatem duorum principiorum boni, & mali: nam ſi principium bonum poſset cõdere malum, quid opus erat principio malo? Quintum nõ animaduerterunt auferri prælium inter Deum bonum, & Deum malum poſitum à Manichęis tanquam occaſionem commixtionis boni, & mali; atque adeo fore vt toti illi exercitus luminum, & tenebrarum, arma hinc inde

inde comparata, & acies, & conflictus euaneſceret. Sextùm non viderunt auferri corruptionem naturæ bonæ, & eiuſdem purgationem per coitum puerorum, & puellarum, & per mille alios modos larualis, & monſtroſæ luſtrationis & mundationis, quibus totus Manichæi Theſaurus tanquam gemmis, gemitu, non pretio dignis, refertus inuenitur. Si hęc admitteret Auguſtinus monſtra, contemnerent illius argumenta Manichæi, cùm tam eum ſuorum dogmatum imperitum agnoſcerent. En quò ruit illa expoſitio Ianſenianorum hominum, qui ſe dici Auguſtinianos volunt, cùm potius Anguſtiniani dici debeant, & in anguſtias coniecti, & anguſtiati (vt præter meum morem barbaro vtar vocabulo,) anguſtiatiſſimi, non *Auguſtinianiſſimi* euadant, nos verò *Auguſtinianiſſimi*, quo me eruditiſſimus Pater Fridericus Stumelius afficit titulo, maneamus. Nec verò excuſent, quod ſolent, ſubtilem quæſtionem eſse, nec multum intereſse in his, quod aiunt, minutiis falli, vel fallere. Nam cur ſe Scholaſticis huiuſmodi ſubtilitatibus immiſcuerunt? homines, qui ſe à ſcholis ſegregarunt, eaſque vituperant, & reprehendunt? Carpunt, vel imprudentes, Auguſtinum, mortalium ſubtiliſſimum, qui diù multumque verſatus in refellendis hæreſibus Pelagianis, & Semipelagianis, quibus nihil eſt ſubtilius, nihil acutius, nihil minutius, & à communi Theologorum ſenſu recedunt, qui docent Deum ſingulari prouidentia Auguſtinum condidiſse, vt eius acumine pernicioſas illa ſubtilitates refutaret. Craſſi, & grandes errores per ſe ruũt. Tenues, & ſubtiles difficiliùs deprehenduntur, tutiùs graſsantur, tectiùs nocent, laborioſiùs refelluntur. Subtilia ſunt illa commenta, ſed grauia, & grauiora, quàm ferre poſſint publici ſaporis ingenia; oportebat nobis ſcholaſticis iſta relinquere, qui Theologico filo euoluto has ſubtiliſſimi labyrinti ambages feliciter euademus.

SECTIO V.

Dę Ignorantia pęnali orta ex originali peccato, an ſit inuincibilis, & obnoxia peccato?

AVguſtinus quando loquitur de Reatibus conſequentibus peccatum originale ponit duos Ignorantiam, & Difficultatem, ex quibus conſtare videtur ea, quæ vulgò dicitur Concupiſcentia, & eſt pænalis; itaque ſemper eas coniungit lib.3. de lib. arbit. à cap. 19. ad finem, & lib. primo Retractat. cap. 9. vbi citat primos locos de lib. arbitr. & lib. de nat. grat. cap. 67. & lib. de Bono Perſeu. cap. 11. Dò vnum, & alterum locum. Primus eſto lib. de nat. & grat. cap. 67. *Sunt quidem omni peccanti animæ duo iſta pænalia: Ignorantia, & difficultas. Ex Ignorantia dehoneſtat error, ex difficultate cruciatus exiſtit.* Secundus ex lib. 1. Retract. c. 9. *Quam miſeriam Pelagiani nolunt ex iuſta damnatione deſcendere negantes originale peccatum. Quamuis ignorantia, & difficultas etiam ſi eſſent primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus.* Harum partium: Ignorantia pertinet ad intellectum: Difficultas ſpectat ad voluntatem. Neutra eſt peccatum, ſed pęnalitas eſt peccati, & concupiſcentia, quæ videtur reſultare ex vtraque non eſt peccatum, ſed inclinat ad peccatum iuxta Concilium Tridentinũ. Sicut igitur in voluntate exiſtunt quidam motus naturales, & indeliberati

primo primi, in quos prorumpit Concupiſcentia pœnalis, qui non ſunt peccata: ita etiam in intellectu dantur quidam actus ignorantiæ, ſi tamen ſunt actus, melius enim dicuntur priuationes debitæ ſcientiæ, qui non ſunt peccata. Satis diximus de Concupiſcentia voluntatis, quæ fomes peccati appellatur; nunc dicendum de Ignorantia in intellectu, quæ prouenit immediatè ex peccato originali, & ex pœna illius.

Indubitata doctrina eſt inter Theologis, iſtam Ignorantiam non eſſe formaliter peccatum: erumpere tamen in peccatum accedente voluntate, & poteſtate vitandi ignorantiam, quia tunc tranſijt in liberam, & vincibilem, cùm prima ſit ignorantia naturalis, & inuincibilis, in qua peccatum eſſe nequit. Hæc eſt doctrina Auguſtini perpetua, & irrefragabilis, affirmantis ad peccatum requiri libertatem voluntatis, & poteſtatem vitandi, & negat ſine hac dari poſſe peccatum. Eſt inſignis locus lib. de nat. & grat. cap. 67. vbi citat locum de lib. arbit. lib. 3. cap. 18. hoc modo. *Quæcumque cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caueat ne fallatur. An tanta fallacia eſt vt caueri omnino non poſſit? Si ita eſt nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo poteſt? Peccat autem: caueri igitur poteſt.* Et iterum ad finem capitis. *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Omnia continet hic locus. Docet ignorantiam inuincibilem, & ineuitabilem eſſe incapacem peccati. Et contra affirmat Ignorantiam vincibilem, & vitabilem eſſe peccatum, & adhibet rationem, quia illa prima non eſt voluntaria, neque libera, cùm ſecunda ſit libera, & vitabilis. Rurſum lib. de grat. & liber. arbitr. c. 3. *Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire noluiſſe: voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur. Noluit intelligere, vt bene ageret. Et iterum. Quando autem dicit homo non poſſum facere quod præcipitur, quoniam à Concupiſcentia mea vincor, is quidem de ignorantia non habet excuſationem, nec Deum cauſatur in corde ſuo, ſed malum ſuum in ſe cognoſcit, & dolet: Cui tamen dicit Apoſtolus. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum, & vtique cui dicitur. Noli vinci, arbitrium ſine dubio voluntatis eius conuenitur, velle, enim nolle propriæ volũtatis eſt.* Patet igitur doctrina Auguſtini, quæ nunquam admittit peccatum niſi in ignorantia vincibili, & voluntaria, & uitabili. Hoc perpetuò affirmat in ſuis operibus Epiſt. 105. ad Sixtum. lib. 2. contra Creſconium cap. 26 lib. de grat. & lib. arb. cap. 3. lib. de geſtis Pelag. cap. 18. & Epiſt. ad Boniſ. Com. de Corrept. Donatiſtar. quæ eſt 50. & lib. 3. contra Iulianum cap. 19. & tract. 89. in Ioannem.

Cùm hæc veriſſima ſint certi homines, qui ſe iactant de Auguſtini lectione, contra totam antiquitatem, & Scholaſticam doctrinam, quaſi Magiſter, & Sanctus Thomas, & Bonauentura, & Scotus minus in Auguſtino vidiſſent, commenti ſunt Ignorantiam apud Auguſtinum inuincibilem capacem peccati, & cum qua ſtare peccatum poſſet, hi ſunt Baiani, & Ianſeniani: quibus oportet monſtrarare omnino falli, & fallere in Auguſtino, vt norint alios eſſe magis in eo verſatos, quique eruditos oculos in Auguſtini operibus habeant: non enim

enim puto me quidquam ijs concedere, qui ab annis quadraginta Auguſtinum lego, & verſor, & totum deuoratum, & concoctum in animum dimiſi meum, & ſæpe integrum palàm propoſui defendendum: igitur affirmo Auguſtino tale commentum impoſitũ eſſe, & nũquam eũ in ſuis libris eiuſmodi paradoxon poſuiſſe, quod omnino cum eius de libertate, & poteſtate peccandi ſententia pugnare conſtat. Qua de re Pariſiis olim in noſtra Cortina Auguſtini ex inſtituto, & accuratè diſeruimus in propria quæſtione de libertate, & neceſſitate peccandi, & hanc materiam de Ignorantia diligentiſſimè, & minutiſſimè tractauimus. Igitur.

Audiamus Auguſtinum tribus in locis mentem ſuam exponentem. Primum in proprio loco Ioannis 15. tract. 89. *Quid eſt ergo: Si non veniſſem, et locutus eis fuiſſem peccatum non haberent? Nunquid ſine peccato erant Iudæi antequam Chriſtus ad eos in carne veniſſet? Quis hoc ſtultiſſimus dixerit? ſed magnum quodam peccatum, non omne peccatum quaſi ſub generali nomine vult intelligi, quia non crediderunt in Chriſtum, hoc peccatum ſi non veniſſet, non vtique haberent*. Et infra referendo ad alios, qui non crediderunt in Chriſtũ, iterum ait. *Reſpondeo habere illos excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus*. Manifeſtè negat peccatum ex ignorantia inuincibili.

Secundum Ser. 11. de verb. Domini ſecundum Matthæum ca. 7. *Attendite quod ait Iudæis. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis peccatum non haberent; neque enim ita dictum eſt vt ſine vllo peccato omnino vellet intelligi futuros fuiſſe Iudæos ſi non veniſſet, & locutus eis fuiſſet. Plenos quippe inuenit, oneratoſque peccatis.* Tunc. *Quomodo ſi non veniſſet, peccatum non haberent, niſi quia iſta ſententia non omne peccatum cogit intelligi. Non ergo ait. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem nullum peccatum haberent; nec rurſus definitè dixit, ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, quoddam peccatum non haberent. Quia ergo non eſt dictum peccatum nullum haberent, non perturbentur, cùm peccatores Iudæos etiam ſi Dominus non veniſſet agnoſcimus, ſed tamen quia dictum eſt: ſi non veniſſem peccatum non haberent, illud ipſum profecto eſt quod in præſentem, ſibique loquentem non crediderunt, cumque inimicum deputantes, quoniam vera dicebat inſuper occiderunt. Hoc peccatum tàm magnum, & tam horrendum ſi non veniſſet, & locutus eis fuiſſet vtique non haberent*. Quid clarius pro ignorantia inuincibili ſine peccato?

Tertiũ in Epiſt. 50. ad Bonif. Comit. prope finem, vbi conferẽdo peccatum hoc infidelitatis cum peccato in Spiritum Sãctum irremiſſibili. *Sicut enim,* inquit, *cum dixiſſet ſi non venirem, peccatum non haberent, vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magniſque peccatis, ſed aliquod proprium peccatum, quod ſi non haberent poſſent illis omnia dimitti, quæ habebant, ideſt, quod in eum venientem non crediderunt: hoc enim non haberent peccatum ſi non venirent, ſic etiam cum dixit, &c.* Et hic locus eamdem veritatem continet, & ſui ſimilis eſt Auguſtinus.

Certè ſicubi ignorantia inuincibilis cum peccato poſſet conſiſtere in materia de fide eſſe deberet, & tamen Auguſtinus eam excuſat à peccato tradens primus omnium genus illud

Digitized by Google

infidelitatis negatiuæ acceptum, & probatum ab Scholis. Tranſeamus ad alias materias, Auguſt. lib. 2. contra Creſconium agens de Ignorantia excuſante à peccato ſic ait. *Veluti ſi tunica de latrocinio neſciens veſtiretur ex illo fit iniquitatis veſtis illa ex quo cognouerit, & ipſe iniquus niſi abiecerit: & qui neſciens vxorem duxerit alienam ex illo fit adulter ex quo dedicerit, niſi diſceſſerit*. En habes ignorantiam rei alienæ excuſare à furto, & ignorantiam alienæ vxoris excuſare ab adulterio. Aliud exemplum eſt, & quidem inſigne contra Iulianum lib. 3. c. 19. in quo diſputans de ignorantia Infantium, quam Iulianus volebat eſſe perfectionem, & vtebatur exemplo ignorantiæ Abimelechi adducto loco Geneſis 20. vbi dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus ignorans, quòd vxor eſſet aliena, & *ego ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc*. Refutat Iulianum dicentem illam ignorantiam Abimelechi non ſolùm non eſſe culpam, ſed virtutem eſſe; docens eum non peccaſſe ignorando vxorem alienam eſſe, ac proinde excuſari à peccato adulterij, cum tamen peccaret qualicumque peccato libidinis, non autē adulterij à quo ignorantia excuſabat: *Verba Domini*, inquit *vigilant, ſed tu dormis, neque enim ait Regi: ſciebam quia cor habes mundum: ſed ſciebam, quia in corde mundo feciſti hoc. Non omnia, vel quæcumque alia, ſed hoc in quo adulterij conſcientiam non habebat*. Et rurſum. *Non attendiſti quomodo fieri potuerit eſt vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipſe adultero corde peccauerit*. Vbi vides quam diſtinctè, & ſubtiliter Auguſtinus dixerit non peccaſſe in eo, quod ignorabat, ſcilicet adulterio, peccaſse autem in eo quod nouerat, ſcilicet libidine erga fœminam.

Quoniam vero ſunt duo loci, qui ſolent opponi à Ianſeniſtis vnus ex lib. Expoſit. Epiſt. ad Rom. qui habetur in tom. 4 prope finem, & alius lib. de grat. & lib. arb. c. 3. Doceamus eos nihil in ijs contineri contra doctrinam hactenus traditam euidentem, nam in primo loquitur Auguſtinus de peccatis contra legem naturalem, quæ ſtare poſſunt cum ignorantia fidei Chriſtianæ: facta ſuppoſitione quod homines neſcientes Chriſtianā Religionem peccarent aliis peccatis, ſic exponens. Non peccabunt contra fidem, neque contra præcepta ſupernaturalia, quæ ignorant, peccabunt tamen contra legem naturalem, & præcepta illius. *Quis enim neſciat malum eſſe corrumpere pudicitiam Vxoris alienæ, vel eo ipſo certe, quod hoc in ſua Coniuge nollet perpeti, aut fraudare quemque in negotio, aut circumuenire mendacio, aut opprimere teſtimonij falſitate, aut auferendæ rei cauſa inſidiari, & occidere quempiam, & ſi quid omnino eſt, quod ſibi ab altero fieri non vult?* Vnde patet non peccare illos ignorantes fidem, contra fidem, quam ignorant, ſed cōtra legem naturalem, quam non ignorant, & retorquetur argumentum.

Alter locus eſt lib. de grat. & lib. arb. cap. 3. *Aliud eſt neſciſſe, aliud ſcire voluiſſe. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere, vt bene ageret; ſed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat: ſi propterea non credidit, quia non audiuit omnino quid crederet, ſed fortaſſe, vt mitius ardeat; non enim ſine cauſa dictum eſt: Effunde iram tuam*

in

Digitized by Google

in gentes, quæ te non nouerunt, & illud, quod ait Apoſtolus: Cum venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum. Videtur hic dicere Auguſtinus damnandos eſſe illos, qui non audierunt omnino prædicationem fidei, nec excuſari per ignorantiam inuincibilẽ, quę conſtituit homines neſcientes. Putant vero aduerſarij hunc locum eſſe inuictum. De quo nos egimus latiſſimè, & accuratiſſimè in noſtra Cortina quæſtione illa ſuperius citata. Nunc reſpondemus duobus modis. Primo negando Auguſtinum dixiſſe per illam ignorantiam inuincibilem incurri culpam incredulitatis, quæ omnino incurri non poteſt per talem ignorantiam, quæ appellatur à Theologis infidelitas negatiua, & in vera, & probata Theologia eſt inculpabilis, ſicuti eſt inuincibilis. Hoc autem patet ex eo, quòd dicit Auguſtinus illam ignorantiam eſſe *eorum qui tanquam, ſimpliciter neſciunt*, non autem dixit abſolutè *ſimpliciter* modificando illam ignorantiam per vocem *tanquam* quæ importat reſtrictionem, hoc eſt ignorantia *ſimpliciter*, inuincibilis, ad formam ignorantię aliquo modo vincibilis, quæ ſit ſatis ad rationem peccati voluntarij, & liberi, ac proinde vitabilis. Explicat ſtatim ſuam mentem Auguſtinus, *Verumtamen*, inquit, *vt habeamus, & ipſam ſcientiam, ne dicat vnuſquiſque non audiui, non intellexi, voluntas conuenitur humana, vbi dicitur Nolite eſſe ſicut æquus, & mulus, quibus non eſt intellectus*. Et addit. *De ignorantia non habet excuſationem*. Ex quo apparet iſtam ignorantiam eſſe voluntariam, & liberam, & aliquo modo vincibilem. Secundò, & meliùs reſpondetur Auguſtinum hic loqui de illis Infidelibus, qui prorſus ignorant prædicationem fidei, & carent notitia legis, & fidei ſupernaturalis, & ſunt in infidelitate negatiua, & de his affirmat non eſſe ſaluandos, quia nemo ſaluatur ſine fide Chriſti, *Sine qua*, vt inquit Paulus, *impoſſibile eſt placere Deo*, & Actorum cap. 4. *Non eſt in aliquo alio ſalus*. Et in hoc ſenſu loquitur Auguſtinus dicendo; Cum illa ignorantia etiam inuincibili, & in fidelitate negatiua perituros eſse infideles: quamuis enim non peccent non credendo contra fidem, non excuſantur tamen ab æterna damnatione, quia non ſunt capaces ſalutis æternæ, ad quam neceſſariò requiritur fides ſupernaturalis, qua omnes qui carent, damnari neceſse eſt. Non autem damnantur illi, nec puniuntur poſitiuè pro iſta infidelitate precisè ſumpta, in qua non peccarunt, ſed proptèr alia peccata, quæ contra legem naturalem commiſerunt. Diſtinguamus ſubtiliter. Illa infidelitas negatiua eſt cauſa dãnationis negatiuæ, hoc eſt facit expertes æternæ ſalutis, & excluduntur à Regno Cælorum; excluſi autem eunt in damnationem, nec enim datur medius locus in æternitate: non tamen punientur poſitiuè pro peccato infidelitatis, quod non commiſerunt, nec potuerunt committere laborantes ignorantia inuincibili, ſed pœnas dabunt aliorum peccatorum: quemadmodum qui decedũt cum ſolo peccato originali, in communi ſententia, non puniuntur poſitiuè patiendo pœnam ſenſus; ſed damnantur per excluſionem à Regno Cœlorum, & priuantur æterna beatitudine, damnati, vt ita dicam, negatiuè, idest per ſolam pœnam damni, non autem poſitiuè per pœnam ſenſus. Igitur mens Auguſtini eſt dicere: Ignorantiam

in-

inuincibilem neminem ſic excuſare vt non excludatur à Regno Cœlorũ, & ad inferos mittatur, ſed excuſare à pęna poſitiuè ſibi inferenda propter illud peccatum infidelitatis, propter quod non patientur pœnam ignis, cum illud non commiſerint; licet aliunde ardeant igne ſempiterno propter alia peccata, quod ſignificauit Auguſtinus dicendo *Mitius eſſe arſuros*, quia non ardebunt ſicuti Heretici, & malè Chriſtiani non credentes vti debent, quia hi ardebunt propter peccatum incredulitatis, & perfidiæ quod commiſerunt contra fidem, & ardebunt propter alia peccata, quæ addiderunt propter violationem præceptorum, & mandatorum legis Diuinæ. Audiamus Auguſtinum hoc ipſo in loco. *Illa ignorantia quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt neminem ſic excuſat, vt ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit quia non audiuit omnino quod crederet, ſed fortaſſe vt mitius ardeat*. Ex quo apparet vera intelligentia Auguſtini.

IVDICIVM.

PRæſtaret hic, quæ in Cortina ſcripſimus maiorem partem exſcribere, quod aſſolet in ſuis operibus Auguſtinus, quem nos imitati aliquando ſumus in ſuperioribus tomis, & in hoc pergemus imitari. Sed cum ad manum ea non ſit, aliud nobis eſt agendum: ac de ijs, quæ proximè diximus iudicium ferendum. Equidem comperio multùm differre doctrinam Auguſtini de merito, & demerito, ac de libertate, & neceſſitate peccandi, ac demum de ignorantia vincibili, & inuincibili à dogmate Baianorum, & Ianſenianorum, quod maxime abhorret à ſanis, & Catholicis Auguſtini ſenſibus, quos ij præoccupato affectu non viderunt, & ſibi, & Lectoribus fucum fecerunt. Illi enim compoſuerunt libertatem cum neceſſitate putantes ſolam coactionem repugnare libertati, quam propoſitionem damnarunt in libro Ianſenij Innòcentius X. & Alexander VII. vti alienam à fide Catholica, & contrariam doctrinæ Conciliorum, & Patrum, præcipuè Auguſtini, qui ſæpè, & conſtanter, & perſpicuè docuit non poſſe ſtare cum neceſſitate peccatum; & ſane nihil eſt in eius operibus clariùs, & euidentiùs. Verùm quia illi homines ſecuti peruerſa Caluini dogmata ſibi perſuaſerant ſatis eſſe ad peccandum, & merendum actionem voluntariam modò non eſſet coacta, nihil curarunt neceſſitatem, neque diſtinxerunt inter neceſſarium, & liberum. Itaque ſtatuerunt poſſe cum neceſſitate meritum, demeritumq; conſiſtere. Idque notauit nobilis, & eruditus auctor P. Sebille Dominicanus, qui cùm ego Pariſiis eſſem, librum edidit contra hoc dogma Ianſenii, vbi eum reprehendit, quod Caluino prorſus adhęſerit. Nec id ego tacitum tuli, qui eodem antequam liber ille in lucem exiret anno acriter, & ſeriò dogma illud impugnaui, & poſteà Londini in libro de Mente Innocentij maioribus argumentis confutaui. Haud ſecus de ignorantia dicendum, qua cum illi etiam inuincibili, & ineuitabili peccatum compoſuerunt, qua cum minime ſtare poteſt. Quæ abſurda proh dolor! Auguſtino per ſummam iniuriam impoſuerunt, & non contenti per ſe errare, Auguſtinum conati

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſecum trahere in errorem, cæci amore ſui, & cerebroſi, quòd cum putarent ſe Auguſtinum intelligere, cuius lectionem affectabant, quod ſomnium ſibi dormientes finxerunt, Auguſtino vigilanti imputarunt, vituperanda profectò fiducia, quæ occaſio illis errandi fuit, atque vt alios ſecum ducerent, ac ſeducerent, oſtentarunt eruditionem in Auguſtino, clamantes illum à ſe intentiſſime lectum, & accuratiſſimè recognitum, ſuumque Doctorem appellantes, quod ſæpe ſolet Caluinus dicere *ſuum Auguſtinum* clamitans. Ego in quodam ſenſu Caluiniſtis ſuum eſse concedam, ſi illi Sues ſe eſse fateantur, nempe luculentos, & in ſordibus ſe ſe voluntantes. Verùm Aquila non verſatur inter Sues, ſed in ſublimi inter nubes, & cum Sole habitat. Abeat Caluinus, & cum Suibus ſuis Epicuri de grege Porcos ſequatur: relinquat nobis Auguſtinum Principem Theologiæ Scholaſticæ, quam iſti ſequaces Caluini inſectantur. Hoc repono Caluino, Aſinos Patres Tridentinos impudenter appellanti. Nihil perſpectius, & exploratius in tota Patrum doctrina, quam Auguſtini de libertate ſine neceſſitate, & cum poteſtate vitandi oppoſitum doctrina: vbique clamat Peccatum non eſse niſi voluntarium, peccare neminem in eo, quod vitari non poteſt. Hoc vel illi, qui primoribus illum labris attingunt, hauriunt. Hoc ipſum ex illo fonte Theologi, Scholaſtici corriuatis aquis in ſuos floridos tractatus deduxerunt. Id quoque nos euidenter monſtrauimus in Cortina noſtra, & tractatu de ignorantia. Nunc ex iudicio faciamus epilogum. Concupiſcentia non eſt aliquid malum natura ſua, neque in ſenſu Manicheo, neque in ſenſu Lutherano, ſed vitium accidens naturæ ex peccato originali: hæc inclinat, non neceſſitat ad peccatum, hoc verò vt tale ſit debet eſse voluntarium, & liberum non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate cum poteſtate vitandi. Cum ignorantia inuincibili, & ineuitabili non poteſt peccatum conſiſtere: alioqui daretur peccatum in eo, quod vitari non poteſt. Itaque ad meritum, & demeritum requiritur omnino libertas non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate, & hæc eſt vera, & germana, & conſtans Auguſtini doctrina. Accipe Corollarium. Poteſt dari infidelitas negatiua, quæ ſit ſine peccato propter ignorantiam inuincibilem myſteriorum fidei, quod eſt principium Theologicum, qua de re nos egimus tom. de Clauibus Petri lib.3. de Fide Dogmatica, & Practica cap. 3. idque probauimus loco Pauli 2. ad Theſsal. 3. *Non omnium eſt fides*, quòd ſit ſpeciale donum Dei, vti probat Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanct. & libro de bono perſeu. Imo de facto dari multos Infideles Barbaros cum iſta ignorantia inuincibili ſentiunt Suares in ſumma lib. 1. de eſsent. Dei cap.1. num.19. & tract. de prædeſt. lib. 4. cap.3. num.18. & tom.1. de Relig. lib. 6. cap.6. & Recupitus lib.1. de exiſt. Dei quæſt.3. & Vaſques in 1. p. tom.1. diſp. diſp.10. cap.7. num.1. & alij quibus nos eo loco adhæſimus.

Quorum Pater Suares in loco proximè citato de prædeſt. ſic ait. *Inueniuntur multi Gentiles, qui penitus ignorarunt omnia etiam illa quæ de Deo naturaliter cognoſci poſſunt, ita ut neque apprehenſionem, neque conceptionem iſtorum habeant.* Vaſques autem ſic loco 1. p. *Inter peſſimos homines non deſunt,*

deſunt, qui aut negent vnum eſſe Deũ, aut quod peius eſt ipſum eſſe negent. Idque confirmat exemplo multorum, quos Atheos vulgo dicimus. Sed in primis hoc multis argumentis oſtendit P. Recupitus lib. 1. de exiſtentia Dei. qu. 3. deducens ex D. Thoma, & Scoto Deum ſolum eſſe per ſe notum quo ad ſe, non autem quo ad nos. Loquitur autem de ignorantia negatiua, quæ eſt incogitantia, & inaduertentia de Deo, quam Auguſtinus neſcientibus attribuit, ac ex ipſo ego aliquando neſcientiam appellaui; hæc igitur eſt, & habetur prorſus inuincibilis, & expers culpæ. Eſſe autem, & fuiſſe multas nationes, ſine vlla Dei notitia more barbaro viuentes, tradunt nonnulli auctores, qui de regione Americæ explorata commemorarũt, inter quos eſt nitidus auctor Hiſtoriarum ſui temporis Paulus Iouius Nouocomenſis Epiſcopus in ſuo elegantiſſimo libro de Elogio. Elogio de Chriſtophoro Columbo. Imo P. Hieronymus Ferranti tom. de Theor. & Pract. diſput. 1. q. 42. excitans quæſtionem: Vtrum poſſit dari Idolatria poſitiua cum ignorantia inuincibili, non dubitat concedere dari poſſe, & fatetur poſſe infidelem inuincibiliter ignorare eſſe idololatriam adorare Solem, & Lunam tamquam veros Deos. De quo ego tamen in mea Cortina dubitaui, quia longe aliud eſt ignorare Deum inuincibiliter neſciendo, & non cogitando per infidelitatem negatiuam, aliud poſitiuè adorare poſita illa ignorantia Creaturas tamquam Deos; itaq; ſuſtineo iudicium more Auguſtiniano, de quo egregiè Maldonatus appellando eum *Hominem miræ prudentiæ in ſuſtinendo iudicio*. Expecto aliorum hac de re ſententias. In rem præſentem affero illam Suares diſput. 8. de Pænit. ſeſſ. 2. aſſert. 2. vbi ſic ait. *Addo*, inquit, *non eſſe cenſura dignum, qui dixerit ita ſe gerere Deum cum aliquibus hominibus, vt non det illis actualem excitationem ſupernaturalem*, quod ſi verum eſt quæ iſti egerint in iis non peccabunt, quoniam carent omni auxilio gratiæ ſufficientis ad vitandum peccatum neceſsario: vnde probabile videtur, ſi illi Idololatræ careant omni auxilio ſufficienti quando colunt Idola, itaut non poſſint cognoſcere malum quod agunt, eos excuſari à peccato. Quamquam ſciam ex alia parte Theologos, & quidem nobiles aſſerere eum, qui inuincibiliter ignoret eſse Deum poſse etiam inuincibiliter ignorare peccatum, quòd ratio peccati ſine ratione diuinæ offenſæ ſtare nequeat, ac proinde ad peccatum neceſsarium ſit Deum cognoſcere quem offendas. Ita ſentiunt duo Theologi inſignes ambo Societatis Ieſu, quos ego benè noui, & reuerenter colui Ioannes de Lugo, tom. de Incarnat. diſp. 9. q. 1. art. 6. & Sforzia Pallauicinus in 1. 2. diſp. 9. qu. 1. art. 6. qui hoc perſpicuè tradunt tamque verum, & indubitatum eſse putant vt reprehendant doctiſſimum virum Ioannem de Salas eiuſdem Societatis, quòd dixerit poſse dari peccatum mortale ſine cognitione Dei, & contrariam ſententiam cenſura notauerit.

COL-

Digitized by Google

COLLATIO SEXTA

De Conceptione Beatæ Virginis.

DIFFERENTIA II.

Vtrum fuerit Immaculata? ad varios locos S. Thomæ, & Scoti.

SECTIO I.

Proponuntur textus vtriuſque.

IMmaculatam negare videtur S. Thomas 3. p. qu. 27. ar. 2. in corpore. *Ante infuſionem Animæ rationalis Beata Virgo ſanctificata non fuit.* Et mox ibi: *Quocumque modo ante animationem Beata Virgo ſanctificata fuiſſet, nunquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indiguiſſet redemptione, & ſalute, quæ eſt per Chriſtum, de quo dicitur Matth. 5. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem inconueniens eſt, quòd Chriſtus non ſit Saluator omnium hominum, vt dicitur* 1. ad Timoth. 2. *Vnde relinquitur, quod ſanctificatio Beatæ Virginis fuerit poſt eius animationem.*

Et iterum ad ſecundum: *Dicendum ſi nunquam Anima Beatæ Virginis fuiſſet contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Chriſti, ſecundum quam eſt vniuerſalis omnium Saluator, & ideò ſub Chriſto, qui ſaluari non indiguit, tanquam vniuerſalis Saluator, maxima fuit Beatæ Virginis puritas. Nam Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum, ſed in ipſa ſui Conceptione fuit ſanctus, ſecundum illud Luc.æ* 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei: Sed Beata Virgo contraxit quidem originale peccatum, ſed ab eo fuit mundata, ante quam ex vtero naſceretur.*

Rurſum ad tertium. *Dicendum, quòd licet Romana Eccleſia Conceptionem Beatæ Virginis non celebret, tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud feſtum celebrantiũ. Vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quòd in ſua Cõceptione fuerit Sancta; ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius quàm Conceptionis in die Conceptionis ipſius.*

Idem in 3. p. q. 1. §. *ad ſecundam quæſtionem. Dicendum quòd ſanctificatio Beatæ Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem Animæ, quia gratiæ capax nondum erat, ſed nec etiam in ipſo iſtanti infuſionis, vt ſcilicet per*

Digitized by Google

gratiam tunc ſibi infuſam conſeruaretur, ne culpam originalem incurreret, Chriſtus enim hoc ſingulariter in humano genere habet, vt redemptione non egeat, quia caput noſtrum eſt, ſed omnibus conuenit redimi per ipſum, hoc autem eſſe non poſſet, ſi alia anima inueniretur, quæ nunquam originali macula fuiſſet infecta, & ideo nec Beatæ Virgini, nec alicui præter Christum hoc conceſſum eſt.

Iterum ad 3. *Dicendum quod hæc puritas ſoli homini Deo debebatur, vt ipſe quaſi vnicus Redemptor humani generis nulla peccati ſeruitute teneretur, cui competebat omnes à peccato redimere; vnde non hanc puritatem, ſed ſub hac maximam Virgo Mater eius habere debuit.*

Rurſum ibid. §. *Ad tertiam quæſtionem. Dicendum quòd Beata Virgo ante natiuitatem ex vtero ſanctificata fuit, quod colligi poteſt ex hoc quod ipſa ſuper omnes alios ſanctos à peccato purior fuit, veluti diuinæ ſapientiæ Mater electa, in quam nihil coinquinatum incurrit, vt dicitur Sapientiæ 7. Vnde cùm hæc puritas in quibuſdam fuiſſe inueniatur, vt ante natiuitatem ex vtero à peccatis mundarentur, ſicut de Ioanne Baptiſta, & de Ieremia, non eſt dubitandum hoc multò excellentiùs Matri Dei collatum fuiſſe.*

Scotus contra in 3. d.3. qu. 1. §. *Ad quæſtionem* nu. 9. *Dico quod Deus potuit facere quòd ipſa Virgo Maria nunquam fuiſſet in peccato originali: potuit etiam feciſſe, vt tantum in vno iſtanti eſſet in peccato: potuit etiam facere vt per tempus aliquod eſſet in peccato, & in vltimo inſtanti illius temporis purgaretur.*

Tum explicatis, & probatis his tribus modis, primum, ſcilicet quod ipſa Virgo Maria nunquam fuiſſet in peccato eligit, & ipſi attribuit in fine §. his verbis: *Quod autem horum trium quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia factum ſit Deus nouit, ſi auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati Scripturæ nõ repugnet, videtur probabile, quod excellentius eſt attribuere Mariæ.*

Præterea ſuprà §. *Contra*, nu 4. *impugnans argumenta* adducta contra Immaculatam Conceptionem manifeſtè tradit Beatam Virginem Mariam caruiſſe peccato originali, ſic enim reſpondet, vt arguat optimis rationibus caruiſſe macula originalis peccati n.4. ſic. *Contra primam rationem arguitur ex excellentia Filij ſui in quantum Redemptor, Reconciliator, & Mediator, quod ipſa non contraxit peccatum originale. Perfectiſſimus enim Mediator habet perfectiſſimum actum mediandi poſſibilem reſpectu alicuius creaturæ, ſiue perſonæ, pro qua mediat: ſed Chriſtus eſt perfectiſſimus Mediator: igitur Chriſtus habuit perfectiſſimum gradum mediandi poſſibilem reſpectu alicuius Creaturæ, ſiue perſonæ reſpectu cuius erat Mediator: ſed reſpectu nullius perſonæ habuit excellentiorem gradum, quàm reſpectu Mariæ: igitur, &c. ſed hoc non eſſet, niſi meruiſſet eam præſeruari à peccato originali.* Pergit verò Scotus vrgere hoc argumentum excellentiæ redemptionis Chriſti præſeruantis à peccato originali tribus modis, retorquẽdo rationem D. Thomæ ſumptam ex neceſſitate redemtionis, negans fore perfectum Redemptorem, niſi præſeruaſſet Beatam Virginem à peccato originali.

Inſuper §. *ſecunda etiam ratio*. num. 8. ſic. *Non videtur concludere. Quod enim arguitur, & primò de infectione carnis propter ſeminationem nõ arguit ſecundum viam Anſelmi de peccato originali, quæ tacta fuit, d.32. 2. lib. Aut*

dato

dato quòd ſic contrahitur peccatum originale communiter: tamen infectio carnis manens poſt Baptiſmum non eſt neceſſaria cauſa, quarè maneat peccatum originale in Anima, ſed ipſa manente peccatum originale deletur per gratiam collatam. Ita poſſet Deus in primo iſtāti Conceptionis Virginis dando tunc gratiam delere ne eſſet cauſa neceſſaria infectionis in anima, ſi gratia tolleret culpam in Anima.

Tandem ibid. *Aliud de paſſionibus Mariæ non concludit; poteſt enim Mediator reconciliare aliquem, vt auferantur ab eo pęnæ ſibi inutiles, & relinquatur in pęnis ſibi vtilibus: Originalis culpa non fuiſſet vtilis Mariæ: pœnæ temporales tamen fuerunt vtiles, quia in eis meruit.*

Idem Scotus in reportatis eadem ratione probat immunitatem Beatę Virginis à peccato originali. Delibo nonnulla. In 3.d.3.n.4. §. *Dicitur igitur*, linea, *ſed iſtæ rationes*, dum eas in contrarium adductas refutat ſic. *Iſtæ*, inquit, *rationes non concludunt; nam ex prima ratione magis videtur ſequi oppoſitum, quàm propoſitum: quia ex eo quod Filius Dei fuit Redemptor vniuerſalis, ſequitur, quod fuit perfectiſſimus mediator; igitur reſpectu alicuius habuit actum excellentiſſimum mediandi, quem potuit habere, ſed actus perfectus perfectiſſimus præſeruat ab omni peccato.*

Et poſteà n.5. in fin. *Mediator perfectus præuenit omne peccatum actuale. Hoc concedunt omnes de B.V. ſed redemptio vniuerſalis immediatius eſt contra originale, quàm contra actuale: Igitur ex hoc quod Redemptor vniuerſalis, perfectius, & immediatius præuenit originale, quàm actuale*, Sequitur n. 6. *Summus actus mediandi requirit illud, pro quo mediat, ſummè ſibi obligari: Igitur cùm Deus poſſit præuenire omne peccatū in B.V. & maius ſit præſeruare à cōmittendo, quàm purgare à commiſſo. Igitur ſi debet* Mater *ſummè obligari Filio, debet Filius præuenire omne peccatum originale.*

Poſteà oſtendit Scotus Beatam Virginem poſtulare perfectiſſimum modum redimendi, & ad finem numeri. 8 ait *Primò vt præueniretur culpa.*

Tandem. §. *Dices*, n.11. linea, *Quid ergo?* propoſitis tribus modis ſupradictis, inter quos Tertius eſt, vt nunquā fuerit in peccato originali, hunc attribuit Beatæ Virgini; & concludit nu. 13. in fine. *Tertium*, inquit, *patet, quod potuit eſſe, quod nunquam infuiſſet culpa, vt probatur per rationes prius poſitas.*

SECTIO II.

Proponuntur argumenta à ratione deſumpta pro Immaculata Virginis Conceptione.

DEcreueram abſtinere calamū ab huiuſmodi materia, tum quòd noueram ab aliis ita tractatam, vt nihil de nouo afferre me mihi poſſe viderer, tum quod iniuriam aliis facerem ſi conarer vltra eorum eruditionem, doctrinamque contendere, tum quod timebam ne ſi ab iis dicta repeterem, in me caderet paræmia Diui Hieronymi celebrata *In Siluam ne ligna fereas*. Verum rogarunt me Scotiſtæ mei, vt quæſtionem ſuſciperem, & tractarem. Velle omnino ſe aliquid à me de hac re concinnatum habere. Acceſſit momentū, quod prorſus inclinauit, videlicet adhortatio pii, & docti, & acerrimi huius myſterii vindicis Clariſſimi Viri Simonis à Sancta Agatha Canonici

Bononienſis, cui non potui refragari, cùm præſertim ego amicorum rationes ſemper meis prçponere ſoleam, iiſque malim morem gerere, quàm in mea deliberatione perſiſtere. Curabo tamen, & vetera nouè, & longa breuiter dicere, & illuſtria maximè, ac ſolidà proferre & Scholaſticum more agère. Itaque argumenta contorta, & fulminum inſtar futura ſunt, quæ non lentè procedant, nec morentur; ſed ferantur, & luceant, & feriant: verè Aquilina ab Scoto quippe Aquila ingeniorum accepta.

Primum ſumo ex auctoritate Auguſtini lib 3. de lib. arb. c. 5. paulo poſt initium. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit ſcias feciſſe Deum tamquam bonorum omnium Conditorem*; quam formo in argumentum hoc modo. Recta ratio nobis dictat, melius eſſe Virginem præſeruari à peccato originali, quam mundari ab ipſo, cùm illud ſit magis, & honeſtum, & iuſtum, & decorum. Igitur hoc fecit Deus erga Virginem, eam præſeruando ne caderet, non poſt caſum erigendo.

Secundum eſto. Aut Deus potuit præſeruare Virginem à culpa originali, aut noluit: ſi potuit, & noluit, auarus extitit: ſi voluit, & non potuit, infirmus fuit.

Tertium. Nemo ſuam Matrem honorare ſi poſſit, nolit: ergo idem præſtitit Deus erga ſuam Matrem B. Virginem. Huc traho D. Thomam 1. p. q. 47. art. 3. *Natura fecit quod melius eſt; multo magis Deus:* hoc enim licet ponatur in argumento, non tamen negatur à Doctore Angelico.

Quartum. In Redemptore Chriſto virtus omnis redimendi fuit: nec tamen ſuperflua, nec otioſa: foret autem ſuperflua, & otioſa, niſi foret præſeruatiua. Patet: quia in Chriſto erat virtus non ſolùm redimendi à peccato commiſſo, ſed etiam præſeruandi à committendo, vel incurrendo.

Quintum. Ex macula peccati originalis in Matre ſequitur imperfectio in Redemptore Filio, erga illa non eſt admittenda. Sequela probatur, quia perfectè Redemptor debuit illam maculam excludere: vnde ſi non excluſit, imperfectè Redemptor extitit.

Sextum. Chriſtus eſt auctor omnis gratiæ, ergo debuit eſſe auctor non ſolùm illius, quæ ſupponit peccatum, ſed etiam eius, quæ antecedit, ac præuenit: alioquin huius excellentis gratiæ auctor non eſſet.

Septimum. Parum eſt pro B. Virgine Dei Matre ſanctificari poſt peccatum: cùm hoc conceſſum fuerit Hieremiæ, ac Baptiſtæ: igitur debet ei concedi præſeruatio à peccato. Nec euades dicendo eam fuiſſe ſtatim poſt primum inſtans ſanctificatam: nam hoc verſatur in circumſtantia temporis, non in re ſanctitatis.

Octauum. Decuit vt in Eccleſia Chriſti foret aliqua Creatura innocens, cùm Chriſtus foret impeccabilis, qui non eſt creatura. Hæc autem Creatura innocens debuit eſſe anima B. Virginis. Decuit autem, vt omnes gradus ſanctitatis in Eccleſia reperirentur.

Nonum. B. Virgo Maria eſt Regina Angelorum, qui numquam fuerunt maculati peccato. Incongruum autem erat regnare inter Angelos puriſſimos eam, quæ fuiſſet maculata.

Decimum. Non ſtat cum dignitate Matris Dei, & Reginæ Cęli eſſe aliquando ſub poteſtate Diaboli, quales ſunt qui contrahunt peccatum originale, qui ſunt captiui, & ſerui Diaboli;

qua-

Digitized by Google

qualis eſſe nō potuit Virgo Mater Dei, Regina Cœli.

Vndecimum. Chriſti Sanctitas erat relata ad ſanctitatem Virginis, & hæc ad illam: vnde ille Sanctus Sanctorū, illa Sancta Sanctorum. Aſſumptum patet ex dictis ſupra de prædeſtinatione B. Virginis ad Maternitatem Dei. Hinc ſequitur relatam ſanctitatem in eodem genere eſſe debere, ideſt immaculatam.

Duodecimum. Chriſtus habuit certam quandam ſanctitatem ratione Matris idque ſignificatur, Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum*. Hæc autem Sanctitas debuit eſſe immaculata, quæ deceret Filium Dei: Quare adiungitur *vocabitur filius Dei*.

Decimum tertium. Non datur vacuum in rerum natura; nec in re gratiæ: daretur autem ſi Virgo non haberet gratiam præſeruantem, nam quatuor ſunt loci gratiæ: primus incapacitas culpæ cum ſumma gratia: ſecundus capacitas culpæ, ſed ſine vllo peccato: tertius ſanctificatio à peccato originali. Quartus iuſtificatio à peccato actuali. In primo loco eſt Chriſtus. In tertio Ioannes Baptiſta, & Hieremias. In quarto Magdalena, & alij peccatores iuſtificati. Si B. Virgo non occupauit ſecundum, manet vacuus: atque adeo datur vacuum in rei gratiæ.

Decimum quartum. Deus poſuit omnia in numero, pondere, & menſura; igitur cùm ſint quattuor gratiarum, quas modo numerauimus, ſpecies, nulla debuit omitti, & ſecunda in Beata Virgine numerari.

Decimumquintum. B. Virgo meretur ob ſuam peculiarem ſanctitatem ſpeciale genus Adorationis, Hyperduliam; ergò proptereà debuit habere propriam ſpeciem ſanctitatis, quæ eſt præſeruationis à peccato originali Hyperduliæ reſpondentem.

Decimum ſextum. Nō debuit Diabolus delibare Florem innocentiſſimæ Virginis eius originem maculando, cuius habitator erat Spiritus Sanctus: & in qua Dei Filius erat incarnandus.

Decimum ſeptimum. Debuit Virgo ea puritate nitere, qua maior ſub Deo nequit intelligi, iuxta receptum dictum Anſelmi, hæc autem puritas eſt gratia originalis, hāc igitur B. Virgo obtinuit: alioqui longiſſime à Dei puritate recederet.

Decimum octauum. Plenitudo gratiæ attribuitur communiter à Patribus B. Virgini Mariæ idque Archangelus Gabriel teſtatus eſt cum Aue gratia Plena dixit. Plena autem non eſſet, imo vacua, ſi prima Originali gratia caruiſſet.

Vigeſimum. Peccatum originale ità eſt connexum cum actuali, vt qui vno careat, careat etiam altero, & contra qui vnum habeat alterum habeat, quæ eſt Auguſtini doctrina lib. 5. cont. Iulian. c. 9. Sed Maria Virgo caruit peccato actuali etiam veniali iuxta Concilium Tridentinum Seſſ. 6. canon. 23. ergo caruit etiam peccato originali.

Soleo dicere duo hæc argumenta ſumpta ex Auguſtino eſſe duas pro re demonſtrationes. Iiſque prorſus conuinci me fateor. Itaque volo ea latiùs explanare.

Quoad primum: verba Auguſtini ſunt diſputantis cum Pelagio negante peccatum originale, & ponente naturam poſt lapſum Adæ integram, innocentem, & valentem per ſe ſine gratia ad ſalutem, quod Auguſtinus impugnabat docens cum Eccleſia Catholica peccatum originale, eſtque infectam,

fectam, & vitiatam naturam gratia ad curanda peccata indigere. Qui eſt ſcopus illius libri. Pelagius contendebat hominem propriis naturæ viribus, quia carebat originali culpa vitare poſſe peccata actualia, idque ſuadebat ratione ac exemplo, ratione quod peccatum erat voluntarium, & proprium peccantis, quale negabat eſse originale vnde ſequebatur naturam integram, & valentem eſse ad non peccandum actualibus. Exemplum afferebat multorum Sanctorum, qui caruerant peccatis actualibus, ac inter eos B. Virginis ita cap. 36. Auguſtinus contrà docebat Peccatum Originale contrahi à nobis, & per illud vitiari naturam, atque adeo inde ſequi quandam neceſſitatem moralem peccandi, quæ ſtaret cum libertate, indigeret tamen gratia Chriſti, ſine qua peccata actualia vitari non poſsent. Ad exempla reſpondet negando quenquam excepto Chriſto incapace omnino peccati, & B. Virgine ex priuilegio Matris Chriſti caruiſse peccato. Cæteros omnes peccaſse, & ad vitandum peccatum gratia Chriſti indigere. Ita vt nunquã Auguſtinus deſerat originale peccatum, ſed eodem inuolutum glomere deducto filo peccandi actualiter trahat originale. Quo prorſus deſtruitur euadendi locus aduerſarijs, qui dicũt Auguſtinum locutũ de peccatis actualibus, non de originali, cùm de vtroq; inter ſe connexo loquatur. Quin ipſe modus loquendi vim vtriuſque peccati continet. Ecquis enim non videt illum terminum. *Cùm de peccatis agitur*, ſignificare omne genus peccati, ſiue actualis ſiue originalis: & vniuerſalitatem ſonare. Addo illud *vincendum omni ex parte peccatum*. Legat librum illum qui volet, & veram eſse noſtram intelligentiam comperiet. Adeò vt etiam illam Chriſti ad omne peccatum incapacitatẽ comprehendat illa tractatio. Ac mihi quidem habenda eſt in Auguſtino reddendo fides, in quo habito, & eruditos oculos habeo, quod in corde ſemper, & in oculis gero. Do totam Auguſtini ſententiam illo cap. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullã prorſus cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem; vnde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.*

Hinc ſumitur firmiſſimum, & ſolidiſſimum argumentum. Ad honorem Domini pertinet immunitas ab omni peccato originali, & actuali in B. Virgine ipſius Matre: ſed honor Chriſti adſtruendus eſt, & tenendus: igitur & immunitas Matris à peccato originali, & actuali adſtruenda & tenenda. Auguſtino auctore.

Secundum argumentum eſt. Qui caruit omni peccato actuali etiã caruit originali; & contrà, qui caruit originali caruit actuali, quæ eſt doctrina Sancti Auguſtini lib. 5. contra Iulianum c. 15. ad finem ſic. *Verum*, inquit, *dixiſti cum poſuiſſes teſtimonium Apoſtoli dicentis. Qui peccatum non fecit, notandum eſſe, quod iudicauerit Apoſtolus ſufficere ad oſtendendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum, quia dixit nullum eum feciſſe peccatum: vt doceret, inquis, quia qui non fecit habere non potuit. Omnino veriſſimum. Profectò enim peccatum etiam maior feciſſet ſi paruulus habuiſſet.*

Hac doctrina ex Auguſtino accepta ſumamus aliam ex Concilio Tridẽtino ſeſs. 6. can. 23. Beatam Virginem caruiſse peccato actuali etiam veniali

ex

ex ſpeciali Dei priuilegio nulli aliorum iuſtorum conceſſo, qui omnes actualem aliquam culpam admiſerunt, & inde concludamus B. Virginem caruiſſe originali: & hac ratione argumentemur. Qui non commiſit peccatum actuale, non contraxit originale: ſed B. Virgo non commiſit peccatum actuale, ergo non contraxit originale. Argumentum eſt in forma, Maior eſt Auguſtini, Minor Concilii Tridentini. Ecquis auſit negare conſequentiam? Ego demonſtrationem hac in re dixerim. Non quòd æqualis ſit Auguſtini auctoritas auctoritati Tridentini, ſed quòd magna reuerentia eſſe debet erga Auguſtinũ. His duobus argumentis, & mihi perſuaſum prorſus eſt, & omnibus perſuaſũ aliis eſſe velim B. Virginem originale peccatum minimè contraxiſſe.

Animaduerto hic Auguſtinum, qui ab Aduerſarius profertur pro ſua contraria ſententia in iis locis, quos non inficior eſſe, quibus affirmat omnes vno excepto Chriſto contraxiſſe originale peccatum, non eſſe intelligendũ de B. Virgine, ſed eam ſemper excipiendam cùm in ea multitudine noluerit eam includere, quæ ſingularis erat, quod Mater Chriſti erat, cuius prærogatiuæ ratio habenda erat, vt ipſemet teſtatus eſt in illo primo loco de natura, & gratia, *Cum de pecatis agitur de S. Virgine Maria nullam prorſus habere volo quæſtionem*. Ac ſicuti Deus in contractione peccati originalis cadentibus omnibus, nullam voluit habere rationem cadendi in Maria, eam à caſu præſeruando, ita & Auguſtinum in quęſtione de contractione illius peccati in B. Virgine nullam mentionem de illa facere voluiſſe, eam à quæſtione ſubtrahendo: tam eam longè remouit à peccato, vt nec in quęſtionem venire permiſerit de peccato. Indignum quippe exiſtimauit de B. Virgine quærere, An maculam Peccati originalis incurrerit? adeo vt in eam quadrare non permittat illud Pſalm. 9. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur*.

Diſcant, quàm diſtent ab Auguſtino, qui dicunt ſe inuenire peccatum originale in Maria, cum ille religiosè vetet in eadem quærere peccatum.

SECTIO III.

Beatam Virginem Mariam non contraxiſſe peccatum originale, ex Scripturis oſtenditur.

MEmini me olim audire à nonnullis Patribus grauiſſimis Dominicanis ſingularis doctrinæ, & ſpectatæ pietatis, ac præcipuè in Mariam Virginem obſeruantiæ, quæ ſumma eſt eius erga eandẽ Virginem Matrem Dei Mariam, in ea Religione clariſſima, facile ſe, ac libenter in eam, quæ Minorum Fratrum eſt piam ſententiã venturos eſſe, ſi locos Scripturarum ſuppeditarent. Eos ſe deſiderare, quò prudentiùs, ac fidentiùs receſſiſſe à communi ſuæ Scholæ doctrina viderentur. Inter quos erat P. Hyacinthus Libellus, tunc Secretarius S. Congregationis Indicis, poſteà Magiſter Sacri Palatij, tandem Archiepiſcopus Auenionẽſis, vir acri, & ſubtili ingenio, ac multiplicis, & exquiſitæ doctrinæ, qui hoc mihi idẽtidem repetebat. Volo igitur nunc præſtare, quod tunc per varias, & graues occupationes non potui, & iuſto deſiderio ſatiſfacere opportuna huius myſterij occaſione. Ac primum vtar teſtimonio S. Thomæ, vt gratius faciam Thomiſtis, ac illius me ſententia muniam aduerſus eoſdem, qui adiungebant

Digitized by Google

gebant: ſi qui eſsent ſcripturæ loci, eos litterales non eſse, ſed allegoricos, ac per accommodationem, vt aiebant, quādam adhibitos quorum fluxa erat probatio. Faciam quod fecit D. Thomas, meque hac ratione liberabo. Igitur S. Thomas 3.p.q.27.ar.2.§. *Sed contra*. Ante corpus, vt probet Sanctificationem B. Virginis poſt contractionem peccati vtitur loco Pſalmi 45. *Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus*, quem accommodat B. Virgini, cuius figuram eſse dicit; atque vt accommodationem ſuſtineat, & perſuadeat, fundatur in loco Pauli Corint. 10 *Omnia in figura cōtingebant illis*: eoq; tradit doctrinam generalem vtendi teſtimoniis teſtamenti veteris ad probanda myſteria Noui, de quo ambigebat ille inſignis Thomiſta: accommodat autem ſic. *Videtur*, inquit, *ſignificari Sanctificatio Matris Dei; quæ Tabernaculum Dei dicitur ſecundum illud Pſalmi 18. In ſede poſuit Tabernaculum ſuum. De Tabernaculo autem dicitur Exod. vlt. Poſtquam cuncta perfecta ſunt operuit nubes Tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini repleuit illud: ergo etiam B. Virgo nō fuit ſanctificata, niſi poſtquam cuncta eius perfecta ſunt, ſcilicet corpus, & anima*. Ecce probatio S. Thomæ per accommodationem. Sicuti Tabernaculum illud veteris Teſtamenti non fuit ſanctificatum in ſua inchoatione, ſiue inceptione, ſed poſt abſolutionem, & perfectionem fabricæ, ita B. Virgo non fuit præſeruata, nec ſanctificata in primo inſtanti ſuæ Conceptionis; ſed poſt Conceptionem incipientem in peccato.

Amplector doctrinā Doctoris Angelici, quoad figuras, & accommodationes illarum ad B. Virginem, & inſtituo modum per eas probandi immaculatam eiuſdem Virginis Conceptionem.

Primò retorquendo hoc teſtimonium de Tabernaculo. Tabernaculū iſtud repræſentauit Mariam; eius inceptio fuit immaculata: igitur & Beata Virgo Maria. Maior eſt D. Thomę. Minor patet ex c.36. Exodi, vbi traditur Tabernaculum ex gratioſis donis populi fabricatum, tanta voluntate, vt largitas tranſiret in abundantiam. *Vt oblata ſufficerent, & abundarent. Plus offert populus, quàm neceſſarium eſt*. Hæc autem ſunt ſigna gratiæ ſuperabundātiæ, qualis eſt præſeruationis: igitur B. Virgo præſeruata fuit ex abundantia Diuinæ gratię. Deinde eodem c. 36. habetur tabulata, ex quibus erat compactum, fuiſſe deaurata: aurum autem figurat gratiam. Præterea cuſtoditum, & obtectum erat Tabernaculum tribus opertoriis: pellium Caprarum: pellium Arietum rubricatarum: pellium Ianthinarum. Scilicet cuſtodiebatur Virgo tegumento Pellium Caprarum à peccato veniali. Tegumento pellium arietum rubricatarum à peccato mortali. Tegumento pellium ianthinarum à peccato originali, pro numero peccatorū, à quibus fuit præſeruata. Ita exponimus locum de Tabernaculo, & quidem accommodatè ad Immaculatam Conceptionem. Conferat qui velit cum expoſitione S. Thomæ contrà interpretantis, habita ſemper reuerentia tanto Doctori, cui nos aliàs aſsurgimus: & à quo non niſi inuitè, & ubi inuictè arguimus, recedimus, Scoto duce, auſpice Virgine.

Secundò, vendico mihi aliud Tabernaculum allatum ab eodem Doctore Angelico, nempe Solem: Symbolum Beatę Virginis. Eo maximè confirmatur pura, & immaculata Conceptio. Nam

Nam cur Virgo comparatur Soli, non autem primæ Luci, quæ initio mundi creata eſt à Deo, queque primum diem fecit. *Fiat lux, & facta eſt lux, Dies vnus*? Propior erat Conceptio Beatæ Virginis huic Luci primæuæ, à quam Soli qui quarto conditus eſt die. Deberet ergo cōparari Luci, non Soli dicēdo *In Luce poſuit Tabernaculum*; non autem in Sole. Aliud viſum eſt Spiritui Sancto in Dauide. Elegit Solem, reiecit Lucem: non erat idonea Lux illa prima ad Virginem ſignificādam, ſed Sol: quia Lux illa prima ſucceſſit tenebris, quæ ſapiunt culpam: at verò Sol ſucceſſit Luci, quæ iam erat ante quartum diem: imo Sol ex illa Luce antecedente fuit à Deo formatus. Lux autem ſapit gratiam. Propterea igitur non quadrat *Lux* in Mariam conceptam, quia ante Lucem erant *tenebræ ſuper faciem Abyſſi*. Et poſt has tenebras creata eſt Lux, ideſt poſt peccatum, à quo Maria immunis & aliena erat. Sol autem conditus fuit infuſa iam, & inducta Luce, ac immediatè ex Luce gratiæ, nullis præexiſtentibus tenebris peccati. In hoc Sole immaculato penitus, ac ſplendido poſuit Dominus *Tabernaculum* ſuum, *altiſſimus* quò non aſcendit vllum peccatum. Ita vindicamus teſtimonium ſecundi Tabernaculi à Diuo Thoma, & in laudem Immaculatæ Conceptionis conuertimus.

Tertiò produco locum Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Semen tuum, & ſemen illius. Tu inſidiaberis calcaneo eius*, quem ſic expendo. Opponit Deus Diabolo auctori peccati B. Virginem, ac prius, quàm *Chriſtum Filium* ſemen illius, quaſi vero maior eſſet oppoſitio, & pugnantia Virginis cum peccato, quàm Chriſti. Sanè quia Chriſtus habuit, quæ ſibi impoſuit aliena peccata, vti Redemptor, at vero B. Virgo non habuit, nec propria, nec aliena. Deinde illa verba *Tu inſidiaberis calcaneo eius* continēt rem Conceptionis Immaculatæ, quia per calcaneum moliri inſidias, ſignificat tentare illam maculare per peccatum originale, è terra per hominem terrenum Adam contractus initio viæ humanæ. Moliebatur ergo Diabolus eo peccato maculare Virginem, & in ea quærebat illud peccatum, ſed fruſtra. Quæſiuit enim, & nō inuenit. Iuxta verſiculum Pſalmi. *Quęretur peccatum illius, & non inuenietur*.

Quartò affero illum Cherubinum Cuſtodem Paradiſi cum gladio acuto, & flammeo, & verſatili, qui vnus tantum ad cuſtodiam ſatis erat: cùm in Tabernaculo ad cuſtodiendū Propitiatorium Teſtamenti duo eſſent adhibiti, ambo vigiles, extentis alis, ſeque mutuò, & illud reſpicientes, quaſi ſe ſe ipſi de vigilantia monerent: ac ne alter dormitaret, attenderet. Erat hoc autem Propitiatorium Figura B. Virginis: cuius inuiolata puritas ea cuſtodia ſeruari debuerat, quæ Paradiſi cuſtodiam ſuperaret. Charior quippe Deo erat Virgo, quam Paradiſus. Addo: ad excubias pro Deo faciendas apud Iſaiam 6. Seraphinos, duos quidem, ſed clauſis alarum tegumento oculis collocatos: minore cura, quā pro B. Virgine, quæ oculatos, & vigilantes Cherubinos exigebat: duplicante ſe cura, cùm Cherubim ſint Sapientiæ ſymbola: & oculis additis dupliciter vigilent. Seraphinis amorem præferentibus, qui caret oculis, & minus eſt ad cuſtodiam accommodatus.

Quintò ingero Arcam Noe. Hanc figurare Virginem Mariam in eo di-

Digitized by Google

luuio peccati, communis interpretum ſenſus eſt. Hanc ergo Deus, ne aquam illam lutulentam admitteret, *clauſit de foris*, vt inquit Scriptura. Non contentus Noe diligentia qui *eam bitumine liniuerat intrinſecus, & extrinſecus*. Subtiliter egit Deus ſolicitus de iſta cuſtodia: obſtruxit omnem aditum peccato, ne quod ingrueret: & hanc ipſe curam ſuſcepit. Illa vox *de foris* ſignificat originale peccatum de foris quodammodo veniens, quod ſit ex Adamo contractum. Huic Deus obuiare voluit præſeruans Virginem aditu clauſo: ac ſicuti ſeruauit clauſum vllius vterum ad concipiendum, & pariendum Chriſtum Virginitate inuiolata, ita cuſtodiuit eiuſdem Animam immaculatam innocentia attributa.

Sextò induco Scalam Iacob Geneſ. 28. celeberrimum B. Mariæ ſymbolum, in qua illud notandum, quod Deus erat *innixus Scalæ*, dubio ſenſu, eſſet ne in imo, an ſummo? Si in ſummo caput Scalæ, ideſt ſummitas, & initium Scalæ tutum erat à peccato. Si in imo ad principium Scalæ incipientis à terra, non minus erat ſecurum à culpa, cum ibi eſſet Deus nixus. Malo Deum vtrobique eſſe, & in imo, & in ſummo, vt omnino arceret peccatum. Idq; vendico, ne temerè dicã Angelos æquè aſcendere, & deſcendere, quaſi vtrobiq; eſſet Deus cui miniſtrabant: itaq; aſcendẽtes ad Deũ ibant, & deſcẽdẽtes redibant. Quod ſi minus placeat interpretatio, recurro ad locũ Ioan. 1. in fine, vbi inuenio Chriſtum in imo Scalæ cum reſpectu ad hanc Scalam Iacob. Sic enim ibi Chriſtus apud Euang. *Videbitis Cęlum apertũ & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis*. Hic deſcendũt haud dubiè Angeli ad Ieſũ in imo Scalę ſtantem. Igitur inuenitur initium terreſtre Virginis, prout eſt Adæ filia, nexum Deo, atque adeo immaculatum.

Septimò, repræſento illuſtrem locum, cuius me nomen Iacob Patriarcha monuit, qui habetur Numer. 24. *Orietur Stella ex Iacob*, quam nemo ambigit eſſe ſchema Virginis. Quæro, Cur dicitur ſtella Iacob? An non æquius Abrahæ, qui totus Firmamenti hæres erat. *Multiplicabo te ſicut ſtellas Cęli?* Nonne congruentius Iſaaci, qui victima Deo ſacrata fuerat, & uir vnius vxoris ad pudicitiam propius. Quomodo ergo Iacob ambobus præfertur, & Virginem vendicat? Scilicet quia Iacob ſciuit exceptionem facere vnius ab aliis, & priuilegium concedere, & inter turbam diſtinguere, ac extra ordinem munerare ſingularem gratiam largiendo. Quod proprium fuit erga B. Virginem, quã Deus excepit à communi turba hominum peccantium. Singulari ei primum, ac præſeruantis gratiæ prærogatiua conceſſa. Referamus quæſo mentem ad caput 48. Geneſeos. Ibi Iacob diuidens hæreditaria bona inter filios ſuos iuxta legem communem ęquantem liberos, excepit Ioſeph, & cæteris ante poſuit extra ordinem reliquorum. *Dabo tibi*, inquit, *partem vnam extra fratres tuos*. Ecce extraordinaria gratia erga Ioſeph, quem excipiens ſingularem reddidit, Chriſtum figurans, qui in hæreditaria contagione peccati excepit Virginem ab eo, & diſtributis communibus donis gratiæ inter omnes alios iuſtos filios ſuos, hoc ſingulare donum præſeruantis ab originali macula gratiæ B. Virgini attribuit, quemadmodũ Iacob erga Ioſeph fecerat. Dixit enim Chriſtus ad Mariam. *Dabo tibi vnam partem extra Fratres tuos*: ideſt gratiam

tiam vnam talem, quæ ſit extra ordinem gratiarum, meque reponat in loco ſingulari immaculatam, & ab omni macula alienam. Atque vt maior ſit vis teſtimonij Iacob ſignificauit Redemptorem illis verbis. *Quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & in Arcu meo*, ideſt in Mea Paſſione, & cum Meo Sanguine, quo ſignificauit illam extraordinariam gratiam ad Redemptionis munus pertinere, nequid ad perfectionem proportionis deſideretur. Stella igitur Iacob à Balaam tunc vaticinante Propheta B. Virgo propriè appelletur.

Octauum pono de libro 1. Regum c. 5. vbi narratur Arcam Dei in Templum Dagon à Philiſtæis ductam, & ſimul cum Dagone in Altari locatam non id tuliſſe, & Dagon in terram deieciſſe, & rurſum repoſitum Dagon in loco ſuo, præcipitaſſe, & truncaſſe, atque omnino euertiſſe. Argumento quòd B. Virgo, cuius Arca figuram gerebat, pati, nec debuit, nec potuit, vllam ſocietatem peccati in ventre Matris ſuæ Annæ. Quare ſola illa in gratia, & cum gratia erat futura. Stare quippe cum Diabolo Mater Dei prorſus nequibat. Deiiciendus erat, & detrudendus ad inferos, ſi auderet locum occupare. Sanctior tamen Maria quàm Arca, cum hæc aliquandiu fuerit cum Dagon: At vero Maria, ne momentum quidem cum Diabolo, aut fuerit, aut eſſe potuerit.

Nonum aduoco huic reſpondentem locum ex 3. Reg. 2. vbi Salomon Rex ſedēs in throno ſuo recepit Bethſabee Matrem ſuam, & ad dexteram ſuam in throno ſedere fecit. Qua ratione B. Virgo, quam figurabat Bethſabee in throno ad Filij ſui dexteram ſedet, quo ſignificatur eius immunitas à peccato originali: nam cū Filius ſedeat ad dexterā Patris, B. Virgo ad dexterā Filii ſedet etiam ad dexteram Patris. Igitur ad duas dexteras, quæ etiā liberant à duobus peccatis originali, & actuali. Nec obijcias Bethſabee, & Salomonem non quadrare ad rem gratiæ, cum fuerint Peccatores, & Mater adultera, Filius natus ex adulterio: nam Sacra Scriptura ſuſtulit difficultatem, apud quam ſtatus ille Regni in quo erant refertur ad gratiam. Vnde Bethſabee diſertè c. 1. huius lib. 3. ſtatum priuatum ſumpſit pro ſtatu Peccati. Statum autem Regium poſuit pro ſtatu gratiæ. Sic enim cùm poſtularet Regnum à Dauid. *Erimus*, inquit, *ego, & Filius meus Salomon Peccatores*, ideſt priuati ſi non regnemus. ceu perinde eſſet carere Regno, ac eſſe in Peccato, Regnare verò eſſe in gratia. Igitur obiectio tollitur, & ſtatuitur Bethſabee Figuram geſſiſſe Mariæ, liberæ, & immunis à Peccato virtute Filij ſui, & Patris, & in ſtatu, & Solio gratiæ originalis cōſtitutæ, ac minimè Peccatricis. Nam qui ſine Regno eſſent Peccatores, cum Regno deſinerent *Peccatores* eſſe, & tranſire ad ſtatum gratiæ *Erimus* Reges, *Non erimus Peccatores*.

Nonum ſuppeditat Salomonis Tēplum lib. 3. Reg. c. 6. Primùm cū de illius ſtructura agitur initio cap. fit mentio de tempore *egreſſionis de terra Ægypti*, quod continet libertatem, quod pertinet ad gratiam. Secundùm illud Templum conſtabat ex lapidibus dolatis iam, & perfectis, ac expolitis non autem impolitis, & imperfectis, quod ſignum erat àntecedentis perfectionis ad fabricam Templi excludentis imperfectionem peccati, ac exigentis gratiam. Tertiùm ſilētio ſuo fabricatio fiebat: *malleus quippe, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt au-*

dita. Quę proprietas fuit Verbi Diuini concepti, & nati ex Maria Virginé. *Cum medium ſilentium tenerent omnia*, vt ſumma iudicaretur Reuerentia, & Religio erga Conceptionem Matris, qualis fuerat erga Incarnationem Filij. Quartum. *Omne Templum cedro veſtiebatur*. Rurſum. *Omnia cedrinis tabulis veſtiebantur*: quod ad incorruptionem referendum, quin & ad odorem virtutis reuocandum pro argumento gratiæ, cùm immaculatæ, tum flagrantis. Quintum, & mirabile quòd Feneſtræ erant obliquæ, non rectæ, & patentes. *Fecit in Templo feneſtras obliquas* num. 4. ibid. Hic morandum. Latet myſterium. Quid cõmune habet iſta obliquitas cum gratia Immaculatæ Conceptionis? Mihi ſic videtur meditanti, ſi feneſtræ eſsent rectæ intrabat lux, & vno ictu; eratq; lux ſimplex, & communis orta ex tenebris cùm Sol ex Occidente remeabat, & nocti ſuccedebat. Lux erat Redemptioni à Peccato ſimilis, quæ ſupponebat tenebras quibus ſuccedebat. Non ita lux quæ intrabat in Téplum per feneſtras obliquas, quæ erat lux reflexa, & prius impacta in parietem feneſtræ, & inde in Templum immiſsa, quę erat lux ſecunda orta ex prima luce: vnde non erat immediatè ſuccedens tenebris, ſed luci iam acceptæ in pariete feneſtræ obliquæ. Vt eſset lux de luce, non lux de tenebris: non immiſsæ à Sole poſt noctem primum lucentis, ſed inductæ per reflexionem à luce Solis primum Parietem illuminantis, & luce refracta per reflexionem Templum illuſtrantis. Qua ratione lux duplex ad illuminationem Templi concurrebat: prima directa in parietem præſeruans: ſecunda reflexa in Templum, quæ vlterius lumen infundebat, & gratiam conduplicabat. Quin & aliud penſiculaùtis rem ponderanti occurrit. Lux recta per feneſtras rectas ingrediens ſubito ictu feriebat oculos, ac perſtringebat; at verò lux per obliquas feneſtras ſeſe inſinuans dulciùs, & ſuauiùs illuminabat oculos, eosque illuminando alliciebat: quod ad ſuauiſſimam Beatæ Virginis gratiam non ſine virtute trahendum, cum peccatum non careat aſperitate, cui illa lux violéta ſimilis eſse videtur, à qua procul abeſt gratia Virginalis.

Decimum breuiùs expediendum mihi ſe offert initio cap. 7. eiuſdem lib. 3. Regum vbi dicitur. *Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis*, cùm immediatè dixiſset in fine cap. 6. *Ædificauit eam annis ſeptem*. Loquens de Templo. Itaque plures annos conſumpſit Salomon in ædificanda Domo ſua priuata, quàm in fabricando Templo. Ex quo apparet quantò pluris æſtimanda eſt B. Virgo, domus Chriſti, quòd Mater eſt eius, quàm commune templum Sanctorum: qui Filij ſunt, cum hi numerentur in Téplo Eccleſiæ: B. autem Virgo Maria, etſi in hoc etiam includatur, tamen vltrà extenditur, & Domum propriam Chriſto exhibet, vti eſt Mater. Quare duplex genus nacta eſt gratiæ, alterum communis ſanctitatis: alterum præſeruantis ab omni macula etiam originalis puritatis.

Vndecimum item exhibet Templum eodem lib. 3. c. 6. dum narrat inueniri intra fabricam *Lilia*. Cur non Roſas? An non eo loco dignæ? Non vacat Myſterio. Roſæ excluduntur à Templo, ſymbolo B. Virginis, quòd ſpinis aſperantur, quæ peccata ſignificant, & quidem poſt peccatum, & ob peccatum pullularunt, vt pungerent.

Digitized by Google

rent; de terra maledicta: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*. Tibi Peccatori. Cum igitur ad Peccata, & peccatores attineant, eijciuntur à Templo. Admittuntur autem Lilia læuia, ſuauia, candida verè virginea, Agno innocenti congrua, inter ea paſcenti, & habitanti. Decent hæc Virginem Agni Matrem candidiſſimæ, & ſuauiſſimæ puritatis, quæ nullum habent cum Peccato, & Peccatoribus commercium.

Duodecimum colligo ex lib. 3. Reg. cap. 18. Et quidem illuſtre. Habetur ad finem capitis narratio de pluuia impetrata ab Elia poſt longam ſterilitatem, quam ſignificauit nubecula, quędam aſcendens de mari, quod Mariam ſonat gratiarum Mare, & ipſa in nubecula figuratam. In eo virtus eſt: quod dicitur illa nubecula, quaſi *veſtigium hominis*. Quid cum veſtigio hominis nubeculæ? Hæc formatur in cælo inferiori, hoc eſt Aere, & ad cæleſtem regionem pertinet: veſtigium autem hominis in terra, cui imprimitur, verſatur, non in aere, cœlove ſuſpenditur. Res eſt arcano ſenſu fæta, quem depromimus hoc modo. Illa nubecula inſtar veſtigij ſurgens indicat Conceceptionem Virginis ingrediẽtis mundum, ac in eo imprimentis *calcaneum*, cui Serpens inſidiabatur cum reſpectu ad locum Geneſis ſupra laudatum. Ne igitur putaret quiſpiam illud eſſe initium ſordidum, & maculatum peccato, ponitur extra terram maledictam in regione cęleſti, inſtar veſtigij hominis, & Adami cæleſtis, non autem hominis Adami terreſtris; quem etſi natura Parentem habebat, non tamen eius peccatum in ſtatu gratiæ contrahebat; vt eſſet quidem Filia Adam terreſtris per naturam humanam, at Filia Adam cœleſtis per gratiam. Itaque huius veſtigium in Cęlo poſitum referebat. Homo Virgo erat, ſed ad Chriſti Dei, & hominis exemplar concepta extra puluerem, ſordemque originalis peccati. Quaſi veſtigium Hominis cæleſtis.

Tertiumdecium inuenio apud Nehemiam Eſdræ 4. vbi murum Hieruſalem, cum ædificari cœptus eſſet, finitimi hoſtes conati ſunt poſitis inſidiis intercipere, ac labefactare: *vt molirentur inſidias*, ait ſacer textus. Qui murus cùm ad munimentum, & cuſtodiam Sanctæ Vrbis ſpectaret, gratiæ pręſeruantis ſymbolum continebat: Igitur quo ille ſeruaretur illæſus, ac integer à populo ædificabatur, vt vnà fabricaretur, & cuſtodiretur. Is autem erat habitus ædificantis. *Vna manu*, inquit, *faciebat opus, & altera tenebat gladium*, tùm procedebat opus, dum hoſtes gladio arcebantur. Ac in arcendo virtus ineſt gratiæ defendentis, & ab iniuria, & detrimento præſeruantis; quòd autem ſapiat gratiam primam oppoſitam maculę originali, inde apparet, quòd gladius ille, qui arcebat hoſtes, dicitur ad renes pertinere. *Ædificantium vnuſquiſque gladio erat accinctus renes*. ideſt in loco concupiſcentiæ, qui eſt fomes peccati ab originali proueniens, cum eoque connexus. Igitur quem manus rotabat gladium ad muri cuſtodiam, renes conſtringebat, quod concupiſcentię fomitem coercebat. Verbum autem *Accinctus* ſignificat puritatem, eo ſenſu, quo apud Lucam c. 12. dicitur *Lumbi veſtri præcincti*, & lib. 3. Reg. 18. Elias *accinctus lumbos*: quæ voces ad caſtimoniam, & Virginitatem pertinent. Alii enſes accommodantur lateri. *Laterique accommodat enſem*, phraſis eſt Virgiliana. Hic autem gladius applicatur *Renibus* phraſi diuina, vt my-

Digitized by Google

myſterio ſeruiat Virginis Matris Dei Immaculatæ Conceptioni.

Quartumdecimum, ſuppetit in lib. Iudith c. 12. & 13. obtruncauit hæc Holofernem. Peccati ſymbolum: aliquo modo in virtute gratiæ præſeruantis. Prius enim ait ſcriptura; *Exibat noctibus, & batizabat ſe in fonte Aquæ*. Sic antecedente gratia, ac præſeruante vicit peccatum, non autem baptizabat ſe in riuo, ſed in fonte, ideſt gratia originali. Addit textus eodem cap. & num. *Munda manebat in Tabernaculo*, non mundata, ſed munda propter gratiam præuenientem omne peccatum. Hinc illa c. 13. *Luminaria*, quibus accepta eſt in Ciuitatem *accenſa*, & locus eminentior ei datus, & Carmina, & Epiniciũ Triumphi, c. 16. Propterea meminit inuiolatæ puritatis. *Non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari*. Ac iterum *ſine pollutione peccati*. Contineri autem in hoc facto rem Immaculatæ Conceptionis teſtatur Eccleſia tota Frãciſcana intonãs & recitans ſolemnia illa verba turbæ Hebraicæ c. 15. *Tu gloria Hieruſalem, Tu lætitia Iſrael, Tu honorificentia populi noſtri*, quæ numeris muſicis uincta in Carmen Triumphale conuertit.

Quintum decimum, offert text. lib. Heſther vulgatus, & tritus, non tamẽ ideo prætereundus c. 15. ita loquens de lege vetante aditum ad Regem ſe inconſulto: *Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*, vbi notandum illud eſt maximè, quod prius ponit excluſionem, quàm iuſſionem: *Non pro te, ſed pro alijs hæc lex conſtituta eſt*. Non dixit: lex communis pro omnibus lata non te complectitur, quia tu excepta es ab illa, quamquam vna ſis ex illa communitate. Qua ratione Virgo manebat in ea Maſſa, & turba communi, à qua erat excipienda, & immunis declaranda, quæ multò eſt minor prærogatiua, quàm ea his verbis expreſſa *Non pro te, ſed pro omnibus* excludendo Virginem à lege communi, & ſeparando eam à turba, & maſſa hominum omnium, quaſi antecedenter ad illam lationem legis Virgo Maria fuiſſet præelecta, & præſeruata quemadmodum nos diximus ſupra de Prædeſtinatione B. Virginis ſimul cum Chriſto ad quem referebatur; & in cuius ordine erat excluſa, & ſeparata ab reliqua hominum Maſſa. Vnde credebatur immunis etiam à debito culpæ originalis, ratione maternitatis Chriſti, eam ſibi aſſumentis, & vnientis in primo decreto, ac modo prædeſtinandi ante pręuiſionem peccati originalis. Certè noluit Duos eam prius communem cum cęteris facere, & poſtea communi lege excipere, nequis de exceptione ambigeret, ſed voluit eam prius ſeparare, & ſecludere à communitate hominum, quos obnoxios legi facturus erat: ne Virgo vllo modo lege illa teneri videretur. *Non pro te*: Sed pro *omnibus*: vt terminus vniuerſalis eam minimè comprehenderet, vt nõ eſſet inter omnes cum excepta fuit, ſed ſeorſim à Deo ſeparata cum Filio ſuo Chriſto antequam lex de Peccato incurrenda ferretur.

Decimumſeptimum, vendico illum Pſalmum 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, vbi deſcribit fabricã Hieruſalem, qua B. Virgo ſignificatur. Igitur *fundauit eam Altiſſimus* ſuper *montes ſanctos* in vertice montium: qua ſanctitate eminent, & coronantur, non ad radices, vbi ſordẽt, & terra communi maculãtur. Ibi ſunt initia, & rudimenta Virginis: penitus immaculata, nixa ſanctitate. Confirmant verba *Diligit Dominus portas*

Sion

Digitized by Google

Sion ſuper omnia Tabernacula Iacob. Portas: Ad eius ingreſsũ in vitam, Cõceptionem Mariæ: non diligitur autem, quod eſt temeratum peccato, ſed quod eſt immaculatum per gratiam. *Super omnia Tabernacula Iacob*. Exaggeratio eſt Sanctitatis, quæ præfertur hiſce Tabernaculis. Cur autem hæc Tabernacula nominantur, & quænã ſunt illa? Euoluamus capita Geneſeos 28. 31. 32. 33. inueniemus ea fuiſſe ſanctiſſima: imo & glorioſiſſima, ſcilicet erecta ad cultum, & honorem Dei, altaribus poſitis in ſacras ędes verſis, vbi Deus habitaret: *Bethel*, imo & vbi facie ad faciem videretur: *Phanuel*. Quibus præponens Deus Conceptionem Virginis exemplum Immaculatę gratiæ cum magna gloria dedit. Vnde Dauid ibi exclamat *glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*, conferens eam Cœleſti Ciuitati Hieruſalem, quæ perfectæ Beatitudinis Sedes eſt, vbi Deus videtur facie ad faciem, & beat ſuos Electos, ac æternum beabit, tanquam in domicilio immortalitatis, firmo, quadrato, conſtanti; non tanquam in tabernaculo Iacob extemporario, ac temporis mutationibus, ac iniurijs opportuno.

Decimumſextum locum eripit nobis S. Thomas, quem vindico, ac reſtituo immaculatæ Conceptioni. Is eſt Iob. c. 3. de quo D. Thomas 3. p. qu. 27. a. 2. ad 2. in fin. *B. Virgo ab originali peccato fuit mundata. Et hoc ſignatur Iob. 3 vbi de nocte originalis peccati dicit, expectet lucem, ideſt Chriſtum, & non uideat (quia nihil inquinatum incurret in illam, vt dicitur Sapien. 7. nec ortum ſurgentis Auroræ, ideſt B. Virginis; quæ in ſuo ortu à peccato originali fuit immunis*. Itaque S. Thomas *ortum ſurgentis Auroræ*, trahit ad Natiuitatẽ Virginis, non ad Conceptionem, & intelligit de ſanctiſicatione Natiuitatis excluſa immaculata Conceptione. Aſſerendus eſt locus, & aliter interpretandus. Retineo cum D. Thoma textum de peccato originali, eſt enim manifeſtus. Verùm ſequor ſensũ quò me ducit, ideſt ad Conceptionem. Dicit Sanctus Iob; tenebras originalis peccati lucem adimere in ea caligine ad videndam gratiam, donec appareat lux Chriſtus Dominus, & B. Virgo eius Mater, quia in his duobus nõ ſunt tenebrę vllius peccati ob infuſam lucẽ gratiæ originalis. Qui ſenſus naturalis eſt. Circa carentiã tenebrarum in Chriſto, & Maria, quòd ambo lucẽ hauriunt originalem, quæ in iis cùm viſi ſunt, apparuit; cum ea tamen differentia, quod Chriſtus erat ipſamet *Lux lucem videat*; quæ non erat capax vllius caliginis, eumq; primo loco nominat, Maria vero nõ erat lux, ſed illuminata ab illa luce, ceu Sole, atq; adeo Auroræ cõparata. Quare non eſt diſcrimẽ inter lucẽ Solis, & ortũ Auroræ, quæ tardius luxit: ſed inter lucem in fonte Chriſto, & in Aurora in riuo: retenta tamen Conceptione amborum, itaut ortus ſurgentis Auroræ ſignificet eius Conceptionem. Patet: quia ſi Iob de natiuitate loqueretur, non coniungeret Chriſtum cum Maria, quaſi ſingularem, ſed confunderet eam cum Ioanne Baptiſta, & Hieremia, qui nati ſunt in gratia, non autem in ea concepti. Vnde nihil ſingulare dabatur Auroræ Mariæ, quod Soli Chriſto conueniret, cùm Sanctificatio in natiuitate communis eſſet aliis Sanctis. Diceret ergo Iob, & ſtellarum Ioannis, & Hieremiæ: non autem Auroræ ſolius, ſecernendo eam ab aliis, & reuocando ad Chriſtum. Alioquin nihil ſingulare, nec mirabile videretur conſtitui in caligine Peccati originalis in

Au-

Aurora. *Ortus igitur ſurgentis Auroræ* Conceptio eſt Immaculata, non Natiuitas B. Virginis, cui locus hic fauet, non officit.

Decimum octauum nobis præbet Idem Vates Pſalmo 100. in illis verbis: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*, quem verſum, cum propriè de generatione Diuini Verbi ex intellectu, ſiue memoria fœcunda Patris intelligatur, nonnulli interpretes exponunt etiam de B. Virginis Conceptione hoc modo. *Tecum* quando es concepta, fuit Principiũ, & Auctor tuus per gratiam: nunquam aut tu ſine illo, aut ille ſine te. Semper te comitatus eſt. In ſplendoribus ſanctitatis, quoniam nullas in te paſſus eſt tenebras cadere. Itaque etiam ſi retineamus *Sanctorum*, quadrat ſenſus huius, ſcilicet Genui te, non quà Sancti, aut tenebras, aut vmbras habebant, cùm eſſent omnes aliqua ex parte Peccatores: ſed quà ſplendebant gratia, & charitate. *Ex vtero ante Luciferum*, hoc eſt: ante ortum primæ lucis iam eras in luce, non à nocte ad diem veniebas, ſed à luce in lucem progrediebaris, & ante Luciferum lucebas. Alii lucent in die, & prodeunt ex nocte, vt ipſemet Lucifer, qui antea Heſperus eſt, quàm ſit Lucifer noſtræ Fidei. At tu B. Virgo nunquam noctem experta es: ſemper ſplendida effulſiſti, & Luciferum non expectaſti, imo præceſſiſti. Ac ſicut Filius tuus, vti Filius Dei, ab æterno in ſinu Patris ſplendorem Sanctæ diuinitatis accepit, ita & tu Mater eius Maria concepta es in vtero, luce ſplendida gratiæ, ex eo nata Filia adoptiua. Quos ille habuit ſplendores per naturam diuinam, illos ea pro ſuo modulo habuit per gratiam.

Pergo re ad Librum Prouerb. qui mihi porrigit teſtimonium, c. 8. ad illud n. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio*, vſque ad n. 36. quæ verba de Sapientia Diuina cum Patre omnia creãte intelligenda propriè sũt, & tamen allegoricè de B. Virgine capiuntur, eaque Mater Eccleſia in Epiſtola Miſſæ de Conceptione Immaculatæ Virginis recitat. Quod indicat eiuſdem prædeſtinatam puritatem. Quæ ſumma laus eſt B. Virginis aſſimilari Verbo Diuino omnium Creatori, & quidem *ab initio viarum ſuarum*, ideſt à prima ſui conceptione quaſi eam Deus ab æterno in ſua mẽte Diuina formauerit ſimilem Filio, per quam condidit omnes creaturas virtute prędeſtinationis, qua eam elegit, non vt in turba reliquarum eſſet, ſad vt cum Filio ſuo tanquam Mater cẽſeretur, & immunis quodammodo loco Diuinarũ Perſonarum poneretur. Vnde, & nonnullis Patribus *Complementum* Trinitatis dicitur, quo vocabulo Perſona in ſcholis nuncupatur, à complenda, & perficienda natura. Ego *Appendicem Trinitatis* dixerim, quod ſi talis eſt, & vocatur Beata Virgo, longè ab omni macula eſt peccati, tum actualis, tum originalis, & Immaculatam habuit viam ab initio ſuæ Conceptionis, & Sanctos, & immaculatos facit eos qui ambulant per viam eius *Beati immaculati in via*. Imo & Beatos reddit. *Beati qui cuſtodiuit vias meas*. Diſcunt quippè ex ea homines doctrinam *veritatis*, & beantur. *Beatus qui audit me*, qui eam inuenit, vitam inuenit qua fruatur, & quidem æternam. Ac proinde ſicuti Chriſtus eſt *Via, veritas & vita*. Ita & B. Virgo eius Mater *Via, veritas, & vita*, poteſt per priuilegium nuncupari.

Ce-

Celeberrimus eſt vigeſimus Cant. 4. nu. 7. quem, quia perſpicuus eſt vulgus omne Piorum deprædicat. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Vis fiet huic teſtimonio ſi ſecus, quàm de Immaculata Conceptione capiatur. Ego in communi ſenſu aliquid peculiare, & plenum virtutis video. Primum ponitur *Tota pulchra es* pulchritudo, reapſe, & vera germana perfectio: non autem priuatio maculæ, quæ eſt remotio imperfectionis, quaſi pulchra eſset per infuſionem abundantem præſeruantis gratiæ, quę vundequaque pulchram Virginem redderet, vt ſignificetur B. Virginem directò à Deo fuiſſe dilectam, & repletam gratia, quæ negationem expelleret, vt nobilius ſanctificaretur à gratia circumfluente. Ecce cauſa cur caruit macula, quia erat antecedenter plena gratia diuina, qua cum peccatum ſtare non poterat. Huius gratiæ ſingularis, & abundantis, remotio maculæ effectus fuit. Quære Mariæ ſanctitatem, in amore Dei erga illam inuenies, & in gratia apud ipſum: vbi eſt fons purus; non autem in carentia culpæ, vbi eſt effectus, ac riuus. Iam verò vox Tota omnem eius vitam comprehendit Conceptionem, Natiuitatem, Annuntiationem, & reliquum vitæ decurſum. Tota ex integro, vndecumque pulchra, & venuſta, & gratioſa. Vera hæc ſententia non eſſet ſi qua eius pars maculata eſſet. Igitur & Conceptio caret macula, quandoquidem ad integritatem totius Virginis pertinet. Tota Virgo pulchritudinem, & pulchritudo totam Virginem occupauit. Nihil in Maria niſi pulchrum, niſi bellum, niſi formoſum. Habet ſuas macula Luna; hæc Luna Maria caret omnino macula propter perfectionem pulchritudinis, quę non patitur næuum, nec maculam *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, & tunc appellatur *amica*, quia Dei erga illam amor cauſa fuit eiuſcemodi pulchritudinis. Semper pulchra, quia ſemper amica per gratiam, numquam inimica per peccatum.

Vigeſimus primus occurrit Cant. 6 num. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Hic ſiſto. Lux ſymbolum gratiæ eſt. Omne genus lucis eſt in Virgine: Auroræ in Conceptione: Lunæ in Natiuitate: Solis in Vita. Nuſquam tenebræ. Non eſt iis locus vbi tota lux eſt. Non habet aditum caligo. Omnia ſunt clauſa nocti: ſi tentet rimam inuenire per Conceptionem: Aurora eſt. Si per Natiuitatem Luna eſt: ſi per vitæ tempora Sol eſt. Accedit ſequens ſententia *Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* Hic ſunt Stellæ, quæ *militia Cęli* in Sacris litteris appellantur. Habemus ſtellas pugnantes lib. Iudic. c. 5. *Stellæ contra Siſaram pugnauerunt.* His armata B. Virgo tanquam acies inſtructa, & benè ordinata pugnat, & bellat contra poteſtatem tenebrarum; ita tamen certat vt eminus prælietur, ne manus conſerens comminus, cum peccato aliquo modo ſordidetur; igitur ſolo terrore pugnat, & debellat hoſtem tenebroſum, terret aggredientem, arcet, auertit, fugat & ſic tuta & intemerata vincit *ordinata* ſemper ſtat in gradu, manet in ordine, nihil in ea incompoſitum, nihil tumultuoſum, nihil turbulentum à fomite peccati. Ordine pulchro ſuperat exercitum inferorum: *vbi nullus eſt ordo, & vbi ſempiternus horror*, de hac Immaculata Virgine Conceptus *inhabitat.* Etenim hac viſa torquentur, & fugantur. Verum hic eſt illud *Peior*

Digitized by Google

Aurora. *Ortus igitur ſurgentis Auroræ* Conceptio eſt Immaculata, non Natiuitas B. Virginis, cui locus hic fauet, non officit.

Decimum octauum nobis præbet Idem Vates Pſalmo 100. in illis verbis: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te*, quem verſum, cum propriè de generatione Diuini Verbi ex intellectu, ſiue memoria fœcunda Patris intelligatur, nonnulli interpretes exponunt etiam de B. Virginis Conceptione hoc modo. *Tecum* quando es concepta, fuit Principiũ, & Auctor tuus per gratiam: nunquam aut tu ſine illo, aut ille ſine te. Semper te comitatus eſt. In ſplendoribus ſanctitatis, quoniam nullas in te paſſus eſt tenebras cadere. Itaque etiam ſi retineamus *Sanctorum*, quadrat ſenſus huius, ſcilicet Genui te, non quà Sancti, aut tenebras, aut vmbras habebant, cùm eſſent omnes aliqua ex parte Peccatores: ſed quà ſplendebant gratia, & charitate. *Ex vtero ante Luciferum*, hoc eſt: ante ortum primæ lucis iam eras in luce, non à nocte ad diem veniebas, ſed à luce in lucem progrediebaris, & ante Luciferum lucebas. Alii lucent in die, & prodeunt ex nocte, vt ipſemet Lucifer, qui antea Heſperus eſt, quàm ſit Lucifer noſtræ Fidei. At tu B. Virgo nunquam noctem experta es: ſemper ſplendida effulſiſti, & Luciferum non expectaſti, imo præceſſiſti. Ac ſicut Filius tuus, vti Filius Dei, ab æterno in ſinu Patris ſplendorem Sanctæ diuinitatis accepit, ita & tu Mater eius Maria concepta es in vtero, luce ſplendida gratiæ, ex eo nata Filia adoptiua. Quos ille habuit ſplendores per naturam diuinam, illos ea pro ſuo modulo habuit per gratiam.

Pergo re ad Librum Prouerb. qui mihi porrigit teſtimonium, c. 8. ad illud n. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio*, vſque ad n. 36. quæ verba de Sapientia Diuina cum Patre omnia creãte intelligenda propriè sũt, & tamen allegoricè de B. Virgine capiuntur, eaque Mater Eccleſia in Epiſtola Miſſæ de Conceptione Immaculatæ Virginis recitat. Quod indicat eiuſdem prædeſtinatam puritatem. Quæ ſumma laus eſt B. Virginis aſſimilari Verbo Diuino omnium Creatori, & quidem *ab initio viarum ſuarum*, ideſt à prima ſui conceptione quaſi eam Deus ab æterno in ſua mẽte Diuina formauerit ſimilem Filio, per quam condidit omnes creaturas virtute prędeſtinationis, qua eam elegit, non vt in turba reliquarum eſſet, ſed vt cum Filio ſuo tanquam Mater cẽſeretur, & immunis quodammodo loco Diuinarũ Perſonarum poneretur. Vnde, & nonnullis Patribus *Complementum* Trinitatis dicitur, quo vocabulo Perſona in ſcholis nuncupatur, à complenda, & perficienda natura. Ego *Appendicem Trinitatis* dixerim, quod ſi talis eſt, & vocatur Beata Virgo, longè ab omni macula eſt peccati, tum actualis, tum originalis, & Immaculatam habuit viam ab initio ſuæ Conceptionis, & Sanctos, & immaculatos facit eos qui ambulant per viam eius *Beati immaculati in via*. Imo & Beatos reddit. *Beati qui cuſtodiuit vias meas*. Diſcunt quippè ex ea homines doctrinam *veritatis*, & beantur. *Beatus qui audit me*, qui eam inuenit, vitam inuenit qua fruatur, & quidem æternam. Ac proinde ſicuti Chriſtus eſt *Via, veritas & vita*. Ita & B. Virgo eius Mater *Via, veritas, & vita*, poteſt per priuilegium nuncupari.

Ce-

Digitized by Google

Celeberrimus eſt vigeſimus Cant. 4. nu. 7. quem, quia perſpicuus eſt vulgus omne Piorum deprædicat. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Vis fiet huic teſtimonio ſi ſecus, quàm de Immaculata Conceptione capiatur. Ego in communi ſenſu aliquid peculiare, & plenum virtutis video. Primum ponitur *Tota pulchra es* pulchritudo, reapſe, & vera germana perfectio: non autem priuatio maculæ, quæ eſt remotio imperfectionis, quaſi pulchra eſset per infuſionem abundantem præſeruantis gratiæ, quę vundequaque pulchram Virginem redderet, vt ſignificetur B. Virginem directò à Deo fuiſſe dilectam, & repletam gratia, quæ negationem expelleret, vt nobilius ſanctificaretur à gratia circumfluente. Ecce cauſa cur caruit macula, quia erat antecedenter plena gratia diuina, qua cum peccatum ſtare non poterat. Huius gratiæ ſingularis, & abundantis, remotio maculæ effectus fuit. Quære Mariæ ſanctitatem, in amore Dei erga illam inuenies, & in gratia apud ipſum: vbi eſt fons purus; non autem in carentia culpæ, vbi eſt effectus, ac riuus. Iam verò vox Tota omnem eius vitam comprehendit Conceptionem, Natiuitatem, Annuntiationem, & reliquum vitæ decurſum. Tota ex integro, vndecumque pulchra, & venuſta, & gratioſa. Vera hæc ſententia non eſſet ſi qua eius pars maculata eſſet. Igitur & Conceptio caret macula, quandoquidem ad integritatem totius Virginis pertinet. Tota Virgo pulchritudinem, & pulchritudo totam Virginem occupauit. Nihil in Maria niſi pulchrum, niſi bellum, niſi formoſum. Habet ſuas macula Luna: hæc Luna Maria caret omnino macula propter perfectionem pulchritudinis, quę non patitur næuum, nec maculam *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, & tunc appellatur *amica*, quia Dei erga illam amor cauſa fuit eiuſcemodi pulchritudinis. Semper pulchra, quia ſemper amica per gratiam, numquam inimica per peccatum.

Vigeſimus primus occurrit Cant. 6 num. 9. *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Hic ſiſto. Lux ſymbolum gratiæ eſt. Omne genus lucis eſt in Virgine: Auroræ in Conceptione: Lunæ in Natiuitate: Solis in Vita. Nuſquam tenebræ. Non eſt iis locus vbi tota lux eſt. Non habet aditum caligo. Omnia ſunt clauſa nocti: ſi tentet rimam inuenire per Conceptionem: Aurora eſt. Si per Natiuitatem Luna eſt: ſi per vitæ tempora Sol eſt. Accedit ſequens ſententia. *Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* Hic ſunt Stellæ, quæ *militia Cœli* in Sacris litteris appellantur. Habemus ſtellas pugnantes lib. Iudic. c. 5. *Stellæ contra Siſaram pugnauerunt*. His armata B. Virgo tanquam acies inſtructa, & benè ordinata pugnat, & bellat contra poteſtatem tenebrarum; ita tamen certat vt eminus prælietur, ne manus conferens comminus, cum peccato aliquo modo ſordidetur; igitur ſolo terrore pugnat, & debellat hoſtem tenebroſum, terret aggredientem, arcet, auertit, fugat & ſic tuta & intemerata vincit *ordinata* ſemper ſtat in gradu, manet in ordine, nihil in ea incompoſitum, nihil tumultuoſum, nihil turbulentum à fomite peccati. Ordine pulchro ſuperat exercitum inferorum: *vbi nullus eſt ordo, & vbi ſempiternus horror*, de hac Immaculata Virgine Conceptus *inhabitat.* Etenim hac viſa torquentur, & fugantur. Verum hic eſt illud *Peior*

eſt bello timor ipſe belli. Solo timore à B. Virgine incuſſo Dæmones profligantur.

Vigeſimi tertij magna vis eſt apud Iſaiam c. xi. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*. Neminem latet intellectus de B. Virgine, idque Eccleſia in Sacris teſtatur officijs. Illud expendo. Immaculatæ Conceptionis gratiam continere. Nam ſi flos hic eſt Ieſus, & de radice Virgæ aſcendit, ab illo initio venit, vbi radix incipit, eamque comitatur; nec deſerit, atque adeo maculari non ſinit, nam vbi Ieſus eſt gratia eſt. Nunquam igitur radix ſine flore inuenitur, qui pullulat ab imo radicis ſemper florentis gratia, numquam marcentis. Alij flores erumpunt ex vertice, & in ſummo faſtigio hiant, & eminent: non germinant ex ima, & infima radice: hic autem flos à radice procedit, ac inde vbi radix incipit ille exurgit ad argumentum puritatis, radix autem ſignificat initium Conceptionis; vnde Virgo Maria incepit exiſtere. Ne quis igitur putet radicem iſtam terrenis fæcibus eſſe obnoxiam, nouerit florem Chriſtum habere initium, qui Cœleſtis eſt Adam, non de ſordibus terræ formatus, ſed de puriſſimis ſanguinibus B. Virginis à Spiritu Sancto conditus: totus floridus, flos totus, floream redens radicem Virgineæ Virgæ, ideſt Conceptionem procul à ſpina peccati originalis. Hactenus de locis veteris teſtamenti.

Tranſeo ad teſtamentum nouum. Primum vendico illud Lucæ 1. *Aue gratia plena Dominus tecum*. Plena vndique, nulla parte vacua; eſſet autem vacua, ſi conceptio careret gratia. *Dominus tecum* non intermiſſa præſentia. *Tecum* per gratiam. Deus deſeruit Chriſtum in Cruce, cùm ille perſonam peccatoris gerebat ſuſceptis in ſe humani generis peccatis. Hinc illa vox *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*. Etiam cum meus, & maximè meus. Bis meus: agebat quippe perſonam peccatoris, & in ea figura loquebatur. Itaque non potuit dicere pro tunc Deus mecum, quia repræſentabat eos, quorum peccata ſuſceperat, ideſt peccatores. Verum B. Virgo, quæ non ſuſtinuit perſonam peccatoris, nec enim erat redemptrix peccatorum, potuit ſemper, ac debuit dicere: Dominus mecum. Qua ratione ei dixit Angelus *Dominus tecum*, vt nunquã à Dei gratia deſerta eſſe videretur: vt quodãmodo longius eſſet à peccato Virgo Maria, quàm Chriſtus, cum caruerit alienis peccatis, quæ Chriſtus ſibi impoſuerat, vt redimeret aliena peccata.

Secundus eſt ibi nu. 25. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum vocabitur filius Dei*. Rapit me illa particula *Ex te naſcetur Sanctum*; quæ indicat Chriſtũ certum quoddam ſanctitatis genus ex ventre Matris Virgine traxiſſe, vt quia inde prodijſſet, Sanctus quoque exiſteret: quod certè ſi B. Virgo maculata foret dici non liceret; igitur ratio contrahendi illam ſanctitatem fuit carentia omnis peccati in Matre Virgine. Suadetur, quia ſi Chriſtus ſeruauit Virginitatem corporis materni, vt naſceretur ſingulariter ex Virgine, æquiori iure debuit ſeruare animam eiuſdem ab omni macula incorruptã: quòd autem illa ſanctitas fuerit omnino perfecta, & in ipſamet Conceptione immaculata, probatur eo, quod adiungitur, *Vocabitur Filius Dei, non Filius hominis*: qualem ſe vulgò Chriſtus eſſe dicebat, nam traxerat talem ſanctitatem, qualis deceret Deum, hæc

autem

autem eſt immaculatæ in Matre Cōceptionis, cùm altera ſanctificatio Natiuitatis propria foret hominis, quadrat quippe in Baptiſtam, & Hieremiam, qui nati ſunt ſanctificati poſt contractum in ſua conceptione originale peccatum.

Tertius ibi apparet num. 38. *Ecce Ancilla Domini*, de quo ita ratiocinabor reuocans in memoriā illum verſiculum Pſalm. 115. *Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Appellat ſe Chriſtus ſeruū, cum tamen hęc propoſitio *Chriſtus eſt ſeruus* in Scholis non admittatur abſolutè, quòd iſta ſeruitus ſit aliena à Filio Dei naturali, qualis eſt Chriſtus, vti nos ſuo loco diximus. Quomodo igitur tam liberaliter Chriſtus dat hanc propoſitionem *ſeruum* ſe nominandò? Ratio eſt, quia cum Virgo Mater ſe Ancillam appellauerit *Ecce Ancilla* nullum periculum erat amittendi quidquam de opinione Diuinitatis, cum ea tota foret per gratiam immaculata, atque adeo Domina, & Regina. Itaque Ancillam ſe nominabat per virtutem humilitatis vti cum cecinit *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: quod myſterium Pſaltes aperuit, cum bis dixit *ſeruus tuus, ſeruus tuus*, & adiecit *filius ancillæ tuæ*, hoc eſt talis ſeruus, vti filius Mariæ Virginis: qualem ſi me eſſe profitear nihil de opinione, nec decoro Filii Dei mihi detrahetur. In tuto ſum in brachiis meæ Matris: fructus ſum benedictus ventris illius benedicti: & benè dicor filius iſtius Ancillæ, cuius ventrem ſequitur partus beatus ex ventre beato *Beatus venter, qui te portauit*.

Quarto nos inuitat Lucas eodem cap. 1 num. 41. *Vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth*. Hic agitur de ſanctificatione Baptiſtæ in vtero matris ante ſuam natiuitatem, quæ tribuitur Mariæ loquenti: *Vt audiuit ſalutationem Mariæ exultauit infans*: nimirum *exultauit* ad illum cantum Mariæ, cui ille ſaltus reſpondit. Si Verbum erat quod operabatur illam gratiam in Ioanne quomodo ea tribuitur Mariæ loquenti? ſcilicet, Verbum loqui per impedimentum vteri non poterat, & ſuas vices Mariæ delegauit. Erat quippe gratia originalis intra vterum, & ad Mariam videbatur pertinere. Suadetur coniectura ſumpta ex verbis Marcellę clamantis *Beatus venter, Beata vbera*, vnde manauit lac purum, & candidum, & immaculatum. Hoc igitur ſanctificatur Ioannes infans, quia à B. Virgine veniebat. Chriſtus redemit ſanguine, *In ſanguine tuo*: at ſanctificationem per lac remiſit Mariæ. Concionantis more dico. Vtramque enim Chriſtus operabatur, ſed Sanguineam per ſe, Lacteam per Mariam *Beata vbera* habentem, & lacte quodammodo ſanctificantem. Purpuream viam in Cœlum Chriſtus aperuit. Lacteam B. Virgo ſtrauit, quæ ſtella eſt, & in viam lacteam vertitur. Hoc in Pulpito.

Quintum ſumo ex Cantico *Magnificat*, ibid. nu. 53. *fecit potentiam in brachio ſuo*, referendo ad verſum proximum n. 49. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*; vbi B. Virgo attribuit Potentiæ Diuinæ pręrogatiuas ſuas, quas ſignificat vocabulo *Magna*, quæ ad Matrem Dei reuocantur, veluti ad principium, & fontem. Contineri autem in his gratiam originalem, ſic oſtenditur. Illa vox *Magna* opponitur *Magno peccato*, quale fuit, & dicitur ab Auguſtino peccatum originale: quod *Magnum* ſolet appellare magnus ille Doctor; imo & *Peccatum* per

Digitized by Google

antonomaſiam: ac ita legit textum Io. 1. *Agnus Dei qui tollis peccatũ mundi,* ideſt originale; radicem omnium. Ad magnum ergo peccatum auferẽdum erat opus magna gratia, ideſt originali; hæc autem proueniebat à potẽtia Brachij Dei, ideſt Filij Dei incarnati, quod myſterium Diuina potentia operata eſt, tanquam opus proprium, & proportionatum infinitæ virtuti, in quo *tota ratio facti*, vt dicit Auguſtinus, *eſt potentia facientis.* Epiſt. 3. ad Voluſ. Cui ſubſcribit Doctor Angelicus 3. p. qu. 3. art. 6. affirmans in eo myſterio ſuam Deum exerere omnipotentiam, & inde deducens, ſi quid impoſſibile videatur, id æſtimandum eſſe ex virtute diuina, non ex ui rationis humanæ. Quare vbi exeritur omnipotentia inde hauriuntur prærogatiuæ. Vnde gratia Virgini Matri collata debuit eſſe ſumma, & perfecta, atque adeo originalis. Nec quod id difficile ſit probatu, negari debet, cùm *tota ratio facti ſit potentia facientis. Fecit enim magna qui potens eſt.* Quod autem huius brachii potẽtis proprius effectus ſit victoria de peccato originali per donationem gratię originalis, & de hac loquatur B. Virgo hoc in loco, patet ex collatione teſtimonii Iſaiæ Prophetæ Euangelici cap. 51. nu. 9. vbi ait. *Conſurge, induere fortitudinem brachium Domini. Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum. Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum vulneratum Draconem?* Perſpicuè ponit victoriam Virginis de peccato originali, commemorato tempore molitionis mundi, & generationis hominum initio lib. Geneſis propoſitæ, & Superbi Diaboli ſerpentis more tentantis primos parentes *Eritis ſicut Dij* inflatos typho ſuperbiæ: ac diſertè meminit inimicitiæ & certaminis mulieris cum Dracone, & huius in eam fraudulentiæ, & inſidioſi aſſultus, vt illam detruderet in originalem culpam *Inſidiaberis calcaneo eius*; & tandem meminit victoriæ mulieris de Dracone: cuius caput illa pede attriuit: *Ipſa conteret caput tuum*; quò alluſit Iſaias dicens *vulneratum Draconem.* Omnia conſtant. Nihil manifeſtius, nihil illuſtrius, nihil accommodatius inueniri poteſt ad doctrinam Immaculatæ Conceptionis. Magna fabrica loci eſt, vbi magna potentia, & magnum brachium non minori opera conſtruenda, venuſta ſanè vt tot locorum ſymmetria ad harmoniam veritatis in hoc miro cantico reſonantis audiretur.

Sextum & vltimum locum pro Immaculata Conceptione exhibet nobis Ioannes in Apoc. c. 12. in eo illuſtri Signo, ſymbolo celeberrimo B. Virginis Mariæ, quod abundat argumentis, propterea accuratè examinandum. Igitur ait: *Signum magnum apparuit in Cælo. Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius Corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret. Et ecce Drago Magnus Rufus habens capita ſeptem, & Cornua decem, & in Capitibus eius Diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum Cæli, & miſit eam in terram, & Draco ſtetit ante Mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet filium eius deuoraret. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius, & Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo.* Hic continetur perfecta imago immaculatæ Virginis Mariæ Conceptionis ſacri calami penicillo deſcripta. Omnes illius particulas ſigillatim pendamus.

In

In Cælo apparet, non in terra, procul à terrenis ſordibus, & longe à concretione mortali: Amicta Sole, calceata Luna, Coronata Stellis, omni genere lucis affecta, & vndique ſplendida; quà peccatum ingrueret rima non erat. Pedes defendebat luna, ſtellæ caput, Sol Corpus, vndecumque tecta, & munita contra peccatum, & armata trifida luce gratiæ: Lunæ contra peccatum originale, Stellarum contra veniale, Solis contra mortale, radiis conuerſis in ſpicula, quibus inuadentes arceret. *In vtero habens*, cauſam huius priuilegij, idest fætum Diuinum, Verbum Dei Incarnatum, cuius gratia præſeruabatur ab omni macula peccati. *Cruciabatur vt pareret* ex deſiderio communicãdi pignus ſibi creditum toti generi humano captiuo, quod redimendum erat à ſeruitute Diaboli, quem internecinum odium ad perniciem afferendam incitabat: moliebatur quippe perdere homines, quemadmodum, & reprobos Angelos perdiderat cùm eos rebelles, & apoſtatas reddidit. Hic autem Draco erat ille in Paradiſo auctor peccati originalis, qui inſidiabatur calcaneo Virginis, vt eam impelleret in culpam. Stetit hic tanquam aduerſarius ante mulierem animo deuorandi fætum, quem geſtabat in vtero, quoniam non potuerat Matrem deuorare inhians in fætum, ac expectans partum. Vbi obſeruo: tantam eſſe Virginis Matris gratiam, vt ipſe Diabolus non ſit auſus aggredì fætum in ventre incluſum, donec exiret foras, & in lucem editum videret: quaſi tutior eſſet à macula inferenda intra vterum, quam extra illũ. Facilius viſum eſt Draconi ipſummet auctorem gratiæ per ſe, & in ſe aggredi, quam à Matre, & in Matre cuſtoditum. Erat in arce, dum erat in aluo, protectus, defenſus, remotior ab incurſu, & ictu inimici. Propterea expectabat donec egrederetur foras, & in campum exiret, & in aciem ſe daret, cum eo apertè pugnaturus. Quàm verò longè eſſet Virgo à peccato declarant illa verba *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo*, ſolitudo illa ſignificabat receſſum à peccato, & ille locus paratus a Deo erat ipſamet cum Deo coniunctio, per gratiam ſingularem, vni ſibi conceſſam, ſine vllius aut conſortio, aut exemplo. Tantæ molis eſt hic locus Apocalyp. ad probandam Immaculatam B. Virginis Conceptionem: eoque hæc concionatoria commentatio terminatur.

SECTIO III.

Soluitur Concionali modo difficultas petita ex Redemptione Immaculatæ Virginis Mariæ.

PAlmaris ratio dubitandi de Immaculata Virginis Conceptione, & inculcata, & celebrata ab aduerſarijs eſt illa, quæ ſumitur à Redemptione Chriſti. Quomodo enim potuit redimi à peccato, ſi illa caruit peccato? Hanc vti anteà diximus, & poſtea latiùs dicemus optimè ſoluit Scotus concedendo neceſſitatem Redemptionis erga B. Virginem, & aſſerendo dignitatem Redemptionis ſingularis per præſeruationem à peccato, retundendo argumentum hoc modo. Beata Virgo redimenda fuit aliò genere Redemptionis altioris, & excellentioris, non per liberationem à peccato, ſicuti alij iuſti communiter, ſed per præſeruationem, qua digna erat Mater Dei ſingularis inter omnes creaturas. Et quidem decebat Chriſtum

Do-

Dominum eſſe perfectiſſimum Redemptorem, & redimere non tantum liberando à peccato contracto, ſed etiam præſeruando à peccato contrahendo. Etenim niſi interueniſſet præſeruatio à peccato, non eſſet omnimodo perfecta redemptio. Vnde ſicuti Medicus excellens non tantum curat de morbis contractis, ſed etiam præſeruat à futuris, quæ eſt medendi ratio perfectior, ita Chriſtus, qui Medicus in Sacris litteris, & à S. Patribus appellatur in vtroq; genere medicandi debuit excellere, & afferendo medicinam qua curaret morbos contractos, & qua præueniret, & arceret morbos imminentes, & contrahendos. Admittimus ergo neceſſitatem Redemptionis in B. Virgine, ſed etiam requirimus dignitatem, & perfectionem in Redemptore Chriſto, & dicimus neceſſarium eſſe vt Chriſtus redimeret Matrem ſuam excellenti, & perfecto modo prœſeruando eam à peccato originali, vt Redemptor Redemptæ reſponderet iuxta illud Canticorum c. 1. *Vnica eſt Columba mea*, & iterum c. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Virgini Matri ſuæ debuit Chriſtus exhibere, & applicare ſingulare remediũ indicatum illo verſiculo Pſalmi illius *Singulariter ſum ego donec tranſeam*. Singulariter in ea morando, ſolitariè eam redimendo per præſeruationem, deinde ad alios tranſeundo per Redemptionem à peccatis contractis, & commiſſis. Nota, Lector, pro tua pietate ly *ſum ego*, ideſt, in te habito, apud te moror, in te amanter ſiſto, ad alios, & per alios tranſeo, & redimo, ſed tranſeunter, communicando me omnibus ęqualiter, more tranſeuntis, non permanẽtis, quod proprium eſt Chriſti erga Mariam. Quid? quòd B. Virgo benedicta inter mulieres eſſe & dici non poſſet ſicuti & ab Angelo Gabriele, & à B. Eliſabetha vocatur, ſi eodem ac reliquæ mulieres modo redimeretur? Imo vt ità dicam piè queri poſſet de filio, cum ad eum pro Redemptione ſpeciali tamquam Mater ſingularis veniſſet, ac vnam ſolùm communem cum peccatoribus benedictionẽ inueniſſet. Vteretur illis verbis ſcripturæ Geneſeos c. 27. *Nunquid vnam tantum benedictionem habes?* omnibus communẽ: mihi, quem inter alias benedictam eſſe voluiſti: vnam tantùm benedictionem poſt maledictionem peccati impertire vis, & vt mihi benedicas ſupponis me cum cæteris maledictam fuiſſe? Da mihi quæſo aliam ſingularem redemptionem *Nunquid vnam tantum habes redemptionem*? habuit duas Iſaac, tu ſolam vnam? Extendiſti duo brachia in Cruce, ceu duas haberes formas redimendi, & vnam mihi tantum confers? Certè quando Iacob Geneſ. 48. vertit brachia ſua in Crucem Cancellatis manibus duos benedixit Ephraim, & Manaſſem nepotes ſuos filios Ioſeph, vt ſeruaret myſterium Crucis abundantis, quomodo ergo Tu expanſis in Cruce duobus brachiis vnica tantùm benedictione vteris? Cur mihi contrahis vnum brachium? da mihi dexteram præſeruationis, ſeruans alteram mundationis pro reliquis. Non ſine myſterio dixit Dauid de tua dextera *Dextera Domini fecit virtutem*, & addit, *Et exaltauit me*, quia conuenit honori Matris tuæ benedictio cum exaltatione. Pro alijs locus eſt repetitioni, *Dextera Domini fecit virtutem*, ſed ſine adiuncta Exaltatione, ſine honore priuilegii præſeruationis. Audio in Canticis c. 2. *Læua eius ſub capite meo*. Læuam minus curo: ſuppone eam capiti, quia pertinet ad membra tua Corporis Ecleſiæ. Expe-

Digitized by Google

ſto aliam, *Dextera illius amplexabitur me*. Hanc mihi vendico, quæ me tangit, & tegit totam, præſeruando ab omni peccato, quæ me ſeruat, & complectitur, nec me ſinit maculari, & ſingulariter mecum ſe gerit ſegregando me à peccato communi membris Corporis Eccleſiæ tuæ.

Nec verò obijciat quiſquam vnam fuiſſe Chriſti Crucem, atque adeo vnam ſolam redemptionem fore oportere. Etenim reſpondeo, & facilè, & aptè, opinor. Fateor vnam Crucem eſſe, ſed affirmo eam capacem, & feracem eſſe duarum redemptionum præſeruationis, & curationis. Idque confirmo loco Euangelij: pud Lucam cap. 23. Narrat Euangeliſta Chriſtum ita portaſſe humeris Crucem, vt ſocium admitteret Cyrenæum. Sic ergo portabatur Crux ab vtroque, vt Criſtus anteriorem partem ferret, & poſteriorem Simon, quod diſertis verbis dixit. *Crucem portare poſt Ieſum*. Et ſic exhibent picturæ. Quorſum? nempe vt duos modos Redemtionis ſignificaret. Primus nobilior, & ſingularis per priorem Crucis partem expreſsus, in qua erat caput Crucis, & ſolius Chriſti humeris incumbebat, quæ Crux Principatus nomine appellata fuit à Propheta *Principatus eius ſuper humerum eius*. Hanc partem principalem, & ſingularem dedit Chriſtus Virgini Matri ſuę cùm redemit eam nobiliſſimo modo, more Principis donando priuilegium, præſeruãdo à culpa. Secundus autem modus portandi Crucem communicando eam humeris Cyrenæi, innuebat Redemptionem communem cæteris peccatoribus redimendo, & mundando eos à peccatis contractis & commiſſis, qui non erat modus principalis, ſed vulgaris, & ordinarius redimendi. Quin & obſeruo partem Crucis priorem incumbere humeris, poſteriorem verò dorſo, ſcilicet, quia peccata portabantur in dorſo, ac pertinebant ad partem Crucis poſteriorem iuxta illud Dauidis, *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, quod dictum non quadrat in partem priorem Crucis, quæ humeris incumbens extra peccata dorſi, in altum eminebat ſine onere peccatorum, quæ dorſum onerabant. Iam ergo in vna Cruce duo genera Redemptionis continebãtur. Non tamen omittam dicere duas etiam Cruces myſticas fuiſse, ac proinde duas Redemptiones. Inuenio locum in Sacra Scriptura vbi veritas iſta inſinuetur Ioſue 8. Dicitur Rex Hai ſuſpenſus in patibulo, ideſt in Cruce. Origenes, & Lyra legunt: Regem Hai fuiſse ſuſpenſum in duplici Cruce, quaſi Rex ille in duabus Crucibus figeretur. Quare in duplici Cruce? ſi vna ſolum Crux fuiſse legitur in Euangelio, in ea quippe paſsus eſt Chriſtus, quem Rex ille Hai patientem figurabat. Myſterio opus eſt, & ad illud recurrendum. In vna Cruce erant duæ Redemptiones, vna præſeruationis, altera mundationis, & hoc ſenſu duæ Cruces dicuntur in vna contineri, non quod eſsent duplicata patibula, ſed quod erat duplicata virtus redimendi; duo itaque officia Redemptoris Crux illa duplex repræſentabat. Nec mirum tantum prærogatiuę B. Virginem in Cruce Domini participaſse, cum illa Myſterio Crucis interfuerit, & operam ſuam ad illud contulerit. Nec enim fruſtrà dixit Euangeliſta Ioannes c. 19. *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu mater eius*. Sicut enim erga Ieſum natum Matris officium præſtitit, ita & erga mortuum non omiſit, non ſolum curando funus, ſed etiam

etiam compatiendo filio morituro: addo & vicem eius ſuſtinendo, vt quodãmodo adimpleret aliquid, quod deerat Paſſioni Chriſti, implendo illud dictum Pauli. *Adimpleo ea quæ deſunt Paſſionum Chriſti,* afferens complementum myſterio Crucis, quod illa ſuo proprio dolore abſoluit. Qua in re diligenter obſeruandum: Vulnus lateri Chriſti à lancea militis illatum iam mortui, informe fuiſſe, quia deerat iam tum anima Chriſti, quæ illud vulnus dolore ſuo informaret, vti alia vulnera, quæ viuus animauit. Huic ergo defectui occurrit B. Virgo proxima Cruci, quæ ſuſcepit in anima ſua ictum Corporis mortui, ac illum proprio animauit ſenſu, & animi dolore formauit. Quemadmodum prophetauerat Simeon Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius,* quæ verba communiter Interpretes exponunt de vltimo vulnere lateris Chriſti iam defuncti, cuius dolor pertinuit ad Mariam Matrem. Vnde Beda: *Dolor ille,* inquit, *Dominicæ Paſſionis fuit,* & ad viuum Hieronymus ſermone de Aſſumpt. notauit illum dolorem fuiſſe Virginis in parte impaſſibili, ideſt anima receptum, & propterea inquit *B. Virgo martyr fuit,* ex quo Bernardus elicuit animam Virginis manſiſſe per affectum in Chriſti Corpore, & in eo dolorem illum vulneris, quem gladium vocat Euangeliſta pertuliſſe. *Erat,* inquit, *anima ibi, nec poterat auelli.* Lyra item explicans locum Lucæ ait, Dolor Paſſionis pertranſibit animam tuam per compaſſionem. Cõpaſſa eſt Virgo Chriſto patienti, & vna illa paſſio duorum fuit Matris, & Filii. Sicut igitur participauit de Paſſione, & adimpleuit defectum ſenſus actualis, ita meruit prærogatiuam ſingularem Redeptionis præſeruatiuæ tanquam beneficium pro officio. Id magnopere rem continet, quod B. Virgo meruit actu per dolorem illius vulneris, & ſecuta eſt Redemptorem. Redemptor vero anteceſſit Matrem ſuã merendo illi Redemptionem præſeruatiuam. Vterque ſuum impleuit officium. Chriſtus adimpleuit per gratiam præuenientem, & præſeruantem defectum Mariæ contractum ex peccato originali efficiens per ſua merita, ne contraheret culpam præueniendo illam. B. Virgo verò poſt mortem Chriſti adimpleuit defectum doloris actualis in vulnere filii mortui per meritum actuale ſequendo Chriſtum, itaut filius inchoaret Redemptionem Matris impediendo culpam: at vero B. Virgo adimpleret, ac perficeret paſſionem Chriſti adimplens qui deerat dolorem, animando eum per ſenſum, & per proprium meritum actuale perficiendo. Non inficiamur tamen, imo affirmamus Chriſtum Dominum dum viueret meruiſſe antecedẽter per illud vulnus, Illud acceptando ac Æterno Patri cum reliquis pro Redemptione mundi offerendo. Ex his patet ſublatam eſſe difficultatem de Redemptionis defectu Chriſti erga Virginem, cùm non modo nullus defectus interuenerit, ſed etiam abundantia per præſeruationem extiterit.

Quomodo autem Chriſtus liberauerit Virginem Matrem à peccato originali paulo poſt explanatè dicemus; nunc dicimus illam liberaſſe à macula perſonali in anima, reſeruato tamen debito, & reatu ex parte carnis more ordinario conceptæ per ſemen vtriuſque parentis. Ad hoc probandum aptiſſimum iudicamus locum illum Exodi cap. 2. vbi dicitur viſum à Moyſe rubum ardentem, & incombuſtum, qui

erat

erat figura B. Virginis, quam Eccleſia in ſolemni litania *Rubum ardentem incombuſtum* appellat intonando *Rubus ardens incombuſtus ora pro nobis*. Videlicet Deus erat in rubo, & operabatur miraculum in B. Virgine concipienda inter flammas ignis concupiſcentiæ parentum naturalis, & ita ſe gerebat, vt ardere permitteret ex parte parentum, non autem comburi ardore peccati perſonalis: ſeparando debitum, & reatum, quem ſignificabat ardor ignis, à macula perſonali, quàm innuebat illa combuſtio. Erat enim præſeruatio diuina, quæ impediebat ardorem ignis, ne combureret animam B. Virginis. Fauet illa phraſis, *Rubus ardebat, & non comburebatur, ardebat* propter reatum, & debitum, ſine combuſtione peccati perſonalis. Confirmatur illo verſiculo pſalmi *Vox Domini intercidentis flammã ignis*, qui locus exprimit, & declarat alium Exodi proximum hoc modo. Deus erat in rubo, ideſt *Vox Dei*, Verbum Diuinum, quod in Virgine erat incarnatum. Hoc igitur Verbum intercidebat flammam in duas partes ſicut in rubo, diuidens ardorem ignis à luce eiuſdem. Retinebat ardorem ex debito, & reatu communi, & excludebat maculam perſonalem per lucem gratiæ infuſam, intercisa ergo erat illa flamma; *ardebat, & lucebat: ardebat* quatenus contrahebat flammam debiti originalis culpæ, & *lucebat* quatenus illuſtrabatur luce Diuinæ gratiæ præſeruantis à tenebris peccati. Qui duo loci inter ſe connexi miram efficiunt harmoniam, & diuidendo, ac intercidendo ignem, & flammam rubi myſterium Conceptionis ſignificant, & declarant, vt B. Virgo contraxerit debitum incurrendi culpam, non autem culpam incurrerit. Addiderim vt venuſtas aliqua aſpergatur loco, myſterium illud, Deum eſſe tum in ſpinis rubi operatũ, non autem in roſis, quia pertinet principaliter ad eos, qui ſpinas tractant, & ſacco aſpero, & pungenti induuntur, quales ſunt Fratres Ordinis Sancti Franciſci, qui myſterium immaculatæ Conceptionis B. Virginis peculiari ſtudio defendũt, & tuentur: quia illud eſt minus proprium roſarum (pace lectorum dico more concionantis, & venuſtè dicentis.) Ac ne inſolens ſit hæc animaduerſio, ipſemet textus eam videtur indicare illis verbis Dei ad Moyſem: *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis*. Quaſi dicat: hoc myſterium non ſpectat ad Fratres Calceatos, ſed ad nudipedes, & cordigeros, qui profitentur aſperitatem in veſtibus, & in pedibus nuditatem. Hinc eſt vt ex aliis Religionibus Carmelitæ excalceati omnes vnanimiter Immaculatam Cõceptionem ſuſtineant, ac defendant, quamquam in Roſariis doctrinæ Sancti Thomæ feliciter verſentur; nec idcirco excludimus plurimos, & nobiles Thomiſtas, qui nobiſcum Fratribus Franciſcanis conſentiunt, cum etiam Roſæ ſpinas habeant, ad pulchritudinem, & dignitatem comparatas, qua de re ſuis poſtea locis ex inſtituto diſputabimus. Accipiantur hæc libenter, & gratè tamquam dicta bellis hominibus more concionali, non ſcholaſtico.

SECTIO IV.

Vtrum per Doctorem Angelicum, ac eius doctiſſimam Scholam liceat ſuſtinere hanc ſententiam negantem in B. Virgine Maria peccatum originale.

IN gratiam clariſſimi Prædicatorum Ordinis, quo nullus eſt in Eccleſia, vel doctrina, vel ſanctitate, vel dignitate, vel auctoritate præſtantior confirmo ſententiã

noſtram minime repugnare Angelici Doctoris, ac eiuſdem Scholæ principijs. Hoc autem mihi ſumo probandum pro meo in eos ſtudio ſingulari, & aſſidua in legendis Thomiſtarum eruditiſſimis commentarijs occupatione, cuius quidem lectionis multa, opinor, & manifeſta in meis ſcriptis apparent indicia. Operæ autem me pretium facturum puto, ſi hoc, quod recipio præſtitero, quippe quod remoram obiectam nauiganti feliciter huic Naui Inſtitoris Virgineæ, & ad portum definitionis iamiam appellēti removeam: quæ certè magna eſt ob eximiam Doctoris Angelici, & Scholæ auctoritatem, cuius habendam eſſe maximam non eo inficias rationem. Primum afferam teſtimonia D. Thomæ, quæ fauent noſtræ ſententiæ; Deinde reſpondebo teſtimonijs, quæ videntur opponi. Tandem proponam locos Thomiſtarum nobiſcum ſentientium Id autem accuratè, & ſine vlla affectione animi præſtabo vſus meo ſolito candore, ac libertate dicendi. Nullum autem producam locum, quem propriis oculis non viderim, & maturè apud me perpenderim.

Primum S. Thomæ teſtimonium eſt in 1. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. ad 3. vbi agens de termino & augmento charitatis, Quia, inquit, *in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo peruenit ad ſummum puritatis ſub Deo tamen, in quo non eſt aliqua potentia deficiendi, quæ eſt in qualibet Creatura quantum in ſe eſt: charitatis autem augmentum eſt per acceſſum ad Diuinam bonitatem, & ideo non habuit B. Virgo ſummam charitatem, qua maior non poſſit intelligi*. Ecce in B. Virgine *depuratio ab omni peccato*, cum ea puritate, qua maior ſub Deo non poſſit intelligi, iuxta dictum Anſelmi celeberrimum lib. de Concept. Virgin. cap. 18. quod Diuus Thomas in 3. argumento admittit, nec in reſponſione negat: imo concedit ſolùm excludens à Virgine ſummam puritatem propriam Dei, quæ conſiſtit in carentia potentiæ deficiendi, ideſt impoſſibilitatem peccandi, quam Diuinam fatetur, & poſt illam affirmat omnem reliquam puritatem inueniri in Maria: qualis eſt carentia omnis peccati retenta potentia deficiendi ad illud, de qua non eſt quæſtio cum ſit aliena à Creatura, & propria ſolius Dei. Potuit ergo Virgo, imo & debuit peccare originaliter quod Deus non potuit: ſed caruit illo peccato, quæ ſumma perfectio eſt Creaturæ & qua nulla ſub Deo maior poteſt intelligi.

Secundum teſtimonium illuſtrius eſt, ac manifeſtius. In eodem. 1. Sent. diſt. 44 q. 2. art. 3. ad 3. *Puritas*, inquit, *intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen ſub Deo in quantum erat in potentia ad peccandum: ſed bonitas intenditur per acceſſum ad terminum, quod in infinitum diſtat, ſcilicet ad ſummum bonum, vnde quolibet finito bono poteſt aliquid melius fieri*. In hoc teſtimonio habetur expreſsè carentia peccati originalis nominatim, quæ in proximo teſtimonio non exprimebatur, vnde apparet hæc duo teſtimonia eſſe inter ſe connexa, & ſecundum explicare ſenſum primi. Sunt autem hæc duo teſtimonia inuicta, & rotunda. Sic habentur in tomis noſtræ Bibliothecæ Patauinæ apud Sanctum Franciſcum Magnum Typis Venetis excuſis apud Hæredem Hieronymi

ronymi

ronymi Scoti anno M.D.L.XXXVI. Quam lectionem contuli cum pleriſque libris eiuſdem Ciuitatis, & concordare vidi. Itaque negatiua puritas per carentiam omnis peccati originalis, & actualis tribuitur B. Virgini ab Angelico Doctore.

Tertium habemus illud in expoſitione Pſalmi 142. ad illum verſiculum *Qui ingreditur ſine macula*, vbi Diuus Thomas, *ſine macula*, inquit, *ſcilicet mortali, quia peccatum veniale non habet maculam propriè Eccleſiaſt. 31. Beatus Vir qui inuentus eſt ſine macucula, ſed in Chriſto, & B. Virgine nulla omnino macula fuit*. Quæ verba continent hanc doctrinam: nomine maculæ ſignificari omne peccatum, quod priuat gratia ſanctificante, hoc eſt mortale, quale eſt originale, & actuale, non autem veniale. A qua macula docet S. Thomas fuiſſe immunem Chriſtum, & B. Virginem. Nec aliter poteſt intelligi; nam niſi de vtraque macula loqueretur abſurdum eſſet reſtringere immunitatem vtriuſque ad ſolum mortale actuale: parum quippe id eſſet pro Chriſto, & Maria, qui etiam veniali caruerunt. Quare neceſſe eſt accipere de omni macula, & originali, & actuali cum eo tamen diſcrimine, quod Chriſtus nullo modo peccauit, nec peccare potuit: at vero B. Virgo potuit peccare, ſed non peccauit per virtutem Chriſti præuenientis.

Quartum & idoneum reperitur in Commentarijs ad Pſal. 18. ad illa verba *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum, in Sole*, inquit, *id eſt in B. Virgine, quæ nullam habuit obſcuritatem peccati*. Perſpicuè affirmat immunitatem à macula, negando vniuerſaliter *Nullam*, aliter vera eſſet contradictoria, ſi contraheret originale, in quo obſcuritas eſt; cùm præſertim adijciat Sanctus Thomas. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te*, quæ ſententia vulgo adducitur ad probandam immunitatem à peccato originali.

Quintum ſuppeditat opuſculum 7. in 5. prop. vbi ſic. *Nulli datum eſt ex ſe vitare peccata, niſi ſoli Chriſto, qui habuit Spiritum non ad menſuram, & B. Virgini, quæ fuit plena gratia, in qua nullum peccatum fuit, ſicut dicit Auguſtinus, de qua, dum de peccatis agitur Nullam prorſus volo habere quæſtionem*. Conſtat ſenſus de omni peccato, etiam originali, cùm tantum excipiatur modus in non peccando, qui excellentior fuit in Chriſto, videlicet quod propria virtute excluſerit peccatum, cùm B. Virgo in virtute Chriſti & ex priuilegio tantum excluſerit. Itaque æquatur Chriſto in carentia peccati, non autem in virtute carendi, quam Chriſtus ex ſe habuit, qui ſolus non potuit habere peccatum.

Sextum ſumitur ex opuſculo 8. quod eſt de ſalutatione Angelica, quo in loco ſic. *Ipſa*, inquit, *Sanctiſſima Virgo puriſſima fuit quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit*.

Septimum exhibet lectio ſexta ſup. Epiſt. ad Gal. *Vnum*, inquit, *de mille reperi: vnum ſcilicet Chriſtum ſine omni peccato: vnam de mulieribus: quæ à peccato omnino immunis fuerit originali Sanctiſſima Virgo Maria*, ſic habetur in lib. impreſſo Pariſijs an. 1541. & 1542. & alibi.

Affertur alius locus in Partibus ſcilicet 3. p. q. 37. ar. 4. ad. 3. qui talis eſt. *Dicendum, quod legalia Sacramenta non purgabant ab immunditia culpæ, quæ fit per gratiam, ſed hanc purgationem præfigurabant: purgabant autem purgatione quadam carnali, ab immundi-*

tia irregularitatis cuiuſdam, ſicut in ſecunda parte dictum eſt. Neutram tamen immunditiam B. Virgo contraxerat. Verùm hic locus rem non continet, quia hic non agitur de munditia à peccato originali contracto in Conceptione Virginis, ſed de mundatione à macula puerperij contracta per apertionē vuluæ, & emiſſionem fœtus, quæ eſt longè diuerſa, ac proinde à quæſtione aliena, idque legenti patebit. Itaque ſeptem ſunt loci idonei, quos memorauimus, & agnoſcimus, & probamus, & ſatis ſunt ad perſuadendum ſaltē Doctorem Angelicum problematicum ſe habere in propoſita quæſtione, vt licitum ſit cuique per eum vtramuis amplecti ſententiam, quamuis mihi certum, & indubitatum videatur Sanctum Thomam noſtram de Immaculata Virginis Conceptione partem tenuiſſe, vt infra oſtendam. Nunc dico: etiam dato, quòd in Partibus docuerit ſententiam oppoſitam negantem Immaculatam, non ſequi ex eo tradidiſſe reſolutiuè eamdem, neque affirmantem improbaſſe, nec retractaſſe, idque hac ratione demonſtro. Sanctus Thomas ſæpè in Partibus quando mutat ſententiam à ſe traditam in libris ſententiarum id exprimit in ſuo textu. At numquam expreſſit hanc ſuam mutationem, nec retractationem de ſententia poſita in libris ſententiarum, quæ affirmat Cōceptionem Immaculatam. Igitur permiſit legentibus eam tenere, & fuit ſaltem problematicus. Affero huius meæ animaduerſionis exempla. In 3.p.qu.9 art. 3. agens de ſcientia Chriſti acquiſita ſic ait in corpore. §. *Et ideo: Quamuis aliter alibi ſcripſerim, dicendum eſt in Chriſto fuiſſe ſcientiam acquiſitam*. Locus autem in quo aliter ſcripſit citatur ad marginem in 3.diſt.4.q.3. art.13. Iterum 3.p. q.62. art.6. ad 3. qui eſt inſignis omnino locus, agens de gratia Circumciſionis, *Alij*, inquit, *dicunt quòd Circunciſio conferebat gratiam etiam quātum ad aliquem effectum poſitiuum, qui eſt facere dignū vita æterna, non tamen quantum ad hoc, quod eſt reprimere concupiſcentiam carnalem, quod & aliquando mihi viſum eſt: ſed diligentiùs conſideranti apparuit hoc etiam non eſſe verum*. Vbi autem illud, quod hic negat, D. Thomas aliquando affirmauerit, non extat in margine huius loci tertiæ partis. Ego vero ne quis de mea fide dubitaret ſtudioſè locum quæſiui, & inuentum hic repræſento. Videlicet in 3.diſt.1.q.2.art.4. *In reſponſione ad 2. quæſtionē dicendum*; & hoc ſufficiant ad probandum, quod aſſumpſi animaduertendum. Quod autem ex eo deduco ad probandum meam ſententiam de problemate in vtranque partem Angelici Doctoris, conſtabit legenti quæſtiones de Conceptione, & Sanctificatione B. Virginis: nihil enim in eis inuenitur, aut mutatum, aut emendatum, aut retractatum de anteà ſcriptis in libris Sententiarum; vnde manifeſtè colligitur Sanctum Thomam rem illam minimè definire voluiſſe, ſed liberum cuique opinandi arbitrium reliquiſſe. Adijcio contra eos, qui Religioni ducunt recedere à dictis in Partibus, & accedere ad ſcripta in ſententiarijs, Caietanum vnum è Claſſicis S. Thomæ Interpretibus hunc ſcrupulum interdum abiicere, & amplecti opiniones priùs traditas in libris ſententiarum, quamquam diuerſas ab ijs, quæ habentur in Partibus. Ac mihi nunc iſta Commentanti exemplum eſt idoneum præ manibus; ſcilicet de Vnione hypoſtatica, quam Sanctus

Tho-

Digitized by Google

Thomas 3.p.q.2.ar.7.& 8. Relationem ponit, & dicit, aliquantò ſecùs, quàm dixerat, & poſuerat in 3.d.2.q.2.a.3.q.3. conſtituens eam in abſoluto, quam opinionem Caietanus in commentarijs in hunc locum tertiæ partis ſequi maluit, explicata ſententia de relatione in Partibus. Qua de re nos cum eo ſuperiùs litigauimus. Nemo igitur nobis iniiciat ſcrupulum, quem Caietanus abſtulit, tantus, tamque Religioſus Sancti Thomæ interpres. Habemus duos locos expreſſos in Sententiarijs pro Immaculata Conceptione. Cur eos, quæſo, non amplectamur? cùm præſertim Sanctus Thomas illa q.27. art.2. in hac materia principali non ventilet punctum de *inſtanti Conceptionis*, qui erat ſtatus quidam medius, vel *poſitio*, vt ait Caietanus, inter duas poſitiones extremas; ſcilicet quòd B. Virgo fuerit Sanctificata, vel ante infuſionem animæ, vel poſt infuſionem animæ, *Eſt*, inquit, *poſitio quædam media, quòd fuit Sanctificata in inſtanti infuſionis animæ*. De quo disertè ſubdit ibidem Caietanus in Commentariis §. *Circa Corollarium*. *Cuius opinionis* (ſcilicet de inſtanti Conceptionis) *auctor hic non meminit, quia tempore ſuo nõ erat adinuenta omnibus communiter ſentientibus B. Virginem Conceptam in peccato originali, & ideo vt videtur reprobantibus ſanctificationem carnis eius ante infuſionem animæ, vt in hac littera patet*. Non ergo Sanctus Thomas apertè contradixit ſententiæ, quæ eſt hodie communis, de Conceptione Immaculata in ipſo momento infuſionis animæ, de qua loquens hic Caietanus ait. *Vt multi Moderni tenent*, quamque ille per illationem & ex conſequẽti refutari à Sancto Doctore affirmat. Igitur non primò, nec directè, nec ex inſtituto, cùm tamen eam ex inſtituto, & conſultò approbauerit in duobus illis locis Sententiarum proximè adductis. Itaque licitum eſto cuique Theologo per S. Thomam amplecti piam de Immaculata B. Virginis Mariæ Conceptione ſententiam.

Supereſt videre. An illi quos adduximus loci S. Thomæ ſint legitimi, tum ex libro Sententiarum, tum ex aliis operibus? ne fortè quis Thomiſtarum opponat vel adulterinos eſſe, vel ambiguos. Primùm duo illi de lib. 1. ſententiarum diſt. 17. q.2. a.4. ad 4. & alter in eodem primo diſt. 44. q.1. art. 3. ad 2. claſſicæ omnino auctoritatis ſunt, cùm inueniantur in ſcriptis ad Hannibaldum, quod opus eſt haud dubiè S. Thomæ, & ab eodem recognitum, & probatum; adeo vt maximus aduerſarius piæ de Immaculata Conceptione ſententiæ Arpalegus, eos admittat, negare non auſus, quamquam torquere, & in oppoſitum trahere moliatur; ſed fruſtrà, nam ſemel admiſſi rem prorſus continent, & conuincunt. Quare de his nullatenus eſt ambigendum. Quod attinet ad alios; ille primus Pſalmi 142. habetur in Diuo Thoma, quemadmodum, & alius Pſalmi 18. ac omnino ſunt recipiendi. De Tertio in opuſculo 7. propoſ. 5. nõ inuenio qui moueat quæſtionem: fortaſsè quia hæc tria teſtimonia non excludunt expreſsè peccatum originale. Itaque controuerſia eſt de loco opuſculi de ſalutatione Angelica, vbi exprimitur originale. Fateor quidem in multis, iiſque recentioribus codicibus deeſſe illud vocabulum: ſed fuiſſe affirmant idonei Auctores Salmeron in Commentariis Epiſt. ad Rom. diſp. 51. Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 6. Lezana in Apolog. pro Concept. Bernardinus de Buſto in Offic. de Con-

cept.

cept. die 8. lect. 1. Carthagena Hom. 7. Ambroſius Catharinus tract. de Concept. c. 6. Qui cum Salmerone affirmat Cardinalem Turrecrematã non inficiari ita ſcripſiſſe Doctorem Angelicum, quamuis ille ſequatur oppoſitam opinionem. Maior controuerſia eſt de loco Epiſtolæ ad Galatas cap. 3. lect. 6. qui luculentus eſt, & perſpicuus pro immunitate à peccato originali. Reiiciunt quippè eum Thomiſtæ: ſed agnoſcit, & aſtruit Iacobus Granado Magnus S. Thomæ ſectator tract. de Immacul. Concept. Vir planè ſummi candoris, & probatæ fidei; & ante illum Henricus Henriquez doctus, & accuratus ſcriptor magni Suarii Magiſter, cui prorſus habenda fides eſt, quòd ille è Societate tranſiit ad Patres Dominicanos, & apud eos penè annuum tyrocinium poſuit, donec reuerſus eſt ad ſuos. Itaque homo inter Thomiſtas verſatus, & illorum doctrinæ ſtudioſus, quod mihi in eius ſcriptis erudito omnino conſtat, non debuit ignorare, quæ teſtimonia S. Doctoris propria eſſent. Manent igitur inconcuſſa.

SECTIO V.

Vtrum loci Sancti Thomæ in Partibus poſſint ita exponi, vt nihil noceant immunitati B. Virginis à macula culpæ originalis.

HAnc mihi ego quæſtionem vendico, & propriã facio, quòd à nemine (ingenuè loquor) accepi, & meo Marte ad eam profligandam nullo hactenus lecto Auctore meis armis inſtructus accedo. Perſpectis, & exploratis intentiſſimè locis D. Thomæ pronuncio doctrinam ab eo traditã in locis adductis initio Collationis, & in aliis, qui adduci poſſunt, exponi ſine vlla violentia, imo congruè, & rationabiliter poſſe, vt nihil prorſus contineat aduerſum immunitati à macula originis per infuſionem gratiæ præſeruantis à culpa. Dico ſola culpa, quia de cæteris, debito, & pœnalitatibus annexis peccato originali, intelligendum eſſe Sanctum Thomam deprehendo, fateor, & contendo.

Ac primum propono doctrinam Caietani diſtinctè hac de re deſſerentis in tractatu de Concept. B. Virginis ad Leonem X. c. 2. *Mihi*, ait, *diſtinguendum videtur. Primò, vt B. Virgo ſit præſeruata totaliter à peccato originali, ita quod fuit exempta ab omnibus ad dictum peccatum ſpectantibus. Secundò, vt B. Virgo ſit præſeruata à ſola macula peccati originalis per infuſionem gratiæ perſonalis*. Et poſt pauca pergit Caietanus. *Poſitio dicens Beatam Virginem præſeruatam totaliter à peccato originali, dicit ipſam non contraxiſſe carnem ſuam infectam: ac per hoc non ſolùm ſine macula peccati conceptam, & reatibus, & fomite, ſed etiam ſine debito in propria perſona habendi hæc. Poſitio autem dicens Beatam Virginem præſeruatam ſolùm a macula peccati originalis, & illis, quæ à macula ſunt inſeparabilia (vt eſt reatus pœnæ æternæ damni) non negat Beatam Virginem habuiſſe carnem infectam, ac per hoc in propria perſona debitum contrahendi maculam originalis peccati, & quoad maculam, & quo ad reatus omnes, & fomitem, ſed præſeruante Dei gratia non redundauit in animam illius macula peccati originalis, licet redundauerit & fomes, ligatus tamen per gratiam, & reatus clauſæ ianuæ vitæ æternæ, & mortis temporalis: quia hæc pœna ſcilicet*

licet mortis erat naturæ ex parte carnis: illa ſcilicet clauſæ ianuæ erat naturæ ex parte temporis, quando ſcilicet adhuc non aperuerat per mortem ſuam ianuas Paradiſi clauſas per originale peccatum, & ſimiliter fomes ex parte carnis deficeret. Poſtea c. 3. idem Caietanus docet primam poſitionem eſſe contrariam Patribus, & ſcripturis. Secundam eſſe tutam, & ſtare cum Redemptione, nec S. Thomæ doctrinæ contradicere, & conformari Bullæ Sixti IV. atque adèo non eſſe damnandam, cum ſit Scoti, & Mayronis. Deinde in 4. art. comparans has duas poſitiones, verſanſque circa hos duos ſenſus: alterum affirmantem maculam originalem in B. Virgine, quæ eſt S. Thomæ: alterum negantem, quæ eſt Scoti, iudicat primum eſſe valde probabilem, & conformiorem Sanctis, & Doctoribus, quos ibi allegat: Secundam verò poſt varias eius improbationes vocat tolerabilem, ait tamen neutram eſſe neceſſariò credendam.

Admiſſa diſtinctione iſta Caietani iuſta quidem, & recta, confirmo Sanctum Thomam noſtrum eſſe, & nihil in partibus contra iſtum ſecundum ſenſum de præſeruatione à ſola macula peccati docuiſſe.

Probo primum. In textu huius quæſtionis 27. art. 1. & 2. 3. p. vbi Sanctus Doctor manifeſtè proponit ſtatum controuerſiæ in primo ſenſu de carne infecta, & cæteris reatibus obnoxia: non autem in ſecundo ſic ait ibi ad 1. *Dicendum quod in B. Virgine prius fuit id quod eſt animale, & poſt id quod eſt ſpirituale: quia prius fuit ſecundum carnem concepta, & poſtea ſecundum Spiritum Sanctum ſanctificata.* Loquitur itaque de carne infecta ante infuſionem animæ, quam vult eſſe fædatam debito originalis culpæ ſecundum id quod eſt animale quatenus præcedit ſpirituale, id eſt ante animationem, non autem loquitur de ſtatu infuſionis animæ, quam antecedit caro infecta. Confirmatur ex reſponſione ad 3. vbi ſic. *Dicendum quod B. Virgo ſanctificata fuit in vtero à peccato originali quantum ad maculam perſonalem, non tamen liberata fuit à reatu, quo tenebatur obnoxia, vt ſcilicet non intraret in Paradiſum niſi per Chriſti oſtium.* Ly *ſanctificata* perinde eſt ac liberata, & præſeruata à macula actuali, non aptitudinali, id eſt a debito contrahendi culpam. Et patet ex eo quod addit. *Quantum ad maculam perſonalem*, id eſt culpam propriam, & ſingularem, non autem liberatam eſſe à debito quod erat commune cum cæteris, alioqui non eſſet opus exprimere *perſonalem*. Dum ergo expreſſit Sanctus Thomas *perſonalem* docuit contraxiſſe debitum culpæ originalis, & cum illo manſiſſe, non autem cum macula actuali, & ſingulari. Roboratur exemplo reatus non intrandi in Paradiſum: quæ vox ſignificat ibi debitum nòn intrandi, adiuncta particula *Tota natura* indicando debitum vniuerſale, *Quo*, inquit, *tota natura tenebatur obnoxia*. Nota Ly *tenebatur obnoxia*, quæ voces debitum ſignificant commune toti naturæ per modum habitus eam afficientis. De hoc igitur loquebatur Sanctus Thomas, cùm de macula agebat, ſeparando maculam perſonalem in B. Virgine à reatu, quo tota natura tenebatur obnoxia. Vnde B. Virgo incurrit tantùm habitualem totius naturę reatum, non autem incidit in culpam, & maculam perſonalem.

Probo ſecundum ex doctrina eiuſdem quæſt. 27. art. 2. de Sanctificatione ante animæ infuſionem, ita dicentis in cor-

corpore. *Quocumque modo ante animationem B.Virgo ſanctificata fuiſſet, non incurreret maculam originalis culpæ, & ita non idiguiſſet Redemptione.* Quo intelligitur mens S.Thomæ eam eſſe vt debitum exigeret, in carne ſeminata per copulam Parentum, quæ debitum continebat, à quo ſi eſset ſanctificata auferebatur materia Redemptionis.

Vult ergo S. Doctor, vt non præcedat Sanctificatio Animæ infuſionem, vt proles animata contrahat debitum, & ſit obnoxia culpæ, quam vocat maculam: *quia ante infuſionem*, inquit, *animæ rationalis proles concepta non eſt culpæ obnoxia*. Viden? vt vtatur voce *obnoxia* ſignificante capacitatem, & debitum. De hoc ergo debito loquebatur cum iſto debito poſito non negaret S. Doctor excluſionem maculæ. Igitur, cùm in puncto animationis eſset capacitas, & debitum ad maculam erat ſufficiens materia, & cauſa redimendi per infuſionem gratiæ præſeruantis animam à macula omnino incurrenda, & ſtat neceſſitas redemptionis, & dignitas Redemptoris. Quare ibi in reſponſione ad 2. vtitur S. Doctor voce *Contagij*, quæ vox inducit debitum commune habituale, non autem maculam perſonalem. Liquet ex verbis ſequentibus ibid. ad 2. *Chriſtus nullo modo contraxit originale peccatum*, ideſt neque culpam, neque debitum; at vero de B. Virgine non dicit nullo modo, quia vno tantum modo contraxit, nempe per debitum, non per culpam perſonalem. Itaque Beata Virgo contraxit per debitum quamuis non contraxerit per maculam, qui erat vnus tantum modus proprius Virginis. Aliter otioſus foret ille modus loquendi S. Thomæ, *Chriſtus nullo modo contraxit*. Reliquit ergo vnum modum non contrahendi, & attribuit *B.* Virgini, ideſt per maculam perſonalem; at verò Chriſto attribuit vnum, & alterum modum debiti communis, & maculæ perſonalis, quia Chriſtus vtriuſque incapax erat. Nec te turbet illa particula infra poſita. *B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, ſed ab eo fuit mundata antequam ex vtero naſceretur*, quia accipienda eſt de contractione in communi contagio per debitum: id quippe innuit Ly *contraxit*, quod eſt quiddam habituale poſitum in natura, à quo tamen Virgo conſequenter mundata fuit per vberrimam Chriſti Redemptionem, vt cum antea deberet cadere, poſtea per præſeruationem obtinuerit gratiam præſeruantem à macula perſonali conſequenter, non autem antecedenter à debito, & conſequenter à macula, cuius ſolius immunitatem primo accepit à Chriſto Redemptore per gratiam perſonalem, per quam illa præſeruata à macula futura vitauit culpam, cuius debitum antè contraxerat.

Eſt tamen hic ſcrupulus obiectus in reſponſione ad quartum: vbi Diuus Thomas loquens de ſantificatione perſonali, quæ non tranſit in prolem ſic ait. *Talis ſanctificatio non tranſit in carnem carnaliter genitam, quia talis ſanctificatio non reſpicit carnem, ſed mentem*. Vbi exprimit ſanctitatem perſonalem, quam negat tranſire ad B.Virginem, ergo caruit ſanctitate perſonali. Verum hic ſcrupulus nullus eſt, & locus nobis fauet. Agit enim S. Doctor de ſanctificatione perſonali parentum B.Virginis, qui cum ſanctificati eſſent, non tamen communicarunt Virgini filiæ ſuæ illam ſuam ſanctitatem, quia non generabant eam ſecundum mentem, ex gratia, ſed ſe-

cundum

Digitized by Google

cundum carnem per Concupiſcentiam ex commixtione maris, & feminæ. Quod nihil nocet noſtræ doctrinæ, qui dicimus Virginem accepiſſe gratiam immediatè à Chriſto, non à Parentibus: à quibus accipiebat carnem peccati cum debito maculæ originalis. Neque D. Thomas hic loquitur de transfuſione maculæ cum carne peccati, ſed de tranſitu carnis in carnem peccati, quo declarat loqui ſe de materiali peccati, & debito ad culpam ex acceptatione carnis contracto. Itaque ſemper verſatur intra carnem, non intra mentem. Vnde laudat illud Auguſtini in lib. de Nupt. & Concupiſc. *Omnem quæ de concubitu naſcitur eſſe carnem peccati*, quare ſcrupulus non ſolùm euellitur, ſed etiam reiicitur in oppoſitum.

Probatur 3. ex art. 3. vbi S. Doctor diſputat de fomite peccati: ibi poſt argumenta ita: *Contra eſt quod dicitur Cantic.2. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, fomes autem ad maculam pertinet ſaltem carnis: ergo in Beata Virgine fomes non fuit.* Diſertè dixit *ad maculam ſaltem carnis fomitem pertinere*, vbi vides retinere, quæ carnis ſunt, non autem quæ ſunt animæ immediatè, ac per ſe. Ponderemus ſequentia: fomitem, vt lex carnis eſt, non fuiſſe ſublatum, ſed ligatum, quatenus inclinat ad peccatum. *Non fuit ſublatus ſecundum eſſentiam: ſed remanſit ligatus per diuinam prouidentiam, ſenſualitatem eius ab omni inordinato motu prohibentem*, ita in fine corporis; & rurſum ad 1. *Dicendum quod mors, & eiuſmodi pænalitates de ſe non inclinant ad peccatum. Vnde in Beata Virgine primo fuit ligatus fomes.* Ecce remouet inclinationem malam à fomite, ac huius præciſè maculam remouet, quia ſapit culpam. At vero materialem fomitem relinquit, in quo non eſt macula peccati. Quo ego modo intelligit illud Cāt.4. *Macula non eſt in te*, ita debet intelligere de peccati originali, prout eſt macula formaliter culpæ excludendo eam, & retinendo debitum ad illam in carne peccati. Imo hinc colligitur pietas Angelici Doctoris coniuncta cum eiuſdem acumine, dum in omnibus dubiis diſtinguit maculam carnis, & maculam mentis, remouendo iſtam, retinendo illam, quæ non contaminat, neque maculat animam, ſed tantum inficit corpus tranſmittendo debitum habituale, non maculam actualem.

Probatur quartò efficaciter ex doctrina S. Thomæ in 1.2. q.81. art.3. ad 2. cuius titulus eſt. *Vtrum peccatum primi Parentis tranſeat per originem in omnes homines.* Ponit contra hanc vniuerſalitatem argumentum exemptionis à morte, quæ cum vniuerſalis ſit non extenditur ad omnes hoc modo. *Videtur quod peccatum primi Parentis non tranſeat per originem in omnes homines. Mors enim eſt pæna conſequens originale peccatum: ſed non omnes, qui procedunt ſeminaliter per Adam morientur; illi enim qui viui reperientur in Aduentum Domini, numquam morientur, vt videtur per hoc quod dicitur 1. Theſſal.4. Nos qui viuimus in Aduentu Domini non præueniemus eos qui dormierunt, ergo illi non contrahunt originale peccatum.* Cui argumento ſic reſpondet. *Dicendum quod probabiliùs, & conuenientius tenetur, quod omnes illi qui in Aduentu Domini reperientur morientur, & poſt modicum tempus reſurgent, vt in 3. plenius dicitur. Si tamen hoc verum ſit quod alij dicunt, quod illi nunquam morientur, ſicut Hieronymus*

Digitized by Google

narrat diuerſorum opiniones in quadam Epiſt. ad Minerium de Reſurrect. Carnis, dicendum eſt ad argumentum, quod illi, & ſi non moriantur eſt tamen reatus mortis, ſed pœna auferetur à Deo, qui etiam peccatorum actualium pœnas condonare poſſet. Ecce manifeſtè S. Thomas admittit exemptionem à pæna mortis actualis ſine detrimento vniuerſalis ſententiæ, quam ſaluat per debitum illius, à quo non liberantur homines: idque ſatis eſſe putat ad ſaluandam Redemptionem, quoad actum incurrendi pænam, quia ſufficit ad neceſſitatem redemptionis debitum moriendi, quamuis de facto fiat exemptio à morte actuali. Igitur, & in caſu noſtro B. Virgo non incurrit actualem maculam peccati originalis, & tamen fuit Redempta à Chriſto, quia contraxerat debitum incurrendi, & ſaluatur per debitum, vniuerſalis ille modus loquendi *Omnes in Adam peccauerunt*. Igitur de iſto debito, & modo redimendi locutus eſt Sanctus Thomas, quando dixit B. Virginem habuiſſe peccatum originis; non quod illud habuerit actu, ſed quod debuit habere niſi præſeruata fuiſſet, & cum iſta exemptione ab actuali macula ſtare potuiſſe Redemptionem ex vi reatus, & debiti ad peccatum incurrendum. Res tota clara, & perſpicua eſt, quam vidit Caietanus in ſuis Commentariis; cuius verba oportet commemorare. Loquatur ille in principio Comment. ad hanc art. 3. *Aduerte*, inquit, *duo circa vniuerſalitatem peccati originalis. Primum eſt, quod ad fidem Catholicam ſpectat, quòd omnes præter ſolum Chriſtum contrahant peccatum originale: quod dictum non intelligendum eſt aliter, quam de morte, quæ eſt pœna originalis, ita quod ſicut omnes incurrunt mortem, ideſt, neceſſitatem moriendi, ita omnes incurrunt peccatum originale, ideſt neceſſitatem habendi peccatum originale. Et ſicut non ſpectat ad fidem, an ſinguli moriantur actualiter, an Diuina diſpoſitione aliquis non moriatur: ita non ſpectat ad fidem, an aliquis ex ſpeciali prærogatiua gratiæ non incurrat actualiter originale peccatum. De vtroque enim ſimul inquit Apoſtolus ad Romanos quinto. Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors. Eſt igitur neceſſarium, ſecundum Catholicam fidem credere, quòd omnis vtriuſque ſexus ab Adam ſecundum rationem ſeminalem proueniens, ex ipſa ſua generatione ſit obnoxius peccato originali: vt contra Pelagianos dicentes oppoſitum, Auguſtinus diſſeruit, & deffiniuit. De ſolo autem Ieſu Chriſto verùm eſt, quod ex ipſa generatione nulli obnoxius eſt peccato: iuxta verbum Angeli ad B. Virginem ante Filij Conceptionem, quæ vocatur natiuitas in vtero dicentis. Quod ex te naſcetur Sanctum. Et iuxta hunc ſenſum militat ratio authoris, ſcilicet quod aliter non indigerent Redemptione, quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt. Si enim peccatum originale, vel in actu, vel in neceſſitate habendi illud quis non incurreret, non egeret Redemptione, quod hæreticum eſſet dicere: ſed ſi omnes obnoxij ſunt peccato originali, ſufficit ad indigentiã Redemptionis. Neque enim ſolùm Redemptione eget actualiter captiuus, ſed etiam obnoxius captiuitati.* Omnia occupauit Caietanus: cuius ore loqui malui, quàm meo, vt maiorem fidem aduerſariis facerem. Dixit ſignificantiùs, & explicatiùs quàm quiuis deſiderare poſſit. Addo quod ille ad finem adiecit. *Hæc benè notabis, tu Thomiſta, ne nimio zelo non ſecundum ſcientiam accenſus erronea dicas,*

dicas, quæ erronea non ſunt, cum de B. Virginis Conceptione diſputas, aut prædicas; & tandem confirmat hoc exemplo de actuali morte eorum, de quibus loquitur Apoſtolus, ſententiam de præſeruatione actuali B. Virginis à peccato originali ſeruato debito contrahendi illud.

Ex dictis ruit illa machina, quam nonnulli ex aduerſariis adhibent ad euertēdam huiuſmodi exceptionem à communi regula peccati originalis cōtracti ab omnibus præter Chriſtum, quæ fundatur in verbis Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt*, confirmando hoc dictum Apoſtoli de vniuerſalitate omnium nullo, ne Virgine quidem, excepto, ſed ſolo Chriſto propter hoc teſtimonium D. Tho. 1.2.q.81.art.3. in corpore, *Dicendum quod ſecundum fidem Catholicam firmiter eſt tenendum, quod omnes homines præter ſolū Chriſtum ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt: alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ eſt per Chriſtum, quod eſt erroneum*, quia ſenſus Diui Thomæ eſt, neminem excipere à debito præter vnum Chriſtum, cum quo ſtat Conceptio B. Virginis ſine macula actuali retento debito. Idque manifeſtè patet ex verbis Diui Thomæ, *Alioquin*, inquit, *non omnes indigerent Redemptione, quæ eſt per Chriſtum: quod eſt erroneum*, hæc enim ratio non conuincit B. Virginem non fuiſſe redemptam cum ex doctrina eiuſdem articuli habuerit materiam Redemptionis propter debitum, quæ ſatis erat ad Redemptionem, ſicuti erat ad exceptionem non morientium actualiter, debitum moriendi, quo exemplo confirmatur intentio D. Thomæ, quæ erat ſaluare exceptionē aliquorum ab actuali morte per reatum moriendi; vnde etiam excipienda eſt Beata Virgo ab actuali macula peccati originalis, quia redempta fuerat à debito illud incurrendi. Prætereà S. Thomas non appellaret erroneum dicere B. Virginem caruiſſe culpa actuali, cum minimè eſſet erroneum dicere aliquos homines caruiſſe morte actuali. Quod ſanè vidit Caietanus, ac idcirco verè, ac ſubtiliter dixit, vt Thomiſta ſe contineret, cenſendo contrariam ſententiam *erroneam*, præcauens ne quis deceptus hoc loco S. Thomæ exiſtimaret illum loqui de errore circa actualem præſeruationem B. Virginis per gratiam perſonalem, quaſi vellet condemnare piam ſententiam dicentem B. Virginem caruiſſe macula perſonali, retento debito, & reatu peccandi. Itaque animaduertit Caietanus ſatis eſſe ad veritatem requiſitam à S. Thoma retinere reatum debiti ad veritatem requiſitam ad excuſandam ſententiam ab omni periculo erroris, qui omnino tollebatur ſeruata materia redemptionis: quam cum ſufficienter putaret D. Thomas eſſe ſolum debitum, & reatum, non poterat illam condemnare erroris; ergo quando in hoc loco dixit *erroneum* illud placitum aſſerentiū B. Virginē exceptam fuiſſe à ſola macula actuali perſonali, non habuit intentionem includendi B. Virginem inter omnes alios, qui maculam actualem peccati contraxerunt. Quare hoc teſtimonium nihil officit piæ de Immaculata Conceptione ſententiæ. Semper enim ſaluatur Redemptio Chriſti, quæ dummodò ſaluetur, nihil contrarium à Sancto Thoma ſtatuitur, ipſo etiam teſte Caietano.

Ex his patet auctoritates D. Thomę quotquot ſunt, quæ videntur docere opinionem minus piam de Conceptio-

nie Virginis maculata non continere talem doctrinam. Verùm ad maiorem confirmationem huius veritatis remouenda eſt obiectio, quæ oritur ex doctrina S. Thomæ, cum qua multi exiſtimant non poſſe iſtam præſeruationem conſiſtere; etenim D. Thomas docet Incarnationem Verbi Diuini fuiſſe decretam in remedium peccati, & poſt præuiſum Adæ peccatum, vnde ſequitur præuiſam fuiſſe B. Virginem Mariam cum ceteris maculatam, atque adeo non cum ſolo debito contrahendi, ſed cum macula contracta. Reſpondeo primò B. Virginem in illo illo primo decreto non fuiſſe præuiſam in poſteritate Adæ, in qua non erat futura propter ſterilitatem Parentum, quam rationem ſupra attulimus, & ponderauimus, quam nos primi, opinor, excogitauimus, & miramur hoc à nullo, quod ſciamus, ante nos auctore fuiſſe animaduerſum, quod ingenuè, & candidè dicimus, & ſubiicimus Doctorum iudicio. Hinc autem non ſequitur B. Virginem præuiſam fuiſſe maculari, quandoquidem in ea ſerie non erat, quia futura non erat. Secundò conceſſo fuiſſe præuiſam, potuiſſe à Deo excipi, ne cõtraheret maculam incurſo debito, & reatu; Deus enim potuit eam liberare à ſententia maculæ actualis non abſoluendo à debito, ac proinde ſeruando materiam Redemptionis futuræ quemadmodum etiam, vt exemplo D. Thomæ vtamur, potuit decernere, vt non incurrerent mortem actualem illi, qui in die iudicij probabiliter morituri non eſſent, retento debito moriendi, excipiendo eos à generali lege mortis ſalua neceſſitate, & veritate Redemptionis. Itaque eodem modo quo aduerſarij reſpondebunt huic difficultati de morte iuxta doctrinam D. Thomę, ita & nos reſpondebimus in præſenti materia de actuali præſeruatione. Quare in communi noſtrorum ſententia nihil doctrinæ D. Thomæ derogatur, cùm præſertim anteceſſiſſet ſcientia poſſibilium, qua Deus præuidit poſse incurrere debitum ſine actuali incurſione maculæ, & ita potuit decernere abſolutè, ſicut viderat poſſibiliter. Præterea in mea ſententia præceſſit ſcientia conditionata, nixa tamen decreto conditionato, quæ tollit omnem difficultatem in decernendo abſolutè, quod Virgo primò incurreret debitum, & deinde pręſeruaretur à macula, poſita enim conditione nihil impedit ita decerni, & præuideri potuiſse. dixi autem *nixa decreto*, quia nullam puto illam ſcientiam conditionatam mediam, quæ immediatè fertur in obiectum ſub conditione poſitum, & ex eo ſumit certitudinem ſine vllo antecedẽti proportionato decreto, vti nos latè probauimus in primo tomo Collat. & oſtendimus eam ſcientiam alienam eſse à doctrinam S. Auguſtini.

Animaduerto tamen duo. Primum Deum non præuidiſse abſolutè B. Virginem cum macula actuali antequam decerneret abſolutè, ſed prius decreuiſse abſolutè, & poſtea præuidiſſe. Vnde autem cõſtat decreuiſse Deum, vt B. Virgo macularetur actualiter? Et, vt magis propriè loquar, Deus non decernit peccatum, ſed tantùm permittit, igitur prius permittere debuit illud peccatum originale actuale in anima Virginis, quàm præuidere. Vnde verò cõſtat de illa permiſſione? Dices ſequebatur ex generatione per Adamum. Sed quæro ego iterum, & quare Deus voluit permittere vt illa macula perſonaliter afficeret B. Virginem? Cùm Deus potuerit non permittere

mittere vt eam perſonaliter contraheret. Reddenda eſt aduerſariis ratio iſtius voluntatis permittendi maculationem Virginis perſonalem. Animaduerto ſecundum in mea ſententia de ſterilitate Parentum, & carentia Virginis in poſteritate Adæ non excludi debitum, quemadmodum ſuperius dixi, quia & ſi non fuerit præuiſa in prima ſerie, non tamen fuit excluſa, ſed manſit debita principijs naturæ, ac proinde in potentia, & aptitudine ad debitum, quoniam ſi futura erat non niſi ex illa poſteritate erat futura, quæ contraxerat peccatum Adæ. Vnde quando poſteà decreta fuit contraxit illud debitum, ſed non contraxit maculam perſonalem, à qua immunis fuit, quia cùm decreta fuit, fuit deſtinata Mater Dei, quemadmodum ſatis, ſuperque in ſuperioribus explicauimus.

SECTIO VI.

Complures Thomiſtas, & alios graues Theologos ſentire S. Thomam nihil ſcripſiſſe contra Immacu-tam B. Virginis Conceptionem oſtenditur.

HAnc Prouinciam alij ante me auctores ſuſceperunt: quorum nonnullos in fine ſectionis nominabo. In quos incidi poſtquam meo peculiari ſtudio hoſce, quos appello, diligenter vidi, & eorum ſcripta euolui. Facit mea in hanc clariſſimam Thomiſtarum Scholam obſeruantia, vt nolim meæ fidei quidquam tribui, niſi ea illorum auctoritate firmetur. Fateor equidem me multum operæ poſuiſſe in legendo, & expendendo Angelico Doctore nullo antea auctore viſo, nec conſulto; ac deliberato, & maturo iudicio ſtatuiſſe Sanctum Doctorem nihil contra Immaculatam Conceptionem in ſuis ſcriptis tradidiſſe, quemadmodum hactenus patefeci. Verùm adhibere calculos illuſtrium ſcriptorũ volo, ac imprimis Thomiſtarum, vt maiorẽ mihi auctoritatem concilient. Igitur Ioannes Bromiardus in Summa Prædicantium art. 2. docuit S. Thomam 3. p. q. 27. art. 2. poſuiſſe excellentiam Sanctificationis B. Virginis, in eo quod ſanctificata fuerit in ſua animatione, hoc eſt in coniunctione animæ, & corporis in vtero matris ſuæ, quod perinde eſt, ac dicere fuiſſe conceptam ſine macula perſonali in ſua Conceptione. Gaſpar Catalan Magiſter inſignis in Epiſt. de Concept. ad Michaelem Baptiſtam de Lanuza oſtendit Sanctum Thomam docuiſſe B. Virginem Mariam Dei Genitricem, & Aduocatam noſtram fuiſſe præſeruatam à peccato originali. Ioannes de Viterbio magni nominis Auctor in tract. de Concept. B. V. tradit ſententiam D. Thomæ propriã, eſſe Beatam Virginem ſine macula originali fuiſſe conceptam. Franciſcus de la Cruz in peculiari opere de Immacul. Concept. ſect. 3. & 4. demonmonſtrat ex principijs S. Thomæ, ſicut nos hactenus fecimus, S. ipſum Thomam, pro Immaculata Virginis Conceptione calculum poſuiſſe. Amplius dixit Vincentius Iuſtinianus cuius mirabile teſtimonium eſt: in ſuo quippe opuſculo de Conceptione ait. *Neſcire ſe in quo ordine Mēdicantium fuerit Doctor antiquus, qui tam expreſsè ab originali peccato actuali Dei palam exemerit, ſicut Sanctus Thomas*, quod ego certe dicere vix auderem tam affirmatè aſſeuerando. Mauritius de Villa probata in Corona B. Virginis ſerm. 11. aſſerit S. Thomam in expoſitione

Digitized by Google

ſitione Salutationis Angelicæ, & in 1. ſentent. fauentem ſe Immaculatæ Cõceptioni B. Virginis declaraſſe. Moderatiùs dixit, ſed idem ſenſit Guillielmus Pipinus Dominicanus in ſerm. de Concept. B. V. qui ait. S. Thomam in 1. ſentent. immunitatem B. Virginis ab originali macula fuiſſe tutatum. Petrus Auratus in ſuo opere inſcripto *Imago B. Virginis*, tradit Sanct. Thomam Immaculatum Deiparæ Conceptum ſuis teſtimoniis adſtruxiſſe. Ambroſius Catharinus inſignis defenſor Immaculatæ Virginis Conceptionis in omnibus ſuis operibus, & quidem aureis, de hac materia, ſæpe teſtatur S. Thomam ſimpliciter, & abſolutè B. Virginem ab originali peccato immunem fuiſſe prædicaſse, ſpecialiter autem in opuſculo de Conceptione vbi ſic. *Ex quibus arbitror non valde proteruis perſuaderi poſſe, quod S. Thomas hanc* (de Immaculata Cõceptione) *ſententiam probauit, quod neq; Capreolus omnino negare auſus eſt, neque audet Caietanus*. Itaque hos duos grauiſſimos Thomiſtas cæteris annumerare poſsumus. Eiuſdem ſententiæ ſunt Laurentius Guttierrez, Leonardus de Vtino, Ioannes Viguerius, Seraphinus Copponi à Porrecta. in 3. p. qu. 23. art. 2. & 3. & quidem hoc ipſum aptiſſimè demonſtrat Reginaldus Lucarinus in Manuali Thomiſt. controuerſ. 1. p. concl. 24. eo quo nos expoſuimus modo. Ioannes à Sancto Thoma, quem ego Virum Compluti florentem Theologiæ ſtudiis agnoui in 1. p. D. Thomæ tom. 1. diſput. 2. art. 2. ex inſtituto, & manifeſtè oſtẽdit S. Doctorem tanta vigilantia calamum ſuum in cauſa Conceptionis ex Diuina prouidentia temperaſse, vt Immaculatæ B. Virginis Conceptioni, quam in ſuis operibus agnouit, & aſſeruit nullibi contradixerit. Addo his patronis Nicolaum Cichouium in opuſculo inſcripto *Angelici Doctoris de Beatiſſimæ Virginis Immaculata Conceptione ſententia*, qui edito Poſnaniæ an. 1651. idem oſtendit. Necnon Philippus Bernal in ſuo erudito opere hoc titulo *Sententia S. Thomæ in fauorem Immaculatæ Conceptionis*, quod typis mandatum Burgis anno 1623. idem argumentum vrget. Sequitur Eugenius Martanellus in lib. cui titulus *Speculum* in quo relucet D. Thomæ ſententia, quod Beata Virgo fuerit ſine peccato concepta, Patauii excuſſo anno 1627. & Andreas Peruſinus in Analyſi Immaculatæ Conceptionis Venetiis edita anno 1634. Quin etiam Franciſcus Creſpo in tribunali Thomiſtico de Immaculato Deiparæ Conceptu edito Barcinone anno 1657 Ludouicus Schonleben lib. 3. Orbis votorum pro Immaculata Conceptione c. 3. id eſt per totum penè librum tertium teſtimoniis productus, & aliis inſuper prolatis coniecturis multis oſtendit, S. Thomam in pia de Immaculata Conceptione fuiſſe ſententia. Hoc autem multis argumẽtis perſuadet magnus huius myſterii aſſertor, & pro eo Romam Legatus, quem ibi noui, & iuui, Ludouicus Creſpus à Borgia Epiſcopus Placentinus, qui ſolidiſſimè id probat in ſuo Propugnaculo Theologico art. 6. ac demum qui hac in re primas tenet Hyppolitus Marractius in variis libris, & in primis in Trutina Mariana cap. 54. ne innumeras alios recenſeam. Antonius Calderon Publicus Salmaticenſis Profeſſor in lib. cuius inſcriptio eſt *pro titulo Immaculatæ Conceptionis*, & in alio. Aſſertore Dominicano ſcripto, dedita opera ad probandum hunc nobiliſſimum Ordinem plurimos Immacula-

tæ

tæ Conceptionis propugnatores peperiſſe. Pontius in ſuo Roſario in decimoquinto ſæculo. Lezana in Apologetico pro Conceptione. Nierembergius opuſculo 8. Vidi autem hac de re manuſcriptum pulcherrimum Clariſſimi, Viri Cōceptionis Immaculatæ ſtudioſiſſimi, Simonis Santaghata, Canonici Bononienſis, quem propter eximias virtutes, & mores ſuauiſſimos magnoperè diligo, & colo, cuius ipſe quidem eſt auctor. Hoc ſi in publicum exiret, magnam lucem huic ſententiæ de D. Thoma aſſertore Immaculatæ Conceptionis procul dubio afferret, cùm ſit doctiſſimum, & ſolidiſſimum. Rogandus eſt auctor vt vulgare velit ad publicam vtilitatem.

SECTIO VII.

Reſpondetur teſtimonijs Sanctorum Patrum adductis in contrarium à Caietano in opuſculo ad Leonem X. Papam.

PRimò generaliter reſpondeo SS. Patres relatos à Caietano locutus fuiſſe in eodem ſenſu, quo D. Thomas loquitur de debito contracto ad peccatum per generationem vtriuſque Parentis, hoc eſt de materiali peccati, non autem de peccato formali B. Virginis ſingulari, ea ratione qua proximè diximus, quam de nouo corroborare volo. *P*eccati debitum eſt quid intrinſecum, ingenitum homini, quod per naturam omnis Adami filius incurrit, ex quo connaturaliter ſequitur macula peccati. Vnde B. Virgo, cùm eſset filia Adami contraxit iſtud debitum, & manſit obnoxia peccato, & omnino capax Redemptionis à macula, quam incurreret niſi præſeruaretur per ſingulare priuilegium gratiæ ex merito Chriſti Redemptoris. Itaque intrinſecùs, & ex principijs naturæ debitrix erat propter reatum, quem contraxit in primo Parente. Sancti ergo Patres attendentes hoc debitum, quod erat naturale, dixerunt B. Virginem Mariam in Adamo incurriſse originale peccatum, abſtrahendo à macula perſonali in inſtanti Conceptionis, ſicuti fecit S. Thomas, auctore Caietano, vti ſupra commemorauimus, & mox dicemus. Rem magis explico. S. Patres intelligendi ſunt de illo ſtatu hominis in generatione quando vtriuſq; Parentis ſemen miſcetur, & concurrit ad formationem prolis, quę eſt materia infecta, & obnoxia peccato; quòd ſi tunc infunderetur anima connaturaliter contraheret maculam naturalis peccati, & tunc verum eſt dicere futuram prolem concipi in peccato, quoniam forma ad quam corpus illud ordinatur eſt debita eidem materiæ infectæ, ac proinde obnoxia peccato propter generationem naturalem à principijs infectis materialiter. Itaque de hoc ſtatu Patres loquunrur: imò & Scholaſtici, qui vocant materiale peccati; vti apparet in D. Thoma, qui cum ſit Princeps in Theologia ponit huiuſmodi quæſtionem in 3. p. q. 27. art. 2. *Vtrum B. Virgo fuerit ſanctificata ante animationem?* De hac ergo ſanctificatione loquuntur, & negant, vti etiã D. Thomas, Immaculatam fuiſse, abſtrahendo à propria conceptione, quæ fit in inſtanti animationis: vnde de hac illorum ſententia dicere poſſumus, & debemus, quod Caietanus pronunciat de D. Thoma in 3. p. q. 27. ar. 2. §. *circa Corollarium. Eſt poſitio media, quod fuit ſanctificata in inſtanti infuſionis animæ, cuius opinionis auctor hic non meminit.* Si ergo S. Thomas

ex-

excitauit quæſtionem de Conceptione in eo ſtatu fœtus ante animam, & occaſionem diſputandi dedit, ſignum eſt eum ſenſum contrahendi peccatum originale habere locum in ſtatu antecedente infuſionem animæ. Cur ergo Patres de eodem ſtatu non ſunt locuti? Cùm præſertim diſtinxerint inter Chriſtum, & Mariam, ſcilicet quòd Chriſtus fuerit conceptus ex matre ſola, non ex vtroque parente; atque adeo nullo modo capacem peccati fuiſse, nec eſse potuiſse, qui modus concipiendi fuit ſingularis Chriſti, qui nec maculam, nec debitũ contraxerit, nec capacitatem habuerit ad contrahendum; itaque nullo modo potuit obnoxius eſse peccato, cum tamẽ B. Virgo more ordinario ex vtroque parente concepta debuerit, nedum potuerit, contrahere maculam peccati perſonalem, niſi præſeruaretur à Deo. Equidem conſiderans Diuum Thomam tantum Theologum, tam acutum, tam ſubtilem, tam perſpicacem, tam ſolidum, tam maturũ, tam prudentem, tam cautum quæſtionem in eo ſenſu de materiali peccati ante animationem excitare, mihi perſuadeo Sanctos Patres, qui non ad libellam, & amuſſim diſputationis, & regulæ Scholaſticæ iſtud myſterium redegerunt, ſed de illo ſimpliciter, & plane ad Fidei normam, ſenſumque tractarunt, locutos fuiſse de hoc ſtatu Conceptionis prolis in vtero ante animationem. Quin exiſtimo Sanctiſſimos Viros ſuſcepto ſtudio hunc ſtatum ſumpſiſse, & conſideraſse, vt oſtenderent Chriſti excellentiam, & prærogatiuam ſingularem, quòd ſolus ille eo modo conciperetur, ita vt non eſset locus diſputandi, aut dubitandi de ſtatu informi ante animationem, cùm ille eodem momento fuerit ex integro conceptus, & animatus citra imperfectiones, & deformitates embryonis; non tulerunt igitur mentionem de communi ſtatu omnium hominum in concipiendo ante animationem; idque intenderunt quando affirmarunt omnes præter Chriſtum contraxiſse originale peccatum, eumque ſolum immunem ab illo extitiſse, in quo erat ſingularis, & diuina prærogatiua, cum nec ex parte animę, nec ex parte corporis habuerit potentiam, vel capacitatem ad maculam originalem incurrendam. Vnde ſolent dicere Chriſtum nullo modo contraxiſse peccatum, quod ſupra dixit Sanctus Thomas, vt ſignificarent plures, & diuerſos eſse modos contrahendi, relinquendo pro B. Virgine ſuum locum partim affirmatiuum, partim negatiuum, Affirmatiuum de debito, & reatu, & materiali peccati. Negatiuũ de macula actuali, ac perſonali, qua ratione manſit media inter Chriſtum, & cæteros mortales, minus quàm Chriſtus perfecta, quia contraxit debitum, & magis quàm cæteri mortales, quia excluſit maculam. Et quidem diligenter obſeruo in ſententijs illorum Patrum vti ſunt ſcriptæ, eos loqui de Conceptione initiali in commixtione ſeminum generando fætum in vtero matris coeuntium, & in vnum fætum coaleſcentium, & inde petere diſcrimen Conceptionis Chriſti à communi cæterorum mortalium. Ac in primis Auguſtinus is eſt, cuius locos à Caietano adductos proponam, cum alijs Ambroſii, & Chryſoſtomi, qui ſunt inter reliquos præcipui etiam acceptis ſententiis, ſicuti eas adducit Caietanus.

Digitized by Google

§. 1.

Explicatur Primum teſtimonium Sancti Auguſtini à Caietanum adductum.

VEniamus ad Principem Theologiæ Auguſtinum, cuius præcipua, & palmaris auctoritas eſt. Primum teſtimonium adductum à Caietano ſumitur ex pſal. 34. vbi in 2. Concione de ſecunda parte pſalmi ſic: *Maria*, inquit, *ex Adam mortua propter peccatum: Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua eſt propter delendà peccata*. Omnia hic ſunt ad carnem relata in pęnam peccati mortuam. Et quidem B. Maria expreſsè dicitur *mortua ex Adam* non ex ſuo proprio peccato, neque ex contractione peccati Adæ, ſed *ex Adam*, quod refertur ad naturam tractam ex Adamo, quod non continet, nec ſonat culpam perſonalem. Nihil ergo continet aduerſus noſtram expoſitionē. Imo ſi totus locus expendatur fauet maximè noſtræ ſententiæ: Nam ſupra dixerat Auguſtinus. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato dānaret peccatum in carne, hoc eſt filium ſuum induit cilicio, vt de cilicio damnaret Hædos. Non quia peccatum erat, non dico in Verbo Dei, ſed neque in ipſa anima ſancta, & mente hominis, quem ſibi ad vnitatem perſonæ Verbi Dei, & ſapientia coaptauerat: ſed nec ipſo corpore peccatum vllum erat in Domino, ſed ſimilitudo carnis peccati erat in Domino, quia mors non eſt niſi de peccato, & vtique corpus illud mortale erat*. Ex quibus patet hic agi de morte effectu peccati, non de peccato cauſa mortis, vt ait Auguſtinus, *Ergo*, inquit, *ſic dicitur mors peccatum, quæ facta eſt peccato, quomodo dicitur lingua græca, lingua Latina non ipſum membrum carnis, ſed quod fit per membrum carnis*. Et concludit, *Sic peccatum Domini, quod factum eſt de peccato, quia inde carnē aſſūpſit de maſſa ipſa, quæ mortem incurrerat ex peccato*. Vnde argumentor. Si Caro Chriſti hic dicitur peccatū, qui nullo modo habuit peccatum, etiam Virgo Maria hic dicitur mortua propter carnem mortalem ob peccatum Adæ, non autem ob proprium peccatum. Vnde ſi Chriſtus propter ſolam mortalitatem dicitur peccatum, etiam B. Virgo propter ſolam mortalitatem dicetur peccatrix, eo ſenſu quo Chriſtus dicitur peccatum. Tandem Auguſtinus manifeſtè dixit in ipſo Chriſti Corpore non eſſe peccatum, quaſi verò peccatum ad corpus etiam pertineret, ex quo ſequitur poſſe dici in B. Virgine fuiſſe peccatum ratione corporis, cui mors debebatur, atq; adeo materiale habuiſſe peccatum propter debitum peccandi ſine actuali macula peccati. Ac diligenter aduertendum Auguſtinum excluſiſſe omnibus modis peccatum à Chriſto, ſcilicet à Diuinitate, à Mente, ideſt Anima, & à Corpore, vt indicaret eum ſolum nullo modo incurriſſe peccatum. B. Virginem verò illo tertio modo in corpore per debitum præciſo peccato ab anima, vt fuerit libera à macula perſonali. Igitur ex hoc loco non conſtat de macula peccati, quæ inficit animam, ſed de debito, & reatu peccati, quod contrahit corpus. Pertinet itaque hoc teſtimonium ad reatum, & debitum, quod eſt materiale peccati, quod afficit corpus, non autem de macula perſonali, quę inficit animam.

§. 2. *Exponitur ſecundum.*

SEcundum teſtimonium produxit Caietanus lib. 2. de Baptiſ. Par-

uulorum. Ita citat, nec indicat caput, vt nec in aliis, quod moleſtiam exhibet lectoribus hoc maxime loco, vbi confundit libros de Baptiſmo Paruulorum cum libris de peccat. merit. & remiſs. Igitur aufero confuſionem, & certiùs allego. Liber hic quē de Baptiſmo Paruulorum Caietanus appellat, eſt liber ſecundus de peccat. merit. & remiſs. qui tres ſunt, & habentur in tom. 7. contra Pelagianos in 2. p. tomi, ſuntque primi inter reliquos, cum tamen libri de Baptiſmo ponātur in prima parte tomi 7. quæ continet libros contra Donatiſtas. Igitur in hoc lib. 2. de peccat. merit. & remiſs. c. 24. ſic Auguſtinus, *Solus ergo ille homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec ſumpſit carnem peccati, quamuis de natura carnis peccati:* Ita habent emendatiora exemplaria: non autem *de materna carne peccati*, vti allegat Caietanus. Toleranda tamen ſit iſta lectio de Materna carne peccati cum in margine etiam adſcribatur in multis exemplaribus, nec ego auſim Caietanum temer condemnare, imò puto eum in ijs quę legit exemplaribus inueniſſe. Retineo lectionem, & reſpondeo nihil inde concludi diuerſum ab eo quod hactenus diximus; videlicet Chriſtum nullum habuiſſe peccatum, nec in anima, quia caruit radice debiti, & reatu peccati venientis per generationem communem ex ſemine vtriuſque parentis, nec in corpore, quia fuit conceptus extraordinario modo de Spiritu Sancto, & Matre Virgine. Cùm B. Virgo ſumpſerit carnem obnoxiam peccato originis per conceptionem ordinariam mutui concubitus parentum vtrinque ſeminantium; quemadmodum ſolet Auguſtinus exponere modum generandi carnem Chriſti, adducto loco Pauli *In ſimilitudinem carnis peccati*, vbi retinetur vera caro, non tamen reatus, & debitum peccati, ſed tantùm ſimilitudo; perſpicuè enim remouet Paulus carnem infectam per concubitum parentum, & ſeminalem conceptionem, quam admittit Auguſtinus in B. Virgine, quæ nō ità fuerat ſicuti Chriſtus concepta: ſemper reſtringit carnem peccati ad corpus, & materiam ſumptam per generationē à parentibus in qua ſit materiale peccati, ideſt debitū, & reatus, non autem formale peccatū, cuius caro, & corpus incapax eſt, & numquam tranſit ad maculam animę, quę nulla fuit, continens ſeſe intra terminos corporis, & carnis. Cùm igitur dixit Maternam carnem peccati reſtrinxit ſenſum ad carnem ſolam, & materiale peccati, & rectè appellauit carnem peccati, quæ tracta fuerat per ordinariam generationem, & ſeminationem. Quæ cū in Chriſto locum non habuerit excludit etiam materiale peccatum, & admiſit ſolummodo ſimilitudinem carnis peccati. Eodem modo loquitur Auguſtinus in hoc lib. cap. 24. non egrediendo terminos carnis repetendo in ſimilitudinem carnis peccati, vt indicaret altiori modo Chriſtum fuiſſe conceptum, quàm B. Virginem, cui aſſignauit, & merito carnem peccati propter infectionem materialem ſeminis vtriuſque parentis attribuens Chriſto carnem liberam ab omni infectione, ac proinde non carnem peccati, ſed in ſimilitudinem carnis peccati. Quare hic locus rem non continet peccati formalis, & nihil habet commune cum infectione, & macula animæ.

§. 3.

§. 3. *Explanatur tertium.*

TErtium teſtimonium ponitur à Caietano ſumptum ex libro de Geneſi ad litteram, quod habetur c.8. ac eiuſmodi eſt *Corpus Chriſti quamuis ex carne feminæ aſſumptum eſt, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non ſic in conceptione eſt quomodo fuerat illa concepta, nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati.* Quæ verba manifeſtè reddunt, quem proximè diximus ſenſum, & eodem modo, quo alia intelligenda ſunt: ſcilicet Chriſtum idcirco nullum prorſus contraxiſſe debitum mortis, quia fuerat de ſola matre conceptus, cum Virgo illud cõtraxiſſet, quod fuiſſet more ordinario, & humano ex vtroque parente concepta, quare nihil inde pertinet ad actualem maculam originalem in anima, de qua nulla fit mentio. Itaque tota teſtimonij auctoritas ad carnem reuoluitur, & intra illius terminos continetur, & notanda eſt illa particula, *quia non ſic in conceptione eſt quomodo fuerat illa concepta*, vbi diſtinguitur conceptio Chriſti in vtero virginali ſine conſortio maſculi parentis ab illa, quæ facta fuit in B. Virgine per ſeminationem amborum parentum. Obſeruandum, item eſt alia particula; *Nec ipſa erat caro peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati*, vbi tota differentia ponitur ex parte carnis, quæ gignitur per conceptionem ordinariam, qualis fuit caro Mariæ, quæ re ipſa erat caro peccati per reatum, & debitum, & ex parte carnis, quæ non fuit concepta more ordinario, & ſolùm erat in ſimilitudo carnis peccati, non autem caro peccati. Declarauit amplius mentem ſuam Auguſtinus ibid. c. 30. *Chriſtus viſibilem carnis ſubſtantiam de carne Virginis ſumpſit: ratio enim conceptionis eius non à ſemine virili, ſed longe aliter, ac deſuper venit.* Idemque repetit infra. Quare apparet eius ſenſum verſari in diſcrimine inter vtramque conceptionem Virginis, & Chriſti: Virginis quatenus fuit ordinaria per concurſum, & ſeminationem vtriuſque parentis, Chriſti autem quia fuit ex ſola Virgine Matre operante Spiritu Sancto. Nullum itaque teſtimonium S. Auguſtini tranſilit terminos carnis, nec ad animam peruenit, manente iſta illæſa, & intacta ex vi teſtimoniorum. Quæ reſponſio, ſumitur ex perpetua Auguſtini doctrina, qui cùm tantus ſit Auctor, & apud nos Principem inter cæteros locum habeat, omninò aſſerendus eſt, & nobis retinendus, vt coniunctus cum D. Thoma, cuius doctrina tota eſt Auguſtiniana, pro Immaculata Conceptione ſtare monſtretur. Cùm igitur ab Alexandro VII. Papa in ſua Bulla Celeberrimà vtriuſque commendetur doctrina, & *Inconcuſſa* merito appelletur operæpretium duco rem hanc, quam præ manibus habemus latius, & luculentius tractare, vt appareat Auguſtinum cum D. Thoma de debito, & reatu non autem de macula intelligendum. Do illuſtres quoſdam Auguſtini locos lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 6. *Diximus Chriſtum non habuiſſe peccatum, nec in carne, nec in anima, & ſuſcipiendo carnem in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnaſſe peccatum.* En peccatum in carne diſtinctè ſeparatum à peccato animæ. Ab vtroque liber Chriſtus: Virgo Maria minimè, quia habuit carnis peccatum, quamuis peccatum animæ non habuerit. Lib. contra Iulianum cap. 15. manifeſtius.

Si caro Chriſti non eſt caro peccati, ſed ſimilis carni peccati, quid reſtat vt intelligamus niſi ea excepta omnem reliquam carnem eſſe peccati. Attende lector Auguſtinum nominare carnem peccati aſſignando peccatum carni, id eſt debitum, & reatum, vti nos diximus. Pergit. *Et hinc apparet illam concupiſcentiam per quam Chriſtus cōcipi noluit feciſſe in genere humano propaginem mali, quia Mariæ corpus, quamuis inde venerit tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterùm corpus Chriſti inde dictū eſſe in ſimilitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati eſt, quiſquis negat, & carnem Chriſti ita comparat, vt aſſerat vtramque eſſe puritatis æqualis deteſtandus Hæreticus inuenitur.* Animaduerte intra terminos carnis verſari, nec tranſire ad animam; & ſemper ponere peccatum in carne ſine vlla mentione animæ præciſo tranſitu ad illam. Serm. 48. de verb. Domini cap. 5. *Vides in Domino carnem mortalem: non eſt caro peccati, ſed ſimilitudo carnis peccati. Vera caro mortalis, ſed non peccati caro, miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, non tamen in carnem peccati. Propter quid? vt de peccato damnaret peccatum, quod certè nullum in ſe erat, damnaret peccatum in carne.* Disertè ponit peccatum in carne, ex parte carnis, & dicit peccatum, & à Chriſto excludit omne genus peccati exprimēs *nullum peccatum* quaſi plus ſit quam vnum peccatum in anima. Serm. de Verb. Domini, x. in fine. *Naſcimur in carne peccati, quam ſola ſanat ſimilitudo carnis peccati. Inde venit, ſed ſic non venit: non enim Virgo libidine, ſed fide concepit.* Affert cauſam excludendi peccatum à carne Chriſti, eamque aſſignat Conceptioni ſine concubitu, & libidine, & huic aſſignat peccatum, ſanè materiale peccati, quod eſt in carne, non autem formale quod eſt in anima. De hoc nulla vſquam mentio. Concinit, Serm. 8. de Verb. Apoſt. *Nouimus hominem Chriſtum Ieſum, in quantum homo erat eius eſſe naturæ, cuius & nos ſumus. Non enim alterius naturæ caro mea, & caro illius: nec alterius naturæ anima noſtra, & anima illius. Hanc ſuſcepit naturam, quam ſaluandam eſſe iudicauit. Nihil minus habebat in natura, ſed nihil habebat in culpa, natura pura, ſed non ſola humana.* Puram aperte dicit animam ante carnem, ergo caro erat capax culpę, hāc remouet à Chriſto, non à Virgine. Iterum ſerm. 86. de temp. *Natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Numquid vis tu de Adam & Eua? Nos per concupiſcentiam carnis: ille autem non per ipſam. Virgo ergo Maria non concubuit, & concepit, ſed credidit, & concepit. Natus eſt mortalis mortalibus. Quare mortalis, quia in ſimilitudine carnis peccati, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati. Quid habet caro peccati? mortem, & peccatū. Quid habuit ſimilitudo carnis peccati? mortem ſine peccato. Si haberet peccatum caro eſſet peccati, ſi mortem non haberet, non eſſet ſimilitudo carnis peccati.* Sequitur, *Et haberet peccatum carnis ex concubitu conceptæ, non autem carnis Chriſti conceptæ ſine concubitu ex Virgine.* Iſtud ly *Chriſti* proprium eſt, & genuinum argumentum, loqui Auguſtinum de reatu, & debito peccati, quod ſumitur ex carne accepta per ordinariam generationem, non autem de peccato ex parte animæ, quod neceſſe erat ad maculandam Virginis Conceptionem, de quo cum Auguſtinus nullam faciat mentionem, de ſolo reatu,

reatu, & debito eſt intelligendus.

Obiicies tamen ſatis eſſe ad intelligendum peccatum formale in anima, illa perpetua mentio peccati in carne, quia ambo ſunt coniuncta, & peccatũ carnis inuoluit alterum. Ac proinde retorqueri omnia hæc teſtimonia Auguſtini contra noſtram ſententiam, nam ſolus Chriſtus, qui non habuit peccatum carnis caruit peccato animę: B. vero Virgo cum habuerit peccatum carnis, habuit etiam peccatum animæ. Cui obiectioni ita reſpondetur. Ita fore de lege ordinaria, & in aliis poſteris Adæ ita fuiſſe, ſed hoc importat debitum, non autem actualem maculam, vnde S. Auguſtinus ſtetit intra debitum, non autem tranſiuit ad maculam animę perſonalem. Quod autem ita ſit intelligendus, patet ex alio celebri loco, quem ſuperius attulimus ex lib. de nat. & grat. vbi declarauit mentem ſuam. Cum de peccatis agitur mentem ſuam non eſſe comprehendere B. Mariam Virginem propter honorem Domini, quo in loco agebat contra Pelagianos negantes peccatum originale, & vbi maxime videbatur conuenire affirmare, quod B. Virgo etiam illud incurreret ad confirmandam magis veritatem illius; A quo tamen abſtinuit Auguſtinus excipiendo Virginem pro reuerentia in Matrem Domini. Quod ſi opponas ibi loqui de peccato veniali, ſpecialiter: occurro ita loqui de veniali, vt etiam ſuam mentẽ extenderet ab originale, quo cum ita connexum eſt veniale, vt ſeparari in omnibus aliis Adæ poſteris non poſſit, vti Auguſtinus dixit lib. 5. contra Iul. affirmans: qui caret originali, carere etiam veniali, poſito exemplo de Chriſto, quare cum B. Virgo caruerit peccato veniali in ſententia Auguſtini caruit etiam peccato originali, ſicuti Chriſtus; cum eo tantùm diſcrimine, quod Chriſtus hoc habuit ex ſua intrinſeca sãctitate, cũ Beata Virgo Maria hoc habuerit ex priuilegio gratiæ; ſiue vt conuenientiùs dicam, Chriſtus peccare nec potuit, nec debuit, quia erat incapax peccati: at verò B. Virgo potuit, ac debuit, quia erat capax, & obnoxia peccato, & peccaret niſi à peccato per priuilegium liberaretur. Ac ne quis ſcrupulus remaneat, quamuis Auguſtinus eo in loco de nat. & grat. ſpecialiter ageret de peccato veniali negans eam illud commiſiſſe extendit mentem, & phraſim ſuam ad peccatũ originale vtendo numero plurali, *Cùm de peccatis agitur*, quaſi vellet omne peccatum, & originale, & actuale à B. Virgine remouere.

Aſſerto Auguſtino mihi prorſus ſatisfacio, tanti ille apud me eſt, vt nihil vlterius deſiderem. Verùm vt aliis ſatisfaciam, volo vindicare Ambroſium: cuius verba quod ſint vacua ſenſus oppoſiti omiſi videre in fonte; nihil ab eo timendum; ſua per me ſit integra Caietano fides. Annuo, ſed quid inde ſequatur non video, locus enim potius continet contrariam, quæ noſtra eſt, expoſitionem. Sic enim ſuper Pſal. *Beati Immaculati. Venit*, inquit, *Dominus Ieſus, &c. in carne, quæ peccato in Matre fuerat obnoxia militiam virtutis exercuit*. In primis de carne loquitur ad noſtrum ſenſum, non de anima ad oppoſitum, deinde ponit *peccato obnoxiam*: qua voce ſignificatur debitum incurrendi peccatum, non autem actualis macula peccati, nec peccatum contractum, ſed reatus, & debitum ad illud. Manet ergo extra maculam perſonalem B. Virgo, ac intra debitum, quod nos adſtruimus. Progredior ad Chryſoſtomum, ſuper Matthæum, & ex Caiet ano accipio

Digitized by Google

cipio illud dictum. *Quamuis Chriſtus non eſſet peccator naturam tamen humanam de peccatrice ſuſcepit*. Non cogit auctoritas, peccatrix enim natura dicitur ob debitum habitualiter contractum, qua ratione refertur ad Chriſtum nullo modo peccatorem, nec actu, nec debito excluſa carne peccatrice, quam nomine naturæ Chryſoſtomus ſignificauit. Itaque à Chriſto remouetur omnis ratio peccati, & in actu, & reatu, itaut nullo modo peccator ſit, at in Virgine manet vnus modus peccati per debitum contractum, non per maculam perſonalem acceptam. Ac vt me expediam vnicam alijs reſponſionem adhibeo repetendo verba D. Thomæ in locò 1.2.q.81.art.3. ad ſecundum de non morituris ijs qui ſuperſtites erunt in die Iudicii, *Dicendũ quod & ſi non moriantur actu, eſt tamẽ in eis reatus mortis*. Et transferendo ad B. Virginem hoc modo *Dicendum quòd, & ſi non mortua actu per culpam, eſt tamen in ea reatus mortis* adhibendo gloſsam Caietani in eo tractatu de Conceptione Mariæ cap.3. prope finẽ, *Ex quo habetur; quod cum Apoſtolus duo ſimul dicat, ſcilicet quod in omnes peruenit peccatum, & mors, ſicut ſecundum, ſcilicet mors, ſufficienter ſaluatur exponendo mortem, vel in actu, vel in debito in propria perſona, ita & primum, ſcilicet peccatum ſaluatur exponendo peccatum in actu, vel in debito in propria perſona*. Quæ ſolutio Caietani idonea eſt, & totam ſoluit difficultatem. Reſpondeat ſibi Caietanus, ſibique ſatisfaciat. Hæc omnino debet applicari ſententiis, ſi quæ ſunt Sanctorũ dicentium Virginem conceptam fuiſſe in peccato originali, qualis exiſtimatur Bernardus, qui duriùs locutus eſt: quem propterea magnus Theologus Gabriel Vaſques tom.2. in 3.p. diſp.117. c.9. quo cum ego aliquando ſenſi, fatetur oppoſitam ſententiam tradidiſſe. Nam lecta intenſiſſimè epiſtola Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes inuenio fundamentum probabile eum negaſſe Immaculatam Conceptionem ſumptam in eo ſenſu, quem primo poſuit, & reprobat Caietanus, de total. conceptione; & in reatu, & in actu, in quo nos etiam cum torrente Theologorum negamus Immaculatam fuiſſe, quia ſentimus contraxiſſe debitum, & accepiſſe carnem ei obnoxiam, eoque infectam ante animationem. Et quidem ita Bernardum accipiendum eſſe ex verbis eius Epiſtolæ conſideranti, & expendenti ſingula apparebit, quare Bernardus in eodem, quo D. Thomas ſenſu affirmat B. Virginem peccatum originale contraxiſſe; cum inficiatur Immaculatam. Verſabatur quippe illi ob oculos reatus, & debitum peccati ante infuſionem animæ, & reprehendebat eos, qui dicebant B. Virginem fuiſſe prorſus immunem à debito vniuerſali, & à macula perſonali, nolebatque vt feſtum de conceptione Virginis in hoc ſenſu ab vlla Eccleſia celebraretur. Itaque minime ſeparabat duos illos ſtatus debiti generalis, & maculæ perſonalis inuoluendo vtrumque, qua ratione non negabat immunitatem à macula perſonali. Hanc eſſe mentem S. Bernardi nunc affirmo, ac memini quondam cum Adoleſcens Conimbricæ eſſem, & in illa clariſſima Academia Theologiæ operam darem, & cum Vaſquio hac in re ſentirem, expoſtulare ſæpè mecum Patres Collegij S. Bernardi (quod nobile in ea Ciuitate eſt) Viros graues, & doctos de mea circa Bernardi ſententiam, vt aiebant, ſiniſtra opinione, meque à ſententia demouere, aſſeuerando Sanctum Bernardum nunquam negaſſe Immacu-

latam

latam Virginis Conceptionem in ipſo puncto animationis, excludendo ſolum maculam perſonalem, ſed ſolùm negaſſe Immaculatam in ſenſu, qui comprehendebat immunitatem à debito, & reatu contracto vniuerſaliter. Idque mihi multis, & magnis argumentis perſuadere fratrem Aloyſium Sadium inſignem eius Ordinis Doctorem, poſteà Primarium Theologiæ Lectorem, ac denique eiuſdem Vniuerſitatis Prorectorem. Fateor me tunc minus eis aſſentiri; & diu in contraria ſententia perduraui, nunc tamen conſilium in melius referendo profiteor me cum ijs ſentire, qui Bernardũ à ſententia de maculata Virg. in inſtanti infuſionis animæ Cõceptione liberant, aſſeruntque eumdem minime negaſſe à præſenti macula immunitatem. Itaque & D. Thomam, & Bernardum in eadem naui eſſe, ac omnino ſentire B. Virginem Mariam macula peccati originalis perſonali caruiſſe; debitum vero & reatum contraxiſſe, certus, & conſtans aſſeuero.

SECTIO VIII.

Patres, & Theologos Clariſſimi Ordinis Prædicatorum, maximam partem fauere piæ ſententiæ de Immaculata V*irginis Conceptione.*

ILluſtrem faciamus aditum propoſito Patriarcha S. Dominico. Is primus auctor fuit doctrinæ de Immaculata Conceptione in libro, quem ſcripſit contra Hæreticos Albigenſes hoſtes Immaculatæ puritatis B. Virginis Mariæ, in quo declarat immunem fuiſſe à macula originali; liber autem inſcribitur de Corpore Chriſti, vbi inter alia ſic. *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in ſecundo Adam fieri, ſcilicet Chriſto, cuius terra, ideſt Mater Virgo, numquam fuit maledicta.* Ita confirmant Caniſius li. 1. de Deipara c. 7. Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 7. Cucarus in Elucidario, Ægidius Luſitanus lib. 3. q. 4. art. 1. Salazar de Concept. c. 42. Pineda ſerm. de Concept. §. 7. Imo traditio eſt librũ illum ab Hæreticis Albigenſibus impugnantibus Euchariſtiam, & Virginis puritatem in ignẽ fuiſſe cõiectum, ſed inde illæſum prodiiſse: quod miraculum refert Vincentius Beluacenſis in ſuo Hiſtoriali lib. 29. cap. 96. & Sanctus Antoninus 3 p. tit. 19. c. 1. & Petrus Equilinus lib. 7. Catal. Sanct. cap 22. & Lippomanus de Vit. Sanct p. 2. & Ferdinandus del Caſtillo inſignis Hiſtoricus Dominicanus lib. 1. c. 8. Sententiam verò à nobis initio adductam referunt Bernardinus de Buſt. in Offic. Concep. & Clictonæus tract. de Concept. & Cucarus in Elucidario. Quare de ſententia S. Dominici minime eſt ambigendum.

Demus ei Socios Nobiliſſimos, & Filios eruditiſſimos, qui Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, quo munere nihil eſt in Scholaſtico ordine illuſtrius, extiterunt Albertus Magnus, Arnoldus de Bello viſu, Sanctus Vincentius Ferrer. Sancius Porta, Matthæus de Ferrario, Thomas Spina, Ægidius Foſcararius, Thomas Manrique, Bartholomeus de Mirãda, Reginaldus Lucarinus, quos auctores eſſe ſententiæ de Immaculata Virginis Conceptione certa fide conſtat: quorum vnus Sancius Porta Hiſpanus magnæ litteraturæ Vir, Magiſter Sacri Palatij creatus fuit ob egregiam Concionem coram Pontifice habitam de Beata Virgine Immaculata concepta, vti ſcribit Marcus Antonius Palau Decanus.

nus Eccleſiæ Cathedralis Oriolanę in defenſione Dominicana c. 4.

Hos Duces ſequuntur alij Scriptores magni nominis Petrus à Tarantaſia, qui poſtea fuit Innocentius Papa V. & affertur eius locus lib. 3. ſentent. diſt. 3. S. Raymundus in Natiu. de Concept. Holchot in 3. diſt. 3. & in librum Sapientiæ cap. 7. Heruæus Natalis in c. 5. ad Corint. epiſt. 2. vbi ſic ait. *Omnes mortui ſunt dempta matre Dei ſiue originalibus, ſiue voluntate additis*. Viguerius Inſtitut. c. 18. §. 5. verſ. 2. *Ipſa*, inquit, *B. Virgo ſola ſpeciali gratia præuenta fuit, & præſeruata à peccato originali*. Ioannes Serol. tract. de Concept. apud Peruzzinum.

Inſignis eſt auctoritas Ludouici Beltrami, de quo Vincentius Iuſtinianus ſcribit in editionibus ad vitam eiuſdẽ, & in tract. de Immacul. Concept. fuiſſe auctorem, & quidem conſtantem Immaculatæ Conceptionis. Eandem tradit Thaulerus ſerm. de Purif. in quo ait, *Virginem hunc habuiſſe decorem, quod culpæ originalis perpetuo expers fuit*, eidem adhæſit Hugo Cardinalis in Pſalm. 45. & in c. 1. Lucæ. Sequitur Paludanus enarrat. 2. de Aſſumpt. B. Virginis, necnon Iacobus de Voragine Epiſcopus Genuenſis ſerm. 3. de Aſſumpt. *Maria*, inquit, *fuit ſine macula per immunitatem omnis peccati*, & rurſum perſpicuè. *Non habuit admixtionem originalis*. In eadem ſententia ſunt Monaldus Archiepiſcopus Beneuenti, Felix poſtea Martyr, in ſerm. de Concep. Leonardus de Vtino in ſerm. de Concept. Virginis, Ioannes Bromiardus in ſumma Prædicantium verbo *Maria* nu. 10. Vincentius Iuſtinianus in tract. de Immacul. Concept. & in Addit. ad vitã F. Ludouici Beltrami, Ambroſius Catharinus Archiep. Compſanus acerrimus eſt defenſor Immaculatæ Conceptionis tract. de eadẽ, & opuſculo de peccato originali, & cap. 3. in Gen. Guillielmus Pipin. ſerm. de Concept. & iterum ſerm. de Imitat. Sanct.

Celeberrimus Scriptor Vincentius Beluacenſis in ſuo ſpeculo morali lib. 3. & 4. permittit ſententiam de immunitate à peccato originali, & in ſpeculo hiſtoriali refert, & probat dictum S. Idelfonſi liberantis Virginem à macula originali. S. Vincentius Ferrer. ſer. de Concept. 3. p. tom 7. & ſerm. 1. & 2. de Natiuit. Virg. vbi ſic. *Non credatis quod fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur*. Et rurſum. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia ſine tenebris culpæ facta eſt*. Franciſcus Creſpi ex Dominicano Epiſcopus Vicenſis in Epiſtola data ad Regem Hiſpaniarum Immaculatam affirmat Virginis Conceptionem, in eadem ſententia eſt Bordes Prior Cœnobii Marſiani eamque veritatem ſæpe in Concionibus prædicauit. Iacobus Hauſtratus Profeſſor Louanienſis lib. 3. moral. c. vltimo defenſorem ſe Immaculatæ Virginis Conceptionis profitetur. Aſſentitur Hugo de Prato ſerm. 2. de zizàn.

Commemorandus eximius Theologus Dominicus Soto, qui cap. 5. ad Rom. ait, *Si qui non poſſunt ſibi perſuadere B. Virginem exceptam eſſe ab illa regula omnes in Adam peccauerunt ſentiat apud ſe nec audeant apud talem proparare ſententiam*. Alphonſus Giron Concione 2. de Concept. Immaculatæ Conceptioni Virginis ſuffragatur. Ioannes de Viterbio in lib. de hac materia, in quo item probat Immaculatam opinionem propriam eſſe Dominicanorum. Balthaſar Sarronius in ſuo Mariali impreſſo Derthruſæ in Cathalonia. Hieronymus Almonacirius

Com-

Digitized by Google

Comment. in Cant. p. 1. cap. 8. edito Compluti. Claudius de Rota in opere de legendis Sanct. ſerm. 185. Reginaldus Lucarinus in Manuali Thomiſticarum Controuerſiarũm concl. 24. Ad calcem reſeruaui tres nobiliſſimos huius Ordinis Theologos inſignes defenſores huius Immaculati myſterii, quos ego tres fortes huius exercitus appellem. Principes inter alios ob eximiam doctrinam, & eruditionem: ij vero ſunt Seraphinus Copponi à Porrecta, Ioannes à S. Thoma, Reginaldus Lucarinus in manuali concl. 24. & 25.

Adiicio nunc alios citatos ab aliis, quos laudo. Abrahamus Bzouius, Balthaſar Arias, & P. Præſentatus Stephanus Mendes apud Pinedam in Aduertentiis fol. 12. Ioannes Penna Profeſſor Primarius Salmanticenſis, Mancius ibidem Præclarus Lector apud Henriquez lib. 1. de Confirm. c. xi. §. 6. Carbonellus Epiſcopus Adiutor Epiſcopi Valentini apud Vincentiũ Iuſtinianum. Franciſcus de Retza, Marcus Pilgrinus, Ioannes Nider, Iacobus de Norimberga apud Ioannem Ludouicum Schonleben in ſuo lib. Orbis Vniuerſi Votorum; Ioannes Andreas Campeſtin de Annunc. B. Mariæ p. 5. Verſ. *Ne timeas*, & de Aſſumpt. Rayner. in Panteologia lib. 2. pag. 109. Rodulphus Chitius ſer. de Concept. Ioan. Lopez Epiſcop. Menopolit. Ioannes Sterol. Ægydius Foſcararius, Ludouicus Granatenſ. Franciſcus Forerius apud Andream de Peruzzinis in Analyſi Conceptionis.

Horum quos inuenire potui, & aliorum, quos non vacat inquirere, ſi numerum ineamus, comperiemus, nec pauciores, nec minus illuſtres, vt modeſtiùs dicam, quàm alios, qui aduerſam tuentur ſententiam. In hanc rem optimè Silueſter Saauedra in ſua Sacra Deipara diſput. 17. ſeſs. 3. confirmat inſignem familiam Dominicanam de Immaculata Conceptione tenere ſententiam: quique iis contrariam attribuunt eos inſignem illi irrogare iniuriam. Ioannes de Viterbio, & ipſe de Ordine Prædicatorum librum edidit, in quo latè oſtendit doctrinam ſui Ordinis eſſe B. Virginem nunquam fuiſſe maculatam originali peccato; idem affirmat Epiſcopus Vicenſis Dominicanus, Franciſcus Creſpi in Epiſtol. ſcripta ad Philippum Quartum Hiſpaniarum Regem. Conſentit alius Frãciſcus Creſpius Benedictinus Salmanticenſis Profeſſor Theologiæ, & Montis Sacri Abbas in ſuo Tribunali Thomiſtico diſp. 5. per totam affirmãs Illuſtriſſimam Familiam S. Dominici Immaculatæ Conceptionis candori teſtimonium dare. Eiuſdem ſententiæ eſt Ioannes Ferrandus Gallus Societ. Ieſu in ſuis Vindic. pro primæua, & germana Ordinis Prædicatorum ſententia pro Immaculata Conceptione. Sebaſtianus Nouaes Societatis Ieſu Theologus in ſuo lib. *Inter Spinas* ait, in Clariſſimo Ordinis Prædicatorum Cœtu tot vixiſſe propugnatores Virginei conceptus immaculati vt ipſe admiretur, imo deteſtetur nimis acerbam eorum cenſuram, qui gentem hanc religioſiſſimam inſectãtur, quaſi de hoc myſterio minus rectè ſẽtiant. Ioannes Serranus Epiſcopus Acernenſis in opere de Concept. lib. 2. c. 30. apertè fatetur tot Viros ſcientia claros, dignitate clariores, & ſanctitate clariſſimos ex Sacro Prædicatorum Ordine ab ipſo inſtituti huius exordio Deiparam Sanctiſſimam ab originali fuiſſe peccato præſeruatam tenuiſſe, vt ſaniorem, ac meliorem illius Ordinis partem pro Immaculata

Conceptione ſenſiſſe aſſeuerare poſſimus. Pater Euſebius Nierembergus in Epiſt. dedicat. ſuæ Theoriæ ſcribit ſe Dominicani Ordinis deuotioné erga Immaculatam Conceptionem ſuſpicere in eius doctorum priſcis, & neotericis monumentis, & dolere ab aliquibus hanc illius gloriam obſcurari, eoque iniuriam Sacræ Religioni fieri; miraturque ob paucorum contentionem, & imprudentiam imputari *imputationem pedum*, ſic ait, *nobiliſſimo corpori*. Armamentarium Serafi-cum titulo Immacul. Concept. art. 5. n. 12. prædicat plurimos, & doctiſſimos Sacri ordinis Prædicatorum Profeſſores in opinione Immaculatæ Conceptionis aſſerenda non ſolùm nomina libentiſſimè dare, verum etiam principatum ducere. Et quidem Pontius noſter in ſuo floridiſſimo Roſario in 16. ſeculo animaduertit Romæ oblatum fuiſſe ſcriptum quoddam in quo erant relati 48. celebres Scriptores Dominicani pro ſententia Immaculatę Conceptionis, adductis ipſorum nominibus, & verbis. Merito igitur Vincentius Iuſtinianus Antiſtius eruditiſſimus Dominicanus in additionibus ad vitam B. Ludouici Beltrandi §. 17. & 18. inuehitur in illos, qui ſacrum ſuum Prædicatorum Ordinem tamquam de Conceptione Immaculata B. Virginis minus meritum falſi criminantur. Qua de re aſſerendo propenſionem huius Ordinis Clariſſimi ad doctrinam piam de Immac. Concept. ſcripſit integrum, & eruditum librum Antonius Calderon. ſatis cognitus ex ſuo libro pro titulô Immacul. Concep. Extant, vt mihi compertum eſt, duo inſignia manuſcripta pro defenſione PP. Prædicatorum P. Hippolyti Marracij, & Simonis Santagathæ pleni, ac referti eruditione, quæ ſatis eſt ad hoc argumentum magnopere confirmandum. Verſatur item in hac materia feliciter Ludouicus Schonleben qui initio lib. 3. de Immacul. Concept. ſic ait. *Fateor me longo tempore in ea fuiſſe opinione, aut potius errore: quòd opinio, quæ aſſerit Deiparam cum peccato originali conceptam, ſit totius Ordinis Prædicatorum, ſit opinio Thomiſtarum, ſit S. Thomæ: vbi tamen plura de hac materia peruolui volumina, & penſiculatiùs expendi, adeundo fontes S. Doctoris ſcripta; ſequacium lucubrationes, debui conuictus argumentorũ multitudine, errorem meum agnoſcere, & concludere, quod neque S. Thomas Doctor Angelicus, neque eius Schola, quam vocamus Thomiſtarum, neque ipſe etiam* Ordo PP. Prędicatorum *contrarius ſit piæ opinionis, ſed potius egregiè adſtruxerit, & adhuc adſtruat Immaculatam Virginis Conceptionem paſſiuam. Nam licet aliqui zelo quopiam indiſcreto moti, aut malæ ſuppoſitioni innixi, magnis conatibus contrariam opinionem propugnare aggreſſi ſint, ij tamen, & pauci, & ferrè de plebe fuerunt, vti Bandellus, Spina, Barleta, &c. quorum Bandellus, licet Ordinis fuerit Generalis in ſcriptis tamen ſe prodidit, & minus eo munere dignum, & locutuleium potius, quàm virum ſapientem.* Calculum addit Illuſtriſſimus Epiſcopus Placentinus, tum Orioleníis Ludouicus Creſpus à Borgia in ſuo propugnaculo art. 6. ſubart. vltimo nu. 323. Refutans Arpalegum de multitudine ſcriptorum ex Prædicatorum Ordine gloriantem *Ex familia*, inquit, *Prædicatorum habemus tres ſanctos, & totum Capitulum Prouinciale, quinque Magiſtros Generales, duodecim Magiſtros Sacri Palatij*. Capitulum iſtud Prouinciale exhibet P. Pontius ſuperius laudatus in

ſuo

ſuo Roſario. Suffragatur Antonius Calderon pro titulo Immac. Concept. cap. 5. n. 258. *Ego, inquit, ex doctiſſimis huius Ordinis, qui noſtro ſæculo viuunt vix excipiam aliquem ex PP. Dominicanis, quia video præſtantiores iam à multis annis pro Immacul. Concept. nobiſcum militare. Sanè in vniuerſa Gallia ab antiquis temporibus omnes Immaculatam celebrant. In Hiſpania frequentiſſima fuit ea ſolemnitas.* Rurſum hic adhibeo doctiſſimi Ioannis Ludouici teſtimonium.

Plurimi ſunt ſapientes Viri eiuſdem Familiæ, Profeſſores Theologi, Magiſtri Generales Ordinis, Regum, & Principum Confeſſarij, Beati, & Sancti, qui fortiter pro immunitate Virginis ab originali decretarunt: vt proinde meritò aſſeuerare poſſim, Ordinem Prædicatorum inter primos Mariæ ſine macula conceptæ addictos Ordines numerandum eſſe. Accedat calculus doctiſſimi Viri P. Euſebij Nierimbergi Soc. Ieſu in ſuo opuſculo in præfatione ad Theoriam. *Vt iam dixi, & libenter repeto & præcipua pars, imo corpus huius familiæ addictiſſimum eſt deuotioni Immaculatæ Conceptionis Matris Dei, cum excedat numerus ſcriptorum, qui eam defendunt, plurimas alias Religioſas familias, &c.* Et poſt pauca. *Præter ſcriptores fuerunt multi, & hodie ſunt, qui in Concluſionibus eam prædicant, alij ſunt qui in corde ſuo eam venerantur, quamuis minus id exterius demonſtrent: Aliqui metu iuſto, alij tamen iniuſta fortè contentione.* Hinc apparet verum dicere Vincentium Iuſtinianum Antiſtium in editionibus ad vitam B. *B*eltrandi §. 18. de Religioſis ſui Ordinis. *Viros inſignes, & in paucis doctos, & numero complures nullam vim ſcripturæ inferendo, neque Doctorum auctoritates fingendo, nec deniquè miracula admittendo mirabili ratione declaraſſe, quomodo Virgo Sanctiſſima eſſe potuit, & fuit ab originali peccato præſeruata.*

SECTIO IX.

Ex Decretis, Diuinis Officijs, Confraternitatibus, Breuiarijs Clariſſimi Ordinis Prædicatorum Immaculatæ Conceptionis Veritas comprobatur.

INitium eſto Manuale Ordinis Prædicatorum impreſſum Hiſpali anno 1524. cui inſertum eſt Decretum Capituli Prouincialis factũ in Bætica Præſide Vicario Generali, quod eſt huiuſmodi. *Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt ſemper Sanctorum Doctrinæ adhærere; ſuſtinuit hucuſque opinionem; quod B. Virgo fuit concepta in originali: ſed iam de hoc non eſt curandum, cum ſit materia nullius vtilitatis, & valde ſcandaloſa; præſertim cum tota ferè Eccleſia (cuius vſus, & auctoritas ſecundum B. Thomam 2. 2. q. 10. art. 12. & 3. p. qu. 68. art. 10. præualet dictis Hieronymi, & cuiuſcumque alterius Doctoris) iam aſſerat, quòd fuit præſeruata. Nec mirum quia tempore Auguſtini tanta quæſtio erat de Aſſumptione Beatiſſimæ Virginis; vnde dicit. Homo non fingat mendaciter apertum, quod Deus manere voluit occultum; & tamen iam vniuerſaliter tenet Eccleſia, quod ſit aſſumpta in corpore, & anima, & oppoſitum nullus auderet iam opinari.* Meminerunt huius decreti VVadingus legat. ſect. 2. orat. 3. §. 1. Marcus Ant. Palaus in def. Domi. c. vlt. Pontius in Roſario ſeculo 16. Granadus de Concept. diſput. 3. c. 14. Oieda in ſua informat. fol. 33. Lezana in Apolo. c. 2. Pineda in Aduert.

ad Priuileg. Regis Aragon. Ægidius à Præſentat. lib. 3 de Concept. q. 6. art. 3. Magiſter Sobrinus tract. de Concept. Ludouicus Creſpus à Borgia in Propugnaculo art. 6. ſub art. 1. num. 287. Schonleben c. 1. §. 1.

Eſt aliud ſtatutum, ſiue decretum ſub Patre Reuerendiſs. Generali Hieronymo Xauiero editum anno 1602. huius tenoris. *Strictè prohibemus, ne quis audeat in publico prædicare, vel docere: quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali propter ſcandalum fidelium.* Producunt exemplar huius decreti Lucas VVadingo Legat. ſect. 2. tract. 2. orat. 1. Hormachea in Cant. in prolog 3. Serranus lib. 2. c. 30 Schonleben lib. 3. c. 1. §. 1.

Eſt aliud, quod palmariũ dici poteſt publicatum in Hiſpania an. 1653. factũ in Capitulo Beneuentano eius Ordinis, quod quia multa continet pietatis ſigna erga myſterium Conceptionis Immaculatæ: operæpretium duco integrum hic repræſentare. *Tandem præcipimus, in virtute Spir. Sancti, & S. Obedientiæ, & ſub præcepto formali omnibus, & ſingulis noſtræ Prouinciæ fratribus, & ſororibus, ne verbo, aut ſcripto circa materiam Conceptionis B. Virg. Mariæ apud perſonas extra Ordinem conſtitutas aliquid proferant, quod vel leuiſſime earum pietatem, ac deuotionem erga Virg. Sanctiſs. impedire poſſit, aut turbare, ſed ad vnguẽ Decreta Summorũ Pontificum in ſiletio ſeruãdo etiam à nõ probibitis circa noſtræ ſentẽtiæ probabilitatẽ penitus abſtineãt, ne ex inordinata, aut minus prudẽti locutione ſumatur occaſio turbationis, & ſcandali: ſed potius ex religioſo ſilentio, ex verborum, & actionum modeſtia, reuerentia Religionis, ac fidelium ædificatio, & deuotio conſequatur. Quod ſi quis huius præcepti violator extiterit pænæ grauioris culpæ etiam quo ad pænas priuatas, & infamiam ſubiaceat: & ſimili pæna plectatur quicumque huius legis fractionem cognouerit, & ſtatim non renunciauerit R. P. noſtro Prouinciali.*

Vt verò Religio adiuuet, & ſuſtentet ex ſua parte deuotionem, & pietatem fidelium in Sancto myſterio, præcipitur omnibus Prælatis vt in noſtris Conuẽtibus, vbi Communitates, Congregationes, Confraternitates Iuramentum facere voluerint, illis ſint auxilio & aſſiſtant cum omni promptitudine (admonendo prius de hoc Prouincialem,) & ſeruiant cum apparamentis, ſuppellectile ſacra, & omni diligentia in omnibus, quæ ad prædicta feſta fuerint neceſſaria.

Et Cathedra ſit libera pro Concionatoribus Religionum, quos cupient vt concionentur illi qui celebrant dicta Iuramenta, & in hac confirmatione notum ſit, quod intra paucos dies inſtituetur iuramentum à Ciuitate Placentina in noſtro Conuentu S. Vincentij, et concionabitur quidam Curatus illius Sanctæ Eccleſiæ.

Vt aſſiſtant inuitati noſtri Religioſi, & communitates concionibus, & feſtis huius myſterij, & Proceſſionibus, & alijs actionibus publicis, & in omnibus occaſionibus laudetur, glorificetur, & ſuſtentetur prædicta deuotio.

Et præter alias inſtantias, quas hæc Prouincia ſæpius fecit Romæ, & facit cum noſtro Generali, vt ſollicitet diffinitionem huius puncti ſcribantur litteræ ex nunc Summo Pontifici in nomine huius Capituli, & Prouinciæ Hiſpaniæ (quæ in litteris, & authoritate primum obtinet locum in tota Religione) rogando cum omni ſubmiſſione, & efficacia, vt dignetur definire hoc punctum, quid nam agendum nobis ſit, vt omni ex parte ceſſent turbationes, quæ oriun-

oriuntur ex diuerſis opinionibus. Excuſſit mihi hæc pietas lacrymas? Egregios Patres. Quibus Cœlo vos laudibus æquem?

Tranſeo ad Officia. Olim ab Ordinis initio ſub titulo Conceptionis cum cætera Eccleſia Dominicanus Ordo Feſtum celebrabat, quemadmodum infra dicemus. Interceſſit quoddam Officium nomine Sanctificationis à Bandello intruſum, quod non tenuit. Poſt biennium quippe, receptum eſt, ac celebratum mirabile aliud officiũ, ſiue Horæ in Ordine Dominicano.

Titulus eſt hic: *Horæ B. Mariæ Virg. ad vſum Fratrum Prædicatorum Ordinis S. Dominici: figuris vtriuſq; Teſtamenti, ac peruenuſtis imaginibus, & ijs quidem non paucis paſſim decoratæ, atque Officio Conceptionis Immaculatæ Virg. & Officio S. Dominici in alijs horarijs hactenus impreſſis nequaquam inſertis, adauctæ. Venundantur Pariſijs in ędibus Viduæ ſpectabilis Viri Thielmannij Kerver, in vico D. Iacobi ſub ſigno Vnicornis. Vbi & impreſſæ Anno M.D.XXIX.*

Ex Matutino Hymnus.

Benedicta Conceptio Virginis Matris Mariæ: feſtinetur cum gaudio: adſit dies lætitiæ: lætetur tota Regio ſeruiens Regi gloriæ; non obſtante obiurgio detrahentis inuidiæ.

℣. *In conſpectu Altiſſimi Immaculata permanſiſti.*

℟. *Dei Genitrix intercede pro nobis.*

Oremus.

Deus, qui pro ſalute humani generis carnem glorioſæ Virginis Mariæ aſſumere dignatus es, & ipſam ſine macula concipiendam ante ſæcula in matrem præelegiſti; concede propitius; vt qui de eius conceptione, quę fuit noſtrę Redemptionis, necnon temporum plenitudinis exordium, lætamur; eius pijs interceſſionibus ab inſtantibus periculis, & à morte perpetua pręſeruemur. Qui viuis, &c.

Ad tertiam Hymnus.

Conceptio laudabilis ab Angelo nuntiata Mariæ tam amabilis in conceptu præſeruata, Eſt vnde venerabilis Eccleſia illuſtrata, & in ſuis miraculis, & laudibus honorata.

Ad Sextam Hymnus.

Aue Regina Cælorum inter omnes meritiſſima,
Aue decus Angelorum inter omnes pulcherrima,
Simul, & Archangelorum omni laude digniſſima,
Quæ concepta vitiorum ſine labe puriſſima.

Ad Nonam Hymnus.

Vnum Corpus, & viſcera, quę Dominum portauerunt.
Virginalia Vbera, quæ ipſummet lactauerunt,
Beata ſint, & opera tua, & qui crediderunt
Quòd ſine labe Concepta, poſt & ante remanſerunt.

Ad Veſperas Hymnus.

Salue Mater Saluatoris, quæ es ſoror inſignita,
Salue, quę Deum paris, Angelorum ſpes, & vita.
Salue Virgo ſingularis, verè Sacra Margarita.
Salue, quæ Stella Maris, & ſine labe Concepta.

Ad Completorium Hymnus.

Matris Dei Conceptio, & noſtrę Redemptionis
Potiſſima inceptio, atq; reparationis:
Et non mirum exemptio antiquæ contagionis.
Fuit et in principio ipſius creationis
Perpetua ſaluatio.

Ob-

Obſeruandũ autem diligenter eſt ad ſingulas Horas repeti verſus, & orationem,vt habeãt repetita fidem,eamque maiorem faciant geminata. Certè nihil à noſtris Fratribus Franciſcanis quidquã illuſtrius, & manifeſtius pro Immaculata B. Virginis Conceptione potuit proficiſci. Ac ne quis dubitet,ſeruatur exemplum huiuſmodi officij,& Horarum Madriti in noſtro Cęnobio S. Franciſci, & exſcriptum extat in Armamentario, & oculatum teſtem illius ſe probat piiſſimus, & doctiſſimus P. Euſebius Nierembergius noſter quondam, & amicus, & collega, in Vniuerſitate Collegii Imperialis Societatis Ieſu, qui teſtatur illud à ſe viſum,& recognitum fuiſſe in Except. cap. 23. Adducit eas pius, & eruditus auctor Schonleben in ſuo Orbe votorum lib. 5. c. 2. §. 2.

Illuſtre aliud teſtimonium, & publicum eſto Martyrologium Ordinis PP. Prædicatorum conditum an. 33. poſt obitum D. Dominici, ideſt anno Chriſti 1244. in quo octaua die Decembris Feſtum Conceptionis his verbis ponitur *Conceptio Sanctæ Marię Virginis feſtum duplex*, cuius auctoritas maximè confirmatur altero Martyrologio eiuſdem Ordinis edito à P. Ioanne de Valentia auctoritate Reuerendiſſimi Seraphini Caualli Magiſtri Ordinis Generalis anno 1579. vbi eadem verba de illo Feſto Conceptionis habentur, traditur enim in proœmio, hoc ſecundum Martyrologium exſcriptum fuiſſe ex altero antiquiſſimo 1254. Præterea in reformatione Miſſalium, & Breuiariorum facta Salmãticæ in Capitulo Generali celebrato 1551. inuenitur idem titulus confirmatus *Conceptio Sanctę Marię Feſtũ duplex*. Horum pia, & iuſta appendix eſto in tomo Catena aurea S. Thomæ edito Pariſijs anno 1566. Duo indices extant Concionatorij, vnus Romanus, in quo ſic habetur expreſsè. *In Conceptione B. Marię: Loquente Ieſu in Sabbato*. Quæ liquidò monſtrant in clariſſimo Ordine PP. Prædicatorum Calendaria, & Martyrologia ſacram, & publicam fidem facere Immaculatæ Virginis Conceptioni. Hac de re diligentiſſimè Antonius Calderon pro titulo Immacul. Concept. cap. 14. & Schonleben c. 1. lib. 4.

Addo aliud momentum ad probandum hoc inſtitutum PP. Prædicatorũ ex celebratione feſti Cõceptionis Deiparæ ritu ſolemni. Narrat Raymundus Lullus in ſuo tract. de Concept. ſub annum 1250. Hoc feſtum à PP. Dominicanis in Gallia celebratum his verbis. *Contigit quod ſedens in Choro Fratrum Prædicatorum Auenione ſeptimo Menſis Decembris, ſecularis quidam, & pauper Canonicus, dum Veſperas Conceptionis Virginis Mariæ fratres ſolemniter celebrarent*. Nec opponant aduerſarij Raymundum Lullum ſuſpectum eſſe Auctorem: nam eum vindicant à calumnijs, & quidem egregiè Cardinalis Bellarminus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & VVadingus in ſuis Annal. vt alios omittam. Habetur autem illa narratio apud Lullum in proœmio ſui tractatus.

Maius pondus habet teſtimonium Ambroſii Catharini acerrimi vindicis Immaculatæ Conceptionis Dominicani, & Archiepiſcopi celeberrimi. Hic aſſerit in Vniuerſo Orbe ab omnibus Eccleſiis celebrari feſtum ſub titulo *Conceptionis, Quem ritum*, inquit, *iam communiter omnes Ordines* (*vt par erat*) *receperunt*. Poſtea excipiens Ordinem Prædicatorum addit. Diuiſum eſſe, quòd in multis Regionibus feſtum eo modo, quo alij celebrant Or-

Ordine celebrari, ac proinde maiorem eius partem cum reliqua Eccleſia conformari. Ipſum audiamus. *Noſter Ordo diuiſus eſt. Nam in toto Christianiſſimo Regno ſub eo nomine Conceptionis abſque vllo ſcrupulo Fratres noſtri eam celebrant ſolemnitatem*. Ita ſcribit lib. 1. diſp. pro Immacul. Concep. & alibi, videlicet diſp. ad PP. Concil. Trid. p. 2. ſic ait. *Quin & ipſe noſter Ordo ſecum minime conſtat, cum Tranſalpini Fratres Ordinis noſtri ſapientiſſimè concedant, & morem vniuerſalis Eccleſiæ ſequantur ſub nomine Conceptionis celebrantes: inter quos tamen non deſunt Doctiſſimi Patres, & Magiſtri, qui in lectione D. Thomæ Italis non cedunt*.

Vna ſcilicet hic eſt obiectio. Apud PP. Dominicanos celebratum fuiſſe Officium Sanctificationis, non autem Conceptionis: & affertur officium Bandelli, in quo habetur *Sanctificatio*, & aliud quod ſucceſſit huic Officio Bandelli; cui reſpondet Antonius Calderon pro Titulo Immacul. Concept. c. 14. his verbis num. 1. *Addimus præterea officium Sanctificationis nunquam fuiſſe conceſſum, aut approbatum à Sede Apoſtolica etiam pro Dominicanis. Et inprimis ſi de Officio Bandellico ſit ſermo, res eſt explorata. Nuſquam enim ea approbatio reperitur. Approbationes Breuiarij Dominicani, quarum extat memoria, non potuerunt comprehendere officium Bandelli, quod iam non erat in vſu cum illæ factæ ſunt. Antiquior enim quæ circumfertur in Breuiaris excuſis cum Officio Sanctificationis eſt Iulij Tertij facta ann. 1552. ipſo anno, quo obijt Catharinus, tunc autem iam exoleuerat in Italia Officium Bandelli, vt ex eodem Catharino oſtendimus capite præcedenti num. 19. Itaque hoc officium vix 50. ann. durauit, neque à toto Ordine receptum eſt, ſed tantùm in aliquibus Italiæ Monaſterijs*. Quo ad alterum ita idem Calderon. *Si loquamur de ſecundo officio Sanctificationis, quod ſucceſſit Bandellico, in hoc nullum eſt verbum contra Immaculatam Conceptionem, ſed tantùm colitur Sanctificatio Virginis ſine vlla nota reſtrictionis*. Laudat Calderonem, eiuſque probat ſententiam Illuſtriſſimus D. à Borgia Epiſcopus Placentinus bis in ſuo eruditiſſimo Propugnaculo, & Schonleben de Immacul. Concept. lib. 3. cap. 1. Orbis Votorum. Idem docuit Armamentarium ante omnes. Atque vt prorſus euacuetur obiectio, affero perſpicuum locum eiuſdem Antonii Calderonis cap. 13. num. 19. quo producto res tota elucidatur, & obiectio euaneſcit. Igitur ſic. *Hoc idem non leuiter confirmatur ſi originem feſti ſanctificationis inueſtigamus. Duo officia ſub hoc titulo reperiuntur in antiquis Breuiarijs Dominicanis, alterum eſt quod compoſuit Bandellus, & extat in Breuiario excuſo Venetijs anno 1546. alterum eſt nihil habens proprium præter lectiones ex libro Eccleſiaſtici, & ſermone Petri Damiani: cætera deſumuntur ex Officio Natiuitatis mutato vocabulo in Sanctificationem, vt eſt in Breuiario excuſo Salmanticæ 1579. Ex his antiquius eſt Bandellicum, nam & huic ſucceſſit illud, vt ex ipſis Breuiarijs conſtat, & ex Catharino, cuius tempore iam non recitabatur Officium Bandelli, etiam in* Italia, *vt facile intelligitur ex eius verbis nu. 15. adductis; ibi enim oſtendit officium Sanctificationis, quo ſuo tempore vtebantur Dominicani in* Italia *non repugnare Conceptioni Immaculatæ; quod tamen de Bandellico dici non potuit, in quo ſæpius aſſeritur Virginem contraxiſſe maculam peccati originalis. Iam ergo exoleuerat etiam*

in

in Italia officium Bandellicum hæc ſcribebat Catharinus, qui tamen obijt anno 1552. Itaque primum Officium ſanctificationis, quo vſi ſunt Dominicani, eſt quod compoſuit Vincentius Bandellus de Caſtro nouo; is autem edidit illum cū eſſet Magiſter generalis totius ordinis, vt ex præfato Breuiario conſtat; electus verò fuit anno 1501. & obijt 1506. Ex quibus omnibus liquet Officium Sanctificationis inuentum fuiſſe poſtquam Sixtus Quartus inſtituit Feſtum, & Officium Conceptionis, atque adeo non habuiſſe ducentos antiquitatis annos, cum Pius Quintus Reformauit Romanum Breuiarium. Vtor libenter aliorum teſtimonijs in ijs, quæ ad factum ſpectant, quòd aliorum auctoritate quàm mea alios ſtare malo, cùm præſertim ij ſint idonei, & graues auctores, qualis eſt Calderon diligens certè, & accuratus ſcriptor, cui video non paucos huius ætatis aſſurgere.

Huc pertinet coniectura ſumpta ex inſcriptionibus publicis, quę reperiuntur in ſacris locis P. P. Dominicanorum, quæ vncialibus characteribus pondus afferunt huiuſmodi veritati. Madriti in Cœnobio PP. Prædicatorum, dicto à Roſario, quod eſt in via S. Bernardi, in loco eminenti ſupra Portam viſitur hæc ſolemnis inſcriptio.

D. O. M.

Deiparæ Virgini ſine labe Conceptæ, Virgini Sponſo Ioſeph, & Franciſco Seraphico. &c. Anno M.DC.XXXVII.

Nec caret virtute coniunctio S. Franciſci cum myſterio B. Virginis ſine labe Conceptæ, quaſi ei ordo Seraphicus, vbiq; & perpetuo ſuffragetur. Nec temerè in via S. Bernardi propalatur hæc veritas, quod ab ea Bernardus deuius non fuerit, quemadmodum ſuperius adnotauimus.

In eodem Regio Oppido claret inter cæteras, Ædes Religioſa PP. Prædicatorum, qua nulla Religioſior, celebratior, opulentior, mirabilior, & ſumptioſior inuenitur, cui nomen eſt *Virgo Maria de Atocha*, ibi in edito, & ſublimi loco, & maxime illuſtri Area cærulei coloris panditur, in qua lēma huiuſmodi aureis characteribus legitur *Maria Sanctiſſima concepta ſine macula peccati originalis*. Et quidem rectè in ſpatio illo cæruleo aureæ litteræ micant, ceu ſtellæ, quæ in illo firmamento veritatem immaculatæ cōſtituunt, & æternam prædicant. Nec in alia papyro decuit eam ſcribi, quàm in Cæleſti, nec aliis characteribus, quàm ſyderibus, nec alio atramento quàm candido lacteæ viæ rore illud lemma ab Angelis expreſſum. Additur virtus inſcriptioni, quòd huic additur ſubiecta linea firmitatem teſtata confeſſionis. Sic enim ſubſcribitur, *Ne me hinc auferunto*; quo firmamenti ſoliditas demonſtratur.

Nec omittenda illa alia ſententia lepida ſanè ob locum, & venuſta: Quæ Valentiæ in Cœnobio PP. Prædicatorum extat, de qua Vincentius Iuſtinianus Antiſtius, & ipſe Prædicator refert inueniri in Cāpana maxima, cui in Orbem huiuſmodi ſunt verba circumſcripta.

Maria Virgo ab omni peccato fuit immunis.

Sonora confeſſio, quæ in Cymbalo quo populus ad Concionem vocatur clamat, & inſonat omnibus apud PP. Prædicatores, quorum Religio propter hoc munus diuinitus ſibi creditum *Cymbalum mundi* rectè appellari poteſt, quòd in vniuerſo Mundo prædicando, & docendo auditur, & approbatur. Cymbalum hoc Valentinum propheticum illud eſſe dixeris

Cymbalum Alarum. Quamuis enim è ponderoſo metallo cõſtet, alas tamen habet Angelicas ad volandum, & ſpargendum myſterium Cõceptionis Immaculatæ opera Angelicæ Scholę per totam Orbis Vniuerſitatem ad ſummam doctrinæ gloriam euolantis. Vox Cymbali cum pennis Scholæ coniuncta reddit illud Pſalmi 44. *Lingua mea calamus ſcribæ*, vt ex vtraque lingua, & calamo irrefragabile teſtimonium componatur. Illud etiam aptum, & iucundum videtur, quod illa inſcriptio Cymbali, non niſi eo moto ſonat, perinde ac Sacer ille ſit ſonus Cæleſti ſimilis in sphera Cymbali auditus, cum cietur à Dominicanis Intelligentijs, quaſi velit imitari harmoniam orbium cęleſtium cum voluuntur, & ipſo motu ſonum ſuauiſſimum efficiunt, qualem Pythagoras audire ſe confirmabat.

Supereſt aliud argumentum magni ponderis ſumptum ex Sodalitatibus, pijſque alijs apud Dominicanos Patres Collegijs, quæ publicam item huic myſterio faciunt fidem. Bruxellis in Belgio, quæ Regia eſt ſedes, Sodalitas Hiſpanorũ eſt in Monaſterio Prædicatorum Patrum inſtituta in obſequium *Immaculatæ Conceptionis*, quæ quod Hiſpanorum ſit, ſuomet titulo prodit immunitatem ab originali peccato.

Alia & quidem priſca extat Hiſpali Hiſpanico Emporio, Vrbe inter paucas nobili, frequenti, opulenta Americanæ Gazæ theſauro, eodem titulo.

Virgini Immaculatè Conceptæ.

Quæ teſte Alexandro Riario Confraternitas puræ, & limpidæ Cõceptionis Dominæ noſtræ appellatur: & approbata dicitur à S. Carolo Borromæo Cardinali de mandato Pij Papa V. quę viget, & vigebit: hodieque in ea Vrbe, quę addictiſſima huic ſemper fuit myſterio, mirum in modum celebratur.

Sacratiora ſunt reliqua duo monumenta. In Vrbe Gienenſi erectum eſt ann. 1568. Cœnobium Sacrarum Virginum Ordinis S. Dominici: cui puriſſimæ Conceptionis religioſum inditum nomen fuit. Hoc retinet: fitque eo in dies celebratius. De quo Gonzalez in Theatr. fol. 221. & Pætonius hiſt. cap. 38. & Schonleben lib. 3. Orbis Votorum c. 2. § 4.

Lueccis Nobili oppido Toletanæ Diœceſis Sacrum aliud Gyneceum reperitur, cuius Moniales induuntur habitu Dominicano, & vtuntur Regula S. Auguſtini, cuius initiũ fuit an. 1630. huius inuocatio eſt *Immaculatæ Conceptionis*. Rectè vero nectitur habitus S. Dominici cum Regula S. Auguſtini, qui Conceptionis Immaculatæ auctor eſt, vt initio Collationis probaui, & pro mea lectione, & intelligentia diuini huius auctoris operum de nouo confirmo. Hoc autem Sacrarum Virginum Cœnobium, cùm ego Madriti im eſſe an. 1630. Comes de Oliuares pro ſua pietate, & ſtudio in B. Virginis Immaculatæ Conceptionem magnis ſumptibus ædificauit.

Colophonem imponamus, ſiue Corollarium, vel Coronidem ex corollis Roſarum quæ ſunt ad manum, & hactenus legimus in Roſario Dominicano, vbi Roſæ virtutum, & doctrinarum halant. Verum ſuæ roſis adhæreſcunt ſpinæ, quæ illis innatæ ſunt à principio conditi orbis, innocentes, & ante peccatũ, multis, & idoneis auctoribus: nec enim prouenerunt roſeæ ſpinæ in pænam peccati. Sunt quippe ſpecies ad pompam, cuſtodia ad dignitatem, ſatellitium ad maieſtatem. Ac ne deſint, & quidem dignæ

Dominicanis roſis ſpinæ, præſto eſt Franciſcus indiuiduus S. Dominici comes, qui eas ſuppeditet, pro venuſtate roſarũ. Franciſcus ſpinis aſperitatis totus eſt conſitus, imo & integrum ſpinetum. Comitetur modo Dominicum ad iſtud Roſarium perficiendum. Et quandoquidem nos amborum filij Parentes illos in commemorando, ſicuti Petrum, & Paulum in antiphonarum harmonia coniungimus, ita & modo in componendo roſario copulemus. Eſto Franciſcus ſpineum florum complementum. Nec opus eſt Schola Scotica. Noluimus aduocare Scotiſtas, vbi Roſis tantum Thomiſtis eſt locus. Satis eſt in vno Franciſco ſpinarum, vt omnes roſas comitetur. Reſpondeat ille titulo Immaculatæ Conceptionis ante Scotum in ipſiſmet Ordinis ſui Cunabulis, ne diſcrepet à Dominico, qui ab initio Religionis ſuæ Immaculatam Conceptionem coluit, vterque iſtius immunitatis primus apud ſuos auctor. Rem narro. Nuper Roma Patauium rediens tranſiui Rhodigio, antiqua & Nobili Venetæ Ditionis Vrbe. Diuerti ad PP. Conuentuales à quibus fui humaniter, & liberaliter acceptus; hora opportuna occaſionem præbuit inuiſendi Eccleſiam adorandæ Euchariſtiæ cauſa, & huic vicinam Ædem B. Virginis à Conceptione, rotundam: in cuius Ara principali erat Imago venerabilis B. Virginis Mariæ titulo à Conceptione. Quæſiui quænam eſſet origo tum Ædis, tum Altaris de P. Guardiano qui aderat, meque eò comitendo duxerat, cognoui illam à S. Franciſco fuiſſe extructam, & Altare erectum, & Imaginem ibi collocatam; ac vt mihi fidem faceret oſtendit affixam ad læuum altaris latus tabulam, quæ totius hiſtoriæ ſeriem continebat, Italicè ſcriptam, quam hic latinè exhibemus fideliter exſcriptam. Erat inſcriptio *Exemplum narrationis extractum ex libro de rebus Rhodiginis D. Nicoleonis lib. 2. pag. 96.*

Anno 1213. ſub Azzone IX. Marchione Atteſtino cum Seraphicus P. S. Franciſcus Rhodigio Romam contenderet voluit huic populo, quòd illum compererat de re catholica bene meritum optimis excultum doctrinis, & probis moribus præditum, & recta via ad ſalutem incedentem aliquod ſui amoris monumentum relinquere, vt eum ad Chriſti amorem accenderet, quare adiecit animum ad huiuſmodi Ædem ex corrogatis elemoſinis conſtruendam, in eaque hoc erexit Altare hac Imagine, quæ S. Lucæ vulgo eſſe fertur, collocata titulo B. Virginis Conceptionis, quò ſingulis diebus feſtis poſt Veſperas in proxima Cœnobij Eccleſia decantatas, ſupplicatione ſolemni fratres cum populo ſe conferunt, ibique collecti B. Virginem Angelica oratione ſalutant. Hæc verò Ædes antiquior eſt Monaſterio, quod poſtea ædificatum fuit. Clauſula eſt. *Rhodigij apud Hyacinthum Biſuccium cum licentia ſuperiorum.*

En quomodo in ipſo Ordinum Prædicatorum, & Minorum principio Virginea Conceptionis Immaculatæ Religio floruit. Annus ille tertius fuit à conuerſione Seraphici P. noſtri Frãciſci, confirmationis viuæ vocis oraculo ſecundo, ante ſolemnem per Bullam Pontificiam confirmationem

Hæc ſunt quę pro mei tenuitate ingenij, & pro meæ exquiſitæ diligentiæ accurata, & ſtudioſa indagine potui de Immaculata Virgine, tum de meo paupere penu, tum de locuplete aliorum theſauro depromere. *Hos pilos caprarum*, huic diuino Tabernaculo

naculo ſupplex offero, non tamen cõtemnendo exemplo Hieronymi, quãquam ille modeſtè dixerit, ego verè dicam. Officij mei fuit de ſententia S. Thomæ, & Scholæ Thomiſticæ agere. Quod opinor, cum fide præſtiti, & meas partes abſolui, & intra terminos Scholę conſtitutus: additis tamen quibuſdam luminibus, qnæ materiam Scholaſticam illuſtrarent. Scopus fuit oſtendere, licere per Angelicum Doctorem, & Scholam Thomiſticam Immaculatæ Virginis Conceptionis tenere ſententiam, & amouere impedimentum, quod ex oppoſita auctoritate oriri poſſet, ne illa inoffenſo pede curreret, & ad Definitionem perueniret. Nunc vos Clariſſimi Patres oro, & obteſtor, vt velitis ope, ac præſidio auctoritatis veſtræ piam iuuare ſententiam, quam cùm reliquæ totius Eccleſiæ conſenſu congruere intuemini. Hoc vnum deeſt, vt quod factum legitur in Beneuentano Hiſpaniæ Conuentu per Decretum Prouinciale, fiat in Comitijs veſtri Ordinis Romanis, per Decretum Generale, in quo poſtuletur à Summo Pontifice definitio de Immaculata Virginis Conceptione. Debeant hoc vobis Academiæ, debeãt Religioſi Ordines, debeant cæteræ Eccleſiæ, debeant fideles omnes, qui veſtrum conſenſum expetunt, expectant, & flagitant, vt eo comperto, ac explorato hoc myſterium ex pia ſententia in Pontificium Oraculum tranſeat. Satis datum eſt reuerentiæ erga vos, ſatis auctoritati veſtræ, quòd per tot annos, imo & ſecula, Catholica Eccleſia ſuum ſuſpenderet iudicium, ne quid vobis diſſentientibus definiret. Tempus eſt iam decernendi, quod tam diu communia vota deſiderant. Facite, quæſo, religioſiſſimi Patres, vt velificanti ſecundis ventis ad portum difinitionis Naui Virgineæ, quæ *Inſtitoris* dicitur, veſtræ remora ſententiæ auferatur, vt ad optatum, quem prope appulit portũ poſſit feliciter peruenire. Hoc tantũ deeſt vt illa in meta glorioſè coronetur. Date operam vt B. Virgo, quæ Tabernaculum Dei eſt, in Sole veſtro, qui Sanctus eſt Thomas, ponatur, & tãquam in ſuo ſplendido domicilio collocetur.

Equidem neſcio, quo purioris auræ ſpiritu afflante in ſpem erigor obtinẽdi quod omnibus votis cupio, hoc præſertim tempore quo nacti ſumus Romæ lumina Heroum Dominicani Ordinis, qui in ſupremis honeſtatum faſtigiis emicant, quorum doctrina, & pietas ſingularis ſpondet propitium erga Immaculatam Conceptionem fore Ordinẽ totum, ſi illorum veſtigia ſequatur. Horum Princeps eſt Reuerendiſſimus Pater totius Ordinis Generalis S. Officii, ex officio Conſultor, Antonius Monroy Hiſpanus, ac illuſtriſsimus, cuius nationis nota eſt Virginem Immaculatam pietas. Adeo vt dici queat, in Stellis eas habere natalitias, quæ in via ſunt lactea, & in natiuas nobilium venas ſimul cum ſanguine lacteas quaſdam Virginei vberis guttas miſceri, & in partem indolis religioſè venire. Ille commodùm ex nouo Romam aduectus Orbe, in quo Soles melius nitent, & aurum purius gignunt, ſententiæ fauẽti immunitati multum ſecum ſplendoris attulit ad expellendas tenebras culpæ originalis. Et quidem illud ſpecimen doctrinæ, ac virtutis præbuit, vt teſtatam fidem faceret, maiores in eius animo inueniri theſauros ad locupletandam Religionem, quàm in aureis Americæ Montibus ad Orbem ditandum repeRiuntur. Itaque momento totus Ordo vnanimi conſenſu eum vel inopinan-

Digitized by Google

tem, & inuitum ad ſupremum dignitatis faſtigium euexit, & quem arcanis votis deſignarant Patres illi grauiſſimi, eum palam ſuffragijs declararunt: adeo vt prius penè congratulatio plauſuſque, quàm argutus calculorum ſonitus audiretur. Gratulatio in expectationem, expectatio in gloriam vertit, & ingentis voti compos Religio in Monroyo Montem Regium eminere vidit. Quo ille cognomine virgineum montem *in Vertice Montium* fundatum eximiã ſanctitatem, & Immaculatam eius innocẽtiam ſignificauit, & in *Montibus Sanctis* extra omnem culpam originali gratia coronatam repræſentauit, ſeque ad eam aſſerendam cum dignitate oppignerauit. Alter ab illo eſt Magiſter Palatij Apoſtolici Reuerendiſs. Pater Raymundus Capizuchus Romanus Ciuis, natalibus ſplendidiſſimis, quæ purpureis Chigij, & Mareſcotici, corriuato illuſtriſſimo ambarum familiarum ſanguine, luminibus emicant, & tanto viro ſuauiter abblandiuntur. In quo apparet litteratura multiplex, doctiſſimis librorum monumentis teſtata, virtus admirabilis, celſitudo animi, generoſitas indolis, oris, & corporis habitus ad D. Thomę effigiem comparatus; quem vti dignitate corporis exhibet, ita virtute animi repręſentat. Hic pro ſua ſingulari in B. Virginem propenſione Immaculatæ eiuſdem Conceptioni pium calculum afferre non dubitabit. Piaculum eſſet ambigere de Te, Clariſſime Pozzobonelle, omnibus, & conſpicui ſanguinis & palmaris doctrinæ, & inſignis pietatis ornamentis inſtructe, qui Commiſſarij Generalis S. Officij iuſtam perſonam ſuſtines, quin pro tuorum ſuauitate morum præſtantiaque ingenij, & grauitate iudicij, ac litteraturæ excellentia Immaculatæ Virginis candori ſuffrageris. Iam vero ille arbiter ſecretorum Sacræ Congregationis Indicis, Reuerendiſs Riccius, claro generi adiunctis inſignibus, vel conſpectus perſuades videntibus, huius veritatis aſſertorem fore, cùm egregia tua modeſtia, & grauitas dignitaſque perſonæ ſingularem ſpiret in B. Virginem obſeruantiam; quæ cum ingenio acri, ac maturo iudicio copulata Te amabilem, cunctis reddit, & admirabilem. Horum quatuor adminiculo Ciuitas illa Sancta in quadro poſita *cęleſtem illam Hieruſalem Nouam* per Immaculatam Innocentiam, non renouatam per mundationem à culpa, integram, & illibatam, & ab omni macula alienam repræſentabit, gratulante vniuerſitate Orbis Catholici, & clariſſima Dominicana familia applaudente.

CO L

COLLATIO SEXTA

DIFFERENTIA III.

De Mente PP. Salmanticenſium Excalceatorum circa Conceptionem B. Virginis.

SECTIO I.

Quid in hac controuerſia ſenſerint Patres Salmanticenſes.

NE mirere, lector, nouitatem tituli. Magni ſunt Thomiſtæ, nec domeſticis cedunt, aut ſtudio, aut diligentia, aut accuratione, aut ſubtilitate, aut ſoliditate doctrinæ. Angelico Doctori ſeſe deuouerunt, totum verſant, imo vexant interpretando, exponendo, illuſtrando: totum deuorant cùm legunt, & integrum, vt ità dicam, vomunt cùm ſcribunt. Toti ſunt in partibus S. Thomæ. Ego illos appellare ſoleo nimio plus Thomiſtas. Tam benè, doctèque ſcribunt, vt illis S. Thomam inuideam, vel potius illos inuideam Scholæ S. Thomæ. Tanti illos facio quanti fortaſsè nemo alius. Nihil me magis anxium tenebat in hac diſputatione quàm eorum de Immaculata Virginis Conceptione expectatio ſententiæ, diuque præ ſolicitudine, & anxietate animi ab eorum lectione abſtinui, quòd timerem ne aduerſarios haberem, qui toti in partibus Thomiſtarum eſſent, ac verebar ne cum illis, qui Angelicum Doctorem in minus piam ſententiam trahunt, ſentirent, quod cùm mihi magno dolori futurum eſſet, non audebam, eorum hac de re commentarios attingere. Cumque hos animi mei iampridē fluctuantis motus docto cuidam, ac erudito huius inſtituti viro familiari meo, & quidē verecundè, ſignificaſſem, & iam affectum opuſculum haberem, hoc ab eo ſubridente reſponſum tuli. *Deſine*, inquit, *timoris. Noſtri Salmanticenſes Immaculatam Conceptionem planè ſtatuunt, & ſtrenuè defendunt, imo totus noſter Ordo pro eadem ſtat, & pugnat ſententia.* Eo dicto animos ſumpſi, & fidenter acceſſi ad tractatum legendum, ac omnino comperi verum dixiſſe. Itaque nobiſcum illi de Conceptione Immaculata in inſtanti animationis omnino ſentiunt: de reatu autem, & debito, paulum à nobis diſcrepant; idcircò de vtroque accurata inſtituenda eſt diſputatio. Primum illos de primo.

Digitized by Google

primo audiamus. Tomo 4. Curſus Theolog. quæſt. 81. tract. 13. de peccat. diſp. 15. initio. ſic. *Quoniam noſtris temporibus prædicta pars negans Deiparæ contractionem culpæ originalis ita præualuit, adeoque communita eſt copioſis pro ea editis voluminibus, vt nec noſtro labore ad ſui confirmationem indigere credamus, nec facile ſit quæ ab alijs ſcripta ſunt, noua acceſſione locupletare, niſi calamus nimium ſe diffunderet. Quod alibi à nobis præſtandum non diffidimus: modo vero vbi Scholaſticum munus pro Scholaſticis vrget importunum iudicamus.* His ſubiungunt pauca, & infra pag. 561. ſic aiunt.

Præſeruationis Deiparę à labe originea Carmelitæ primi adoratores, & Vates.

Liuorem forſitan aſſumptum excitaret, niſi inſuſpectis, & fide dignis teſtibus comprobari poſſet: vti erunt vel extranei ſi non antiqui, vel antiquiſſimi ſi domeſtici: illorum enim ſecuta eſt laus iuxta illud Prouerb. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua: iſtorum enim ipſa antitas per ſe venerabilis, irrefragabile efficit teſtimoniũ. Ex vtriſq; ergo legitima erit probatio. Igitur ante alias Eccleſiæ familias Carmelitanã noſtram myſteriũ præſeruationis Deiparæ à culpa originali ex ore Sanctiſſimi Vatis, & Protoparentis Eliæ, diuinitùs illi traditum accepiſſe; iamque ex tunc eminus per ſpiritum adorans circiter mille annos ante ipſius Virginis Conceptionem; prædictique myſterij notitiam vſque ad Apoſtolorum tempora, & deinceps velut hęreditaria ſucceſſione deduxiſſe, & firma traditione conſeruaſſe, docuit ille magnus* Pontifex Ioannes *Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha XLIV. eiuſdem Carmelitanæ familiæ alumnus; qui floruit temporibus D. Hieronymi, & D. Auguſtini circa annum Domini* 400. *Is in lib. de Inſtitut. Monach. cap. 32. declarans myſticam illam viſionem, cum Parens Elias in Monte Carmeli orans iuſſit puerum ad cacumẽ aſcendere ſeptem vicibus, & reſpicere contra mare: in ſeptima autem: Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari in Carmelum (vt habetur lib. 3. Reg. cap. 18.) teſtatur agnouiſſe clarè Prophetam in nubecula illa prędictum myſterium, ſuiſque diſcipulis Carmelitis ſecretiùs aperuiſſe, cuius notitiam ipſi perpetuò conſeruarunt.*

Quid autem (inquit Ioannes) Sacramenti rerum futurorum viſio illa intrinſecus contineret, & quod iugis myſterij Deus Eliæ per eam portenderet, dignatus fuit Elias aperire non palàm hominibus, ſed ſecretiùs conſortibus. A quibus traditum tenemus, Deum ſub figurata viſione reuelaſſe tunc Eliæ quatuor magna myſteria, quæ per ordinem explicabo. Primò quòd quædam infantula naſceretur, quæ ex vtero matris ſuæ ab omni peccato munda egrederetur. Secundò tempora, in quibus hoc adimpleretur. Tertiò, quòd hęc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplexaretur. Quartò quòd Deus iungens naturam ſuam humanæ de Virgine illa homo naſceretur. Per hoc namque quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam paruã oriri, reuelauit Deus Eliæ, quòd quædam Infantula, *ſcilicet B. Maria per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parua, naſceretur de humana natura peccatrice deſignata per mare. Quæ infantula iam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde: quemadmodum nubecula illa fuit de mari amaro ſine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari; alterius*

rius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis: mare quippe ponderoſum eſt, & amarum; ſed nubecula illa leuis fuit, & dulcis: ſic quamuis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine, ita amaritudine peccatorum, & vitiorum pondere preſſi, vt fateri cogatur: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut graue grauatæ ſunt ſuper me: Beata tamen Maria de hoc mari, ideſt natura humana, aliter fuit orta, quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum; ſed inſtar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, dulcis per plenitudinem chariſmatum: ipſa enim in ſuo ortu fuit nubes illa, de qua per Moyſem figuratè eſt ſcriptum: Ecce gloria Domini apparuit in nube.

Quo ſanè addunt Salmanticenſes *teſtimonio nullum apertius ex antiquis Eccleſiæ Patribus hactenus fuit productum pro immunitate Virginis à culpa originali.*

Piaculum eſſet interrumpere textum tantorum Theologorum, pergãt ire felici alite, & ſuum ſenſum depromere. Adiiciẽdo eius rei idoneos teſtes externos ſcriptores. Ita n.10.pag.564.

Illorum autem fide, ſimul & antiqua noſtrorum Ioannis Hieroſolymitani, Ioannis Baconij, aliorumque atteſtatione ſufficienter credimus comprobatum ſcopum, quem aſſumpſimus: videlicet præſeruationem Deiparæ à culpa originali Carmelitæ noſtræ familiæ primitus innotuiſſe, tantiq; myſterij primos, & adoratores, & vates Carmelicolas extitiſſe. Quam ergo Sacer Ordo noſter recens adhuc natus tot ante ſecula à ſuomet progenitore diuina reuelatione ipſi traditam veritatem accepit, perpetuaque traditione conſeruauit, atque Eccleſiæ manifeſtauit, iure adſtringimur vbique profiteri.

Ingenti voti factus ſum compos cũ iſta legi, & gratulatus ſum Scholis Theologicis omnium gentium, quod hanc clariſſimam conſentientem habeant, cum præſertim Baconium nobis aſſerant, mihi benè notum, quem inter Principes Scholarum Pariſienſium numero, de quo id iam dudum noueram, nimirum Immaculatæ Cõceptionis eſſe auctorem. Quod autem ij glorientur primos ſe adoratores, & vates extitiſſe per me liceat: nec id quicquam noſtro Seraphico Ordini, nec Scoto detrahere exiſtimo, cum ij dicant propheticè accidiſſe per figurã, ſicuti in veteri Teſtamento, relinquendo noſtris Ordini tanquam Nouo Teſtamento veritatem Theologicam, & ſolidam gratiæ Virginalis. Quot attinet ſententiã S. Thomæ de illa diſputant latè, ac copioſè ead. d. 15. dub. 5. titulo. *Quid tenendum de mente Angelici Doctoris?* Ibi vero ſatis indicant ſe putare eum ſecus, ac vellent de immunitate à macula perſonali Virginis docere. Fatentur quidem *dolere ſe piæ ſententiæ tanti Doctoris deeſſe ſuffragium*: & admittunt debitum. An verò ſufficiat hoc debitum ad liberandum S. Thomam ab oppoſita ſentẽtia affirmante contractionem maculæ perſonalis magnopere videntur ambigere. Ita enim §. v. n. 201.

Pro rei ergo intelligentia nota, in ſcriptis D. Thomæ quædã eſſe teſtimonia, quæ non vtcumque vniuerſos deſcendentes ab Adam (vno excepto Chriſto Domino) ſub originali peccato comprehendunt, ſed id tanquam certum in fide diffiniunt, & oppoſitum damnant, vt errorem. Ita in hoc art. 3. ex quæſt. 81. 1. 2. & qu. 4. de mal. art. 6. & in 4. diſt. 4. 3. q. 1. art. 4. In his vero locis non nominat B. Virginem, nec circa illam in particulari.

Digitized by Google

ticulari aliquid determinat, ſed loquitur in generali, & in communi, cum ſola tamen Chriſti exceptione. Alia ſunt quæ de ipſa B. Virgine determinatè aſſerunt fuiſſe in peccato originali conceptam; aut non fuiſſe in inſtanti animationis, vel conceptionis, ſed poſt illud inſtans ſanctificatam. Hæc habentur 3. p. q. 14. art. 3. ad 1. & q. 27. art. 2. in corpor. & ad 2. & 3. & 4. q. 31. art. 8. ad 2. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1. quæſtione 1. & ad Anibald. eadem diſt. quæſt. vnica ar. 1. Quodlib. 6. q. 5. art. 7. opuſc. 1. c. 224. & opuſc. 8. circa medium. Pſal. 13. ad illa verba. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: & alibi. In nullo vero iſtorum locorum affirmauit D. Thomas aliquid tanquam de fide, neque oppoſitum ſuæ opinionis cenſura notauit, ſed ſimpliciter tantùm illam aſſeruit. Deinde aiunt primos illos tres locos omnes exponi congruenter poſſe de debito, nec immunitati à macula perſonali quicquam derogare, cum intra terminos debiti contineantur. Id verò prudenter ſtatuunt nunquam in iiſdem teſtimoniis S. Thomam reprobaſſe ſententiam de Immaculata Conceptione: ſed eam omni cenſura liberam reliquiſſe, ac reprehendunt doctiſſimum Virum Salazar, quòd aliter ſcripſerit n. 204. Tunc: *Veniamus ad illa loca, quæ nihil continent cenſuræ, ſed ſimpliciter tradunt, Virginem fuiſſe in originali conceptam, aut non niſi poſt inſtans animationis fuiſſe ſanctificatam. Hęc autem ſincerè conſiderantibus, ſiue quæ iuuenis ſuper ſententias, ſiue quæ ſenior in ſumma Theologiæ, aut alijs locis ſcripſit, ita pro peccati contractione ſunt perſpicua, & ſibi ipſis cohærentia, vt coram propria conſcientia non audeamus illa de ſolo debito intelligere. Legimus ſæpenumerò prædicta loca, ſeriem, verba, & apices attentè meditati ſumus, ſummoperè cupientes, & inquirentes viam, vt ſine veritatis præiudicio enuntiare poſſemus D. Thomam piæ ſententiæ refragari: illam tamen (quod non ſine animi dolore proferimus) vſque modo inuenire non potuimus. Vtinam vel proprio, vel aliorum ſtudio peritiores facti, quàm cito inueniamus. Dum autem maiori luce non fruimur, ſatius nobis fuiſſe arbitramur (inſufficientiam noſtram hac in re confitentes) quoad vnam iſtam opinionem, quam D. Thomas tunc temporis vt probabiliorem, & communem (vti erat reuera) ſequitur, Thomiſticum rigorem aſſuetum nobis remittere, quàm aut extortis, & violentis vti expoſitionibus, quas textus ipſe abijcit, aut commentitijs quibuſdam ſolutionibus, ad detrahendum potius D. Thomæ ſcriptis, præſertim ſummæ Theologiæ, temerè excogitatis, quas quidam neoterici ſpargunt, locum aperire. Præſertim cum ſciamus, aliquas prædictarum ſolutionum, & expoſitionum ſine fundamento adductas per Sacrũ Inquiſitionis Tribunali condemnatas fuiſſe, & deleri iuſſas ex Elucidario Ioannis Baptiſtæ Poza: vt videre eſt in Indice expurgatorio edito anno* 1640. *Neque idcirco quia videamur oneri ſuccumbere, affectui noſtro in D. Thomam minus aliquid tuliſſe credimus, aut à fideliſſimo eius diſcipulatu, quem ſemper ambiuimus, vel minimum defeciſſe. Tum quia licet prædictæ opinioni non hęreamus; ob reuerentiam tamen Angelici Doctoris, veneratione quàm magna illam proſequimur. Tum etiam quia dum piæ ſententiæ ſubſcribentes non omnia ipſius D. Thomæ loca cum ea adæquamus, non quæ modò eius ſententia ſit, putamus deſerere; ſed quaſi per epij Keiã de præſenti intentione ſupra verba iudicantes, menti inhæreremus. An vero ſi*

San-

Sanctiſſimus Doctor modo ſuperuiueret in antiqua illa opinione permaneret, vel contrariam amplecteretur? alibi tractabitur.

SECTIO II.

Tradita de Doctrina Angelici Doctoris Patrum Salmanticenſium ſententia expenditur.

PRimum vellem vt hi nobiliſſimi Theologi locis S. Thomæ, in quibus exiſtimant eum in contraria piæ fuiſſe ſententiæ explicatiùs, diſtinctiùs, & conceptis verbis producerent, vt appareret ratio cur pro pia exponi non poſſent. Fortaſsè abſtinuerunt ne venirent in ſcopuloſam, & ſcrupuloſam diſquiſitionem de fide textuum, quos multi Scriptores deprauatos eſſe contendunt. Non repugno, nam & ego ob eamdem cauſam ab iiſdem nunc examinandis abſtineo. Deinde miror eos tam facilè S. Thomam dimittere, & aduerſariis largiri; quod ego certe facere non auderem cum tamen Franciſcani ſim Inſtituti, nec iurem in verba Angelici Doctoris. Nollem eum tanta facilitate concedere negantibus Immaculatam Cõceptionem. Animoſi mihi videntur Patres Salmanticenſes, cum audeant ſuis auſpicijs & armis, ſine tanto duce cum exercitu aduerſariorum confligere. Præſtaret dicere illos textus de debito, & materiali peccati intelligendos, quemadmodum nos ſupra oſtendimus. Tertium. Eoſdem Patres non multum conſtanter affirmare S. Thomam in ea ſententia quam ei aſſignant fuiſſe. Obſeruo enim poſteà in decurſu diſputationis eos quodammodo ſui propoſiti pænitere, & inuitos à Sancto Thoma recedere, & conniuere aliis contrà ſentientibus, & reuocare gradum, & iterum ſe ad caſtra D. Thomæ conferre, ne eius auctoritate deſtituti videantur: idque nos libenter accipimus, & ad finem huius ſectionis monſtrabimus.

Nunc oſtenderè conamur, & quidẽ argumento non contemnendo illos textus eam, quam putãt contrariã piæ ſententiæ doctrinam minimè continere; nec ij grauatè accipiant, meum hoc inſtitutum, cum timidè procedãt, & modeſtè dicant ſe pro viribus non potuiſſe aliter accipere Diuum Thomam, & optare vt facti peritiores viam inueniant exponendi; pro tunc ſe minori luce illuſtrari, quàm vt poſſint inſufficientiam ſuam vincere, & in hac tantùm opinione à D. Thoma recedere. Quam ſanè moderationem, & ſummiſſionem animi in viris doctiſſimis & laudamus, & admiramur. Nec propterea tamen deſiſtimus ab inquirenda aliqua maiori luce, non à nobis, ſed ab aliis, imo & ab iiſdem alibi prolata accepta, qua tamquam face prælata viam euadendi demonſtremus; itaque illorũ pace argumentum afferam, quod me prorſus conuincit. Caietanus optimus, & fideliſſimus Angelici Doctoris interpres vidit eos locos in textu D. Thomæ, ſed is tamen negauit eum quidquam ſtatuiſſe contra ſententiam de Immaculata Conceptione in ipſo puncto animationis cui certè eſt habenda fides, vtpotè qui ſit anima, & mens Doctoris Angelici: ergo præſtat cum illo ſentire, quàm ab eo diſcrepare. Hic ſyllogiſmus mihi videtur demonſtratio quædam moralis. Incipio à maiori. Incredibile eſt Caietanum non legiſſe omnes textus D. Thomæ, qui pertinebant ad iſtam quæſtionem cum diligentiſſimus fuerit in verſando, &

Digitized by Google

exponendo D. Thomæ: quare illum non latuit doctrina in iis contenta. Nunc ad minorem. Ea patet ex ipſiſmet verbis Caietani in Commentariis in tertiam partem quæſtione 27. art. 2. & in tractatu de Conceptione B. Virginis ad Leonem X. vbi ſic. *Abſolutè loquendo inter illas duas poſitiones extremas: ſcilicet quòd fuerit ſanctificata, vel ante infuſionem Animæ, vel poſt infuſionem Animæ eſt poſitio media, quod fuerit ſanctificata in inſtanti infuſionis Animæ. Cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore ſuo non erat adinuenta*. Ecce Caietanus perſpicuè affirmat de pia ſententia nihil inueniri apud S. Thomam, imò ne fundamentum quidem in eius habere doctrina, cum adhuc non eſſet inuenta, ac proinde in quæſtionem venire non poſſet. Igitur in iis textibus, qui alleganṭur à Patribus Salmanticenſibus, nihil continetur contra piam Immaculatæ Conceptionis doctrinam. Audiant pro confirmatione huius argumenti Virum grauiſſimum, & doctiſſimum Epiſcopum tunc Orioleṇſem, poſtea Placentinum Ludouicum Creſpi à Borgia in ſuo propugnaculo Theologico a. 6. ſubart. 1. pag 227. contra Arpalegum, ita ſcribentem.

Præterea Sanctus Thomas teſte Caieno, non tractauit ex profeſſo quæſtionem hanc, ſed vbi eam debuerat tractare, abſtinuit; vnde falſum eſt, quod S. Thomas, vbi ex profeſſo agit de hac quæſtione, teneat partem affirmatiuam, vt vult Arpalegus. Quod autem Sanctus abſtinuerit ab hac quæſtione, atteſtatur Caietanus reddens rationem, cur non inquireret, an Virgo fuerit ſanctificata in inſtanti animationis, his ad rem aureis verbis; abſolutè loquendo inter illas duas poſitiones extremas, ſcilicet, quod fuerit ſanctificata, vel ante infuſionem Animæ, vel poſt infuſionem Animæ, eſt poſitio media, quod fuit ſanctificata in inſtanti infuſionis animę, cuius opinionis Auctor hic non meminit, quia tempore ſuo non erat adinuenta. Ex quibus verbis apertiſſimè colligitur, quod Sanctus Thomas, non pertractauerit quæſtionem iſtam ex profeſſo, ac proindè vel non eſſe, vnde colligitur eius mens, vel colligendum eſſe, ex alijs locis, & conciliandos eſſe textus, vel dicendo, quod diximus ſupra à num. 6. ſcilicet intelligi de debito, quando dicit eſſe conceptam in peccato, & intelligi de actuali contractione, quando id negat: vel ſi mauis dicendo, quod cum dicit conceptionem eſſe in peccato, intelligatur de conceptione, prout ſignificat formationem fętus, vt ipſe Sanctus docet; cum vero dicit in alijs locis eſſe Virginem à peccato originali immunem, intelligatur de Conceptione, prout dicit inſtans infuſionis animæ, quæ eſt propria conceptio.

Quod ſi nolis his concordantijs acquieſcere, neceſſariò debes fateri, Sanctum fuiſſe teſtem varium, quia non minus loquebatur ex propria ſententia in vno loco, quàm in alio: vnde exemplum Petri, ex Matth. 26. non eſt ad rem, nam dum Chriſtus quærit, quem dicunt homines, &c. non interrogatur Petrus, vt propriam, ſed aliorum ſententiam proferat, ideoque reſpondet; alij Ieremiam, &c. cum autem Chriſtus dicit, vos autem, &c. interrogatur, vt ſuam, & diſcipulorum ſententiam declaret: at cum S. Thomas dicit, Virginem fuiſſe ea ſanctitate præditam, qua maior ſub Deo eſſe nequit, & quod ſolum eſt ſub Deo; quia habuit potentiam peccandi, non ad alicuius interrogationem aliorum ſen-

ſententiam exquirentis reſpondet, ſed proprium iudicium de Maria ſanctitatem exponit; ergo ſi cum dicit eſſe in peccato conceptam, loquitur etiam in propria ſententia, vt tu aſſeris, niſi concilientur textus modo ſupradicto, ſibi ipſi eſt contrarius, & per conſequens teſtis varius.

Adſtipulatur grauis Auctor Ioannes Ludouicus Schonleben lib. 3. Orbis Votorum cap. 3. §. 15. n. 3. Vbi cum dixiſſet ſe ea verba de inſtanti infuſionis animæ alibi non legiſſe niſi in ſcripto primo in Magiſtrum ſententiarum, & in ſecundo ſcripto ad Annibaldum ſubiungit. *Sed quia mihi non perſuadeo, quod Caietanus tam celebris Thomiſta non legerit D. Thomæ ſcriptum in Magiſtrum ſententiarum, ſiue primum, ſiue ſecundum ad Annibaldũ, aut prædicta verba nõ aduerterit, non poſſum mihi etiam perſuadere, quod prædicta verba: Sed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis Animæ, & c.eius tempore à D. Thoma reperta ſint; adeoque ſuſpicor, ab aliquo recentiorum addita, & intruſa, quia nullam reuera connexionem habent cum præcedentibus; nec enim mouebat S. Thomas quæſtionem ſecundam de ipſo inſtanti infuſionis animæ, ſed quærebat ſolum, an fuerit ſanctificata ante animationem? Ad hãc quæſtionem ſatis fuerat reſpondere non fuiſſe ſanctificatam ante animationem, quia nondum erat capax ſubiectum gratiæ: ſuperflua eſt ergo illa reſponſio (ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis) ergo intruſa ab aliquo, qui videns, quod S. Thomas nullibi expreſsè negaſſet Cõceptionem* Immaculatam *in inſtanti infuſionis animæ, voluit per tale aſſumentum ſuæ opinioni patrocinium quærere. Cur non etiam in ſumma D. Thomas addidit: Sed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis? ſi Summa compendium eſt ſcripti in Magiſtrum Sententiarum, & vt volunt oppoſitæ ſententiæ ſectatores, vltimum opus. D. Thomæ? Certè in ſumma caſdem quæſtiones proponit, quas in ſententijs, & ijſdem vtitur argumentis ad probanda ſua aſſerta, cur ergo non etiam adiungit, ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis?* Rem horum duorum ſcriptorum probo, quod attinet ad meum de Caietano inſtitutum: non probo autem eorum ſuſpicionem circa textus mutationem, nec enim huic me volo immiſcere quæſtioni, ſatis eſt dicere Caietanum aut illos textus non inueniſſe, aut ſi inuenit, quod mallem, non exiſtimaſſe quidquam contra piam ſententiam tradidiſſe, ſed eos ad debitum, & materiale peccati retuliſſe.

Triumpharet certè Caietanus ſi loci illi, quos doctiſſimi Patres Salmanticenſes indicant, continerent ſententiam minus piam, nec alio modo poſſent exponi. Igitur ii bene ferunt aliã expoſitionem, quæ non aduerſetur immunitati B. Virginis à macula peccati originalis; vnde non cogimur interpretari D. Thomam pro alia parte oppoſita, adhuc ſtantibus illis locis vti vulgò citantur. Ac ita exponenda ſunt teſtimonia in ſenſu debiti, & reatus contrahendi, vti ſupra nos latè, & ſtudiosè expoſuimus. Magnum pondus accedit huic argumento deſumpto ex Caietano interpretatione inſignis Thomiſtæ Ioannis à S. Thoma in Curſu Theologico Tom. 1. in 1. p. in titulo *Approbatio Doctrinæ S. Thomæ* diſp. 2. art. 2. vbi ſine excluſione textuũ retinendo illos in ſuo vigore, vti reperiuntur, exponit S. Thomam de debito, & materiali peccato, non autem de macula perſonali originalis peccati formalis, qua de re ſatis ſuperius diſſeruimus, & monſtrauimus eam com-

munem eſſe expoſitorum ſententiam. Quando igitur D. Thomas omnes vniuerſaliter includit in originali peccato perſonali dupliciter exponendus eſt, vel dicendo loqui ipſum ex vi legis ordinariæ relinquendo tamen locum priuilegio, non negando illud B. Virgini, vt intelligit Io. à S. Thoma citatus ar. 2. in titulo. Ad *D. Thomæ ſenſum declarandum quædam prænotantur §. Scio Caietanum*, referens pro hac expoſitione plurimos auctores, ac inter eos Ferrar. 4. contr. gentil. c. 50. & Zumel. 1. 2. q. 81. art. 3. & Lorcam, & Aluarez ibid. quorum Aluarez magnus Doctor & eſt, & habetur inter Thomiſtas, vel potius dicendo cum Caietano, & Medina ad illum locum. 1. 2. S. Thomam loqui de debito, non autem de macula perſonali, ſicuti loquitur de debito mortis, non vero de actu mortis in ijs hominibus, qui in fine Mundi inuenientur, in caſu quod non ſint actu, & de facto morituri, cui ego ſententiæ malo adhærere tum quia eſt facilior, tum quia eſt magis conformior diſtinctioni de debito, & macula actuali perſonali, tum quia tollit omnem prorſus difficultatem. Hæc ſatis mihi videntur ad ſatisfaciendum anxietati Patrum Salmanticenſium, vt ſcilicet tranquillent animum & acquieſcāt hiſce duabus expoſitionibus, quas tot, tamque nobiles S. Thomæ interpretes, cum aliis externis ſequuntur, & approbant.

SECTIO III.

Ex Scriptis ipſorum Patrum Salmāticenſium ſufficienter probari S. Thomam non aduerſari piȩ de Immaculata Conceptione ſententiæ.

Viſus ſum litigare hactenus cum clariſſimis Theologis, quos ego vehementer amo, & diligo; dandum hoc fuit homini amico, qui potius elegantiæ cauſa, quàm contentionis florido more me geſſerim. Nunc ſolidè apud eos, & omninò ſcholaſticè agere volo, & quoniam magni apud me momenti eſt eorum vbique auctoritas, diligenter, & accuratè totum tractatum de Conceptione legi, vt ſicubi, aliqua eorumdem teſtimonia fauentia noſtræ de S. Thomæ mente ſententiȩ inuenirem, ea in meum vſum verterem, & conceptis verbis producerem. Igitur diſput. illa 15. dub. 5. num. 205. pag. 639. §. *Cum igitur*. Sic aiunt S. *Thomas prædictæ ſententiæ, ideſt oppoſitæ de Immaculata Virginis Conceptione ſubſcripſit, non quidem vt certæ, & indubitatæ ſicut alij, ſed vt probabiliori, & magis communi, adeoque ſeruans oppoſitæ ſuam etiam probabilitatem (qua probabilitate aliquando fortè vſus fuit.) In quo nihil falſum ſenſiſſe videtur, quia licet prædicta ſententia aliàs vera non ſit, verumtamen eſt, & verū ſemper erit pro tempore illo communem, & probabiliorem extitiſſe. Qua via nō incongrue Angelicus Doctor poterit ab aſſertione falſi circa hunc articulum in quocumque euentu vindicari: quia qui ſequitur aliquam opinionem non à ſe fabricatam, nec rationibus ex proprio marte communitam, ſed ab alijs quibus probata fuit tempore quo probabilior haberetur acceptam, etiamſi abſolutè eam amplecti videatur, reuera ſolum profitetur maiorem probabilitatem talis opinionis: & ideo numquam poterit falſitatis conuinci, quia nunquam erit falſum illam opinionem pro illo tempore probabiliorem fuiſſe, licet poſtea falſa, aut minus probabilis appareat*. Video quàm ex animo Patres Salmanticenſes diligant, & colant D. Thomam, nam vt eum liberent à periculo ir cur-

rendi

rendi falſitatem in opinando, ita eum defendunt, vt excuſando ad noſtram ſententiam ſenſim trahant, ne videatur diſcrepare, ac idcirco inſimulari. Ponderemus dicta. Quid quæſo eſt dicere D. Thomam minus piam tradidiſſe ſententiam, quàm affirmare piam eſſe probabilem, & illam incolumen ſaluamque relinquere? nec enim volumus, vt tunc temporis eſſet probabilior, ſatis eſt tunc fuiſſe probabilem. Ex hoc enim deducitur S. Doctorē nō eſſe nobis contrarium, cùm præſertim alii duo loci Primi Sent. à nobis producti manifeſtè affirment piam de Immaculata Conceptione ſententiam; vnde poteſt concludi eum hac in re fuiſſe, quod multi volunt, & nos ante indicauimus, problematicum.

Iterum num. 206. *Compulit deinde ad ita aſſerendum magna D. Thomæ reuerentia erga Sanctos Patres, qui ad ſupprimendam omnino Pelagij hæreſim in id extremum inclinarunt, vt neminem præter Chriſtum à lege peccati originalis exciperent: quorum verba tametſi diuina prouidentia temperauerit, vt poſſent quod attinet ad Deiparam de ſolo debito exponi, prout nos expoſuimus: non tamen hanc viam oportuit tempore illo ita innoteſcere, cùm adhuc ſupererant Pelagianorum reliquiæ nitentium aliquos à prædicta lege extrahere, quibus pro Deipara permiſſa prædicta expoſitione haud difficile in ſuæ hæreſis fauorem ea abuterentur, & alios exciperent.* Igitur tacuit potius, & præteriuit eam ſententiam S. Thomas, quàm docuit contrariam, cùm preſertim dicant ibidem Salmanticenſes. *Euertit*, inquiunt, *S. Thomas accuratè illam ſententiam, quæ ponebat Virginem ſanctiſſimam ante animationem, adeoque ſine debito in propria eius perſona contracto, quia vel aſſerebat rem impoſſibilem, vel redemptioni plurium derogabat: quod verò fuerit in gratia, vel in peccato concepta, neque directè aliquando quæſiuit, nec omnino per ſe examinauit, nec circa hoc nimium fuit ſolicitus.* Quid hoc eſt, lector, niſi concordare cum Caietano, dicente S. Thomam non egiſſe de illa quæſtione, neque illam tradidiſſe? Itaque in noſtram ſententiam inclinant clariſſimi Theologi.

Eſt alius locus num. 199. vbi Patres Salmanticenſes exponendo locos eorum Patrum, qui in ſpeciali loquuntur de peccato originali B. Virginis, ita eos explicant, vt dicant intelligendos eſſe de debito, non autem de actuali macula perſonali. Loci autem ſunt clariſſimi, & ibi afferuntur §. 5. n. 196. vſque ad n. 200. Audiamus modo reſponſionem doctiſſimorum. num. 199. *Pergamus ad alia, quæ idem Anſelmus ait citato cap. 16. vbi continetur hęc propoſitio: Beata Virgo fuit à peccato originali mundata. Eumdem loquendi modum tenuit Richardus Victorinus lib. de Emmanuele cap. 12. & lib. 2. cap. 26. & 28. vbi non ſemel ait. Virginem, & eius carnem fuiſſe à vitiorum contagio mūdatam, & purgatam, prout etiam dixerunt Nazianzenus orat. 42. Germanus Patriarcha theoria rerum Eccleſiaſt. Nicephorus Conſtantinopol. in Epiſt. ad Leonem III. Petrus Damianus in ſerm. Aſſumpt. & aliqui alijs ex Patribus ſic loquuntur. Cæterùm ad veritatem prædictæ propoſitionis ſufficit debitum de quo loquimur, neque neceſſaria eſt actualis peccati contractio. Tum quia ratione prędicti debiti contraxit B. Virgo vitioſitatem, & infectionem inferentes quantum erat ex ſe maculam in anima, à quibus purgata fuit per gratiam earum effectum impedientem, & vim omnem illatiuam ipſius maculæ*

ex-

Digitized by Google

extinguentem. Tum etiam quia vt purgatio, & mundatio, de qua citati Patres, *intelligatur eſſe non tantum à prædicta infectione, ſed etiam ab originali culpa, non eſt neceſſe quod ita præceſſerit de facto contracta, ſed ſufficit quòd debuiſſet præcedere, ſeu quod præceſſerit in debito, & radice: reputatur enim quaſi iam præſens malum, quod de proximo imminet, & timetur: vnde quia culpa originalis proximè in prædicto debito imminebat, non immeritò præſeruationem ab illa per gratiam Patres dixere mundationem, & purgationem?* Dà mihi lector quamcumque velis propoſitionem S. Thomæ, quæ videatur includere B. Virginem in macula originali, affirmando eam in ſua animatione fuiſſe inquinatam, & mundatam, & purgatam ſuppoſita macula iam contracta, & applica illi ſolutionem, quæ hic continetur, ſatisfaciet omnino difficultati, & expones ſufficienter Doctorem Angelicum per debitum contrahendi, ſine contractione maculæ perſonalis: ita vt intelligas per mūdationem, & purgationem præſeruantem gratiam, quæ dum non permittit exire in actum illud debitum contractum in habitu, quod exigebat connaturaliter, & conſequenter maculam perſonalem, rectè dicitur Præſeruatiua reſpectu maculæ imminentis. Quæ ſanè interpretatio omnino quadrat in illa teſtimonia S. Thomæ, ſi quæ affirment B. Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali ante animationem per debitum, & in ipſo inſtanti animationis fuiſſe mundatam, & purgatam, & ſanctificatam impediendo maculam incurrendam niſi gratia præueniret lapſum, quæ iure dicitur præſeruans, quia impediuit effectum, & actum debiti, quæ erat actualis macula perſonalis. Perlege omnes locos D. Thomæ nullus non admittet hanc iuſtam, & ſubtilem expoſitionem.

Progredior regrediendo ad n. 198. pag. 636. vbi ſic. *Duriora ſunt verba Anſelmi lib. 1. Cur Deus homo c. 16. & Ruperti lib. 1. in Cant. adeo vt Suario, & etiam Vaſqueſio viſum fuerit non habere congruam explicationem: dicunt enim apertè Virginem fuiſſe in peccatis, & in iniquitatibus conceptam*. Non potuit loqui duriùs S. Thomas, neque leui fundamento moti ſunt duo illi Theologiæ Scholaſticę noſtri tēporis Principes ad exiſtimandū ægrè exponi poſſe. Et tamen Patres Salmanticenſes iudicant congruè explicari poſſe, intelligendo de debito, nixi verbis eiuſdem Anſelmi ex alio loco lib. de Concept. Virg. c. 6. Cur igitur non explicabitur S. Thomas de eodem debito, cum præſertim in aliis locis à nobis ſupra memoratis, non ſemel, ſed ſæpius aſſerat immunitatem à macula perſonali, & mentem ſuam declaret de debito incurrendi? Afferamus verba illorum. *Hucuſque*, inquiunt, *Anſelmus, cuius verba, & ſententiam quiſquis præ oculis habuerit nullo negotio per doctrinam noſtram* (*ideſt de debito*) *ſine præiudicio immunitatis Deiparæ occurret teſtimonio ipſius Anſelmi, & teſtimonio Ruperti, aliiſque ſimilibus* (pone etiam D. Thomæ) *vbi de illa affirmetur quòd fuerit in peccato originali concepta*. Quid manifeſtius? Ecce aiunt etiam vbi affirmatur, quòd Deipara fuerit in peccato originali cōcepta locum habere expoſitionem de debito. Pergunt dicere. *Conſtat ſiquidem ad verificandam ab aliquo hanc propoſitionem in via D. Anſelmi neceſſarium non eſſe expectare inſtans animationis illius, qui concipitur, vbi peccatum formaliter contrahendum eſt; ſed*

veram

veram eſſe toto tempore antecedenti ab initio conceptionis, quando quia nondum eſt rationalis anima, nondum eſt formaliter peccatum; ob neceſſitatem, & debitum illud incurrendi. Hac igitur ratione verificari potuit prædicta propoſitio de B. Virgine ratione prædicti decreti præſcindendo ab eo quòd in inſtanti animationis originalem maculam contraxerit. Quod cum Sanctus Doctor ita luculenter declarauerit, ſuperflua erit maior expreſſio prædictæ Doctrinæ. Et nos pergimus hæc conuertere ad teſtimonia ſimilia D. Thomæ, & omninò quadrabunt.

Præterea quod rem maximè continet num. 189. §. 2. & nu. 192. §. 3. vbi iidem Patres ponunt teſtimonia ſcripturæ, ac Patrum, quæ videntur comprehendere B. Virginem in peccato originali excipiendo ſolum Chriſtum, quę certè videntur vrgere ad confitēdum ſaltem debitum, per hoc admiſſum in B. Virgine exponunt ea omnia, & quamuis ab Aduerſariis ſoleant contra Immaculatam Conceptionem proferri, ac eo modo illa exponunt, excluſa tantum B. Virgine, quam non excludunt teſtimonia allata, imo ſolo Chriſto excluſo innuunt comprehendi. Ita expreſſe num. 194. *Reſpondetur,* aiunt, *omnibus iſtis locutionibus excludi à Chriſto Domino non tantum peccatum originale, ſed etiam debitum: quia qui ſub iſto concipitur, concipitur de immundo ſemine, & habet aliquid immundæ conceptionis: ipſum enim debitum ſemen infectum includit, vt explicuimus num. 16. & propter eamdem rationem dicitur ſolus Chriſtus verè mūdus in carne ſua, & ſanctus extitiſſe, id eſt elōgatus, & penitus immunis ab omni peccati contagione; quia neque peccatum, neque peccati debitum, quod explicatur per carnis delectationem, ſeu conceptionis libidinem ipſum vllo modo tetigit. Hoc autem immunditiæ, & ſanctitatis genus, non competit Deiparæ eo ipſo quod cum debito peccati fuerit cōcepta; & ideo quamuis peccatum ipſum non incurrerit, excluditur cum cęteris à prædictis locutionibus, ipſæque ſoli Chriſto Domino reſeruantur.*

Verum opponent ſibi ipſis, apud S. Thomam inueniri aliquos textus, in quibus videtur expreſſè contineri macula illa peccati perſonalis, quæ verum ſit, & propriè peccatum, ac idcirco ſeſe arbitrari non poſſe exponi D. Thomam ſicuti ſuperioribus verbis continetur. Quibus ego tamen occurro afferendo alia verba eorumdem Clariſſimorum Salmanticenſium, vbi expreſſè interpretantur vocabulum *peccati* pro debito contrahendi peccatum, explicantes enim eadem pag. num. 193. in prima columna auctoritatē S. Auguſtini ex lib. 1. de peccat. merit. & remiſs. cap. 21. ſic aiunt. *Hæc propoſitio eſt Auguſtini: De nullo conſtituto in hac vita veraciter dici poteſt, quod nullum habuit peccatū, excepto vno mediatore, etc. ſed ſufficienter ſicut præcedentes loci verificatur de Deipara ratione debiti, & ratione peccati in Adamo commiſſi; quiſquis enim in eo peccauit, habuit prout ibi, illudmet peccatum. Et inſuper debitum contractum in propria perſona poteſt peccatum nuncupari: quia & eſt peccati originantis effectus, & quantum ex ſe eſt cauſa originalis, ſicut Concupiſcentia dicitur peccatum ab Apoſtolo Rom. 7. Quia ex peccato eſt, & ad peccatum inducit. In lib. de perfectione iuſt. circa finem dicit idem Auguſtinus neminem eſſe præter Chriſtum cui neceſſaria non fuerit remiſſio peccatorum. Sed & hoc rectè verificatur de B. Virgine ſine maculæ contractione ratione peccati commiſſi in Adamo: quia*

omnes,

omnes, qui prædictum peccatum in illo commiſerunt opus habent vt ſibi remittatur , ſine qua remiſſione ſemper ipſis imputaretur. Eodem modo exponunt locos Hieronymi ad Corinth. 5. Gregorii lib. xi. Moral. Origenis Homil. 12. in Leuit. Leonis ſerm. 1. de Natiuit. & ſerm. 8. & ſerm. 12. & Ephrem ſerm. de Paſſ. Domini. Gregorii Niceni, Caſſiodori pſalm. 148. Græci Anonymi ſuper Lucam, Caſſiani collat. 22. & aliorum §. 4. num. 196. qui maiori adhuc rigore vtuntur, quia nominatim ponunt *B.* Virginem: quales ſunt Fulgentius de Incarnat. & grat. Ildephonſus lib. contr. diſput. de perpetua virginitate B. Mariæ, Euſebius Emiſſenus hom. 1. de Natiuit. quales ſunt Chryſippus Hieroſolymitanus ſerm. de S. Mar. Deip. & ſubiungunt. *Intelligenda hæc ſunt de lapſu in ipſo Adamo, quando ille ex omnium perſona deliquit; poterunt etiam de lapſu in propria Virginis perſona, non quidem formali, ſed radicali, & initiatiuo: ipſum quippe debitum labendi in originalem culpam poteſt dici lapſus initiatiuè, & radicaliter*. Tandem nu. 200. pag. 637. de S. Bernardo, quem aiunt difficilius exponi poſſe, non inficiantur hac ratione poſſe item explicari, relinquentes prouinciam illum exponendi duobus eiuſdē familiæ alumnis, qui ſunt Franciſcus Viuar, & Angelus Manrique vbi concludunt. *Saltem ſine recurſu ad debitum, quod explicuimus, nulla ſupereſt via exponendi mellifluum Doctorem, ne immunitate Conceptionis Deiparæ refragetur. Vnde quod aliqui neoterici ſuadere conati ſunt Bernardum, neque peccatum originale, neque eius debitum proximum in Virgine aſſeruiſſe, omni caret probabilitate*. Cur igitur non eodem modo, ac D. Bernardus explicabitur S. Thomas, qui certè non eſt locutus duriùs, quam Bernardus? poſſent hi nobiliſſimi Theologi eius diſcipuli eam adhibere curam in ſuo Doctore exponendo, quam Alumni D. Bernardi in eo exponendo adhibuerunt.

Si Deus ſua peculiari prouidentia, vti prudenter obſeruant Salmanticenſes, temperauit verba Sanctorum Patrum, vt ita loquerentur de hoc myſterio Cōceptionis, nequid detraherēt de veritate redemptionis ponendo debitum quod ſufficeret ad ſeruandam materiam Redemptionis, & hac ratione exponunt immunitatem B. Virginis à macula, cur non ita temperauerit verba S. Thomæ, quæ videntur ponere maculam perſonalem propter neceſſitatem eiuſdem Redemptionis ſignificando tantum debitum ſicuti Patres fecerunt? qui ſi ſatis explicantur per ſufficientiam debiti, ita etiam ſufficienter exponi debet S. Thomas quando videtur ponere maculam pro macula & pro materia Redemptionis? Aiunt Salmanticenſes num. 206. pag. 639. *Sanctorum Patrum verba Diuina prouidentia temperauit, vt poſſent, quod attinet ad Deiparam de ſolo debito exponi*. Conuertamus ſententiam in Doctorem Angelicum, ne illi iniuriam faciamus, negādo ei illum concurſum prouidentiæ, qui adfuit Sanctis Patribus in loquendo, ſcilicet vt ita temperauerit calamum, vt intra debitum contineret, non autem excurreret ad maculam perſonalem. Itaque temperaret Deus calamos aliorum Patrum ne officerent Immaculatæ Conceptioni, non temperaret autem calamum S. Thomæ? abſtinerent Patres à detrahendo immunitati à peccato ne inficerent B. Virginem manentes intra debitum, excurreret autem D. Thomas extra debitum ad maculandam B. Virginis Conceptionem? Ego certe

non

Digitized by Google

non credam, nec exiſtimo Patres Salmanticenſes, quos rogo, vt hæc ſua verba recolant vllatenus credituros. Itaque de ſuo illos argumento prouidentiæ monere amicè, ac reuerenter volo, vt inter Sanctos Patres numerent D. Thomam.

Equidem pro meo ſtudio in S. Doctorem, & in eos obſeruantia conari volo illis perſuadere poſſe congruè exponi hoc modo Doctorem Angelicũ hoc argumento. S. Auguſtinus habet multa teſtimonia difficilia in hac materia, quibus pro argumentis vtuntur aduerſarii, quæ diligenter afferũt iiſdem PP. Salmanticenſes ſparſim in hoc tractatu diſputat. quinta præſertim dub. 4. §. 2. & 3. & tamen iidem Patres omnia hæc teſtimonia exponunt in ſenſu congruo de contractione debiti non includendo maculam perſonalem peccati originalis; ergo ſimiliter teſtimonia S. Thomæ, quæ extant difficilia, poſſunt vti Auguſtini teſtimonio exponi. Conferantur loci cum locis, verba cum verbis par erit fermè difficultas; imo congruentius erit ita explicare D. Thomam, quàm S. Auſtinum, cum D. Thomas duobus ſaltem in locis Primo Sent. d. 17. q. 2. a. 4. ad 3. & d. 44. q. 2. ar. 3. expreſsè affirmet B. Virginem fuiſſe immunem à macula peccati originalis. Vbi obſeruo ſimilitudinem inter hos duos Doctores, qui ſunt indiſcreta ſimilitudine pares, quod etiam D. Auguſtinus duobus in locis lib. de nat. & grat. & lib. 5. contra Iulian. habet duo argumenta manifeſta pro Immaculata Conceptione, quę nos ſuperius initio Collationis 6. differ. 1. 5. 2. propoſuimus, & demonſtrationes, quaſdam morales appellauimus. Vnde vt appareat ſimilitudo, & ſeruetur æqualitas, quæ iucunda erit nobiliſſimis Theologis Salmanticenſibus dabunt operam, vt deinceps viam inueniant exponendi S. Thomam, ſicuti expoſuerunt S. Auguſtinum. Nec deſpero quin faciant homines vtrique addictiſſimi, & B. Virginis Immaculatæ Conceptionis vindices accerrimi.

Nec opus eſt aliena luce. Facem ipſi ſibi præferant. Non ij ſunt, qui ab aliis in curriculo Theologico lampada accipiant. Tradenda eſt ab iis aliis ſequentibus. Nolint ſuos ignes cinere demiſſionis, & modeſtiæ obruere. Flatum concipiant excitabunt flammas: erumpent non ſcintillæ, ſed Stellæ, & quidem lacteæ, qua lacteam viam Immaculatæ Conceptionis in D. Thomę ſcriptis expreſſam monſtrabunt. Meũ fuit, hominis Franciſcani Inſtituti, cineraceum colorem habitu præferentis cineres diſpergere, & remouere, vt lux iis contecta exiſteret, ſeque proderet. Nec cineres non decent eos qui Phænices ob ſingulare ingenium, iudiciumque, & agunt, & repræſentant.

SECTIO IV.

Corollaria circa Doctrinam Patrum Salmanticenſium.

RECtè, ac ex inſtituto illi de debito peccati originalis in B. Virgine pertractarunt. Eſt enim magni momenti quæſtio, & omnino ad hoc myſterium explicandum neceſſaria. Conuenio cum iis in eo quod attinet ad debitum in B. Virgine ponendum, ad idque ſum adductus iam quidem ab adoleſcentia mea, cum Theologię ſtudia inchoarem Conimbricæ inter Patres Ieſuitas anno 1615. cum ex magno Auctore Franciſco Suario, emerito Lectore primario illius inſignis Academiæ audiſſem non poſſe pati ſe nonnullos Theologos Societatis

cietatis negare debitum Beatæ Virgini, ac ita per Epiſtolas conſultum iiſdem reſpondiſſe, & aliquantò præter ſuum ingenium ſeueriùs eoſdem increpuiſſe. Erant autem Theologi Hiſpani ſui Ordinis Ieſuitæ, qui Compluti eam opinionem inuenerant, & vulgarant, typiſque mandare volebant. Altè tum imbibi ſententiam Suarii, quam ille poſteà ſuis commentariis inſeruit, adeo vt cum ad Scholam Scoti tranſierim eamdem retinuerim, & tradiderim. Sicuti apparet ex meo tomo de Clauibus Petri, tract. de peccat. origin & ex hoc tom. 3. Collat. ſuperiori Collat. 3. differ. 1. per totam retinens tamen, & ſequens Scoti Doctrinam de decreto incarnandi ex primo motiuo gloriæ Dei, & myſterij antecedenter ad decretum de carne paſſibili poſt præuiſum peccatum, & decretum ſecundum conſequens præuiſionem peccati. Itaque conſentio Doctrinæ Salmanticenſium, & ſtatuo debitum poſito decreto de Redemptore. Admitto inſuper tres modos debiti, radicalis, & formalis in Adamo, & in ipſamet carne mortali Beatæ Virginis affecta ijs diſpoſitionibus, quæ maculam prorſus exigerent, & inferrent, niſi anima illa Beatiſſima in ipſo puncto animationis per ſingulare Dei priuilegium præſeruaretur à macula perſonali per infuſionem gratiæ originalis; & in hoc aliquantum diſcrepo a Salmanticenſibus, quòd ii vim faciunt in voluntate Dei ex pacto nolentis includere B. Virginem, quaſi vero illud pactum omnino ſit neceſſarium, & ſufficiens ad ponendũ & tollẽdum originale peccatum; nam illud pactum, eſt voluntas Dei extrinſeca, & niſi ſtatuat aliquid à parte rei per ſolam imputationem, non ponet peccatum, neque per ſolam non imputationem, vel indulgentiam tollet. Propterea dixi per infuſionem gratiæ præſeruari B. Virginem à peccato originali, ne viderer admittere ante infuſionem gratiæ præſeruari reapſe potuiſſe. Scio iſtud pactum receptum eſſe in Scholis, & quidem iure, verùm video illud minus bene explicari; quaſi verò ratio cur peccatum originale peruenerit ad poſteros fuerit voluntas Dei cum Adamo ita paciſcentis: ſi tu peccaueris peccatum tuum contrahetur à poſteris; ſi non peccaueris, & conſeruaueris iuſtitiam originalẽ, hæc ad poſteros tuos pertranſibit; ego enim vti hanc partẽ de translatione iuſtitiæ admitto, ita alteram partẽ de traductione peccati non probo. Ratio eſt quia transfuſio iuſtitiæ erat bona, & indebita poſteris, quia gratia erat, neque naturaliter transfundebatur à primo parente ad poſteros, eratque beneficium Dei ita ordinãtis, & volentis, iuſtè quidem ad meritum, ſed non naturaliter ad gratiam. At verò in peccato tranſmittendo ad poſteros erat malum, quod Deus permittebat tantùm, & ſupponebat, non autem abſolutè determinabat ad illud peccatum, quia erat peccatum capitis, & in capite liberum naturaliter ad poſteros cum ipſamet natura infecta veniebat, neque pactum Dei cauſabat aliquid in illa transfuſione peccati, alioquin ei imputaretur peccatum, quod neceſſario liberum eſſe debet, & à libertate proficiſcitur, ſiue libertate propria perſonali, & actuali, ſiue libertate capitis habitualis, & in alio, in quo erant voluntates omnium. Quæ doctrina eſt S. Auguſtini in libris, qui habentur ſeptimo tomo contra Pelagianos, cuius eſt inſigne illud, & infallabile Effatum toties ab eo vſurpatum, *nullum eſt peccatum niſi voluntarium, & nemo,*

mo peccat in eo quod vitare non poteſt, de quo nos proximè diximus.

Vellem vt diligentius hoc animaduerterent, & penſiculatius examinarent noſtri Theologi, ac diſtinguerent pactum Dei iuſtificantis ab altero pacto de peccato originali inficiente, nam illud primum dignum eſt Deo, iſtud ſecundum videtur indignum. In primo Deus eſt cauſa boni: in ſecundo videtur auctor mali. Si enim contractio peccati originalis à poſteris fit in virtute pacti, ſicuti in primo Deus eſt Auctor transmiſſionis iuſtitiæ, ita & in ſecundo erit cauſa contractionis peccati, & contraherent homines originale peccatum, quia Deus ita ſtatuit cum Adamo, quod ſane abhorret à Theologia; itaque peccatum Adami connaturaliter cum ipſa natura ex vi libertatis in capite deſcendebat, & comprehendebat poſteros; & ideo appellatur peccatum naturæ, propter quod nos *naſcimur filij iræ*, & conſtituimur natura peccatores, non propter pactum Dei ita volentis, ſed propter voluntatem Adami ita peccãtis vt nos in eo tamquam in capite volentes peccaremus. Itaque primum pactum antecedit iuſtitiam, & cauſat transmiſſionem iuſtitiæ; ſecundum vero pactum ſupponit, non cauſat pecccatum, ſed ratam habet pænam ſuppoſita culpa. Itaq; non verſatur circa culpã, ſed ordinat culpam ad pænã, cum primum pactum cauſet gratiam, & ordinet ad gloriam, ſuppoſito quidem merito Adami, ſed merentis non in virtute naturæ, ſed in virtute gratiæ: vnde meritum ad Deum redit, peccatum vero ad hominem totum deuoluitur. Equidem ſum in Auguſtino, quod neminem latet, verſatus, fateor me non inueniſſe in cunctis eius operibus mentionem iſtius pacti quoad transfuſionem peccati, inueniſſe autem transfuſum peccatum in poſteros ex voluntate, & libertate primi parentis, in quo nos omnes peccauimus. Hæc latiùs tractanda erant, & nobis ſuus erit aliquando ex inſtituto tractandi locus. Hoc eſto primum Corollarium.

Secundum eſto. Nimis ſeueros eſſe animaduerto Patres Salmanticenſes in notanda doctrina de negatione debiti in Beata Virgine. Ego mitiùs puto agendum, non enim video fundamentum ad inurendam ei notam erroris. Minus probabilem exiſtimo, & dicerem nouam, & duriuſculam cùm initio incepit, nunc tamen non poſſum ne nouam quidem dicere, cum videam multos, nec ignobiles habere patronos, quorum nonnullos referunt hic Patres Salmanticenſes diſp. 15. dub. 4. §. 1. num. 124. pag. 606. inter quos numerant Sapientiſſimum Magiſtrum Carmelitarum Io. Baptiſtãm de Lezzana in Apolog. pro Immacul. Concep. cap. 32. & 33. qui cum ſit ex Ordine Carmelitano, & quidem Vir doctiſſimus deterrere debuiſſet Salmanticenſes à grauiori cenſura. Nata eſt hæc opinio ante Societatem, ſed obſcurior fuit, donec eam nonnulli nobiles illius Theologi cõſpicuam, claramque fecerunt. Extulit caput in Hiſpania, opinor, Compluti, & inter diſcipulos præclari Theologi Gabrielis Vaſquez ſub eius mortem ſuos natales habuit, præcipuo Patrono Patre Ferdinando Qurino Salazar Viro ingenioſiſſimo, & germano aliàs diſcipulo tanti Magiſtri, quam tota Complutenſis Academia domeſtica Societatis, quæ in ea Vniuerſitate celeberrima eſt, tunc approbauit, & deinde celebrauit. Huic poſteà ſubſcripſit doctiſſimus Iacobus Granado de geſtis mirab.

Digitized by Google

vitæ Chriſti tract. 1. diſput. 3. ſect. 12. Bæticus, & P. Benedictus Fernandes vir eruditiſſimus tom. 2. in Gen. cap. 29. ſect. 6. Luſitanus, ambo eiuſdem Societatis. Dixi *alias* quia P. Vaſquez non fuit huius auctor, nec approbator ſententię. Ac mihi quidem conſtat Comimbricæ verſanti multò ante Io. Baptiſtam Lezzanam iſtam de negatione debiti opinionem in Hiſpania inter Patres Societatis viguiſſe, nec adhærere poſſum Salmanticenſibus hic affirmantibus Lezzanam primum eius Auctorem fuiſſe. Voluerunt piè omnem gloriam ſibi vindicare, vt ſicut primi auctores fuerunt immunitatis B. Virginis à macula originali Carmelitani, ita etiam huius à debito ijdē auctores eſſent. Vnde miror quomodo ſententiam apud ſe natam, & formatam, tam ſeuerè acceperint, & notarint? Ego Societatis propriam, & in ea natam, & inuentam eſſe exiſtimo, ob ſingularē ſtudium huius Religionis in B. Virginis Immaculatam Conceptionem. Nullum enim Ordinem videas (ne noſtro quidem excepto Franciſcano) qui ardentiùs pugnet pro Immaculata Virginis Conceptione, quàm Societatis Ieſu, qui ab initio eius defenſionem ſuſcepit, & nunquā intermiſſa opera defendit. Notum eſt quantum profecerit in Conc. Tridentino per duos Pontificios Theologos Laynium, & Salmeronem ad obtinendum mirabile illud, & memorabile Decretum de nō comprehendenda B. Virgine Maria in eo termino vniuerſali *Omnes peccauerunt*, quo ſatis inſinuatur Immaculatæ veritas Conceptionis. Singularis eius prærogatiua eſt, quòd nullus Scriptorum, qui ſunt innumeri, auſus eſt immunitati B. Virginis à macula originali aduerſari, omnes quaſi ex compacto ei ſuū calculum adiecerunt, de quo ne noſter quidem Franciſcanus Ordo, qui primas hac in re habet, gloriari poteſt. Itaque non contenti Nobiliſſimi Scriptores communi ſententia de immunitate à culpa, de nouo inuexere ſententiam de immunitate à debito: inter quos præcipuus auctor haberi debet Ferdinandus Quirinus Salazar, deſignatus poſteà Archiepiſcopus Charchenſis, arbiter conſcientiæ Comitis Oliuarij, Inquiſitor ſupremi Tribunalis Hiſpaniæ, Vir ingenio, doctrina, ac eruditione præclarus, quamquam ſint qui eam gloriam primi inuentoris deferant Ambroſio Catharino Dominicano Archiepiſcopo Compſenſi, in ſuo Opuſculo de peccato originali c. vlt. & in Opuſculo pro Immaculata Concept. p. 1. c. 1. qualis eſt Vaſquez 3. p. d. 115. c. 3. & Zamorus lib. 2. cap. 27. Quam ſententiam ſæpè vidi in publicis poſitionibus defendi, & palam ſuſtineri, quæ cum eſſent typis mandatę in media Hiſpania, vbi ſeueriſſimum Inquiſitionis Tribunal eſt, ego non auſim condemnare, cùm præſertim in Luſitania, quæ adhuc ſeuerior eſt ea ſententia inoffenſo pede currat, & probabilis æſtimetur. Et quidem, vt verum fatear, non video fundamentum eam ſugillandi, nam non negat Redemptionem, ſed ponit perfectiorē modum redimendi, nempe à debito proximo, & materiali peccati inferente formale, ſiue in ſe, ſiue in Adamo non auferendo debitum remotum, tum in natura obnoxia ex ſe peccato, tum in Adamo opportuna peccato, ratione continentiæ generalis in parente vniuerſali, quæ ſatis ſunt ad materiam redemptionis, quæ niſi interueniret, expreſsè, ac in ſingulari B. Virgo in Adamo, ſicuti cæteri poſteri nominatim expreſſi, Peccatrix appareret.

Digitized by Google

referet. Alter modus, & excellentior Virgini Matri Dei attribuendus videbatur, vt non ſolum à culpa, ſed etiam à debito expreſſo, ac proximo præſeruaretur. Præterea quidquid gratiæ communicatum fuit B. Virgini non niſi per Chriſti ſanguinem, & meritum eadem Virgo accepit. Terminus autem vniuerſalis, quo vtuntur Scripturæ, & Sancti Patres verſatur in comprehenſione omnium aliorum poſterorum ſine extenſione ad B. Virginem Matrem Dei, quæ ex priuilegio ſingulari excipienda erat à communi locutione. Patres autem, & Scripturæ loquuntur in ſenſu communi non excluſo priuilegio, de quo non agebant; quia de lege ordinaria, non autem de extraordinario priuilegio cogitabant. Abſtinendum eſt igitur à cenſura: cùm hæc ſententia, & rationibus, & Auctoribus abundet, quorum vnus eſt Ioannes Maria Zamorus Capuccinus Theologus, in ſuo pulcherrimo opere inſcripto de Eminentiſſima Deiparæ Virginis Perfectione, Eminentiſſimo Cardinali Antonio Barberino titulo S. Onuphrii eiuſdem Ordinis Capuccinorum dedicato.

Emolliam tamen hic duritiem cenſuræ Salmanticenſiũ dulcedine iudicij grauiſſimi Theologi Dominicani Reginaldi Lucarini Magiſtri Sacri Palatij in ſuo Manuali Thomiſtico Controuerſiar. cap. 24. num. 243. vbi cum retuliſſet doctrinam recentiorum de B. Virginis etiam à debito peccati originalis immunitate, & iudicium de illa Bellarmini, Suarij, & aliorum eam reprobantium, ſic ait. *Quæ dicta eſſe volo inhærendo laudatis ante Doctoribus. Commendo enim plurimum pietatem, & ingenium recentiorum, quorum aliqui debitum hoc ad remotam, & remotiſſimam ſignificationem ablegarunt; alij vero ex præuiſis Chriſti meritis nullum in B. Virgine fuiſſe debitum tale ſenſerunt.*

SECTIO V.

Satisfit Patribus Salmanticenſibus maiorem lucem deſiderantibus ad exponendam mentem Doctoris Angelici in fauorem Immaculatæ Conceptionis.

NIhil dolentius, nihil grauius, nihil iniquius ferre vnquam me memini, quàm iſtam diſſenſionem, & diſceſſionem nobiliſſimorum Theologorum ab Angelico Doctore, cùm nihil mihi euenire poſſet optatius, quàm eorumdem cum illo conſenſio, & coniunctio. Cùm enim, & Sanctum Doctorem magnoperè diligam, & illos vehementer amem, nollem, vt aut illi diſſentiendo à ſuo Magiſtro, eius aliquatenus auctoritatem eleuarent: aut à ſuo Duce diſcedendo minus ſolipræſidij, ac roboris ad piæ ſententiæ defenſionem afferre viderentur. Quare in id hactenus incubui, vt ipſorum teſtimoniis lucem afferrem ad demonſtrandam viam euadendi ex obſcuritate, quam ſibi fatebantur obiectã, propter difficilem locorum S. Thomæ intelligentiam. Sed non omnino mihi ſatisfeci, quòd neſcio quanti facienda ſit mea in ijs afferendis diligentia, & in exponendis induſtria. Itaque ſtatui aliunde lumina quærere, hoc eſt duos ex præſtantiſſimis, Thomiſtas, tam dilucidè exponentes in rem noſtram eadem teſtimonia, vt nulla prorſus dubitandi remaneat, vel obſcuritas, vel caligo. Sũt autem ambo celeberrimi Theologi: quos hic produco, tamquam duo candelabra aurea ante Dominam Deiparam.

ram Lucentia, accenſa ad mentem Doctoris Angelici demonſtrandam; Addo: duo Cherubim videri eos iure alis penarum ſuarum obumbrantia, ideſt protegentia, propitiatorium B. Virginis, ne quis eius Immaculatam Conceptionem obtentu Angelicæ auctoritatis impugnet. Inter Thomiſtas facile occurrunt Angeli omnium ordinum, cum ipſi omnes Hierarchias poſſideant ſub Doctore Angelico, qui nomine Angeli nouem illos Ordines comprehendit. Alios tu Seraphinos, alios Thronos, alios aliis nominibus appelles, hos duos ego Cherubinos dicam. Vnus eſt Fr. Ioannes à S. Thoma illuſtris nomine ſuo Auctor, Arbiter conſcientiæ Regis Catholici Philippi IV. Alter Reginaldus Lucarinus ſatis notus, & nomine, & dignitate, ſcilicet Magiſter Sacri Palatii, & Epiſcopus Ciuitatis Plebis. Producam verò eorum teſtimonia, & conferam in duas columnas eiuſdem paginæ diuiſas, ſibi mutuo reſpondentes diuerſis typis, vt ipſa varietate iucundiorem efficiant harmoniam. Spero fore, vt cùm eam audierint Salmanticenſes Theologi illecti ſuauitate concentus malint cum iis de S. Thomæ intelligentia libenter, dulciter concinendo conſentire, quàm inſuauiter occinendo diſcrepare.

Ioannes à S. Thoma in ſuo Curſu Theologico in 1. p. S. Thomæ to. 1. in tract. de approbat. & auct. doctrinæ Angelicæ D. Thomæ diſp. 2. art. 2. pag. 224.

Nihil mihi videtur ita commendare cæleſtem D. Thom. doctrinã, quàm ſi attentè inſpiciamus, quanta vigilantia S. Doctoris calamum in hac re diuina prouidentia temperarit, ne in particulari aliquid ſcriberet, quod præſenti Eccleſiæ ſtatui, & ſenſui, quē habuit circa Virginum conceptum contradicere poſſet.

Duo ergo oportet diligenter prænotare in D. Th. doctrina pro huius determinationis luce. Primum, longe aliter locutum fuiſſe D. Th. cum in generali, & in communi ageret de vniuerſalitate peccati originalis quantum eſt ex vi legis, & omni priuilegio ſecluſo, aliter cum in particulari de B. Virgine tractauit, vbi de ipſius preſeruatione ex vi priuilegij agebatur. Nam loquendo ex vi legis ita vniuerſalitatem originalis peccati extendit, vt nulli exceptioni dederit locum, & oppoſitum cenſura inuſſerit, vt

Reginaldus Lucarinus in Manuali Thomiſticarum Controuerſiarum p. 1. Concl. 24. pag. 152.

Concluſio, quæ cenſetur S. Thomæ oppoſita.

Beatiſſima Virgo ſeminaliter ex Adam deriuatur, & tamen non eſt erroneum dicere eam ab ipſo deriuari abſque originali peccato.

Item firmiter tenetur ſeruata fide catholica B. Virginem præter Chriſtum ex Adam deriuatam peccatum originale ex Adamo non contraxiſſe.

ITA Summi Pontifices Sixtus IV. Pius V. Paulus V. Gregor. XV. & Alexander VII. in eorum notiſſimis Conſtitutionibus, ac Sacr. Concil. Tridentinum in fine Canonum de peccato originali ſeſſ. 5.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

EX illis propoſitionibus à S. Thom. prolatis locis vbi ſupra malè infertur ipſum contradixiſſe Conſtitutionibus

Ioannes à S. Thoma.

vt ſtatim oſtendemus: vbi autem in ſingulari agit D. Th. de ipſa B. V. an ſit excepta à peccato originali, nuſquam cenſuram aliquam appoſuit. Secundũ quod aduertimus eſt, quod D. Th. nunquam propoſuit quæſtionem directè: An B. V. contraxerit peccatum originale, an vero fuerit præſeruata, ſed vtrum fuerit ſanctificata ante animationẽ, quia cum in conceptione B. V. attendantur duo, ſcil. & perſona concepta, vt terminus, & actio ipſa generandi, ſeu concupiſcendi, & vtrumque conceptionis nomine ſignificari ſoleat, & poſſit, non fuit ſollicitus D. Th. quærere de perſona, an fuerit præſeruatione priuilegiata, ſed de actione, & principijs ex quibus generata eſt perſona ſcil. anima, vel carne ante animationem, an ex vi ſua induxerint ſanctitatem in perſona, & curæ fuit ipſi excludere ab actione priuilegium, & carentiam debiti contrahendi peccatum, hæc enim carentia ex ipſa actionis generatiuæ ſanctitate, ſeu priuilegio ſequebatur. De perſona vero concepta, an fuerit priuilegiata, non obſtante actione ipſa, ſeu actiua conceptione, quæ ſuo tempore iam currebãt, de vtraque locutus ſit probabiliter, ſicut illo tempore debebat loqui propter Romanæ Eccleſiæ authoritatẽ, nondum tunc poſitiuè fauentis, ſed ſolũ permittentis opinionem piam, & ita ad Eccleſiæ authoritatem ſe remittit, ſicut & Scotus fecit, cum iudicium de hac re protulit quantum ad quæſtionem de facto.

Igitur circa primum hoc punctum quod notamus, aduertendum eſt quod fuit neceſſarium D. Thomæ tractare illam quæſtionem cum ageret de peccato originali, an vniuerſaliter in omnes homines pertranſeat ex vi legis, & ſecluſo priuilegio, quia hæreſis Pelagiana, licet à principio negaret peccatum originale

in

Reginaldus Lucarinus.

nibus poſteriorum Summorum Pontificum, & Sac. Conc. Trid. Decreto; nam S. Doctor nunquam dixit opinionem eximentem B. Virginem ab originali culpa eſſe erroneam, nec ſeruata fide catholica id dici non potuiſſe, ſed in doctrina tradita intendebat ſtabilire fidei dogma, quod Pelagiani euertebant; docuit namque ex ordinaria lege, præciſo quocumque priuilegio à Deo alicui conceſſo; omnes homines ſeminaliter ab Adam deriuatos contrahere originale, & hoc eſſe firmiter ſecundum fidem catholicam tenendum, quod nullus catholicus negabit; ideoque oppoſitum meritò erroneum cenſetur à S. Thoma, qui locutus eſt in eadem vniuerſalitate de peccato originali ab omnibus contrahendo, in qua loquitur S. Auguſtinus lib. de nat. & gratia cap. 41. in libris contra Iulianum præcipuè lib. 5. cap. 9. & lib. 6. cap. 12. & loquuntur Conc. Arauſicanum Can. 77. Mileuitanum Can. 2. omneſq; paſſim Eccleſiæ Doctores, ac Scriptores antiqui, quæ tamen vniuerſalitas B. Virgini non præiudicat; ipſam enim tuto poſſumus ab vniuerſali illa ordinaria lege exceptam credere, & dicere ex priuilegio ſpeciali originale non contraxiſſe, cui exceptioni, ac priuilegio S. Auguſtinus, & S. Thomas, cæterique omnes Doctores etiam in Cõciliis generalibus congregati non refragantur, dum vniuerſalem illam propoſitionem contra Pelagianos firmauerunt eſſe de fide, quod in Conc. Tr. dũ ſeſſ. 5. cùm de peccato originali tractaretur, declaratum fuit verbis expreſſis. Hanc ſuam mentem S. Doctor clariùs patefecit in 4. diſt. 43. q. 1. ar. 4. ad tertium, vbi docet, quòd ſi ſine errore poni poſſet aliquos non eſſe morituros, adhuc originale contraherent,

Ioannes à S. Thoma. | *Reginaldus Lucarinus.*

in paruulis, ſed peccatum Adæ ſibi ſoli nocuiſſe affirmaret, tamen poſtea ita peccatum originale confeſſi ſunt, quod tamen aſſerebant non in omnes homines pertranſire nullo excepto (ex vi legis loquebantur non ratione priuilegij.) Et cum Apoſtolus dicit Rom. 5. in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, ly omnes dicebant idem eſſe quod multos, non autem omnes nullo excepto, quod in eodem c. dicebant Apoſtolum indicaſſe dum dicit: Per vnius in obedientiam peccatores conſtituti sũt multi, & ſic ly omnes, idẽ eſt quod multi. Et dicendo de Chriſto. Per cuius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem, ly omnes non intelligitur de omnibus nemine excepto, ſed de multis qui iuſtificantur.

Hoc ergo aduertens Auguſt. in Pelagio, & Iuliano eius diſcipulo, non ſolum contra fidem eſſe aſſeruit negare peccatũ originale in paruulis, ſicut primo negauit Pelagius, ſed etiam affirmare quod non omnes tangit nemine excepto ex vi legis ordinariæ, ſicut ſecundo Pelagius dixit. Videndus eſt Aug. lib. de natura, & gratia, cap. 41. vbi inquit: Illud quod commemoraui per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per pectũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt, & antiquos, & recentiores, & nos, & poſteriores noſtros ſententia iſta complectitur. Ponit etiam Pelagius teſtimonium vnde probet cum dicitur omnes, non ſemper omnes, nullo prætermiſſo debere intelligi, ſicut inquit per vnius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, ſic per vnius iuſtitiã in omnes homines in iuſtificationem vitæ, cum per Chriſti, inquit, iuſtitiam nõ omnes homines, ſed eos tantum qui illi obedire voluerunt, ſanctificatos eſſe non du-

rent, quia Deus poſſet liberare à morte eos, qui reatum mortis contraxerant cum originali naſcendo, ex hac authoritate colligitur S. Doctorem noluiſſe reprobare opinionem quorundam dicentium aliquos homines non eſſe morituros, quamuis ſcriptum ſit, 2. Reg. 14. omnes morimur, & Pſal. 88. 49. quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem, &c. ſed docuiſſe, ſi ſine errore hoc dici potuiſſet, aliquos quidem non morituros, ſed omnes reatum mortis incurſuros, cum nati eſſent in originali. Vnde patet S. Doctorem non recuſaſſe admittere cum quibuſdam hoc opinantibus, aliquam exceptionem in Scripturæ Sacræ propoſitionibus vniuerſalibus omnium mortem futuram indicantibus, ortam ex lege priuata, vel ſpeciali priuilegio alicui conceſſo, quod loquendo de B. Virginis reſurrectione ſecundum carnem ante communem omnium reſurrectionem admiſit expreſsè 3. p. qu. 30. art. 2. ad ſecundum: dicendo cum Auguſtino in ſer. de Aſſumpt. B. Virgo Maria vera æſtimatione à quibuſdam generalibus excipitur. Ergo cum ſine errore dici poſſit B. Virginem originale non contraxiſſe, in ſententia S. Thomæ eam excipere poſſumus ab vniuerſali illa propoſitione Rom. 5. in quo, ſcilicet, in Adam, omnes peccauerunt, aliiſque ſimmilibus, quæ in Sacra Scriptura leguntur, & aſſerere, cum deberet, quia ab Adam ſeminaliter deriuata eſt, originale contrahere, fuiſſe ſingulari priuilegio præſeruatã, quod egregiè confirmant huius labẽtis ſæculi noſtri Patres eximij S. Thomæ mentis interpretes, Ioannes de S. Thoma, quid deceſſit Catholici Regis Confeſſarius, in Curſu Theologico Tomo primo inter tractatus, quos in

Ioannes à S. Thoma.

dubium ſit. Non plane teſtimonio iſto probat quod vult; nam ſicut dictum eſt ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, vt nullus prætermitteretur, ſic in eo quod dictum eſt per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ nullus prætermiſſus eſt; non quia omnes in eum credunt, ſed quia nemo iuſtificatur, niſi in eum credat. Ad hæc in libr.6. contra Iulianum, cap.12. alias 24. poſtquam probauit Auguſtin. illud verbum, omnes ſignificare omnes nullo prætermiſſo, ſubdit: Vos autem dum non omnes, ſed multos per Adam condemnatos, ſiue per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda peruerſitate Chriſtianæ religioni reſiſtitis. Denique in libro de perfectione iuſtitiæ cap.21. tomo 7. eiſdem ferè verbis, & ſub eadem cenſura loquitur Auguſtin. ac D. Thom. in prima ſecundæ quæſt.81. iam citata, dicit enim Auguſtin. Quiſquis eſſe, vel fuiſſe in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, vno excepto mediatore Dei, *& hominum, quibus non fuerit neceſſaria remiſſio peccatorum, contrarius eſt diuinæ ſcripturæ, vbi Apoſtolus ait per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt in quo omnes peccauerunt. Et neceſſe eſt, vt impia contentione aſſerat, eſſe poſſe homines, qui ſine mediatore Chriſto liberante, atque ſaluante ſint liberi, ſaluique à peccato. Hæc Auguſt. illatio apertè ſequitur in Pelagij ſententia, ſi ex vi legis, & ſecluſo priuilegio non in omnes homines nullo prætermiſſo peccatum tranſiret, ſed aliquis ſine illo generaretur, tunc enim ille non indigeret redemptione per Chriſtum, quia ex ipſa lege ordinaria careret peccato.*

Ex

Reginaldus Lucarinus.

in limine ad Theologiæ Tyrocinium præmittit, Tract.3. diſp.2. ar.2. §. Confirmat ſe S. Thomas. Impreſs. Genuenſis 1654. Dominicus de Marinis Archiepiſcopus Auenionenſis in ſua expoſitione Commentaria in Primam ſecundæ S. Thomæ Lugduni 1663. impreſſa, quæſt.81. art.3. cap. vnico, & Marcus Serra in ſumma Commentariorum in p. 2. S. Thomæ Romæ impreſſa 1653. Tom. 2. ad eiuſdem q.81. art.3.

Dices S. Thomam iudicaſſe præter Chriſtum, nullum alium excipi poſſe ab originali, nec quidem B. Virginem; quam originale contraxiſſe pluries docuit ex hac potiſſimum ratione, quia aliàs non fuiſſet à Chriſto redempta, ita quodl.6. a.7. ad Annibal.3. diſt.3. a.1. in alio ſcripto diſt. eadem q.1. art.1. q.1. art.2. quæſt.2. in Pſalm. 113. Verſ. Non eſt qui faciat bonum, Opuſc.2. p.p. cap. 224. opuſc.60. art.3. 3. part. quæſt.27. ar. 2. cap. & ad 3. &c. Ergo S. Thom. ſicut erroneum iudicaſſet dicere B. Virg. redemptione facta per Chriſtum non indiguiſſe, vt colligitur ex loco adducto ex 4. Sent. ita erroneum iudicaſſet excipere B. Virg. ab originali, ex quo inferretur in eius ſententia ipſam huiuſmodi redemptione non indiguiſſe.

Reſp. S. Thomam Chriſtum eximere ab omni debito contrahendi peccati originalis maculam; ex hac etiam ratione, quia ipſe ſeminaliter ab Adam non deſcendit, & ideo ſi B. Virgo ab Adam non deſcendiſset ſeminaliter, infert quod ipſa non ſolum originale non contraxiſset, ſed nec debitum illud contrahendi incurriſset; ideoque non indiguiſset redimi per Chriſtum. Ita quodl.6. art.7. vbi ſic ait, à quo ſcilicet ab originali, ſolus Chriſtus excipitur, qui in Adam non fuit ſecundum ſemi-

nalem

Ioannes à S. Thoma.

Ex his ergo manifeſte deducitur, quod cum D. Thom. tractauit de natura peccati originalis, eiuſque vniuerſalitate, & amplitudine in totum genus humanum, oportuit determinare contra Pelagium, & ſecundum fidem Catholicā non ſolum contrahi peccatum originale à paruulis, ſed etiam in omnes homines nullo prætermiſſo, peccatum hoc tranſire, excepto Chriſto, ex vi legis loquendo, cum etiam hoc ſecūdum fuerit à Pelagio aſſertum, & tanquam diſtinctus articulus in Concilio Palæſtino fuerit ei propoſitus ad abiurandum. Nam primo dictum eſt, vt abiuraret; Quod peccatum Adam ipſum ſolum læſerit, & nō genus humanum. Secundo, Quod per mortem, & præuaricationem Adam non omne genus humanum moriatur, & quod non per reſurrectionem Chriſti omne genus humanū reſurgeret. Igitur D. Th. debuit explicare hoc ſpecialiter, quod ſecundum fidem catholicam cōtra Pelagium fatēdū eſt omnes homines nullo excepto, niſi vno mediatore Chriſto, loquendo ex vi legis, & ecluſo priuilegio (vt loquitur D. Th. & Aug. vtpote contra Pelagiū) contrahere peccatum originale, & ſic poſuit D. Th. 1.2.q.81.a.3. & q.4. de malo, ar.6. & in 4. diſt.43.q.1.a.4. ad 3. & ſub cenſura id debuit affirmare, quia eſt dogma catholicum contra Pelagij hæreſim, & ſub eadem cenſura notatur ab Auguſt. locis, & ob eandem rationem, qua vtitur D. Thom. ſcilicet, quia alias non indigeret aliquis redemptione per Chriſtum, de quo etiam videndus eſt Aug. 6. contra Iul. cap.4. & 5. contra Iulianum, cap.2. & 20. de Ciuit. cap.6. & lib. de fide ad Petrum cap.26.

Neque verba Diui Thomæ, & Auguſtini ita vniuerſalia, & ſub cenſura poſita in aliquo lædunt, aut tangunt ſingulare Beatiſſimæ V. priuilegiū, quia quan-

Reginaldus Lucarinus.

nalem rationem, alioquin ſi hoc alteri conueniret quam Chriſto, non indigeret Chriſti redemptione; vbi notandum eſt cum Fratre Ioanne de S. Thoma vbi ſupra Tract.3. qui eſt de Approb. & auctoritate Doct. S. Thom. diſp.2. art.2. §. Conformat ſe S. Thomas ſenſui Eccleſiæ illud pronomen hoc referri ad eſſe in Adam ſecundū ſeminalem rationem, vnde ſenſus verborum S. Doctoris eſt, ſi B. Virgini cōueniret nō fuiſſet in Adam ſecundum ſeminalem rationem, ſicut conuenit Chriſto, non indiguiſſet Chriſti Redemptione, quod patet expreſſè, tunc enim nulla in ea fuiſſet captiuitas, nec in ſe, nec in ſua radice, & conſequenter nullum debitum contrahendi originale, ad quod tollendum ſua redemptione Chriſtus venit principaliter, qua ratione doctè probat *Suarez* in 3. part. *S.* Thomæ Tomo primo diſp. 42. ſec.2. circa finem Angelos propriè loquendo non fuiſſe à Chriſto ſua morte redemptos.

Ad hoc verò quod Beata Virgo indigeret Chriſti Redemptione, ſatis fuit ipſam ab Adam ſeminaliter deſcēdiſſe, ex quo debitum originale contrahendi incurrit; ideoque ſuppoſita eius ab originali preſeruatione; cum ex hac ſeminali deſcendentia incurriſſet debitum contrahendi originale, adhuc indigebat vt à Chriſto redimeretur; & hæc eſt mens S. Thomæ; nam 2. diſtinct.28. quæſt.1. art.2. ad 3. ita loquitur. *S*icut à neceſſitate moriendi homo non liberatur niſi per gratiam, ita & à neceſſitate ſubiacendi illi peccato per originē à parentibus in poſteros transfuſo. Ex his patet *S*anct. Thom. neceſſitatem moriendi, & neceſſitatem ſubiacendi originali inter ſe comparaſſe, ac docuiſſe, quod ſicut, ſi ſine

Digitized by Google

quando lex aliqua fertur vniuerſaliter pro omnibus, in toto rigore veritatis dicitur quod lex illa omnes nullo prætermiſſo comprehendit, etiam ſi aliquis per priuilegium excipiatur, non enim hæc duo inter ſe pugnant, quod ex vi legis omnes ſint comprehenſi, & ex vi priuilegij aliquis ſit exemptus, immo potiùs natura priuilegij ſupponit, ex vi legis oppoſitum deberi, alioquin priuilegium non eſſet ſi ab vniuerſalitate legis non exciperet: hoc enim ſenſu, dixit optime Auguſt. epiſt. 50. Quod diſpenſatio eſt vulnus contra integritatem ſeueritatis. Non ergo priuilegium tollit vniuerſalitatem ex vi legis, ſed ſupponit, excipit autem ex vi priuilegij. Vnde Eſther 15. dixit Aſſuerus Rex; Non pro te, ſed pro omnibus hæc lex lata eſt. Vbi conuenientius videbatur dicendum, non pro te, ſed pro reliquis, non autem dixit ſic, ſed pro omnibus, vt daretur intelligi optimè ſtare, quod lex ſit pro omnibus vniuerſaliter; licet non ſit pro aliquo ex vi priuilegij. Ergo bene ſtat, de fide eſſe quod ex vi legis ordinariæ omnes incurrunt peccatum ſolo Chriſto excepto, & tamen in nullo lędatur ſingulare priuilegium Virginis.

Scio Caietan. & Medinam ſuper illũ locum ex prima ſecundæ, propoſitionem D. Thom. in hoc ſenſu accipere, quod ſolum ſit de fide omnes homines contrahere peccatum originale quoad debitum, non de facto; ſicut eſt de fide omnes homines habere debitum moriendi, non tamen eſt de fide, ſed in opinione, an aliqui de facto non ſint morituri, illi videlicet qui in vltimo fine mundi inuenientur. Cæterum communior D. Thom. interpretatio eſt, quòd loquitur D. Thom. in illa vniuerſali propoſitione ex vi legis ordinariæ, relinquendo ſemper locum priuilegio. Ita cenſent Ferrar. 4. contra Gentil.

errore dici potuiſſet, quoſdam non morituros, hos non liberandos à morte, niſi per gratiam, ita, hoc eſt, eodem prorſus modo, ſi abſque errore dici potuiſſet aliquem ab originali liberandum, hunc liberandum non fore niſi per gratiam, ſed hæc eſt B. Virgo, quam dicere poſſumus ſine errore liberã ab actuali originalis contractione fuiſſe. Ergo S. Thomas conſequenter loquendo dixiſſet explicitè hoc illi per gratiam accidiſſe, maximè ſi modo viueret, quando hoc dici poſſe ſine errore Eccleſia iam declarauit, & iuſſit.

Sed vt mentem S. Doctoris propius intueamur, perpendenda ſunt, quæ docuit in 4. vbi ſupra; ibi enim poſtquam pręmiſiſſet erroneum eſſe dicere, quod aliquis ſine peccato originali concipiatur præter Chriſtum, vt oſtenderet in quo ſenſu accipiendum eſſet, quod dixerat, ſubdit, oportet autem ponere, quod quilibet perſonaliter redemptione Chriſti indigeat, poſtea reddendo rationem, qua quilibet in ſua ſententia indigeret redemptione Chriſti; ibidem ferè immediatè ſubiungit. Liberari autem à malo, vel à debito abſolui non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus eſt, & ita non poſſent omnes fructum Dominicæ redemptionis in ſe percipere, niſi omnes debitores naſcerentur, & malo ſubiecti; vnde dimiſſio debitorum, & liberatio à malo non poteſt intelligi, quin aliquis ſine debito, vel immunis à malo naſcatur. Ergo in ſententia S. Thomæ, ideo erroneum eſt dicere aliquem non contrahere originale, quia ex hoc ſequeretur aliquem futurum deſcendentẽ ſeminaliter ab Adam, qui non indigeret Chriſti Redemptione, ſed ipſe declarat

Ioannes à S. Thoma.

Gentil.cap.50. Zumel.1.2.quæſt.81.art.3.quæſt.vnica, Lorca, & Aluarez ibidem. Pater Azor.tomo 1 Inſtit.lib.4.cap.34. Salas tomo 2.in 1.2. tractat.13. diſp.11.ſect.5.quæſt.11. Valentia 1.2. diſput.6.q.11.puncto 2. Monteſinos 1.2.quæſt.81.artic.3.diſputat.11.quæſt.6.num.124 Cornelius à Lapide ſuper epiſt. ad Rom. cap.5. Eodem modo explicant propoſitiones vniuerſales Sanctorum, quod loquantur ex vi legis, non ex vi priuilegij; Paramo lib.3.de edicto fidei quæſt.5. Bellarmin. lib.4. de amiſſione gratiæ cap.16. Ægidius à Præſentatione de Immaculata Conceptione lib.3. qu.4 præſertim artic.2. & quæſt.5.ſeq. Suarez 2. tomi 3.part.diſput.3.ſect.5. Vazquez 2. tomo ad 3.part.diſput.117.cap.10. & ſequentibus. Quare ex illa vniuerſali propoſitione D.Thom. & eius cenſura, quæ ſolum reſpicit id quod ex vi legis ordinariæ cōprehenditur, nullum præiudicium, nec cenſura reſultat in eam opinionem, quæ ex priuilegio concedit B.Virg. præſeruationem à peccato, non ex vi legis, prohibitio autem Sedis Apoſtolicæ in cenſurando, ſolum eſt circa opinionem piam, quæ ex priuilegio dicit B.V. eſſe præſeruatam, non ex vi legis ordinariæ, quæ eſt pro omnibus. Vnde quando D.Thomas agit de B.V. in particulari non cenſurat, licet vtatur eadem ratione, quia alias non egeret redēptione Chriſti, vt patet 3.p.q.27.art.2. & in 3.diſt.3.quæſt.1.art.1. & alijs locis infra adducendis.

Circa ſecundum, quod in D.Thom. notandum diximus, illud eſt præ oculis habendum: ipſum bene aduertiſſe omnes modos, quibus poterat contingere iſta ſanctificatio Virginis, non ſolum modo ordinario ſicut fit in alijs hominibus ex peccato, ſed etiam præſeruatione ne in illud incideret, aut etiam per gratiam ali-

Reginaldus Lucarinus.

clarat ſat eſſe incurriſſe debitum mali ad hoc, vt quis liberatione, ſeu redemptione indigeat: ergo in ſententia ipſius S. Thomæ, ſi B. Virgo contraxit tantùm debitum originalis culpæ, quamuis originalem culpā actualiter non contraxiſſet, indiguiſſet liberari, ſeu redimi à Chriſto. Vnde infertur in doctrina S. Thomæ tantùm haberi, quod erroneum ſit dicere B. Virginem non contraxiſſe debitum peccati originalis; non verò erroneum eſſe dicere B. Virginē originale actualiter non contraxiſſe, negantes verò in B. Virgine debitum contrahendi originale, tanquam de propoſitione Theologica cenſura digna confutantur à Bellarm. Tomo 4. Cont. de amiſſione gratiæ. Cap. 16. à Suarez in 3. p. Tomo 2. diſput. 3. ſect. 2. ſ. Quæret aliquis, & alijs, qui B. Virginem ab actuali originalis contractione eximunt poſt ſupradictorum Pontificum Conſtitutiones, & Concil. Trident. Quæ dicta eſſe volo inhærendo laudatis ante Doctoribus; Commendo enim plurimum pietatem, & ingenium recentiorum, quorum aliqui debitum hoc ad remotam & remotiſſimam ſignificationem ablegarunt; alij verò ex præuiſis Chriſti meritis nullum in B. Virgine fuiſſe debitum tale ſenſerunt.

Si omnes D. Thomæ authoritates, in quibus dicere videtur B. Virginem originale peccatum incurriſſe, rectè, & attentè examinarentur, veluti ego eas in ſpeciali Tractatu doctis amicis communicato, & probato examinaui, euidenter intelligeretur nullam eſſe, quæ nos cogat aſſerere Sanctum Doctorem loqui de B. Virginis actuali originalis contractione, ſed inuariato verborum ſenſu, & firma manente totius diſcurſus ſerie, comprehende-

retur

Digitized by Google

Ioannes à S. Thoma.

aliquam ante animationem, vel collatam animæ, vel purificantem materiã ſeminalem, aut embryonem. Quod bene aduertit Seraphinus à Porrecta ſuper 3. par. quæſt. 27. art. 2. Fuit autem ſollicitus D. Thomas excludere non tam ipſam præſeruationem perſonæ Virginis in inſtanti reali ſuæ productionis, quã præſeruationem carnis, vel animæ, ita quod ex vi conceptionis actiuæ, ſeu generationis redderetur ſancta illa perſona, in ſe autem in quantum perſona ſingularis, & producta non eguiſſet gratia liberationis, nec debitum haberet incurrendi, ſed tota gratia fieret, vel parentibus, vel actioni, ſeu principijs ipſis, vnde perſona illa reſultare debebat, id eſt carni, vel animæ ante animationem. Hoc fuit intentum D. Th. & ideo ſemper inquiſiuit, an fuerit ante animationem ſanctificata. Quod vero ipſa perſona iam producta, quæ ex vi, & modo ſuæ conceptionis habebat debitum incurrendi, de facto non incurrerit peccatum, D. Thom. non fuit multum ſolicitus, ſed vtrique ſententiæ dedit locum Eccleſiæ, ad quam ſolum pertinet iudicare hanc quæſtionem de facto.

Hoc autem euidens fiet ex ipſis locis D. Thom. vbi ex profeſſo hanc quæſtionem tractat, in quibus videbimus eum agnouiſſe etiam præſeruatiuam redemptionem, & præcipuè intendiſſe negare, quod gratia iſta non fieret parentibus, vel naturæ, ſed ſi fieret, deberet fieri perſonæ ipſi Virginis in ſingulari; in ipſa vero perſona producta requirit ſolum, vel debitum, vel peccatum, vt dicatur redimi, & liberari, non verò ſolum peccatum. Et in primis occurrit ad hoc inſignis locus D. Thom. in 4 diſt. 43. q. 1. art. 4. ad 3. & habetur in additionibus ad 3. part. quæſt. 78. artic. 1. ad 3. Propoſuerat D. Thom. argumentum, quod aliquando

Reginaldus Lucarinus.

retur omnes illas authoritates pati interpretationem hanc de ſolo debito originali ſubiacendi; nam in ſententia S. Thomæ, hoc debito in Beata Virgine poſito, inoffenſum remanet fidei dogma de cæterorum omnium in peccato conceptione, quod S. Doctor ſtabilire, & firmare intendebat contra Pelagianos. Nam ſingularia B. Virginis priuilegia fidei dogmata non euacuare docuit, vt ex ſupradictis patet; & cum docuiſſet ſæpius Beatam Virginem ab Adam ſeminaliter fuiſſe deriuatam, quia ex hac radice erat in ea debitum originale contrahendi, inferebat eam indiguiſſe Chriſti redemptione, quod certum eſt in fide. Vnde cum S. Doctor in prædictis, quę ad fidem pertinent, ſolidandis totus eſſet, probare intendebat B. Virginẽ, nec ex vi generationis actiuæ, nec ante animationem ſanctificatam fuiſſe ab originali, quia his probatis, ſequebatur B. Virginem ſaltem debitum contrahendi originale incurriſſe, & per Chriſtum fuiſſe liberatam; excluſo enim etiam omni debito, vt ſupra dicebamus, nulla apud S. Thomam remanebat ratio, qua probaretur eius redemptio, quæ ſalua fide, negari non poteſt. Conſonant hæc doctrinæ traditæ ab egregio mentis S. Thomæ interprete Caietano 1. 2. q. 81. ar. 3. quam poſtea ſequuti ſunt, & ſequuntur præſtantiſſimi Thomiſtæ mentis S. Thomæ ſtudioſiſſimi indagatores, & patroni, dum eius ſententias verſant, & commentariis illuſtrant.

XXV.

1 *Dum celebratur feſtum Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis intelligitur ſanctificatio.*

2 *Dum celebratur feſtum Conceptionis B. Vir-*

Digitized by Google

Ioannes à S. Thoma.

quando Deus hoc Eccleſiæ præſtabit vt naſcantur homines abſque peccato originali, eo quod Eccleſia petit ſibi debita relaxari, & ſic vt plenarie aſſequatur hanc petitionem, oportet quod plenarie aliquando aſſequatur relaxationem debitorum, quod non erit niſi aliquis homo ſine peccato originali concipiatur. Reſpond. D. Thom. *Quod hoc eſt erroneum dicere, quod aliquis ſine originali peccato concipiatur præter Chriſtum, quod ſic non indigeret Redemptione per Chriſtum. Et ſubdit. Noc poteſt dici quod non hac redemptione indiguerunt, quia præſtitum fuit eis, vt ſine peccato conciperentur (ecce gratia, ſeu redemptio præſeruatiua) quia illa gratia facta eſt parentibus, vt in eis vitium naturæ ſanaretur, quo manente ſine originali peccato generare non poſſent, vel ipſi naturæ, quæ ſanata eſt. Oportet autem ponere quod quilibet perſonaliter redemptione Chriſti indigeat, non ſolum ratione naturæ: liberari autem à malo, vel à debito abſolui non poteſt, niſi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus eſt (ecce diſtinguit contrahere malum, vel debitum tantum) & ita non poſſent omnes fructum dominicæ redemptionis in ſe ipſis percipere, niſi omnes debitores naſcerentur, & malo ſubiecti, vnde dimiſſio debitorum, & liberatio à malo non poteſt intelligi, quin aliquis ſine debito, vel immunis à malo naſcatur, &c.* Ita D. Th. *vbi ponderandum eſt D. Thomam negare illam gratiam præſeruatiuam, quæ fieret parentibus tantum, vel naturę, non ipſi perſonæ, eo quod reputat vt magnum inconueniens, quod aliqua perſona in ſe perſonaliter non egeat Redemptione, ſed gratia quæ illi fit, ſit in ſuis parentibus, vel ipſi naturæ, aut principijs naturæ, puta animæ, vel carni ante conſtitutam perſonam, & ante ani-*

Reginaldus Lucarinus.

B. Virginis, nomine Conceptionis intelligitur Conceptio.

3 *S. Thomæ Doctrinæ veritas.*

Concluſio S. Thomæ attributa.

Dum celebratur feſtum Conceptionis B. Virginis nomine Conceptionis intelligitur ſanctificatio.

COlligitur hæc Concluſio ex S. Thom. verbis 3. p. q. 27. ar. 2. ad tertium, vbi ſic ait. Licet Eccleſia Romana Conceptionem Beatæ Virginis non celebret; tolerat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud celebrantium; vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda, nec tamen per hoc, quod feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in ſua Conceptione fuerit ſancta; ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit, ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius, potius, quam Cõceptionis in die Conceptionis ipſius, idem repetit opuſc. 60. ar. 3. & in 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. qu. 1. cap. ait. S. Bernardus ad Lugdunenſes ſcribit Conceptionem ipſius celebrandam non eſſe, quamuis in quibuſdam Eccleſijs ex deuotione celebretur, non conſiderãdo Conceptionem, ſed Sanctificationem, quę quando determinata fuerit, incertum eſt; & quodl. 6. art. 7. dixit. Romana Eccleſia, & plures aliæ conſiderantes conceptionem B. Virginis in originali fuiſſe, feſtum Conceptionis non celebrant; aliæque verò conſiderantes ſanctificationem eius in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem; creditur enim quod citò poſt Conceptionem ex animæ infuſione fuerit ſanctificata: Vnde illa celebritas non eſt referenda ad Concep-

Digitized by Google

Ioannes à S. Thoma.

animationem. Secundo pondera quod ad liberationem per Chriſtum diſiunctiue poſtulat D. Thom. vel debitum, vel culpam in eo qui redimendus eſt, ergo ſi ſufficienter ſaluat D. Thom. redemptionem per Chriſtum in aliquo, qui ſolum naſceretur cum debito, non amplius requirit quando loquitur de Virgine, & infert pro inconuenienti, quia alias non indigeret redemptione per Chriſtum, intelligit enim quod non indigeret ſi conciperetur ſine debito, aut ſine peccato, nō tamen ſi conciperetur ſine peccato, dummodo conciperetur cum debito in perſona. Et quoties D. Thomas infert quod non indigeret redemptione, ly non indigeret, eſt quia excluditur etiam debitum, hoc enim ſi datur ſufficit ad indigentiam liberationis, vt ex iſto loco colligitur. Et ita locus hic maxime prælucet menti Diui Thomæ introſpiciendæ in alijs locis.

Deinde oportet conferre inter ſe loca D. Thom. ex 3. ſententiarum, & ex 3. par. vt conſtet quomodo ipſe diſtinxerit gratiam ipſam præſeruatiuam, & quomodo negauerit. Nam in 3. diſtinct. 3. q. 1. art. 1. inquirit in 1. quæſtiuncula an B. Virgo fuerit ſanctificata antequam conceptio carnis eius finiretur, ideſt dum caro illa erat ſub forma embryonis, vel in ſeminali materia. Et reſpondet negatiue. In quæſtiuncula 2. inquirit an ſanctificata fuerit ante animationem, ſeu infuſionem animæ. Et reſpondens huic quæſt. dicit: Ad 2. dicendum quod ſanctificatio B. Virginis non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ, quia gratiæ capax nondum erat ſed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcil. per gratiam tunc ſibi infuſam cõſeruaretur ne culpam originalem incurreret. Ecce manifeſtiſſime agnoſcit D. Thom. gratiã præſeruatiuam ne incurratur macula in

Reginaldus Lucarinus.

ceptionem ratione Conceptionis, ſed potius ratione ſanctificationis.

Concluſio, quæ cenſetur S. Thomæ oppoſita.

1 *Dum celebratur feſtum Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis intelligitur Conceptio.*

ITA Gregorius XV. in ſua Conſtitione edita in Congregatione S. Officii 24. Maii 1622. vbi poſtquã præmiſiſſet S. R. E. de Beatiſs. Virginis Conceptione feſtum ſolemniter, & officium celebrare, præcepit vt celebrantes hoc feſtum, omnes in Miſſæ ſacrificio, & officio diuino, non alio, quàm Conceptionis nomine vterẽtur, & conſequenter declarauit, dũm celebratur feſtum Conceptionis B. Virginis, nomine Conceptionis intelligi Conceptionem, non ſanctificationẽ, vt dixerat S. Thomas; quod nuper clarius expreſſit Alexander VII. in ſua innouatione conſtitutionum, & Decretorum, &c. ſub die 8. Decembris 1661.

S. Thomæ doctrinæ veritas.

PRo intelligentia doctrinę S. Thomæ ſuppono ipſum admiſiſſe feſtum Cõceptionis B. Virginis, quod etiam ſuo tempore celebrabatur in aliquibus Eccleſijs, & iudicaſſe hũc actum eſſe religioſum, & effectum deuotionis, ita 3. diſt. 3. quæſt. 1. vbi ſic ait, Propter quod B. Bernardus ad Lugdunenſes ſcribit Conceptionem ipſius celebrandam non eſſe; quamuis in quibuſdam Eccleſiis ex deuotione celebretur, & 3. part. quæſt. 27. art. 2. ad 3. ait. Licet Eccleſia Romana Conceptionem *B.* Virginis non celebret, tolerat

Ioannes à S. Thoma.

in illo inſtanti infuſionis animæ, & diſtinguit illam ab ea gratia, quæ fieret Virgini ante animationem, & conſtitutionem perſonæ, ſiue in ſuis parentibus, ſiue in materia ſui corporis, aut in anima, cum tanquam diſtinctas difficultates ipſa pertractet. Et idem colligitur ex 3. ad Anibaldum dict. 5. q. 1. art. 1. vbi dicit: Quod nec ante conceptionem, nec in conceptione ante animationem, nec in ipſo inſtanti infuſionis animæ, ſanctificata eſt, diſtinguit ergo omnes iſtos modos ſanctificationis, tum ante inſtans animationis, tam in ipſo inſtanti, in quo iam præſeruaretur, vel conſeruaretur perſona ne incurreret in peccatum, & non ſolum ipſa actio, ſeu materia corporis aut parentis præſeruarentur, ne generarent prolem in peccato. Licet autem D. Thom. in iſtis locis tertij ſententiarum omnes iſtos modos ſanctificationis excluſerit, tamen poſtea, id eſt in 4. ſententiarum cit. & in 3. p. qu. 27. art. 2. iſtum vltimum modum de ſanctificatione præſeruatiua in eodem inſtanti infuſionis animæ, vel ſuppreſſit, & omiſit, vel explicauit. Suppreſſit quidem in 3. p. cit. vbi inquit: Quod ſanctificatio B. Virg. non poteſt intelligi ante eius animationem, & concludit: & ſit quocumque modo B. Virg. ante animationem ſanctificata fuiſſet, numquam incurriſſet maculam originalis culpæ, & ita non indigeret redemptione per Chriſtũ. Vbi S. Doctor per ly incurriſſet maculã intelligit etiam debitum, tum ex explicatione ſupra relata ex 4. ſententiarum, tum quia loquitur in caſu ſanctificationis ante animationem, in quo caſu ipſa perſonaliter non eſſet obnoxia, ſed in ſua perſona careret omni debito, tum ea ratione adiuncta, quia non indiguiſſet redemptione, verbum autem indigere ſemper refertur ad debitum, vt oſtendimus

Reginaldus Lucarinus.

rat tamen conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum illud celebrantium; vnde talis celebritas non eſt totaliter reprobanda. Ergo Eccleſia Romana quamuis, dum viueret S. Thomas, de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione feſtum non celebraret, quod modo ſolemniter celebrat; tamẽ ipſe docebat etiam tunc Eccleſiam Romanam cenſuiſſe conſuetudinem illam eſse religioſam, aliàs fuiſset reprobanda, ſicut reprobantur ea, quæ ſunt mala, & iuſtis de cauſis ab Eccleſia Romana tolerantur, vt dixit 2. 2. q. 10. art. 11.

Suppono 2. ſæculo, quo viuebat S. Thom. Eccleſias, quæ celebrabant feſtum Conceptionis B. Virginis illud ſub nomine Conceptionis celebrare conſueuiſse, quamuis non omnes conuenirent in opinando de modo, quo fuiſset præſeruata ab originali; nam Eccleſia Lugdunenſis celebrabat feſtum Conceptionis ipſius à primo inſtanti immaculatæ, vt patet ex Epiſtola, quam S. Bernardus ad Canonicos illius Eccleſiæ ſcripſit, à S. Doctore ſupra allegata; aliquæ verò Eccleſiæ, quæ poſt contractum originale adſtruebant eius ſanctificationem in vtero, ſub nomine etiam Conceptionis feſtum celebrabant, ſed dictam ſanctificationem in cultu illius feſti intendebant, ad quod oſtendendum S. Thom. quodl. 6. art. 7. dixit. Aliqua verò Eccleſiæ conſiderantes ſanctificationem in vtero, cuius tempus ignoratur, celebrant Conceptionem. Itaque omnes Eccleſiæ in nomine Conceptionis celebrando feſtum iſtud, conueniebant, ſed in ſententia quomodo de facto concepta fuiſset Beata Virgo, ſeu in qua morula in ſua Conceptione fuiſset ſanctificata (quod adhuc

mus ex D. Thom. Qui autem habet debitum, etſi non peccatum, indiget redimi, ſeu indiget liberatore periculi in quo eſt, quod D. Thom. non negat. Quare in hoc loco 3. p. omnino omiſit illum modum ſanctificationis præſeruatiuæ pro eodem inſtanti, & ſic ſolum loquitur in caſu ante animationem dicens: Et ſic quocumque modo ante animationem, &c. Explicauit autem in 4. ſent. diſtinct. 43. cit. quod ad liberationem, & redemptionem ſufficit, vel debitum in perſona, vel culpa, & ita ſi B. Virgo præſeruata eſt à culpa, dummodo in perſona habuerit debitum, nihil contra D. Thom. ſicque iſta duo loca, quia ſunt poſteriora illis ex 3. ſententiarum citatis, plenius explicant mentem S. Doctoris vt iam facimus.

CONFORMAT SE D. *Thom. ſenſui Eccleſiæ.*

EX *his prænotatis liquido conſtabit de mente Doctoris S. quæ ſi attente fuiſſet conſiderata, & collatis diuerſis ſuis locis inſpecta, nihil ſiniſtrum vnquam de illo fuiſſet ſuſpicatum in hac parte. Itaque inuenit D. Thom. iam ſuo tempore controuerti hanc difficultatem, & multos inclinare in immaculatum conceptum Virginis, Eccleſiaſque non paucas celebrare hoc feſtum ex tolerantia Romanæ Eccleſiæ, ipſam tamen Eccleſiam Romanam nondum illud celebrare. Vnde permaxime ſollicitus fuit de vno puncto, quod in hac materia grauius, & conſiderabilius eſt, & ad Doctrinam Chriſtianam præcipue ſpectans, videlicet ne gratia ſanctificationis, quæ tribuebatur conceptioni Virginis, ita ſiniſtre intelligeretur ab aliquibus, quod non ipſi perſonæ Virginis diceretur fieri hæc gratia, ſed*

huc ab Eccleſia definitum non eſt) diſcrepabant. Et poſtea Summ. Pontif. Gregorius XV & Alexander VII. editis Conſtitutionibus nomen Conceptionis ad immaculatam ſignificandam coarctarunt.

Suppono 3. ſupradictas Eccleſias quamuis diſcrepantes in hac quæſtione de facto, omnes conueniſſe in celebrando feſtum Conceptionis 8. Decembris, quamuis illo die, quo concepta fuit B. Virgo, nec præſeruata, nec non præſeruata dici poſſit, cum hoc ſupponat præſentiam animæ, quæ nō niſi poſt multos dies embrione formato in corpus infunditur, vt patet, ſed ſumentes omnes Eccleſiæ diem certum pro incerto, elegerunt illo die celebrare feſtum Conceptionis, quo ante nouem integros menſes à natiuitate embrio nondum animatus anima rationali in matrice formatus fuerat; & hoc dixit S. Thom. 3. part. quæſt. 27. art. 2. ad 3. illis verbis, nec tamen per hoc quod feſtum Conceptionis celebratur, datur intelligi quod in ſua Cōceptione fuerit ſancta. hoc eſt in Conceptione ante animationem. ſed quia quo tempore ſanctificata fuerit, ignoratur, celebratur feſtum ſanctificationis eius potiùs quam Conceptionis in die Conceptionis ipſius.

Ex dictis colligitur S. Thomam ſēper dixiſſe Eccleſias, quæ diebus ſuis celebrabant feſtum Conceptionis B. V. illud celebraſſe ſub nomine Conceptionis; quamuis non omnes conuenirent in conſiderando primum eſſe ſanctitatis; qua propter ſæpius repetendo hoc feſtum illud perpetuò feſtū Conceptionis nominat. 3. par. vbi ſupra dixit quidem, celebratur feſtum ſanctificationis eius potiùs quam Conceptionis, non in eo ſenſu, quod ſub

Ioannes à S. Thoma.

ſed quæcumque gratia, ſeu beneficium hoc ſit, ipſi perſonæ Virginis debet fieri, non parentibus ſanando vitium naturæ, non concepcioni actiuæ ſeu præparatiuæ & comixtioni ſeminum, non embrioni, poſtremo non animæ, neq; carni ante animationem & conſtitutionem perſonæ. Hoc voluit maxime obſeruari D. Thom. & in hoc totum ſuum ſtudium poſuit, quia videbat, ſi in hoc ſiniſtra aliqua intelligtntia inoleſceret, & ſemel admitteretur non ipſi perſonæ Virginis fieri hoc beneficium, deſtrui grande principium in fide, quod daretur aliqua perſona inter homines, quæ in ſe perſonaliter, ſeu ratione ſuæ perſonæ non indigeret redemptione Chriſti. Ad hoc autem neceſſe erat ponere debitum aliquod, ſeu periculum in ipſa perſona, à quo ſi non teneretur, non liberaretur. Propter quod in his duobus locis, quæ videntur eſſe, poſtremæ determinationis in D. Thom. ſcilicet in 4. diſtinct. 43. cit. & 3. p. qu. 27. art. 2. ſolum fuit ſolicitus ne gratia iſta & beneficium ſanctificationis fieret Virgini ante animationem, ita quod non ipſi perſonæ fieret, ſed antecedenter ad exiſtentiam perſonæ vel ipſis parentibus, vel conceptioni actiuæ, vel carni dum generabatur, vel animæ ante infuſionem, hæc enim nondum ſunt perſona.

Hoc puncto ſtabilito, quod præcipue fuit curæ D. Thomæ, & in quod totum pondus rationis ſuæ librauit, ſcilicet quia aliàs non indigeret redemptione in ſua perſona, ſi debitum ſaltem non haberet, in quo & Scotus conuenit, dum ponit ſolum in inſtanti reali potuiſſe Virginem liberari, & in inſtanti naturæ eſſe cum debito, vt patet in 3. diſtinct. 3. q. 1. §. Si autem, reſpondendo ad ſecundam replicam: hoc inquam ſtabilito,

Reginaldus Lucarinus.

titulo ſanctificationis feſtū illud celebraretur; nam paulò ante dixerat feſtū Conceptionis celebrari, ſed quia in hoc feſto duo conſiderari poterant, ſcilicet, Conceptio Matris Dei, & eius ſanctitas in Conceptione infuſa, dixit S. Doctor potius Eccleſias celebrare feſtum ſanctificationis, dum celebrant feſtum ſub nomine Conceptionis; quia id potioris eſt dignitatis, & iuris tale feſtum celebrandi, quod egregiè explicauit in quodl. 6. ar. 7. vbi dixit Eccleſias, quæ conſiderabant ſanctificationem in vtero, celebraſſe Conceptionem. Patet ergo ſecundum S. Thomam Titulum feſti fuiſſe Conceptionem; ſanctificationem vero id, quod conſiderabatur; & cum hoc ſit principalius in feſto, dixit potius ſanctificationem celebrari. Titulus igitur feſti ſecundum D. Thomam non erat ſanctificatio, ſed hæc conſiderabatur vt fundamentum, & ratio celebrandi feſtum iſtud, vt rectè perpendit etiam Bellar. Contr. Tomo 2. de Cultu Sanctorum lib. 3. cap. 16. Sanctitas autem in hac Conceptione extitit omninò, nec vnquam negari potuit ſine nota alicuius cenſuræ Theologicæ. Vnde dixit S. Thom. 3. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. q. 3. ad 3. Quamuis ſanctificatio *B.* Virginis in vtero expreſſa in Scriptura veteris, & noui Teſtamenti non legatur; tamen pro certo haberi poteſt ex his, quæ ibi leguntur.

Hoc feſtum Conceptionis celebratum aliquando fuiſſe ſub alio nomine, quam Conceptionis certum eſt; celebrabatur enim ſub titulo ſanctificationis, antequam Gregor. XV. ſua Conſtitutione id prohibuiſſet; in Ordine Predicatorum, & olim in Eccleſia S. Mariæ Maioris de Vrbe, vt teſtatur Aluarus in lib. de Planctu Eccleſiæ apud

Digitized by Google

Ioannes à S. Thoma.

to; de reliquo an ſcilicet habendo debitum in ſua perſona, de facto non contraxerit culpam, ſed præſeruata fuerit B. Virg. in inſtanti reali ſuæ animationis, vtrique opinioni locum dedit D. Thom. quia erat quæſtio de facto. Sed quia videbat Romanam Eccleſiam nondum celebrare, ſed tantum tolerare illud feſtum, voluit adherendo Romanæ Eccleſiæ, eius ſaluare rationem. Ratio autem qua Romana Eccleſia tunc ducebatur ea erat, quam affert Doctor S. quod lib. 6. q. 5. ar. 1. quia Romana Eccleſia inquit, & aliæ plurimæ conſiderantes conceptionem Virginis in originali peccato fuiſſe, feſtum Conceptionis non celebrant. Si ergo Eccleſia hoc tunc conſiderabat, & ſentiebat, quomodo poterat Doctor Sanctus non magis inclinare in hanc partem, tum quia ſic ſentiebat tunc Romana Eccleſia cuius ſenſum debebat Sanctus Doctor defendere, tum in determinando quæſtionem de facto qualis iſta erat, opportebat expectare iudicium Eccleſiæ, & non rationum humanarum ponderibus duci, vt in ſuis literis docet Gregorius XV. ſupra relatus. Noluit ergo in quæſtione de facto D. Thom. aliud ſequi, quam id quod iudicabat, & ſentiebat tunc Eccleſia Romana, in cuius authoritate debent fideles conquieſcere. Sed tamen vt locum etiam alteri opinioni daret, quantum Eccleſia tunc permittebat, addidit 3. p. q. 27. art. 2. & 3. Quod quia Eccleſia Romana tolerabat illius feſti celebrationē, non erat totaliter reprobanda. Ecce quomodo ſemper D. Dhom. inhæret ſenſui Romanæ Eccleſiæ, ſemper eam honorat, ſemper ſaluat. Vnde cum modo Romana Eccleſia, non ſolum toleret, ſed etiam poſitiue præcipiat celebrari tale feſtum, illudque magnis fauoribus proſequatur, loquendo in vi doctrinæ D. Th.

Reginaldus Lucarinus.

apud Turrec. in tract. de Conceptione par. 13. cap. 9. Veruntamen S. Doctoris temporibus id non conſueuiſſe putamus; cum de hac tituli varietate nullā vnquam S. Th. mentionem fecerit, & ſemper feſtum hoc feſtum Conceptionis appellarit, vt ex ſupradictis eius authoritatibus clarè conſtat, & quod ita tunc communiter appellaretur inſuper cōijcio, quia noſter Ioannes Bromiardus in ſumma Prædicantium, quam ſcribebat anno 1390. verbo Maria 35. dixit. In feſto namque ſanctificationis, quod vulgariter feſtum Conceptionis vocatur.

Suppono 4. Eccleſias particulares olim fuiſſe alienas à quæſtione de facto in Conceptione B. Virginis cum vnam, vel alteram eius partem pro ſuo quæque arbitrio eligerent amplectendam; ita ſenſit S. Thom. 3. part. qu. 27. art. 2. ad 3. dum ait, Eccleſiam Romanam ſuis temporibus non celebraſſe feſtum Conceptionis, ſed celebrari ab aliis toleraſſe, ſed Eccleſia Romana, vt dicebamus, modò hoc feſtum Conceptionis intemeratæ ſemperque Virginis Mariæ ſolemniter celebrat, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus parti negatiuæ fauet, vt expreſsè in dictis decretis declaratur, & Alex. VII. in ſua præfata ſpeciali Conſtitutione decidit. Nec obſtant verba, quæ habentur quodl 6. art 7. quibus dixit S. Thom. Romana Eccleſia, & plures aliæ conſiderantes Conceptionem B. Virginis in originali fuiſſe, feſtum Conceptionis non celebrant, noluit enim ibi S. Th. dicere Romanam Eccleſiam conſideraſſe Conceptionem B. Virginis in originali fuiſſe; nam ſi id S. Doctor putaſſet, nunquam dixiſſet Eccleſiam Romanam toleraſſe feſtum Conceptionis immaculatæ ab alijs Ec-

Digitized by Google

Ioannes à S. Thoma.

D. Thom. opportet vice verſa de his ſententijs cenſere, & D. Thom. ſic cenſeret; ſi enim ex ſola tolerantia Romanæ Eccleſiæ, illa feſtiuitas tunc non erat ſpernenda, ex poſitiuo præcepto, & fauore quanto magis diceret venerandam? Præſertim cum ex hoc probet Beatam Virginem ſine peccato fuiſſe natam, quia eius natiuitas celebratur ab Eccleſia, vt patet eadem qu. 27. art. 1. ergo idem de Conceptione diceret, ſi tunc eodem modo celebraretur ſicut natiuitas. Pro illo ergo tempore ſic cenſuit D. Thom. ſicut Eccleſia Romana ſentiebat, pro iſto verò ſentiret id quod illa ſentit, & eo modo quo ſentit, in his enim quæſtionibus de facto iuxta diuerſa tempora, variatur iudicium, & creſcit rerum notitia paulatim.

Quod verò aliqui afferunt ex 1. ſent. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 1. ad 3. vbi D. Thom. inquit: Talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ peccato originali, & actuali immunis fuit., vbi ſicut ly immunis cadens ſuper actuale peccatum, omnem eius contagionem excludit, ita cadens ſuper originale, omnem eius contractionem excludere debet. Reſpond. quod hoc dixit D. Thom. vel quia vtrique opinioni fauit, quæ tunc currebat in Eccleſia, vna vt tolerata ab Eccleſia Romana, alia vt aſſerta, licet propter illius Eccleſiæ honorem, & obedientiam magis & pluries inclinauerit Diu. Thom. in aſſertam, quam in toleratam. Vel illud verbum immunis ſumitur generali modo, pro immunitate, vel præſeruante, vel liberante, atque adeo verbum illud non eſt omnino expreſſum, nec plene declarat mentem S. Doctoris, præſertim quia ibi ſolum obiter, & per tranſenam rem iſtam tangebat. Mens autem alicuius Authoris ex

Reginaldus Lucarinus.

cleſijs ex deuotione celebrari; tunc enim feſtum habuiſſet pro obiecto, quod Eccleſia Romana falſum eſſe conſideraſſet, quo poſito S. Tho. nunquam ſcripſiſſet Romanam Eccleſiã dictum feſtum, vt ab alijs Eccleſijs celebraretur ex deuotione, toleraſſe, ſed potius dixiſſet ipſam hoc feſtum, vt ſuæ conſiderationi oppoſitum, tanquam ſacrilegium, & ſuperſtitioſum reprobaſſe: quamuis enim Eccleſia Romana iuſtis de cauſis quædam mala toleret aliquando, vt dixit S. Tho. 2. 2. quæſt. 10. art. 11. hæc mala, quæ tolerat, ſunt totaliter reprobanda; ſed dixit S. Tho. hoc feſtum Conceptionis immaculatæ Eccleſiam Romanam toleraſſe vt ex deuotione celebraretur, ideoque non erat totaliter reprobandum. Ergo intendebat Eccleſiam Romanam, tunc toleraſſe hoc feſtum piarum quarundam Eccleſiarum iudicio admiſſum tanquam Religioſum, quamuis non fuiſſet ab ea adhuc palàm approbatum, ſed plures Eccleſias, inquit S. Tho. ſcilicèt, præter Romanam, quæ feſtum Conceptionis non celebrabant, conſideraſſe Conceptionem Beatæ Virginis in originali fuiſſe: Proceſſu verò temporis, & poſt S. Thomæ felicem exitum, cum Eccleſia Romana feſtum Conceptionis Beatæ Virginis Intemeratæ celebrauerit, & ab alijs Eccleſijs celebrari decreuiſſet, Greg. XV. loco ſupracit. animaduertens in aliquibus Eccleſiis ſub non vno nomine hoc feſtum celebrari, & Romanæ Eccleſiæ Conceptionis nomen, quo vtebatur in diuino Officio, non retinere, ad ſeruandã in diuino Officio, & Miſſæ Sacrificio cum Eccleſia Romana vnitatem nominis, & in fauorem ſententiæ negatiuæ, vt Aldxander VII. decla-

Digitized by Google

ex locis in quibus ex profeſſo rem aliquam tractat indaganda eſt.

Et ita hanc noſtram ſententiam tenet Porrecta 3.p.qu.27.art.2. & videndus eſt M. Medina ſuper eundem locum defendens etiam opinionem piam probabiliter, & Caiet. vt probabilem reputat tom.2.opuſc.tract.1.cap.5. & M. Soto in cap. 5. epiſt. ad Rom. loquens iuxta conſuetudinem celebritatis huius, quæ modo eſt in Eccleſia, inquit: Quod exceptio B. Virginis ab hac vniuerſali ſententia Pauli eſt vſque adeo celebris non modo inter plebeios, ſed inter bonos Doctores quales præcipuè ſunt illuſtriſſimi Pariſienſes, vt ſi qui hanc ſibi exceptionem perſuadere non poſſunt, vt cui Paulus ſuffragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere diſputationem. Ita Soto; quæ ideo dixerim, vt conſtet illuſtres Thomiſtas ſequentes D. Thom. non multum hærere in hac quæſtione de facto, nec in illa magis radicari, quam Eccleſiæ ſenſus poſtulat.

declarauit, decreuit vt omnes Eccleſiæ, dum hoc feſtum celebrant, in Miſſæ Sacrificio, & in Officio diuino non alio quam Conceptionis nomine, quo Eccleſia Romana vtebatur, vterentur. In Eccleſia autem Romana exhibetur in hoc feſto Conceptionis B. Virginis cultus à ſua Inſtitutione nunquam immutatus, ſecundum pietatem, & deuotionem colendi, & celebrandi Beatiſſimam Virginem, præueniente, ſcilicet, Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præſeruatam, vt decidit idem Alexander in ſua ſæpiùs laudata Conſtitutione.

Patet ergo S. Thomam nunquam dixiſſe celebrandũ eſſe feſtum Conceptionis B. Virginis ſub nomine ſanctificationis, ſed ſemper feſtum Conceptionis B. Virginis vnico nomine Conceptionis appellaſſe, & ſub hoc nomine à quibuſdam Eccleſijs tunc fuiſſe celebratum, affirmaſſe. Vndè euidenter colligitur S. Th. à Greg. XV. Decreto nunquam fuiſſe alienum, ſed ei potius expreſsè conſenſiſſe.

Digitized by Google

COLLECTIO NOVORVM LOCORVM

Pro eodem Priuilegio.

CAPVT I.

Iuſtum, & idoneum ab Euchariſtiæ myſterio ſumptum ad ſuadendum Immaculatæ Conceptionis myſterium argumentum.

ERit hoc adiumento ad conciliandos Thomiſtarum, ſi qui ſint, alieniores à pia ſētētia animos, quod rem Euchariſticam contineat, cui illi, & quidem iure ſtudent, & fauent maximè, quòd bene de eo Sanctus Thomas ſcripſerit, eoque nomine ab vniuerſa Eccleſia celebretur. Non quòd de cæteris minus benè, ſecusve ſcripſerit, cum nemo ſcripſerit meliùs; ſed quòd illud accepimus ab ore Chriſti teſtimonium, & quòd ille omniū optimè id munus egerit. Nec tam ſum parum in laudibus Doctoris Angelici verſatus, vt ignorem dictum illud *de me* non ad ſolam Euchariſtiam reſtringendum, ſed ad alias etiam doctrinas, quæ de Chriſto ſunt, & ad Chriſtum eiuſque Eccleſiam pertinent, extendendum; ac ita ſummos Pontifices nonnullos declaraſſe. Nulli quippe Thomiſtarum in legendo, laudandoque Angelico Doctore concedo; imo & pro eius ſæpe honore pugno, cumque ijs qui ei quoquomodo detrahunt, contendo, etiam tacentibus Thomiſtis; quemadmodum nuper accidit aduerſus Ianſenium, & Norim Sancti Thomæ nouos obtrectores, & Scholaſticæ Theologiæ oppugnatores, quos acriter confutaui nullo Thomiſtarum hortante, aut iuuante, quos mirabar ſilere in communi, & priuata S. Thomæ, S. Bonauenturę, & Scoti cauſa, quos nominatim auſus fuerat Noris vituperare. Vnus mihi tamen ſolatio fuit Thomiſta inſignis, & omni maior præconio Archangelus Riuetta, in hac celeberrima Patauina Academia Theologiæ Lector Primarius; qui grauatè admodum hanc contumeliam tulit, meque ad eam depellendam incitauit. Ad inſtitutum. Magnam eſſe inter Euchariſtiæ, & Immaculatæ Conceptionis myſteria neceſſitudinem comperio. Primum Euchariſtia tota eſt gratia, & Bona gratia, ac ex omni parte gratioſa. Eiuſmodi eſt Beatæ Virginis Conceptio *Bonagratia*, Inueniſti gratiam. Per ſummam felicitatem, ante omne

meritum:

meritum: ideò *Bona gratia*, quam vulgò dicimus *Bonam fortunam*, quæ propria eſt gratia Conceptionis, quòd fuit gratia prima, & originis, antequam meritum vllum eſſe non potuit.

Secundũ. Euchariſtia fit per *tranſubſtantiationem*, ideſt conuerſionem vnius ſubſtantiæ in aliam, ſcilicet Panis, qui erat, in Corpus Chriſti, quod non erat, deſinente Pane inexiſtente Corpore loco Panis, cuius tamen manent accidentia ſine ſubiecto Panis annihilati. Similiter ſuo modo ſe res habet in Conceptione Beatę Virginis, cui cum deberet ineſſe macula culpæ ob commune debitum naturæ humanæ ab Adamo propagatæ, mutata eſt macula in gratiam, & nulla reſultante naturę macula reſultauit gratia originalis, & loco maculæ connaturalis affecit animam B. Virginis. Quæ quidem eſt quidã modus *tranſubſtantiationis*, factus in natura, non per conuerſionem naturæ in naturam, ſed per mutationem qualitatis, quæ ineſſe debuit, in qualitatem, quæ ineſſe non debuit, & tamen reſultauit, & inextitit: videlicet repreſſa macula, quæ prouentura erat niſi impediretur, & producta in eius loco gratia, quæ indebita erat naturæ, & tamen per diuinam gratiam emanauit: quæ mutatio facta eſt in natura, & ſubſtantia animæ ad modum Tranſubſtantiationis Euchariſticæ, non tranſmutando ſubſtantias, ſed tranſmutando qualitates in eadem natura, & ſubſtantia, ea qua dixit Damaſcenus ratione. Orat. 1. de Virginis Natiuitate. *Natura*, inquit, *gratiæ foetum anteuertere minimè auſa eſt, verùm tantiſper expectauit, dum gratia ſuum fructum produxiſſet*. Rectè quidem, & in rem. Natura humana in illo puncto Conceptionis Beatæ Virginis debuit contrahere maculam peccati originalis, ſed continuit, ac frenauit ſeſe, gratiam imminentem, & ſuperuenientem verita, ſubtraxitque ſe, expectans, & locum dans gratiæ introeunti, quæ maculę locum prius, quam hæc exiſteret, occupauit. Itaque verſa eſt macula, quæ debita erat, ſi non impediretur naturæ, in gratiam indebitam, quæ per diuinum priuilegium reſultauit, & inextitit naturæ loco maculæ: tranſeunte debito culpæ obſcuræ, & ſordidæ in gratiæ nitidæ, & puræ ſplendorem.

Tertium. Gratia Euchariſtiæ affinis eſt Originalis, eiuſque comes & ſocia. Patet: eo quòd olim primis Eccleſiæ temporibus infantibus baptizatis Euchariſtiam porrigi mos erat: imo & ipſamet Euchariſtia in Baptiſmi partem venire videbatur, cum per ipſam Infantes in Corpus Chriſti tranſire dicerentur, itaut idem effectus eſſet Baptiſmi, & Euchariſtiæ, quemadmodũ docet Auguſtinus multis in locis, & nos aliàs diximus. Igitur vtrunque Sacramentum ad Originalem gratiã ſpectabat ex neceſſitate Baptiſmus, ex abundantia Euchariſtia. Quare cùm Beata Virgo in ſua Conceptione Originalem habuerit gratiam, hæc Euchariſtiam ſapiebat, ac proinde cum ea magnoperè congruebat. Concepta in gratia Maria, in gratia inquam originali Sacramento Euchariſtiæ reſpondebat, illudque ad conſortium prouocabat; eo vel maximè, quòd tũc Baptiſmus non erat. Qua ratione illa gratia originis ad Euchariſtiam referenda erat, cùm præſertim Corpus Chriſti, in Virginis vtero ex eiuſdem puriſſimo ſanguine formatum eſſet, ac in Euchariſtia verè inueniatur, vt Caro Chriſti cibus Animarum Caro item Marię appelletur, & coniuncta

cum

cum ſanguine, ad Mariæ ſanguinem, vnde ſumpta eſt, reuocetur.

Quartum. Gratia Euchariſtiæ eſt gratuita, & ex miſericordia, & liberalitate profecta, ſingulari Dei beneficio, ad teſtandum Amorem ſuum hominibus. Ex quo fit, vt hoc Sacramentum, non ſit omninò, & ſimpliciter, vt aiunt in Scholis, ad ſalutem neceſſarium: nec Sacramentũ mortuorum propriè vel ſit, vel vocetur, vt Baptiſmus, & Pœnitentia, quòd ad perfectionem, & abundantiam Sanctitatis, & arctiorem cum Deo vnionem ordinetur. Itaque ad delicias, & ſpirituales cupedias refertur: & dulcedinem, & ſuauitatem præſefert. Talis eſt gratia Conceptionis in Virgine inuſitata, gratuita omnino, & libera extra conſuetudinem, ac ordinem vniuerſalem data, ex peculiari amore Dei B. Virgini collata priuilegio ſingulari ad ſummam eius perfectionẽ, & delicias ſpiritus comparata. Verè Euchariſtia *Bona gratia*, & pura, putaque liberalitas. Vltrà meritum, prętet expectationem, vt B. Virgo ſola tanto beneficio fruatur, nec ſimilem quenquam, nec ſequentem habuerit, habituraue ſit.

Quintum. Sacramentum Euchariſtiæ præcipuum eſt, ac mirabile, imò & omnium mirabiliũ compendium, atque adeo plenum miraculis: idcirco *Animoſæ fidei*, vt vocat S. Thomas, ſcopus, quæ in credendo iſto myſterio ſubiicit omninò intellectum obſequio diuino, ac ratiunculis naturalibus auctoritatem ſupernaturalem anteponit. Haud ſecus Immaculata Cõceptio Virginis mira eſt, & noua, & ſingularis, & quæ communem rationis, & ordinis curſum tranſgreditur, & difficultatibus ſcatet: quapropter à multis Theologis in dubium tracta olim eſt, & à nonnullis hodie trahitur: quibus reſpondendum eſt omnia Deo eſſe poſſibilia, adducto exemplo Euchariſtiæ, quæ multò magis ardua & difficilis creditu eſt, & tamen eſt credenda, & creditur ad ſalutẽ neceſſariò. Quam in rem adducere oportet egregiam illam de Incarnatione Diuini Verbi Auguſtini ſententiam ad conuincendos quoſdam incredulos Epiſt. ad Voluſianum. *Tota ratio facti, eſt potentia facientis*, & ad remouendas obiectiones: *Si quæris*, inquit, *rationem, non erit mirabile. Si exemplũ, non erit ſingulare*. Quod ſanè ſapientiſſimum ſummi Doctoris dictum dubitantibus de Immaculatę Conceptionis myſterio aptè applicandũ, quo veluti quodam diuino afflatu, omnia obiecta difflentur.

Sextum. Euchariſtia initialis quædam via eſt ad æternitatem: propterea in Viaticum ingreſſuris illud iter ab Eccleſia Matre præberi ſolet. Hoc etiam quadrat in gratiam Immaculatæ Conceptionis, quæ eſt prima via ad vitam Chriſtianam: vnde initialis gratiæ rationem habet, & pro viatico ad ingrediendum vitæ ſpiritualis iter B. Virgini conferenda, ne ſine hac prælata face gratiæ iter in tenebris culpæ originalis arriperet. Habuit itaque Viaticum Euchariſtico ſimile initialis gratiæ ad capeſſendum iter Eccleſiæ militantis, ſicut habent in Euchariſtia Fideles Chriſtiani ad carpendam viam Eccleſiæ Triumphantis.

Septimum. In Euchariſtia Chriſtus eſt velatus tegumento accidentium, tanquam in receptaculo quodam latens, ac clauſus, deinde in Altari cuſtoditus, & ſeptus, ac veluti intra vterum concluſus: vt hinc *Deus verè abſconditus* dicatur. Imitatur enim in-

infantem conceptum in aluo Matris, ibique intra vteri clauſtra detentum, & cuſtoditum: Eoque ſimilat gratiam Conceptionis: ac omnino conuenit cum gratia B. Virginis Conceptæ intra ſinus illos, & receſſus latebraſque vteri materni, & abſcondita cum Chriſto dicitur. Ex quo congruentia, & harmonia quædam inter vtranque gratiam extitit Euchariſtiæ, & Conceptionis: vt ſicut Euchariſtia tecta inuolucris accidentium intra ſinum ſacræ cuſtodię in ſacrario cuſtoditur, more fœtus in recondito condito conceptaculo continetur, ita B. Virginis Anima, dum concepta eſt intra matris viſcera tuniculis, & ſecundinis inuoluta, & obtecta gratiam ſuã immaculata tenuerit: & abſcondita antequam in lucem veniret Sancta & pura exiſteret. Et vt nihil non quadret; Euchariſtia ex illa cuſtodia cùm exit palam exponitur, & in publicam lucem prodit. Eoque Beatæ Virginis Conceptionem ſignificat, quæ ex illis anguſtis, & obſcuris alui maternæ clauſtris per ſuam natiuitatem egreſſa, palamq; expoſita Euchariſtiæ publicam propalationem repręſentauit. Itaque vtraque gratia primùm clauſa, & abſcondita in receptaculo fuit: poſtea in lucem exiens ſpectaculo eſt: ac ex occulto in publicum prodit, & remoto ſipario in theatro gratioſã perſonam agit, cum omnium admiratione, & plauſu.

CAPVT II.

Quæ geſta à Virgine, & circa Virginem in Sanctis Euangelijs commemorantur, ea ſunt totidem Immaculatæ Cõceptionis argumenta.

§. 1. de Annuntiatione B. Mariæ Virginis.

PRimùm occurrit apud Lucam Annuntiatio B. Virginis: in qua expendenda eſt illa particula locutionis Angelicæ *Inueniſti gratiam apud Deum*: Hæc omninò continet gratiam originalem. Quod ſic monſtratur. *Inueniſti gratiam* attribuitur Mariæ. Inuentio autem duo requirit. Vnum vt ſit rei amiſſæ, quæ antea erat: alterum vt ſit rei nouæ, & antea non occupatæ. Hæc autem res eſt gratia ſola originalis, ergo hæc eſt, de qua loquitur Angelus ad Mariam. Oſtendo. Illa gratia erat amiſſa per peccatum Adami, per quod inuenimus originale peccatum, quod vel eſt ipſamet priuatio gratiæ primæ collatę Adamo, vel certè cum ipſa priuatione coniuncta. In nemine autem inueniebatur illa gratia vniuerſaliter amiſſa, cùm omnium communis eſſet iactura. Igitur ſi quis illam habuit amiſſam inuenit. Hæc autem teſte Angelo eſt B. Virgo cui dixit *Inueniſti gratiam* ergo ea habuit gratiam originalem. Iuuat vox *Apud Deum*, quia apud nullum hominum erat, cum omnes peccatores eſſent Filij iræ, & vindictæ, ac in poteſtate diaboli. Quare apud Deum ſolùm erat, & inde petenda. Accedit quod *Verbum erat apud Deum*. Quod cum eſſet incarnandum in Virgine Mariæ, eiusque Filius futurus, apud Deum erat illa gratia, quam Virgo eius beneficio, ac meritis erat habitura: vt illa particula *Apud Deum* vim, & energiam habeat ad ſignificandum inueniſſe Mariam illam gratiam in eo loco vbi verbum Diuinum erat *In ſinu Patris*, mox in Virginis ſinu, & aluo futurus, ratione quippe Filij erat donanda illa gratia originalis, quæ tantum inueniebatur vbi, erat verbum Diuinum, quæ erat vnica ratio eam obtinendi. Venio ad aliam conditionem. *Inueniendi*. Ob nouitatem, quòd nemo illam ante

Digitized by Google

Virginem inuenerat. Conſtat, quia ex quo amiſſa fuerat, multis fuerat collata. Fuerat quidem collata gratia Natiuitatis Hieremiæ, qui eſt natus iuſtificatus ex priuilegio; at conceptus fuerat in peccato originali, ac proinde priuatus gratia originali. Nec opponas Angelos & Adamum, & Euam fuiſſe creatos in gratia, non enim illa fuit gratia, de qua loquimur, quia non fuerant generati, nec concepti per miſtionem ſeminum vtriuſque Parentis in vtero Matris, quæ eſt Conceptio. Quare illa gratia erat quidem in iis initialis, & prima; ſed non erat conceptionis, & originalis, cuiuſmodi eſt gratia, de qua eſt ſermo. Prima igitur huius gratiæ *inuentrix* fuit B. Virgo. Vnde meritò ad eam Angelus. *Inueniſti*, ait, *gratiam apud Deũ*. Docendo nos, eo modo loquendi B. Virginem fuiſſe in gratia conceptam: quòd *inuenire gratiam* non poſſet alteri gratiæ conuenire. Cùm inuentio minimè in aliud genus gratiæ quadraret: quemadmodum expoſuimus. Supereſt tamen vna ſoluenda obiectio: videlicet Angelum locutum fuiſſe de gratia Incarnationis, quaſi diceret: *Inueniſti apud Deum*, ideſt concipiendi, & pariendi Filium ſuum Chriſtum, qua fuerit Mater Dei, non autem referendo illud *Inueniſti*, ad Immaculatæ gratiam Conceptionis. Reſpondeo nihil obſtare obiectionem quominus currat inoffenſo pede noſtra expoſitio. Nam ly *Inueniſti* cadit ſupra gratiam iam obtentam, & poſſeſſam de præterito: mox autem habendam, & poſſidendam de futuro, & quę pendebat à conditione conſenſus Virginis, quem Deus expectabat ad executionem myſterij Incarnationis, nec ante illius reſponſionem cõceptum eſt Verbum Diuinum. Quod ipſum ſignificant verba Virginis ad Angelum *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum Verbum tuum*. Tunc igitur, non antè inuenit illam gratiam Virgo: cùm aliam iam inueniſſet. *Inueniſti*. Itaque omnia verba enarratiua, ac expreſſiua Conceptionis Chriſti in vtero Virginis futuri ſunt temporis, non præteriti. Lege à capite, & obſerua. *Concipies. Paries. Vocabis. Erit. Dabit. Regnabit. Superueniet. Obumbrabit*. His adiungitur vox de poſſibili. *Non erit impoſſibile*: & adducitur exemplum rei iam in alio factæ ad faciendam fidem rei faciendæ. *Eliſabeth concepit filium in ſenectute ſua*. Itaque euaneſcit obiectio. Prætereà Incarnatio non erat gratia propriè, vt eſt donum efficiens animam, & ſanctificans illam priuata iuſtitia, & ſanctitate, imo beneficium ab eo diuerſum pertinens ad generationem corpoream hominis, quemadmodum apparet ex Chriſti Doctrina reſpondentis exclamationi illius mulieris vulgaris *Beatus venter qui te portauit*, *Imò*, inquit Chriſtus, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: quemadmodum docet Petrus, & ſingulariter Auguſtinus. Itaque *inueniſti gratiam* ad ſanctitatem Animæ Virginis refertur; non autem ad Incarnationem, quæ erat gratia, & liberalitas miſericordiæ Dei erga genus humanum, quo ſenſu eandem Incarnationem vocat *gratiam* Auguſtinus. Fatemur ergo Angelum hic loqui de gratia Conceptionis, non tamen Chriſti in vtero Matris Mariæ, ſed de gratia Conceptionis Mariæ in aluo Matris Annæ. Tandem reijcio obiectionem, quia verbum *inueniſti* violenter trahitur ad Incarnationem, quæ magis propriè dicitur *inueniri* apud Virginem, quàm à Virgine apud Deum,

Digitized by Google

Deum, qui requirebat conſenſum Virginis, quem niſi dediſset facta huiuſmodi hypotheſi, Chriſtus non eſſet conceptus. Adde, quòd Incarnatio Chriſti in Virgine fuit opus merito illius attributum, ſaltem de congruo, vti vulgò in Scholis Teologis traditur. Merito autem non quadrat inueniri, ſed gratiæ omninò gratuitæ, & ante omne meritum, eique prima ſit, & mereri non poſſit, quia eſt principium totius meriti. Huiuſmodi autem eſt gratia Conceptionis Immaculatæ Virginis Mariæ in ſua Conceptione.

§. 2.

De Natiuitate B. Virginis.

NAſcitur inde optimum, & in rem natum argumentum ad commonſtrandam Immaculatam Conceptionem. De hac igitur Natiuitate Sancta Mater Eccleſia. *Natiuitas tua gaudium annuntiauit vniuerſo mundo, ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* Opponit Auguſtinus ſecundum hęc verba Natiuitatem Virginis caſui Euæ peccantis, quæ cùm de ſtatu gratiæ originalis cecidiſſet mutauit felicitatem in miſeriam, gaudium in triſtitiam, riſum in luctum, cantum in planctum. Quem caſum miſerum, & infelicem B. Virgo veniens in mundũ conuertit in ſtatum gratiæ & felicitatis, & lætitiæ verſo mœrore in hilaritatem, planctu in riſum, luctu in gaudium. Obijciens illud *Mariæ* nomen, & omen felix nomini fatali *Euæ* miſeræ, ac infelicis: vt ly *Eua* in *Aue* tranſierit, litteris recurrentibus, ſeque inuerſo ordine opponentibus: *Eua*, inquit Auguſtinus, ſerm. 18. de ſanctis *Luxit, iſta exultauit: Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit: Mater generis noſtri pęnam intulit mundo: genitrix Domini noſtri ſalutẽ attulit mundo. Auctrix peccati Eua: auctrix meriti Maria.* Et concludit. *Euæ planctum Mariæ cantus excluſit.* Hi effectus & Peccati, & gratiæ certè ſunt contrarijs infelicis culpæ: felices merito tribuuntur: eſtque mutatio à diuerſa cauſa profecta: è bono in malum à culpa Euæ: malo in bonum è gratia Mariæ. Duplex origo eſt: vna vitiata peccato, altera ſanata per gratiam; atque vt ſeruetur proportio reſpondet Peccato Euæ aduerſo gratia Mariæ: illud fuit originale, iſta originalis: igitur Conceptionis. Nam ſi alia eſſet gratia poſt peccatum contractum, non eſſet oppoſitio, & periret gratia antitheſis. Nec dici poſſet Mariam auctorem eſſe lætitiæ, ac meriti: quod continet rem initialem, quam ly Auctrix ſignificat. Quamquam ergo hæc verba Eccleſiæ, & Auguſtini de Natiuitate dicantur, referenda ſunt tamen ad gratiam Conceptionis, vt ſicuti per originale peccatum Eua ſtatum miſerum induxit, ita per originalem gratiam Maria ſtatum Beatum introduxerit. Patetque ex eo, quod ſequitur in verbis Eccleſiæ. *Ex te enim ortus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus*, quæ indicant B. Virginem Auroram eſſe illius Solis orientis; quæ ratio Auroræ quadrat in Conceptionem B. Virginis, quæ eo nomine appellatur *Aurora conſurgens:* cùm cæpit clareſcere, ac exiſtere in ventre matris concepta, cùm adhuc tenebræ eſſent, necdum in lucem per natiuitatem exiret, & diem inueniret, qualis eſt gratia Natiuitatis: quæ nil habet cum Aurora commune, ante diem lucentis, & Solem pręnuntiantis, non

Digitized by Google

Solem ſupponentis. Lux Auroræ ante Solem eſt, præit diem, & noctem terminat, ſed minimè inueniet diem, quem natiuitas repeperit, cùm in lucem fœtus ex vtero exit. Quare, vti ſuperius diximus, apud Iob habetur *Ortus ſurgentis Auroræ*, ea phraſi ſignificatur Conceptio Virginis; tunc enim propriè ſurgitur, cum adhuc ſunt tenebræ, & oculi, & nictant, & nutant luce ambigua, & manufricantur, & exterguntur, vt excuſſo torpore euigilent & Solem ferant, ac intueantur. Sermo haud dubiè fit de luce gratiæ Conceptionis cum de Auroræ luce fit mentio: quia hic Euæ peccato, & initiali, ac originali culpæ gratia originalis, & initialis opponitur, nullo ſuppoſito antea peccato: quod Aurorã obtenebrauit. Exactiùs rem tractemus. Lux Auroræ eſt à Sole, & ab illo producitur, quanquã poſterior ſit ortu, & Auroram conſequatur. Non ex nocte, nec ex tenebris habet originem: nec patitur tenebras, ſed lucet poſt illas, & Solem præit, non ſine luce præuia à Sole tamen accepta, cui eam accepto fert. Quod maximè admirãdum eſt & obſeruandum. Nam B. Virgo cùm tempore Filium ſuum Solem iuſtitiæ præceſſerit, ab eo tamen gratia eſt præuenta: à quo illuminata longe nobiliori modo, quàm ſtellæ: quæ noctem patiuntur, nec illam expellunt: cum Aurora noctem non ferat, imo excludat, ac pellat. Alij Sancti ſtellarum inſtar ſunt: peccati caliginẽ ſenſerunt, & tenebras paſſi ſunt culpæ originalis omnia occupantis. At verò B. Virgo tanquam Aurora ſemper luxit, depulſa nocte, abacta caligine, à ſuo Sole, qui ex ea ortum illuſtrata. Quæ lux initialis eſt originalis à Chriſto accepta, ad quẽ referenda: cui attribuenda citra omne meritum Mariæ, quòd ſit prima gratia, quæ nulla alia antecedente promeretur. Cum ea ſub meritum, quod aiunt Scholaſtici, cadere nequeat. Hic eſt ſenſus loci Eccleſiæ Matris de Natiuitate B. Virginis loquentis interprete Auguſtino.

§. 3.

De Præſentatione B. Virginis.

HOc feſtum proprium eſt Eccleſiæ, & ab ea non ſine Spiritus Sancti afflatu inſtitutum, ad Immaculatæ Conceptionis gratiam vindicandam. Animaduertendum duas eſſe ſolemnitates Præſentationis B. Mariæ: vnam poſt Natiuitatem Domini conſtitutam in Euangelio Lucæ 2. quæ die 2. Februarij celebratur, & *Purificatio* vulgò dicitur omnino cum Filii ſui Præſentatione coniuncta; alteram hanc, de qua nunc agimus, quæ cadit in diem 21. Nouembris, & propriè *Præſentatio* appellatur. Videamus quorſum hæc ſecunda pertineat ad Immaculatam Conceptionem. Eccleſia Sancta Mater noſtra vidit Præſentationem illam cum Filio in Templo ſecundum legem eſſe, & immunditiam à ſordibus Puerperii continere; atque adeo non eſſe illibatam, nec immaculatam, prorſus communem feminis parientibus, quas lex ab ijs fæcibus purgari iubebat, & mundari. Leuit. c. 12. Luc. 2. Itaque B. Virgo in ea præſentatione ſuſtinebat perſonam immundæ, cùm eſſet puerpera; quamuis re apſe pura eſſet, ac immaculata, quòd B. Virgo ſine macula Chriſtũ peperiſſet, ac proinde ſola ſpecie, ac opinione immunda apparebat. Erat ergo illa Præſentatio

tatio à ſcopo Innocentiæ, & munditiæ aliena. Nam dum eiuſmodi legi obediebat immunditiam affirmabat, & Purificatione indigere videbatur. Vnde in Euãgelio Lucæ expreſsè ponitur cauſa, & effectus legis, & ſæpè dicitur *Immunda erit*, ceu verba Legis in eam quadrarent, cui ſe obnoxiam ſponte fecerat ne opinionem hominum, & communem pariendi conſuetudinem falleret, ac myſterium Incarnationis patefaceret: quod occultum Deus eſſe volebat, quemadmodum etiam Chriſtus Filius, ſeruitutem profiteri viſus, & redemptionis ope indigere. *Obtulerunt pro eo Domino par turturum: aut duos pullos columbarum*. Eccleſia igitur diuinitùs inſpirata aliud feſtum Præſentationis inſtituit, quod nullam prorſus ſuſpicionem immunditiæ, ſordiumque haberet, cuiuſmodi eſt illa in Templo Præſentatio, cùm B. Virgo trima ſolùm infans, fuit oblata ſacerdoti, tanquam hoſtia immaculata ab omni ſpecie, & naturalis, & legalis immunditiæ aliena: vt immaculatam eam ab initio ſuæ Conceptionis declararet. Quæ quidem Præſentatio vera fuit (quanquam in Euãgelio minimè enarretur) vti Maiorum traditio teſtatur, à quibus accepit Eccleſia, & per manus, fidelibus ſuis Filiis tradidit. Et quidem iure fecit Eccleſia, cùm hac pura Præſentatione introducta ſarciuerit, quod illa altera legalis detraxerat: ne lex officeret gratiæ, dum Virgo legis obſeruantiam præſtabat. Ita ſecundum gratiam Præſentationem inſtituit, vt hac ſuppleret defectum exiſtimationis ortum ex Præſentatione ſecundum legem, cui oppoſuit gratiam; nec enim ius fas ve erat, vt lex Moyſi cui ſe Virgo reddebat obnoxiam, Chriſti legem euacuaret. Non enim plus poſſe debuit lex Moyſi ad minuendam famam Virginis, quam lex Chriſti ad conſeruandam. Spectabat hoc remediũ ad Spiritum Sanctum, tanquam ad ſponſum Virginis, ne illa Purificationis legalis ſpecie infuſcaretur; itaq; per Eccleſiam, cuius eſt Magiſter, noua Præſentationis alterius ſolemnitate inſtituta eius innocentiam, & munditiam declarauit.

§. 4

De deſponſatione Virginis cum Sancto Ioſepho.

FLoruiſſe Virgam eo die in manu Ioſephi Patrum priſci æui doctrina eſt. Floruit autem tota, nullis obſita ſpinis, nullis aſperata ſentiebus, nullis intacta flexibus, nullis indurata nodis quę indicia Innocentiæ ſunt. Tales enim futuræ erant in eo felici integrę naturę ſtatu, quo illa Virga, Virginis ſymbolum, pertinebat. Flores primum illud Ver innocentiæ figurabant, quam Virga florida præſeferebat. Deinde illa Virga non ex parte ſolum, ſed ex integro floruit, etiam à radice, quemadmodũ ſuprà obſeruauimus in Virga Ieſſe ex radice producente flores, quæ radix initium eſt Virgæ, atque adeo ab initio gratioſa: non ſicut Virga illa primi Ioſephi Filii Iacob de quo fertur Geneſ.47. adoraſſe ad *lectuli caput* ſiue, vt ait textus græcus 70. *faſtigium virgæ eius*; quod ſolum floruerat reliquo ſtipite marcido, ac nodoſo, ruidi cortice obtecto. Coronis ſola flore coronata. Hæc autem Ioſephi noſtri tota flos, & hians in flores, tota ſertum, & corona floruit. Multò hæc præſtantior, quàm Virga Aaronis, quæ

fronduit tantum & viruit, emittens ſolia, non producens flores *Fronduerat*. Manſit intra pondus, inanes ſonitus ſtrepitu foliorum edens. At hæc vltra tetendit, & flores protulit Innocentiæ. Quantò excellentior illa alia Virga Moyſi; quæ cum ſignis, & miraculis abundaret tamen in ſerpētem tranſijt, & ſumpſit faciem peccati. A qua longè abfuit Virgo Maria expers omnino peccati. Illa ſopiebat culpam, hæc ignorabat. Illa originem repetebat, & referebat ſuam vitiatam peccato: hæc eò referri non poterat, vbi erat peccatum, cum ante diabolum floruiſſet, & ſerpentem anteuertiſſet poſt gratiam, & innocentiã originalem, quam expreſſit Propheta cum dixit *Virgam vigilantem ego video*. Ne caderet in vllum peccatum, vt omnem vitaret culpam: abundabat oculis, ne quà peteretur, tota oculea, vt omnia ſuſpecta remoueret: oculis cuſtodita, ne laberetur: munita magis, quàm Io Argi oculis centenis cuſtodiebatur, ſed alienis, itaque prodita, & perdita. At B. Virgo Maria oculos in ſe, & ex ſe proprios cum haberet, decipi non potuit nec prodi. Tam vigilabat, vt ne calcaneum quidem ſerpens ille verſutus inſidiator ſine oculis, qui longiſſimè à pedibus abſunt obnoxium fraudibus inueniret. Vincit hæc Virga virgam Mercurij, quod hæc etſi mirabilis, & ad ſuperos ſe extenderet *Euocans Orco*, vt eſt in fabulis animas, ad orcum iterum redibat, dum alios *in Tartaro mitttebat*. Hæc virga Ioſephi tota cæleſtis, & diuina ſemper apud ſuperos eſt, ac floret, nihil habet cum Tartaro commune.

§. 5.

De Annuntiatione B. Virginis. Luc. 1.

Retractandus hic eſt locus, & nouum aliquid afferendum. Mihi nunc ſumo illa verba. *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei*. Omiſſa prima parte ſententiæ, quòd ſit tractata ſuperiùs, venio ad ſecundam. *Vocabitur Filius Dei*. Cum aliàs in Euangelio de nomine Chriſti Verbi Diuini Incarnati agitur, *Ieſus* ille dicitur, non autem *Filius Dei*. Ioſepho dicitur, *vocabis nomen eius Ieſum*, & Matth. 1. rurſus. Luc. 2. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus*, de populo, ac vulgo dicitur, & de Angelo ibi refertur *Quod vocatum eſt ab Angelo*, quaſi ipſe Ieſum nominaſſet, cum tamen hoc in loco. *Filius Dei*, *& Filius Altiſſimi* vocetur. Latet myſterium, & ad immaculatam opinor, Conceptione pertinens. Agit hoc in loco Euangelij Angelus vicem Dei, vti legatus, & nomine Dei loquitur cum Virgine, & aperit omne ſecretũ Incarnationis, exponens quis, & qualis eſſet eius Filius, Deus ſcilicet, qui eſt Verbum Patris, & Filius Dei, communis ſibi, & Patri, & inuitat ad conſenſum præſtandum, dicendo Matrem futuram eiuſdem Filij Dei, quem Pater in ſuo vtero ab æterno genuit, & generat, commemorata ſolum diuinitate tacita humanitate, vt nihil niſi diuinum reſonaret, & totũ myſterium gratiã redderet, ne Virgo de conſenſu dubitaret; & quoniam Pater genuit Filium *in ſplendoribus ſanctorum*, ideſt æterno lumine Sanctitatis *ante Luciferum* ſine vlla caligine, ſine vllis tenebris, ita Beata Virgo genitura erat eundem Filium

in

Digitized by Google

in ſuo vtero Virginali illuſtrato luminibus ſanctitatis, & gratię, depulſa caligine, & nocte peccati, idque ſignificauit declarato nomine *Filij Dei*, quaſi diceret Concipies in vtero tuo Filium meum, ſicut ego concepi in meo vtero, qui cum ſemper ſanctitate plenus, ita & tuus ſemper erit illuſtratus lumine ſanctitatis & lucidus. Itaque vt aluus aluo reſponderet, eo nomine vſus eſt Angelus, ac expreſsè dixit *Ecce concipies in vtero, & paries Filium*: addidit *Filius Altiſſimi vocabitur*, & rurſum *vocabitur Filius Dei quia naſcetur ex te ſanctum*, ideſt in ſplendoribus ſanctitatis iam exiſtentibus in vtero, cùm concepit: vnde antequam poſuiſſet *Vocabitur Filius Dei* poſuit *Naſcetur ex te Sanctum, ex te*. Iam ſancta intra Cōceptione *in ſplendoribus Sanctorum* conſtituta, & luce gratia illuſtrata. Alijs hoc myſterium minime aperitur cum ad ſolam Matrem Virginem eius notitia ſpectaret. Aliis detur noſſe, quæ ſunt propria hominis, & humanitatis. Virgo norit quæ erāt propria Diuinitatis. Iunge lector, quę de vtero Patris apud Dauidem dicuntur, *Ex vtero ante Luciferum genui te in ſplendoribus ſanctorum*, & confert cum his quæ ſunt apud Lucam, *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur Filius Dei*: & videbis conſonantiam inter vterum, & vterum quoad Conceptionem Sanctitatis tractam ex vtero iam ſancto, & immaculato. Quòd ſi adhuc ambigis, nota ly *Ante Luciferū*, ideſt ante diem Natiuitatis qui Luciferi nomine inuenitur: ante quem iam erat ſplendidus vterus, ideſt in ipſa Conceptione Virginis, qui ante Natiuitatem ipſius erat lucidus, & immaculatus. Atque vt omnis recidat occaſio dubitandi, ſunt interpretes, qui eum verſum Dauidis de vtroque intelligāt, Patre Deo, ac Matre Virg. exponantq; de generatione diuina Filij Dei, ac æterna, & de generatione eiuſdem humana, & temporali, vt ne noua noſtra expoſitio videatur.

§. 6.

De ſuſpicione Ioſephi, & deliberatione dimittendi coniugem Virginem, Matth. 1.

QVis crederet in loco ſuſpicionis, & ſolicitudinis, & diffidentiæ pleno oboriri poſse lucem immaculatæ Conceptionis? Verum eſt tamen non parum hic luminis ineſſe, ſi ingenii celte ſilex tundatur. Nolo ſequi opinionem quorundam, nec ignobilium Auctorum ſententiam, tribuentium laudi Ioſepho huiuſmodi timorem, & anxietatem, quaſi ille præ modeſtia non auderet cum Virgine Dei haud dubia futura Matre habitare. Qua ratione facile erat Conceptionem Immaculatam probare. Sequar communē plerium interpretum ſententiam. Ioſephum ſuſpicionem, & ſolicitudinem habuiſſe ortam ex ventris tumore: cuius cauſam ignorabat: nil tamen credendo mali, ſed iudicium prudenter ſuſtinendo, & de modo ſe ex illa perplexi animi anxietate extricandi deliberando. Per has tamen latebras ac nebulas, quaſi per ſtricturas quaſdam ſcintillæ Immaculata Cōceptionis exilierunt. Ait ſacer textus Ioſephum in ſomnis admonitum ab Angelo de rei veritate edoctū dubitare deſiiſſe. *In ſomnis*. Hæreo hic. Cur in ſomnis, non in vigilia? Præſtabat vigilantem conſpicere Angelum, eumque loquentem viua voce audire.

Nam

Nam ſomnia vana, & inania eſſe ſolent, quæque non admodum certam faciunt fidem. Obſeruandum in primis eſt quaſcunque Reuelationes habuit Ioſeph, earum nullam vigilanti factam fuiſſe. Omnes dormiens accepit. Ita hoc loco, & alias cum monitus de fuga in Ægyptum capeſſenda, & de reditu ex Ægypto faciendo. Matth. 2.

Mirum certè eſt tanta, qualia ſunt B. Mariæ Virginis honor, & Chriſti Filij ſalus credi homini dormienti, ac ei in ſomnis committi ab Angelis, qui ſæpe, cùm in Veteri Teſtamento, tùm in Nouo, & conſpicuè ipſi, & ipſis quos admonebant videntibus viſibiles apparuerunt. Quare vni Ioſepho dormienti per ſomnia reuelant, quæ ſoliti erant aliàs manifeſta in luce aperire? Magnum quiddam hic latet. Rem explico. Modus iſte reuelandi nobilior eſt, quàm ille alius in vigilia, propterea Ioſepho exhibitus. Id nos docet Sacra Scriptura Geneſ. 2. vbi prima reuelatio ponitur Adamo Innocenti facta in Paradiſo ante peccatum: qualis fuit ille ſopor immiſſus à Deo in Adam ad formandam ex eo Euam: *immiſit Dominus ſoporem in Adam:* quem ad extaſim Patres trahunt, & de Eccleſia ex latere Chriſti noui Adami morientis latere formanda interpretantur. Hic autem modus reuelandi proprius eſt Innocentiæ, & ſtatus iuſtitiæ originalis, in quo tunc erat Adam conſtitutus: planè diuinus, & à Deo vſurpatus ante peccatum originale. Hic ergo debuit adhiberi Ioſepho, cum ei res Mariæ, & Ieſu reuelebantur, qui continebat innocentiam, & iuſtitiam originalem, eratq; a peccati ſordibus alienus. Ille purus puram Virginem decebat, eoque illius immaculata ſanctitas declarabatur. Itaque illud ſomnium Ioſephi omni erat vigilia potius, & nobilius, quia illud genus reuelationis repræſentabat, cuius & Deus auctor fuerat: & innocentiæ propriam iuſtitiam affirmabat. Aliæ reuelationes vigilantium ſecutæ ſunt poſt peccatum, earum namque prima auctorem habuit diabolum, qui ſerpentem inducens apparuit Euæ vigil vigili, viſibilis viſibili, eamque ſeduxit ad peccandum. Hæc manſit communis multis, tum bonis, tum prauis Angelis, qui deinceps hominibus iuſtis, & peccatoribus apparuerunt, & futura, & occulta reuelarunt. Ioſepho ea prærogatiua cõceſſa eſt; vt per ſomnium diuinitùs reuelata acciperet: quod genus diuinandi diuinius erat, & rem Innocentiæ & Iuſtitiæ originalis continebat. Ex quo fit argumentum pro B. Virginis Mariæ Immaculata Conceptione, nam ei congruebat ille modus reuelandi, qui proprius erat ſtatus innocentiæ ante peccatum, vt tùm obiectum reuelatum, ideſt Innocentia Virginis, tum reuelatio ipſa ad ſtatum Iuſtitiæ originalis reuocaretur. Reſpondebant ergo, & ſibi conſonabant viſio Ioſephi diuina, & pura, & Virginis ſanctitas immaculata, quæ niſi talis eſſet, alio erat communi, & vſitato modo reuelanda. Itaque illa ſuſpicio Ioſephi ſuſpicioni fauorabili reuelationis per ſomnium acceptæ purgabatur, & omnis vmbra maculæ euaneſcebat.

CAPVT III.

§. I.

De Viſitatione S. Eliſabethæ. Lucæ 1.

SAlutauit Maria Eliſabetham, & illa ſalutatio recens erat à Salutatione Angelica *Aue Maria*, & ſimi-

ſimilem quendam affectum habuit. Etenim Ioannem in ventre Matris propoſitum B. Virgo vt gratiæ diuinæ inſtrumentum ſanctificauit. Voci enim Mariæ ſucceſſit; ſanctificatio Baptiſtæ: *Vt facta eſt*, inquit, Eliſabetha *Mariæ vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit infans in vtero meo*. Per aures intrauit vox, & per vocem gratia. Oppoſita eſt hæc vox voci ſerpentis in Paradiſo. Vox ſimul cum peccato penetrauit in Animam Euæ: quæ per aures vulnus accepit primæ culpæ. Illa vox Mariæ infudit primam gratiam Ioanni. Annon apparet harmonia gratiæ originalis in hac ſalutatione? gratia communicata Ioanni gratia erat originalis, hæc autem Virgini attribuitur, quaſi proprium eius donum ſit. Aderat Chriſtus hic, author omnis gratiæ. Voluit tamen deferre Matri ſuæ honorem conferendi gratiam originalem, vt indicaret matrem ſuam fuiſſe in ea conceptam. Dabat quod habuerat. Nam ineptum eſſet alienum donare: donando monſtrauit ſe fuiſſe præditam gratia originali, corpus erat idoneum inſtrumentum. Nemo eligit ad rem patrandam ineptum inſtrumētum. Nemo ferit roſis, aut violis, nec pomis, aut cupediis, ſed ferro, & armis. Nunquid *Colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?* Hic pertinet cantus, & hymnus Beatæ Virginis, quem primum in Euangelio habemus *Magnificat*, cui vox illa Ioannes ſaltibus reſpondebat *Exultauit infans*. Primus ille ſaltus originalem gratiam ſecutus eſt. Conſonat Cantus alter cantui primo. Nam duo in hac domo Eliſabethę fuerunt: alter Virginis Mariæ, alter patris Zachariæ: ſed ille primus, & origo gratiæ fuit: præueniens ſanctificationem, alter natiuitatem comitatus eſt, & primo applauſit; tanquam gratulatio conſecuta. Date aures diligenter. Obſeruandum hic eſt tria Cantica in Euangelijs extare. Mariæ, Zachariæ, An non ad triplex genus, gratiæ referenda? Primum ad originalem ante Baptiſmum: Secundum ad baptiſmalem gratiam: tertium ad Pęnitentiæ Sacramentum. Primum ſignificauit Canticum Mariæ, ſecundum innunit Canticum Zachariæ. Tertium Canticum Simeonis. Addo momentum: B. Virginem veniſſe ad domum Eliſabethæ ad hoc munus præſtandum; quoniam non videtur expectaſſe donec Eliſabeth pareret, ſed prius domum repetiit. Idque indicat Euangeliſta iis verbis prope fin cap. 1. *Et fuit cum Maria illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam*. Quæ ſubſequitur narratio partus Eliſabethæ, & natiuitas Ioannis, cum particula diſtinctiua: *Eliſabetha autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit*, quaſi hæc accidiſſēt poſtquam B. Virgo diſceſſiſſet, vti legenti manifeſtum erit. Et quidem minimè decebat Virginē illis parturientis doloribus, & parientis niſibus, & puerperij ſordibus intereſſe. Sunt hæc à Virginum ſtatu aliena, ab ea pręſertim, quæ nihil habuit cum Puerperiis commune. Itaque totum illud tēpus, & commoratio ad gratiam pertinebat; tum vt videret oculis, & quaſi manu tangeret, quod Angelus prędixerat de miraculo ſterilis pręgnantis: quod erat officij; tùm, vt gratia, qua abundabat Ioannē intra vterum poſitum impleret: planè Originali, quod erat beneficij ſingularis. Cætera ad alias ſpectabant, ad Virginem nihil attinebant.

§. 2.

De Partu Virginis, & Natiuitate Chriſti, Lucæ 2.

ILluſtre quiddam hic, & nouum in rem Conceptionis Immaculatæ inuenitur: quod lucet in illis verbis. *Peperit Filium ſuum Primogenitum*. Excitemus ſplendorem. Vnigenitum oportebat dicere, non *Primogenitum*. Erat diuinitus, quòd Pater *Vnigenitum* edidit, non *Primogenitum*. Deinde veriſſimum eſt Virginem vnicum, ac ſolum Ieſum filium peperiſſe. Quomodo ergo expreſſum *Primogenitum*, quæ vox alios minores filios ſignificat. Monet nos hic locus gratiæ primæ, & originalis, quæ à primogenito incipit, & ad reliquos ducitur, & tendit. Cuius vt Maria ſit author, & princeps, neceſse eſt, vt Primogenitum pariat. Hic etenim Primus acquirit originem gratiæ, ſimilem ei, quam habuit Mater immaculata. Vnigenitus eſt Ieſus eius filius per naturam humanam, ſicut eſt Patris per naturam diuinam: Verùm quoad adoptionem per gratiam hos omnes habet B. Virgo Filios per adoptionem: quorum ille primus, & origo eſt, ac proinde B. Virgo Genitrix eſt, & Mater omnium. Si ergo Filius eſset tantùm Vnigenitus, nulla eſſet gratia, neque prima, neque ſequens, cuius Maria origo eſset; nec enim poterat dici principium, & radix gratię reſpectu Filij ſui, qui Deus erat, & cauſa, & origo totius gratiæ, à quo ipſa Mater acceperat. Oportuit ergo, vt hac prerogatiua donaretur Virgo alios exiſtere Filios adoptiuos, Chriſti fratres, erga quos Matris officium gereret, dum pariendo Primogenitum, huius gratię participatę fontem ad ſe, & originem reuocaſse. Quæ cum prima eſset, & per originem tracta, ad ſuam, quam in Conceptione habuit gratiam confirmandam ſpectabat. Diuinitùs itaque factum, vt illa vox *Primogenitum*, *vnigenito* adiungeretur, ne quis exiſtimaret ſterilem eſse gratiam, quæ à Virgine Maria naſceretur, quòd Chriſtus vnicus natura filius Virginis, ſit etiam *Primogenitus*, vti conſtat ex Paulo, *in multis fratribus*: & hac ratione admittit ſecum alios Filios adoptiuos per gratiam, qui tales cùm ſint, ac eius fratres, attribuuntur eidem Matri propter communionem gratiæ, quæ cum à Chriſto naturali Filio manaret, ad eam, quæ illius eſt Mater reducitur, & hac ratione ex iſtic principiũ, & fons gratię originalis, eoque argumento gratia originalis in origine conceptæ Virginis comprobatur. Eſt autem huius loci Euãgeliſtæ cum altero harmonia ſingularis vbi Chriſtus affirmat ſe habere fratres, & cum ſpirituali ſenſu coniũgitur. Quę eſt *Mater mea*, & qui *ſunt fratres mei*, & ſtatim vt deſignauit eos per adoptionem gratiæ, ſuos eſse fratres addidit *Ille meus frater, & ſoror, & mater eſt*, docens hoc de illis intelligi oportere, Euangeliſta Lucas commemorat dicens *Peperit filium ſuum Primogenitum*, quaſi vellet exponere, qui nam eſſent Filij ſequentes Primogenitum, ideſt illi Fratres, quos Chriſtus ſe habere dicebat per gratiam adoptatos, *qui ſunt Fratres mei*? ad ſe primogenitum relati, qui ſanè nulli eſſent, ſi *vnigenitus* tantum eſſet, ac vocantur.

§. 3.

§. 3.

De Feſto Epiphaniæ. Matth. 12.

IN Stella de qua Magi *Vidimus*, aiunt, *Stellam in Oriente*. Vidimus pulcherrimum ſchema gratiæ Virginalis, & originalis. Oriens Conceptionem ſignificat. Luce prima Solis irradiatam, in Oriente ſemper: in Occidente nunquam. Idcirco in aduentu Magis & oſtenſa, & uiſa: in reditu minime, cum Puero naſcente coniuncta, & ibi tanquam domi ſuæ ſtante. *Vbi erat puer*, qui tanquam Sol ibi oriebatur. Ortum eius ſtellæ ſemper habemus etiam in veteri teſtamento *Orietur Stella ex Iacob*. Meminit Ortus, Occaſus nunquam. Redeuntes Magi Stellam non viderunt. Vetus iam tum erat Stella, non noua, *In exitu* non in introitu; in fine, non in principio. Auerſi ibant cùm redibant: diſcedebant à Sole, non accedebant. Apud hunc Stella erat indiuidua eius comes, cum eo, & habitabat, & incubabat in ſtabulo vbi erat. Itaque recedentes deſeruit: tunc noctem ſunt paſſi: admoniti quidem à Deo, ſed in ſomnis, non in vigilia: cùm redibant per aliam viam, quæ non erat Stellæ orientis, quæ ſola erat cognata Stellæ Mariæ Virginis, ſemper in ortu collocatæ. Eius propria eſt gratia prima, qua Magos duxit, non ſecunda quæ reduxit. Virginalis quæ principium uiæ dedit, ac primæ ſuæ conuerſionis initium fuit, non autem ſequens quæ finem attulit, & Occaſum intulit. Præuenit eos illa Stella ſymbolum gratiæ præuenientis, ac excitantis, non autem poſterioris, & ſubſequentis. Neſcit molimina ſpiritus ſancti gratia in Maria. Feſtinatione gaudet non cunctatione. Oriente fruitur, & originalem prouocat. Vbi viſa mouet ac excitat. *Vidimus, & venimus*. Odit moras, idcirco non fuit ei expectanda Natiuitas poſt moram intra ventrem caligine infuſcatam: vbi concepta eſt illuxit per gratiam primam, & originalem. *Vidimus in Oriente, Non vidimus in Occidente. Orta eſt ex Iacob*. Non mortua in Adamo. Tanta eſt luce prędita vt Magorũ aduentum *Epiphaniam* reddat ſuperabundante ſplendore. Imo & ipſamet admonitio ad Magos facta de redeundo in Patriã etiam in ſomnis accepta, lucis fuit pleniſſima, cum illa reuelatio fuerit ſimilis reuelationibus factis Ioſepho quemadmodum ſupra diximus: in quibus licet nocturnis gratiæ originalis lucida ratio coruſcauit: quòd erant propriæ ſtatus Innocentiæ, & Iuſtitiæ originalis.

§. 4.

De Feſto Purificationis. Lucæ 2.

ETſi de ratione huius Feſti ſuperiùs cùm de Præſentatione B. Virginis egimus, & nõnulla quæ huc faciunt dixerimus, operępretium tamen duximus, nouum hîc, & proprium afferre eiuſdem Immaculatæ Conceptionis argumentum, cùm præſertim quæ ibi diximus pugnare cum munditia, & Innocentia ob legalem purificationem videantur: nobis verò propoſitum eſt adſtruere in omni feſto Virginis immaculatam Conceptionem, à qua Purificatio iſta videtur abhorrere. Igitur ſumenda mihi eſt illa vox *Pro eo*, & expendenda. Hæc verò refertur ad Chriſtum, pro quo fiebat oblatio turturũ,

Digitized by Google

ſiue Columbarum, qua redimeretur ex conſuetudine legis fętus è puerpura natus. Hanc autem vocem multi cum Auguſtino auctores dicunt eſſe generis communis, & ambobus Maria, & Filio conuenire; vt ſenſus ſit *Pro eo*, ſiue *pro ea*. Itaque oblatio quæ de Chriſto dicitur, de Virgine affirmatur. Fallor: niſi hic idoneum Innocentiæ, & munditiæ originalis indicium extat. Chriſtus honoris ſuæ matris ſolicitus, ac ſtudioſus ei conſuluit communicando cum Matre, quod ſibi proprium erat, ne quis poſſet de Matre dubitare, qui videret erga Criſtum agi, quod erga Matrem gerebatur. Nemo de Chriſto auderet ſuſpicari ſeruum eum & mancipium eſſe, ſubditum ſeruituti, & Redemptū obonoxium, etſi legali ſpecie vmbraretur, cum ipſe eſſet Filius naturalis Dei, & Dominus omnium, etiam dominantium, & Mundi Redemptor. Voluit igitur ſecum Matrem habere, vel cum Matre venire ad locum ignominiæ, cuius incapax omninò erat, vt ſignificaret in eodem loco eſſe cum Matre; & quemadmodum ipſe infamari non poterat, ita nec B. Virgo Mater inquinari. *In eadem*, inquit, *naui ſumus*, ego & mater, eaſdem tempeſtates paſsuri ſumus; ego non poſſum naufragium pati, nec meam illud Matrem pati ſinam, vt illam eximam prouidebo, vt quod de me quiſque ſentit de Matre mea id quoque ſentiat. Perinde erit *Pro me, ac pro ea* ſacrificium offerre: neuter periclitabitur. Vt aſſeram eius munditiam, & innocentiam volo iſtud periculum ſubire. Clypeum me vulnus inferre paranti opponam. Per meum corpus petitur, & petatur. Arcebo vulnus, accipiendo vulnus. Verùm cum ſim inuulnerabilis procul illa erit à vulnere. Qualis ego ſum per naturam mundus, & purus, & immaculatus, talis illa eſt per gratiā. Detur legali obſeruationi quod ſuum eſt ſpecie ſumpta immunditiæ, & maculæ, maneat illæſum, quod eſt noſtrum, Innocentia, & Iuſtitia, & gratia originalis. Tenebroſa iſta, & caliginoſa lex Purificationis, & Præſentationis à me, qui Sol iuſtitiæ ſum illuminabitur, & dies hic, qui obſcurus, & nubiloſus apparet, illatis vndique, accenſis facibus, & ex illuſtrior euadat, & in Eccleſia hoc nomine *Candelarum, & luminum* celebretur. In mea Matre tenebræ non ſunt. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*. Qui ſuſpicatur conceptam fuiſſe in tenebris, norit eam in medijs luminibus fuiſſe conceptam, nec vllam noctem pati potuiſſe. Lumen eius cùm extitit nata, & cum creuit adulta, non maius fuit quam illa Beata caligo in qua exiſtimatur ab halucinantibus concepta: *Sicut tenebræ eius ita & lumen eius*. Oculorum intuentium id vitium eſt, non culpa, aut macula Virginis meæ Matris, quæ Dei lux eſt, & omnes luces continet, *Amicta Sole, Calceata Luna, Stellis Coronata*. Nec quicquam amittit inter hæc lumina Candelarum, & & Lucernarum cum omne genus ſplendoris comprehendat, & ſi minore ſint hæc lumina, ſunt tamen idonea ad tenebras expellendas. Ac mihi etiam conueniunt. De me enim Ioannes dixit *Lucerna eius eſt Agnus* Apocal. 21.

§. 5.

De Fuga in Egiptum.

HVic fugæ ſuum ineſt pondus ad probandum, quod ſumpſimus. Fugit Chriſtus in Ægyptum.

ptum. Cauſa fugiendi patet. Cauſa eo fugiendi latet. Inquiritur. Triplex occurrit. Prima. Ægyptus regio eſt quæ rigatur Nilo Fluuio, cuius origo in Paradiſo ante peccatum fonte aquarum puro à quo munda item diuortia deriuata citra, ſordes, & fæces terræ inquinatæ. Quæ conditio innuit Immaculatæ Originem Conceptionis ſine labe, maculaque peccati. Hinc *Fluminis impetus* Virgine *Lætificantis ciuitatem Dei.* Longè à lachrymis, & planctu Euæ, cum riſu, & plauſu vtriuſque Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis. Secunda. In Ægypto apparuit inſignis illa Immaculatæ Conceptionis Figura, quam ſuperius deſcripſimus Rubi ardentis, & incombuſti, quæ oblata eſt Moyſi. Ad hanc prouidentia diuina duxit Virginem figuratam, vt typo ſuo reſponderet: cum præſertim eius brachiis Chriſtus inſideret, inſertus vti Deus Rubo. Et quidem Virgo huic flammis cincto ſimilis erat propter tribulationes, quas patiebatur ab Herode. Tertia. Idonea eſt, & digna ſcitu. Scilicet, memoria Filiæ Regis Pharaonis, quæ Moyſen infantē in fluuium proiectum à morte eripuit, quo facto declarauit ſeſe liberatricem eſſe, cum reſpectu ad peccatum Originale, quod ictus ille fluminis deorſum currētis ſignificabat, & ſecum in cunis poſitum infantulum deferebat. Igitur illa Regia Virgo Pharaonis filia præueniens, & auertens mortem Moyſi, & oppreſſum aquis ad littus trahens, & lactandum nutrici tradens. B. Virginem ſignificabat: cuius erat propria gratia præueniens ab origine, ſibi à Deo communicata, vt Peccato originali aduerſaretur. Ecquis autem non videt in Regia virguncula ambulante in ripa torrētis amnis, & inde ſpectante proiectum in ciſtula infantem, eique opem ferente, præclaram quandam B. Mariæ Virginis Angelorum Reginę imaginem arcentis peccatum, & lac gratiæ miniſtrantis? Nemo dubitet, quin ipſamet Virga afflatu inceſtata diuino eò contenderit, vbi tantò ante fuerat prænuntiata, & repræſentata. Itaque apparent cauſę probabiles, cur in Ægyptum cum Filio ſuo fugeret, non in alias regiones: eas autem omnes Immaculatæ gratiæ Conceptionis mire, apteque eſſe congruentes pateſcit.

§. 6.

De Amiſſione, & Inuentione Pueri Ieſu.

DVm amittitur Puer & abeſt: adeſt Myſterium Immaculatæ gratiæ: & illo abſente iſta inuenitur. Tam eſt coniuncta, & addicta Virgini. Pendamus illa verba. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Nunc primum ac ſemel *Filium* Chriſtum vocat, & de illo queritur Mater Virgo. Profeſſa Matrem, & ſe cōfeſſa querulam, quia illa abſentia ſignificabat ſeparationem à Chriſto Filio, quam ipſa ferrea non poterat. Hinc ille lacrymæ, illa querela. *Fili cur feciſti nobis ſic?* Quaſi diceret. Quomodo à me, quæ idem ſum tecum, receſſiſti? Mater, & Filius tam ſumus coniuncti, vt diuidi non poſſimus. Cur ergo ſic à me te ſeparaſti? *Dominus tecum,* dixerat Angelus, quòd ſine te nunquam. Tu autem Fili feciſti ſic, vt ego ſine te eſſem. Ideo queror. *Quid feciſti ſic,* te Filium à me Matre tua ſeparando. Hoc doleo, & ferre non valeo. Si quid feciſſes aliud tolerarē, quod

Digitized by Google

quod ſic feciſti pati non poſſum. Inſolitũ erat, imo & adgnaton ſeparari à Chriſto Virginem: nunquam id acciderat ex quo concepta fuerat, nunc contigit ſine ipſo eſſe. De hoc vehementer dolet, & queritur. Ex quo apparet nunquam à Chriſto deceſſiſſe: nam ſi anteà, vel in puncto Conceptionis diſcederet, non tam acerbè quereretur. Semel igitur hoc, ei modò, & quidem corporaliter contigit: quæ corporalis abſentia, quia ſpeciem exhibebat, ſpiritualis abſentiæ propterea dolebat Virgo, & dolores impotens videbatur. Verùm Filius mærorẽ abſterſit, & ſuſtulit cauſam, & amouit ſuſpicionem, cùm dixit. *Quid eſt quod me quærebatis?* id eſt. Non abieram, non receſſeram. *Eram cum Patre meo, illius rem agebam*. Ibi eras tu *Mater mea*. Non me amiſeras. Apud te manebam: apud quam Pater, & Dominus eſt. Et repeto, ac refero ad te, quod mihi obieciſti *Dominus tecum*. Perinde erat cum Patre meo, ac tecum eſſe. Cur me quærebas? Quæruntur amiſſa. Ego non eram quærendus, qui amiſſus non eram. Nec quærere debuiſſes, nec queri. Tecum, & cum Patre eram. Si quereris, ego ſic tibi ſatisfacio. Quin imo Euãgeliſta ſatis declarauit, Chriſtum non receſſiſſe à Virgine. Conſultò enim dixit *Inuenerunt illũ in Templo*. Si in Templo inuentus erat, apud Virginem erat, quæ Dei Templum erat: à qua propterea non diſceſſit. Habitabat in hoc templo Spiritus Sanctus, qui cum Patre ſimul erat, apud quem eſt Filius. Sunt inſeparabiles; quomodo ergo non potuit ſeparari à Spiritu Sancto, ita nec potuit à Virgine, ſuo Templo, ſeparari. Ab alijs Virginibus diſcedere poteſt Chriſtus, quia quamuis ornentur, & locupletentur donis Dei, ſunt ſimiles templo Dei, non autem ipſummet Templum Dei: vt ait Dauid *Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo Templi*. At verò Beata Virgo, multò ijs omnibus eſt, & ornatior, & abundantior, verum, & proprium Templum eſt Dei, in quo ſemper ab initio ſuę Conceptionis per gratiam habitauit. Propterea in hoc templo ſemper, & fuit Chriſtus, & inuenitur.

CAPVT III.

§. I.

De miraculo in nuptijs Cana Galileæ. Ioan. 2.

HIc vbi videtur Chriſtus à Matre ſua alienior; coniunctior, & amicior extitit. Rem accipe. *Deficiente Vino*. Interuenit Mater, & pia, & prouida: & ad Filium: *Vinum*, inquit, *non habent*. Inſinuatio fuit, & modeſta poſtulatio. Reſpondet Chriſtus. *Quid mihi, & tibi eſt Mulier?* Aſperum quiddam videtur ſonare reſponſio. Ratio aſperius. *Nondum venit hora mea*. Quod repulſam ſapit, & importunè peti ſignificatur. Deſipit hic Caluinus cum ſuis canibus. Non habẽt guſtum virtutis, qui Euchariſtiam non guſtant, ac ne guſtent negant. Et hic ineſt typus, & pignus Euchariſtiæ in conuerſione Aquæ in Vinum. Refutant illorum effugia Interpretes. Ego quod meum eſt ago. Remoueo primum dubium: Cur Chriſtus Matrem ſuam viſus eſt duriùs tractaſſe? Reſpondeo, quia Chriſtus Dominus habebat in ſua voluntate, & poteſtate, & ordinem temporum, & ſignorũ, an ita prouiderat,

vt

vt miracula prædicationem ſequerẽtur, non antecederent, & in euum publicam; coram populo proficere. Vidit modo Matrem ante deſtinatum ſibi tempus miraculum poſtulaſſe, idcirco viſus eſt minus illam anticipationem libenter accipere, quod ab ſtatuto temporis ordine recedebat. Idque ſonat illud *Nondum venit hora mea*, ideſt ex ordinante, & ordinata potentia conſtituta. Verùm non negarat Chriſtus futurum miraculum, ſi à Virgine peteretur, quemadmodum accidit, ſed illa voluntas erat conditionata, & cum exceptione, *Si mea Mater non poſtulauerit, non faciam*. Sed ſeruabo conſtitutum, ſi tamen poſtulauerit faciam, excipiendo illam à regula ordinaria ſibi præſcripta. Egregium hic habemus Immaculatæ Conceptionis gratiæ argumentum. Semper Virgo excepta fuit à legibus ordinariis. *Non propter te lex, ſed pro aliẏs*. Hic excipitur à lege operandi miracula deſtinata certis temporibus, & obtinet miraculum extra præſtituti temporis ordinem. *Nondum erat hora* ſtata, & determinata faciendi miraculum, & tamen excepta eſt ab illo communi ordine. Lex ordinaria vetabat, ſed priuilegium Mariæ ſuadebat. Datur ei per priuilegium extra legem; quemadmodum exempta eſt à lege ordinaria culpæ originalis per ſingulari gratiæ priuilegium. Præstereà hoc miraculum fuit primum Chriſti, & origo, & fons aliorum, ac proinde ſpeciem quandam originalis, & primæ gratiæ exhibebat. Spectabat igitur ad Mariam Virginem Immaculatam in ſua conceptione, quæ præuia & originali gratia prædita ex priuilegio fuit. Idcircò tanta confidentia dixit miniſtris conuiuii, *Quodcunque dixerit vobis facite*. Intellexit quippe impetraturam ſe à Filio quod optabat miraculum, etiam ſi videretur Filius repugnare: cauſando importunitatẽ. *Nondum venit hora mea*. Quem non deterreret iſta reſponſio? Verùm ea Virginem incitauit, quòd noſſet Chriſti ergo ſe obſeruantiam, & ſciret non defuturum precibus iuſtis petentis, eo nomine, quòd cauſa, fons, & origo miraculorum ſequentium ad ſe iure quodam originalis iuſtitię pertinebat. Propterea ſacer Euangeliſta adiunxit *Hoc initium fecit Ieſus*, quaſi docere vellet cauſam facti, quaſi miraculũ illud ad gratiam initialem, & originalem Matris ſuæ Virginis eſſet referendam. Omnes itaque conditiones huius miraculi quadrant in Conceptionem Immaculatam. Prima, quòd fuit extra ordinem, ac præter legem. Secunda, quòd fuit, cum exceptione, ac priuilegio. Tertia, quòd fuit initium & origo aliorum.

§. 2.

De præconio Mulieris de turba *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*. Lucæ xj.

A Spiritu Sancto edocta mulier è vulgo in medio turbę didicit, quod in ſcholis docet Subtilis Magiſter, ſcilicet laudes Chriſti, & Mariæ amborum eſſe communes: vt qui velit quantus ſit alter cognoſcere, alterum intueri oporteat, ac ex eo æſtimet alterum: eo tamen diſcrimine quòd Chriſtus cauſa ſit, Maria effectus. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Dixit ſponſa ſignificans hoc par, nullum aliud habere par; Mariam Matrem, & Ieſum ſelectos eſſe ex reliquis, vti ſingulares; eoſque duos referri

inter

inter ſe, ac ſibi reſpondere more relatiuo, vt ſimul & eſſe, & cognoſci debeant. Vnde autem ea ſimilitudo proueniat, docuit nos ſancta femina dicens *Beatus venter: Beata vbera*; quod Sacra ſponſa prædixerat *Inter vbera mea commorabitur*. Hic fons, hæc origo omnium Mariæ donorum à Matris dignitate, idque Auguſtinus intellexit, cùm Mariam Virginem excipiens à lege Peccati, eamque Immaculatam declarans addidit *Propter honorem Domini nullum habuiſſe peccatum*. Igitur hanc diuinam doctrinã hæc mulier tradidit; dum laudando Chriſtum, ad ventrem & vbera, hoc eſt Matre dignitatem recurrit: ſeruata ratione relatiua; & ſumma quidem ſapientia ita commutauit præconia, vt neſcias: vtri magis conueniant Matri ne, an Filio? certè ad vtrunque pertineant. Contineri autem hic rem gratiæ originalis patet, quia de doctrina loquentis Chriſti agitur, qui ſe faſſus eſt eſſe *Principium*. Ioan. 8. *Principium qui, & loquor vobis*. quod eſt autem *Principium*, eſt & origo. Vnde patet cauſam eſſe in Chriſto, & in Virgine effectum gratiæ originalis, ideſt gratiam Principii, quę hic Virginis vtero, & vberibus attribuitur. Itaque vox Chriſti loquentis vti *Principium. Principium qui loquor*, per donum originale refertur ad ventrem Virginis, quaſi ad eam gratiam originalis pertineret. Nàm cur loquentis Chriſti doctrinam retulit hæc mulier ad Matrem, niſi quia principium, & originem ſapiebat, quæ gratiæ ratio tam propria eſſe videbatur Mariæ, vt ab ea ſeparari non poſſet. Igitur cum vellet mulier laudare loquentem, principiũ eſſe animaduertens vidit conſecutione quadam huic principio in Matre reſpondere. Vnde repoſuit, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*.

§. 3.

De B. Virgine & fratribus Chriſtum quærentibus, *Ecce Mater tua, & fratres tui ſtant foris quærentes te*. Marci 3.

ET hic eſt momentum non leue. Audito quęri ſe à Matre, & conſanguineis, reſpondet Chriſtus. Quę eſt *Mater mea, & qui sũt fratres mei?* Reijcit ſuos vt alios dicẽs: & recipit alienos, vti proprios, & domeſticos. *Qui fecerit voluntatem Patris mei hic meus Frater, & Soror, & Mater eſt*. Longè abeſſe hinc videtur Immaculata gratia conceptæ Virginis. At propè omninò eſt, & nos inuitat amicè ad id quærendum. Remouet Chriſtus turbam propinquorum, quaſi moleſtam ſe quærentem, nixam iure ſanguinis; non dono ſpiritus. Quo ſignificauit eam ſibi minimè placere, quòd Animarum ſalutis, non corporum rationem habebat. Itaque ad virtutem, & gratiam prouocauit, & ſpiritualem viam ſe quærendi indigitauit: ac eo declarauit ſe Matrem ſuam ſingularem, & incomitatam velle, vti ſibi cariſſimam, & dilectiſſimam. Si Virgo eum ſola quæreret, non ita reſponderet, ſed quia in turba, & cum turba quæſiuit, eã viſus eſt reieciſſe perinde ac diceret. *Vna eſt Columba mea, vnica eſt dilecta mea*. Veniat ſola, loquar ad eam amanter, & in aurem, & ad cor *Ducam eam in ſolitudinem*, & *ibi* nota *ibi loquar ad Cor eius*. Ibi *in ſolitudine*, vbi ſit nemo alius. Nos ſoli ſimus. Non in turba, non in tumultu: excluditur loco, & tempore. Proptereà taceo, quia te video, Mater mea,

cum

cum vulgo, & in vulgo miſceri. *Singulariter ſum ego, donec tranſeam: ſingulariter ad te loquar.* Date mihi vnã, vni loquar, ad vnam vnus. Non eſt mihi tecum vulgariter loquendum. Non communicabo cum alijs arcana mea diuina. *Non mittam margaritas meas ante porcos. Noui te pulcherrima mulierum.* Egredire, exi de turba: *Os ad os tecum loquar.* Sicut Moyſi olim in monte, non in vulgo poſito ſum locutus. Non vidit Iacob illam ſcalam, nec in ſcala Deum, & Angelos commorãtes in Ciuitate, nec in hominum frequentia, ſed in ſolitudine, ac eremo, in ſummo noctis ſilentio, in ipſomet conticinio. Angelus cùm ſalutauit Mariam inuenit ſolam, & ſoli dixit *Dominus tecum.* Separa, ſeiunge te ab aliis *O mea dilecta,* & ſingulariter *dilecta.* Alloquar te lubenter. Dum es comitata, & intra turbam minus te mihi aptam reddis ad loquelam. Gratia tibi eſt ſingularis, & mihi ſingulari ſingulariter grata. Da te mihi ſolam, & vacuam cum auribus vacuis à ſtrepitu. Verbum ſum, ſermo ſum, totum me tibi fruendum, & audiendum tradam, ſumma eſt. Noluit Chriſtus ad Matrem ſuam comitatam turba propinquorũ more vulgari loqui, ſed ſingulari, & ſpeciali modo, quem eius dignitas, & ſanctitas exigebat. Pertinet hoc autem ad gratiam Immaculatæ Virginis, quæ fuit gratia ſingularis, ac vnius propria, non communis, & vulgaris, quales communes ſunt aliis ſanctis, & iuſtis. Vnicam, & ſingularem vult Chriſtus eſſe Matrem ſuam Mariam, qualis fuit in ſua Cõceptione per ſpecialem, & ſingularem gratiam præuenta, & præſeruata. Alios de turba ſanctos, & iuſtos communi modo, moreque redemit; Virgini proprium, & ſingularem Redemptionis modum reſeruauit.

§. 4.

De ſtatu Virginis iuxta Crucem, & verbo ad eam Domini *Mulier ecce Filius tuus, ecce Mater tua.* Ioan. 19.

STatus iſte Beatæ Virginis celſum quiddam, & conſtans innuit eo die in quo Chriſtus iacentẽ mundum erigebat, & ſtatum gratiæ originalis præſeruantis repræſentabat. Illa vox *autem* emphaſim nouitatis habet: *autem* ideſt diuerſo modo erat in Caluario Maria, ac cæteri Redempti per Crucem. Ea quidem ad Crucem pertinebat. Erat quippe inter redemptor in Cruce, & per Crucem; ſed alij iacebant in peccato, & proſtrati excipiebant ſanguinem Redemptoris ſupra cadentem, & chirographum Peccatorum ſuorum delentem. At B. Virgo ſtabat erecta iuxta Crucem non ſubtus, quia diuerſo modo redimebatur, ſcilicet tenendo eam, & pręſeruando ne caderet cum alijs, ac idcirco iuxta Crucem per applicationẽ nixa Cruce: non oppreſſa Cruce, tanquam *Mater eius* Redempta, & pendens à pendente ex ligno, ſed per excẽptionem à culpa: immaculata, nõ Redempta à culpa contracta, & commiſſa. Omnes alij iacebant *Stabat autem illa.* Hinc eſt quòd ad illam Chriſtus *Mulier ecce Filius tuus.* Quaſi ſignificãs eam, cum ipſe moriebatur viuere, ita vt poſſet Filium adoptare Ioannem, qui cùm eſſet adoptiuus ad gratiæ fęturam pertinebat, idque ille ſuo nomine Ioannis indicabat. Itaque quo die omnes alij, tanquam mortui, ac redimendi in peccato iacere videbãtur,

Digitized by Google

inter ſe, ac ſibi reſpondere more relatiuo, vt ſimul & eſſe, & cognoſci debeant. Vnde autem ea ſimilitudo proueniat, docuit nos ſancta femina dicens *Beatus venter: Beata vbera*; quod Sacra ſponſa prædixerat *Inter vbera mea commorabitur*. Hic fons, hæc origo omnium Mariæ donorum à Matris dignitate, idque Auguſtinus intellexit, cùm Mariam Virginem excipiens à lege Peccati, eamque Immaculatam declarans addidit *Propter honorem Domini nullum habuiſſe peccatum*. Igitur hanc diuinam doctrinā hæc mulier tradidit; dum laudando Chriſtum, ad ventrem & vbera, hoc eſt Matre dignitatem recurrit: ſeruata ratione relatiua; & ſumma quidem ſapientia ita commutauit præconia, vt neſcias: vtri magis conueniant Matri ne, an Filio? certè ad vtrunque pertineant. Contineri autem hic rem gratiæ originalis patet, quia de doctrina loquentis Chriſti agitur, qui ſe faſſus eſt eſſe *Principium*. Ioan. 8. *Principium qui, & loquor vobis*. quod eſt autem *Principium*, eſt & origo. Vnde patet cauſam eſſe in Chriſto, & in Virgine effectum gratiæ originalis, ideſt gratiam Principii, quę hic Virginis vtero, & vberibus attribuitur. Itaque vox Chriſti loquentis vti *Principium*. *Principium qui loquor*, per donum originale refertur ad ventrem Virginis, quaſi ad eam gratiam originalis pertineret. Nām cur loquentis Chriſti doctrinam retulit hæc mulier ad Matrem, niſi quia principium, & originem ſapiebat, quæ gratiæ ratio tam propria eſſe videbatur Mariæ, vt ab ea ſeparari non poſſet. Igitur cum vellet mulier laudare loquentem, principiū eſſe animaduertens vidit conſecutione quadam huic principio in Matre reſpondere. Vnde repoſuit, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*.

§. 3.

De B. Virgine & fratribus Chriſtum quærentibus, *Ecce Mater tua, & fratres tui ſtant foris quærentes te*. Marci 3.

ET hic eſt momentum non leue. Audito queri ſe à Matre, & conſanguineis, reſpondet Chriſtus. Quę eſt *Mater mea, & qui sūt fratres mei?* Reijcit ſuos vt alios dicēs: & recipit alienos, vti proprios, & domeſticos. *Qui fecerit voluntatem Patris mei hic meus Frater, & Soror, & Mater eſt*. Longè abeſſe hinc videtur Immaculata gratia conceptæ Virginis. At propè omninò eſt, & nos inuitat amicè ad id quærendum. Remouet Chriſtus turbam propinquorum, quaſi moleſtam ſe quærentem, nixam iure ſanguinis; non dono ſpiritus. Quo ſignificauit eam ſibi minimè placere, quòd Animarum ſalutis, non corporum rationem habebat. Itaque ad virtutem, & gratiam prouocauit, & ſpiritualem viam ſe quærendi indigitauit: ac eo declarauit ſe Matrem ſuam ſingularem, & incomitatam velle, vti ſibi cariſſimam, & dilectiſſimam. Si Virgo eum ſola quæreret, non ita reſponderet, ſed quia in turba, & cum turba quæſiuit, eā viſus eſt reieciſſe perinde ac diceret. *Vna eſt Columba mea, vnica eſt dilecta mea*. Veniat ſola, loquar ad eam amanter, & in aurem, & ad cor *Ducam eam in ſolitudinem*, & *ibi* nota *ibi loquar ad Cor eius*. Ibi *in ſolitudine*, vbi ſit nemo alius. Nos ſoli ſimus. Non in turba, non in tumultu: excluditur loco, & tempore. Propterea taceo, quia te video, Mater mea,

cum

cum vulgo, & in vulgo miſceri. *Singulariter ſum ego, donec tranſeam: ſingulariter ad te loquar.* Date mihi vnã, vni loquar, ad vnam vnus. Non eſt mihi tecum vulgariter loquendum. Non communicabo cum alijs arcana mea diuina. *Non mittam margaritas meas ante porcos. Noui te pulcherrima mulierum.* Egredire, exi de turba: *Os ad os tecum loquar.* Sicut Moyſi olim in monte, non in vulgo poſito ſum locutus. Non vidit Iacob illam ſcalam, nec in ſcala Deum, & Angelos commorãtes in Ciuitate, nec in hominum frequentia, ſed in ſolitudine, ac eremo, in ſummo noctis ſilentio, in ipſomet conticinio. Angelus cùm ſalutauit Mariam inuenit ſolam, & ſoli dixit *Dominus tecum*. Separa, ſeiunge te ab aliis *O mea dilecta*, & ſingulariter *dilecta*. Alloquar te lubenter. Dum es comitata, & intra turbam minus te mihi aptam reddis ad loquelam. Gratia tibi eſt ſingularis, & mihi ſingulari ſingulariter grata. Da te mihi ſolam, & vacuam cum auribus vacuis à ſtrepitu. Verbum ſum, ſermo ſum, totum me tibi fruendum, & audiendum tradam, ſumma eſt. Noluit Chriſtus ad Matrem ſuam comitatam turba propinquorũ more vulgari loqui, ſed ſingulari, & ſpeciali modo, quem eius dignitas, & ſanctitas exigebat. Pertinet hoc autem ad gratiam Immaculatæ Virginis, quæ fuit gratia ſingularis, ac vnius propria, non communis, & vulgaris, quales communes ſunt aliis ſanctis, & iuſtis. Vnicam, & ſingularem vult Chriſtus eſſe Matrem ſuam Mariam, qualis fuit in ſua Cõceptione per ſpecialem, & ſingularem gratiam præuenta, & præſeruata. Alios de turba ſanctos, & iuſtos communi modo, moreque redemit; Virgini proprium, & ſingularem Redemptionis modum reſeruauit.

§. 4.

De ſtatu Virginis iuxta Crucem, & verbo ad eam Domini *Mulier ecce Filius tuus, ecce Mater tua.* Ioan. 19.

STatus iſte Beatæ Virginis celſum quiddam, & conſtans innuit eo die in quo Chriſtus iacentẽ mundum erigebat, & ſtatum gratiæ originalis præſeruantis repræſentabat. Illa vox *autem* emphaſim nouitatis habet: *autem* ideſt diuerſo modo erat in Caluario Maria, ac cæteri Redempti per Crucem. Ea quidem ad Crucem pertinebat. Erat quippe inter redemptor in Cruce, & per Crucem, ſed alij iacebant in peccato, & proſtrati excipiebant ſanguinem Redemptoris ſupra cadentem, & chirographum Peccatorum ſuorum delentem. At B. Virgo ſtabat erecta iuxta Crucem non ſubtus, quia diuerſo modo redimebatur, ſcilicet tenendo eam, & præſeruando ne caderet cum alijs, ac idcirco iuxta Crucem per applicationẽ nixa Cruce: non oppreſſa Cruce, tanquam *Mater eius* Redempta, & pendens à pendente ex ligno, ſed per exceptionem à culpa: immaculata, nõ Redempta à culpa contracta, & commiſſa. Omnes alij iacebant *Stabat autem illa*. Hinc eſt quòd ad illam Chriſtus *Mulier ecce Filius tuus.* Quaſi ſignificãs eam, cum ipſe moriebatur viuere, ita vt poſſet Filium adoptare Ioannem, qui cùm eſſet adoptiuus ad gratiæ ſeturam pertinebat, idque ille ſuo nomine Ioannis indicabat. Itaque quo die omnes alij, tanquam mortui, ac redimendi in peccato iacere videbãtur,

Digitized by Google

Virgo Maria Mater viuebat, & adoptiuum per gratiam gignebat. *Ecce Filius tuus, ecce Mater tua*. Nec mirum ſi præſeruata è peccato habebat virtutem generoſiorem per gratiã. Accedit quòd vulnus lateri Chriſti inflictum virtutem habuit ſignificandi gratiam originalem: quia hoc vulnus ad Mariam pertinebat, quod à Chriſto iam mortuo acceptum, eo iam nihil ſentiente, & toto ſenſu præſentis doloris ad Matrem Virginem tranſeunte; quemadmodum Simon prædixerat *Tuam*, inquiens, *animam pertranſibit gladius*, quem locum interpretes de iſto ictu lanceæ lateri Chriſti immiſſæ exponunt: & Sanctus Bernardus vult, vt hoc vulnus proprium fuerit Matris pro Chriſto Filio patientis, & ſuſcipientis dolorẽ, quem actu Chriſtus ſentire, patique non poterat. Meruerat quidem anteà viuus per acceptationem illius futuri, ſed non potuit per actualem tunc sẽſum, cuius capax non erat, mereri. Hoc animaduerſo: illud vulnus præſeruantis Redemptionis modum, quẽ Chriſtus erga Mariam ſuam Virginẽ exercebat, ſignificabat. Etenim *exiuit ex eo ſanguis, & aqua*. Singulare planè ac mirabile ſpectaculum: continens modum redemptionis altioris coniunctum cum Immaculatę gratię priuilegio vni Virgini conceſſo. Hac ratione. Sanguis Chriſti ſolus emundabat à peccato, & redemptionem per ſanctificationem à culpa cõtracta, & remiſſa perficiebat, quæ erat communis aliorum omnium redemptio, in aliis vulneribus expreſſa, è quibus ſolus ſanguis emanauit. Verùm in in hoc vulnere ſecus ſe habuit, cùm ex eo exierit ſanguis, & aqua ſimul, non autem ſanguis ſolus; quo apparuit illud vulnus fuiſſe ſingularis virtutis, ac peculiaris Redemptionis nullo ſuppoſito peccato. Rem altius, & penitius inſpiciamus. Vbi erat aqua non ſinebat maculari; pura quippe erat, non locum maculæ ingruenti dabat, cum aqua ſordibus opponatur, & cum maculis pugnet. Aqua igitur coniuncta ſanguini vnam, ſed diuerſam redemptionem componebat pręſeruatiuam à culpa. Idcirco non ſolus ſanguis exiuit, qui delebat peccatum, verùm aquæ coniunctus, quæ maculam non admittit, ſed ab ea contrahenda præſeruat, qualis fuit Redemptio Immaculatæ Virginis præſeruatiua: itaut non excluderet ſanguinem, ſed tantùm admiſerit ad veritatem Redemptionis, quæ adiuncta aqua fieret præſeruatiua. In virtute tamẽ ſanguinis ſimul exeuntis patrata. Erat igitur in eo vulnere baptiſmalis in Aqua expreſſa, quæ Virgini gratiam primam, & originalem conferebat; & quod facere baptiſmus ſolet, ille ſanguis cum aqua illa copulatus faciebat. Excluſo tamen per aquam peccato, qua cum illud non poterat conſiſtere.

§. 5.

De tranſitu, & Aſſumptione B. Mariæ Virginis. Feſtum Eccleſiæ.

HOc eſt vltimum quod celebrat Eccleſia de Maria Virgine Feſtum, in quo eſt non paruum, nec obſcurum pro intemerata Conceptione argumẽtum. De morte Virginis ſunt qui ambigãt quidam ex ijs, eam a peccato eximunt originali: quod putent conſequens ex eo eſſe, non morituram, cùm mors fuerit pœna peccati. Quare ſublata cauſa effectum auferendum. Nuper hac

de

Digitized by Google

de rē in lucem prodiit paruus, nec ineptus liber, cuiuſdam Canonici Regularis S. Auguſtini, hoc affirmantis. Ego quidem mortuam, & exiſtimaui olim in opere de Clauibus Petri & nunc maneo in ſententia. Video quippe Eccleſiam Matrem id tradere, cum dicit in Oratione Miſſalis *pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus*. Diſtinguendum tamen puto inter tranſitum, quem nominat Eccleſia, & inter mortem. Tranſijſſe fateor: *Mortuam eſſe* nego: hac ratione. Mors importat duo. Separationem animæ à corpore, in quo eſt tranſitus: & dolorem, & corruptionem, qualem Deus comminatus eſt Adamo *Morte morieris*, quaſi duplex in morte pœna eſſet. Tranſire, ac corrumpi, quod poſteà declarauit. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Ex quo fit mors Pœnalis, ac propriè *Pęna peccati*. Mortua eſt ergo Maria per ſeparationem Animæ, non autem cum dolore, ac corruptione. Tranſiit de hac vita, ſed non cum ſenſu doloris, nec periculo corruptionis. Vnde diuerſo modo, ac cæteri deceſſit: Cum in aliis, & ſeparetur anima, & torqueat ſeparatio, & corpus intereat, & corrumpatur: Secus autem in B. Virgine: cuius anima ſine dolore tranſiuit: corpus incorruptum manſit, imo & glorioſum reunitum mox animæ reſurrexit. Qui eſt quidam ſtatus medius inter Innocētiam, & Peccatum. In ſtatu Innocentiæ nulla mors eſſet, neque ſeparatio, neque corruptio. In ſtatu Peccati Originali eſt mors, & corruptio. B. Virgo vnum habuit, tranſitum, altero caruit, ideſt corruptione. Hoc autem nihil detrahit opinioni, ac Immaculata Conceptione, imo addit; demit enim dolorem Animæ, & corruptionem corpori, quæ corruptio mors eſt corporis. Neque decebat Virginem non mori; cùm Chriſtus, eius Filius mortuus eſſet, quamquam pro peccatis alienis eſſet mortuus, & ex hoc mors neceſſaria eſſet, ideſt pro Redēptione Mundi. Conceſſum eſt Virgini, quod ſatis eſſet, ad detrahendā maculam culpæ; negatum quod afficiebat decoro: Non enim decuit carere morte, quam eius Auctor obiuit. Imo animaduerto ad Virginis gloriam ſingularem, Ioannem Euāgeliſtam cùm tranſiit in eius Filium, eodem videri priuilegio donatum. Si verum eſt, quod nonnulli idonei auctores tradunt: eum in ſepulcrum viuum introiſſe, & poſtea non cōparuiſſe. Siue quia non eſt tunc mortuus, ſiue quia mortuus, & poſtquam tranſiit, in Cęlum cum corpore eſt aſſumptus. Vt vt ſit, Ioannes, aut mortuus eſt, & non corruptus, aut translatus eſt, vt Enoch, & Elias venturus cum iis extremo mundi tempore, & moriturus. Quemadmodum non pauci, nec contemnendi auctores exiſtimant. Rēdeo ad Aſſumptionem. Maria tranſiit potiùs, quàm mortua eſt. *Pro conditione carnis*, vt ait Eccleſia, non pro pœna culpæ, qua caruit, idque ſignificant illa verba. *Pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus*; vt non mori propriè, ſed commigrare videretur. *Abſorpta* eſt in illa victoria mors, & tranſiit ſeparatio in triumphum. Migratio illa fuit de exitu ad domiciliū, de carcere ad libertatem, de mundo ad patriam, de ſtadio ad metam, de acie ad triumphum. Excepta eſt ab illa parte ſententię. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. ſicut & ab alia. *In dolore paries*. Atque adeo à propria pœna peccato originali conſtituta.

Digitized by Google

§. 6.

De duobus miris, & nouis in Euangelio repertis myſterijs, quę videntur nocere Conceptioni Immaculatæ, ac ei magnopere fauent.

NEmo ante me, opinor, duo in Euangelio eſſe notanda animaduertit. Alterum Chriſtum nunquam Beatam Virginem *Matris* nomine appellaſſet. Alterum ſemper ſe *Filium hominis* dixiſſe. Ambo autem videntur dignitati Virginis derogare. Quoad primum. Omnes Euangeliſtæ, & ſua & aliorum voce vno Chriſto excepto, Beatam Virginem *Matrem* eius vocãt. Quod cum veriſſimum ſit, cur Chriſtus non niſi Mulierem vocet, in quæſtionem venit. *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* ait Chriſtus. Ioann. 2. & rurſum cap. 19. *Mulier ecce Filius tuus.* Quæ vox videtur continere. Reſpondeo nouè, nec ineptè hoc vocabulum ad honorem, & immaculatam Virginis Conceptionem pertinere. Ades dum Lector. *Mulier* prima, & propria appellatio eſt ſtatus Innocentiæ, in quo erat iuſtitia originalis. Eo nominatur Eua initio Geneſeos ante peccatum, cum primum fabricata eſt è coſta Adami mulier appellatur, *Ædificauit coſtam in mulierem*, Gen. cap. 2. ecce nomen *Mulier*. *Quod mater eſſet cunctorum viuentium*. Geneſ. 3. Chriſtus ergo eo nomine Virginem afficit, quod iuſtitiæ originalis proprium erat, illamque ſonabat. *Matris* nomine non appellat, quia erat à ſtatu illo primo Innocentiæ alienum, & proprium ſtatus peccati, in quo Eua ab Adamo peccatore peccatrix nuncupatur, cùm potius morientium genitricem dicere debuiſſet. Ab hoc nomine Chriſtus abhorruit, cùm ad Virginem loquebatur, quia redolebat peccatum: illa eſt vſus, quia gratiam originalem indicat. Oppones tamen textum Geneſ. cap. 3. vbi iam poſt peccatum ponitur nomen *Mulieris*. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem*. Verùm fortius retorquetur obiectio. Etenim, quia ideo ſic vſurpatur, vt opponatur peccato, & Diabolo ſuaſori: tanquam contrarium. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem:* Viden vti *Mulier* eſt inimica Diabolo? Ei opponitur: cum eo pugnat, & dimicat quod ſit vocabulum proprium gratiæ, & quidem originis de quo ibi loquitur textus. Non habetur nomen *Matris*, quod non pugnabat cum peccato, vt apparet in Eua poſt peccatum Matris nomine appellata. Agnoſce igitur myſterium lector; & Immaculatæ Conceptioni fauere animaduerte. Venio ad alterum. Semper ſe Chriſtus vocat *Filium hominis*. Quare? ſi erat Filius fęminæ tantùm, atque adeo Virginis? Scio autem nomen *Homo* vtrique ſexui conuenire, etſi rariùs fœminæ. Verum vſitatius eſt *Homo* applicari Viro. Cur ergo Chriſto ſecus placuit, & cordi fuit *Homo*. Si vir non adfuit generationi? Rem aperio. Quia nomen *Hominis* fuit vſurpatum, & celebratum in Geneſi ante ſtatum ruinæ, & peccati. *Faciamus hominem*. *Formauit Deus Hominem*. *Poſuit Deus hominem*. *Factus eſt Homo in animam viuentium*. Voluit itaque Chriſtus eo nomine ſignificare, ſe eſſe Filium Matris Virginis intemeratæ, & Immaculatæ, cùm ſe dicebat *Filium hominis*,

quia

quia illud nomen congruebat cum ſtatu innocentię,& iuſtitiæ originali, qualis erat ſtatus B. Virginis Mariæ Matris ſuę, quam nomen *Hominis* indicabat. Itaque hæc duo noua, & abſcondita myſteria, quæ prima obiecta ſpetie videbantur minus fauere dignitati, & ſanctitati B. Virginis, ea magnoperè fauent, & multùm conducunt ad illius excellentiam, & ſanctimoniam, imo & ad Immaculatæ Conceptionis gratiam declarandam. De qua nollem vt quiſquam deinceps Catholicus dubitaret.

COL-

Digitized by Google

COLLATIO SEPTIMA

DIFFERENTIA I.

De Adoratione Chriſti ad quæſtionem 25. 3. partis D. Thomæ, & ad diſt. 9. Scoti in 3. ſentent.

CAPVT I.

Aſſeruntur textus S. Thomæ, & Scoti cum Commentarijs Caietani, & Lycheti.

DIuus Thomas 3. p. q. 25. art. 1. in corpore ſic. *Dicendum quod in eo, qui honoratur, duo poſſumus conſiderare ſcilicet eum, cui honor exhibetur, & cauſam honoris.*

Proprie autem honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti, non enim dicimus, quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur.

Et ſi quandoq; contingat quod honoratur manus, vel pes alicuius, hoc non dicitur ea ratione, quod huiuſmodi partes ſecundum ſe honorentur, ſed quia in iſtis partibus honoratur totum, per quẽ etiam modum aliquis homo poteſt honorari in aliquo exteriori: puta in veſte, aut in imagine, aut in nuntio.

Cauſa autem honoris eſt id, ex quo ille qui honoratur, habet aliquam excellentiam. Nam honor eſt reuerentia alicui exhibita propter ſui excellentiam, vt in ſecunda parte dictum eſt.

Et rurſum art. 2. *Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt honor adorationis propriè debetur hypoſtaſi ſubſiſtenti: tamen ratio honoris poteſt eſſe aliquid non ſubſiſtens, propter quod honoratur perſona, cui illud ineſt. Adoratio igitur humanitatis Chriſti, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo vt ſit eius, ſicut rei adoratæ; & ſic adorare carnem Chriſti nihil eſt aliud, quàm adorare Verbum Dei incarnatum, ſicut adorare veſtem Regis, nihil eſt aliud quã adorare Regẽ veſtitũ. Et ſecũdum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quę fit ratione humanitatis Chriſti perfectę omni munere gratiarũ, & ſic adoratio nõ eſt adoratio latrię, ſed adoratio duliæ, ita ſcil. quod vna & eadẽ perſona Chriſti adoretur adoratione latrię propter ſuã diuinitatẽ, et adoratione dulię propter perfectionẽ humanitatis. Nec hoc eſt incõueniẽs, quia ipſi Deo patri debetur honor latrię propter deitatem, & honor duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam. Vnde ſuper illud pſal. 7. Domine Deus meus in te ſperaui, dicit gloſ. Domine omniũ*

per

per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latria.

Præterea ibidem. *Ad primum ergo dicendum, quod gloſſa non eſt ſic intelligenda, quaſi ſeorſum adoretur caro Chriſti ab eius diuinitate: hoc enim contingeret ſolùm hoc modo, ſi eſſet illa hypoſtaſis Dei, & hominis: ſed quia, vt Damaſc. dicit, ſi diuidas ſubtilibus intelligentijs quod videtur ab eo quod intelligitur, inadorabilis eſt vt creatura, ſcilicet, adoratione latriæ. Et tunc ſic intellectę, vt ſeparatæ à Dei verbo deberetur ſibi adoratio duliæ, non cuiuſcumque (puta, quæ communiter exhibetur alijs creaturis) ſed cuiuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.*

Et per hoc etiam patet reſponſio ad ſecundum & tertium, quia adoratio latriæ non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione diuinitatis, cui vnitur, ſecundum quam Chriſtus non eſt minor patre.

Et in 3. diſt. 9 artic. 2. §. *Reſpondeo Quantum ad primum modum honoris non debetur humanitati Chriſti honor ſeparatim à perſona diuina, ſed in ipſa, & cum ipſa adoratur, ſicut manus cum homine: & ideo ſecundum hoc debetur ſibi honor latriæ, quantum autem ad ſecundum modum honoris, qui partibus, & etiam rebus inanimatis exhibetur, debetur ſibi per ſe reuerentia, & honor, & ideo debetur ſibi latria, ſed dulia excellens propter ſingularem modum dignitatis, quem habet ex vnione ad Verbum. Patet ergo, quòd honor, quo honoratur aliquid ratione ſui ad humanitatem Chriſti non pertinet, vt per ſe conſideratam, ſed ſolum vt honoratur vno honore cum ſuppoſito in quo eſt, & ſic debetur ei latria, ſed honor, qui debetur ei ratione alterius, pertinet ad eam etiã in ſe conſideratam, & ſic debetur ei dulia, & quia ſecundum primum modum magis propriè dicitur aliquid honorari, quàm ſecundum ſuum modum, ideo magis propriè dicitur, quod humanitas Chriſti adoretur latria, quàm dulia, & hoc ſecundum ſecundam opinionem; ſed ſecundum primam opinionem magis propriè diceretur, quod ſit adoranda dulia, quia prima opinio ponit humanitati aliud ſuppoſitum agens præter ſuppoſitum æternum cui debeatur latria.*

Audiamus nunc Interpretum Thomiſtarum Principem Caietanum Doctorem Angelicum interpretantem: & poſtea auſcultabimus Lychetum præcipuum Scotiſtarum Doctorem ſuum ſubtilem exponentem.

Caietanus Comment. in art. 1. §. diſtinguit ergo. *Primò*, inquit, *diſtinguitur id quod honoratur ſecundò vnitas vel pluralitas honoris, diſtinguuntur igitur in honorato res honorata, & cauſa honoris, & dicitur quòd res honorata eſt tantùm perſona, ſeu totum ſubſiſtens partes dicuntur honorari nõ ſecundum ſe ſed vt totum honoretur, & declaratur a ſimili in veſte, nuncio, etc. totum honoratur ſecundum ſe, pars autem ſecundum alud.* Et infra. *Concluſio reſpõſiua quęſito eſt. Adoratio Chriſti eſt vna ex parte perſonæ adoratæ, & eſt plures ex parte cauſæ diuinę ſcilicet, vel humanę. Probatur cõcluſio quo ad primam partem, quia in Chriſto vna tantùm eſt hypoſtaſis. Quo ad ſecundam quia alia ratio honoris eſt ſapientia diuina, alia ſapientia humana.* Pergit paulò poſt. *In quo oritur, quòd Chriſto debetur ſimpliciter vna adoratio, & quòd humanitas eius, vt abſtrahit ab hypoſtaſi eſt inadorabilis, ſicut cæteræ cauſæ adorandi.* Explicat mentem ſuam, *propriè loquendo honorari non eſt niſi terminantis paſſiuè actum honorandi, non terminat autem honoris*

actum

actũ, niſi perſona, cui exhibetur honor. Concludit. *Hinc Synodi anathema proceſſit contra adorantes Chriſtum duabus adorationibus: proprie enim locuti ſunt de honorato, ſeu adorato.* Ità in pr. art. Caiet. in ſecundo autem ſic *in Corpore,* inquit, *articuli cum diſtinctione reſpondetur duabus concluſionibus. Prima eſt, humanitas Chriſti vt res adorata eſt adoranda adoratione latriæ.* Probatur *quia ipſam ſic adorari nihil aliud eſt quam Verbum incarnatum adorari. Probatur hoc à ſimili, ſicut adorare veſtem Regis eſt adorare Regem veſtitum. Secunda eſt, humanitas Chriſti vt ratio adorandi non eſt adoranda adoratione latriæ, ſed duliæ, hoc eſt, perſona Chriſti honoranda eſt dulia ratione humanitatis plenæ gratiæ, &c.* Progreditur Caiet. *Aduerte hic duo. Primum eſt quod adorari vt rem adoratam contingit dupliciter: vel per ſe, vel per aliud. Et proptereà perſona Chriſti per ſe adoratur latria, quia per deitatem, quæ eſt ipſa perſonalitas; per aliud verò dulia, quia per humanitatem, quę eſt alia ab ipſa, & è cõtra humanitas Chriſti per aliud adoratur latria, per ſe autem non, ſed dulia vt ratio tamen adorandi. Et hæc omnia in littera habentur, quamuis dicta diſtinctio non formaliter explicetur, ſed ipſa auctor vtatur.* Aliquantum hic à Caietario diſſentio: video quippe D. Thomam diſtinctiſſimè hęc omnia explicaſſe, dum ait in corpore ſupra. *Adoratio humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi, vno modo vt ſit eius ſicut rei adoratæ: & ſic adorare carnem Chriſti, nihil eſt aliud quam adorare verbum Dei incarnatum, ſicut adorare veſtem Regis nihil eſt aliud quàm adorare Regem veſtitum. Et ſecundum hoc adoratio humanitatis Chriſti eſt adoratio latriæ. Alio modo poteſt intelligi. Adoratio humanitatis Chriſti, quæ fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni genere gratiarum, & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio latrię, ſed adoratio duliæ, ita ſcilicet quod in vna, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione latrię propter ſuam diuinitatem, & adoratione dulię propter perfectionem humanitatis.* Quid manifeſtius? Soleo dicere D. Thomã ſolem eſſe, nec aliena luce indigere: ipſe per ſe ſplendet, & illuſtrat omnes. Addit in fine articuli. *Adoratio latriæ non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius ſed ratione diuinitatis, cui vnitur ſecundum quam Chriſtus non eſt minor Patre.* Apparet igitur mens D. Thomæ, quam ille explicat optimo exemplo ibi in fine corporis, *nec*, inquit, *hoc eſt inconueniens, quia ipſi Deo Patri debetur honor latriæ propter Deitatem & honor duliæ propter dominium, quo gubernat creaturam.* Et animaduertit reſpondendum ad primum explicando gloſam. *Gloſa illa non eſt intelligenda quaſi ſeorſum adoretur caro Chriſti ab eius diuinitate: hoc enim contingeret ſolùm hoc modo, ſi eſſet alia hypoſtaſis Dei, & hominis, ſed quia vt Damaſc. dicit, ſi diuidas ſubtilibus intelligentijs quod videtur ab eo, quod intelligitur, ſcilicet adoratione latriæ. Et tunc ſic intellectæ, vt ſeparatæ à Dei verbo deberetur ſibi adoratio duliæ, non cuiuſcunque (puta, quæ communiter exhibetur alijs creaturis) ſed cuiuſdam excellentioris, quam hyperduliam vocant.* Veniamus ad Scotum.

Scotus in 3, ſent. diſt. .q. vnica n.2 hæc habet. Hic ſunt tria videnda primo qualiter accipitur latria: ſecundo de debito, qualiter debeatur Deo: Tertio cui, & ſecundum quam naturam Chriſto debeatur. De primò ſciendum eſt quòd

quòd ſicut reuereri aliquem actu interiori, eſt bona propria reputare parua reſpectu bonorum illius, quem reueretur, cuius bona reputat magna, & eſt actus virtutis: ità extollere in corde bonitatem alicuius, tanquam ſummam reſpectu bonitatis ſuæ, & à quo ipſe magnificans habet totam bonitatem ſuam, eſt actus quidem laudabilis, dummodò habeat obiectum ſibi conueniens, illud ſcilicet cuius bonitas excedit bonitatem illius reuerentis, & à quo ipſe reuerens habet bonitatem ſuam. Hæc reuerentia ſumma in actu interiori, reſpicit ſolum Deum pro obiecto conuenienti, vt ſummum bonū, vel ſummum Dominum. Huic actui interiori correſpondent aliqui actus exteriores, qui ſunt ſigna huius actus interioris: puta in quacunque lege aliqua ſacrificia, vel aliqui ritus, vel genuflexiones proteſtantes iſtam reuerentiam ſummo Domino exhibendam, & ſummam eſſe dominationem in eo, cui talia exhibentur, & ſubiectionem eſſe ad illum in exhibente.

Inſuper ibidem numero 3. addit. *Sic ergo hoc nomen, Latria, poteſt æquiuocè accipi: vno modo pro cultu, ſiuè reuerentia exhibita Deo in actu interiori ratione ſummi dominij, vel ſummi boni: vel pro reuerentia exhibita Deo actu interiori: vel pro habitu inclinante ad talem actum, & ille habitus, cum ſit conſonus rationi rectæ virtus eſt, & non Theologica, quia non habet pro obiecto immediato bonum increatum, ſed honorem deferendum Domino increato. Eſt ergo virtus moralis, & potiſſimè continetur ſub iuſtitia, qua redditur ſuperiori quod ſibi debetur. Quæſtio autem iſta non eſt de Latria virtute, ſed de actu, quia tentio, vel debitum non eſt propriè pertinens ad virtutem, ſed ad actum aliquem virtutis generatiuum, vel à virtute elicitum, quia ille immediatè in poteſtate noſtra eſt.*

Deinde numero 6. ſequitur. *De tertio articulo, cùm quæritur an debeatur Chriſto ſolummodò ſecundum naturam diuinam, dico, quod ly ſolummodò, poteſt accipi dupliciter, ſcilicet categorematicè, vel ſyncategorematicè. Primo modo concedo quòd ſic, quia ſufficiens ratio ſummi adorabilis eſt in Chriſto conſiderato ſecundum ſolam naturam Diuinam. Si autem teneatur ſyncategorematicè, tunc notat excluſionem ab vno extremo reſpectu alterius extremi; hoc etiam modo diſtinguo, quia olummodo, poteſt excludere aliquid, vel à termino adorationis, vel à ratione adorandi. Primo modo dico, quod non ſolummodo ſecundum naturam diuinam eſt Chriſtus ſic adorandus, quia à termino adorationis non debet excludi natura humana, quaſi ipſam includendo non poſſit totum adorari. Hoc dicit Damaſc. l. 3. c. 8. Chriſtus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto vna adoratione cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes: adoratur enim in vna Verbi hypoſtaſi, quæ eius hypoſtaſis facta eſt. Et paulò poſt, vnam perſonam Dei Verbi duabus ipſis reductis naturis. Exemplificat poſtea, Timeo lignum tangere propter ligno immixtum ignem.* In *illa auctoritate Damaſceni ly, cum, accipitur aſſociatiuè, non autem copulatiuè, vt ſit ſenſus. Adoramus Verbum cum carne, id eſt habens carnem ſibi vnitam: non autem cum carne, hoc eſt carnem adoramus, quaſi ſit propoſitio copulatiua, & hoc* con-

Digitized by Google

conſiderando carnem, vt caro eſt, & non vt unita diuinitati: ſic ergo non debet excludi à termino adorationis caro, licèt ipſa non ſit ratio adorãdi. Exẽplum ad hoc eſt de Rege, & purpura, quia & ſi Rex propter ſe, & per ſe ſit adorandus, tamen ipſe cum purpura adiuncta, eſt etiam adorandus; non quòd purpura ſibi adiuncta, ſit cauſa adorationis: ita caro non eſt adorabilis in Verbo, vt ſit ratio adorationis in Verbo. Aliud exẽplum eſt de toto, & partibus, ſi reuereor hominem propter ſapientiã, uel virtutes totum reuereor, corpus ſcilicet, & Animam, non Animam excludendo corpus ab ipſo reuerito. Similiter cum totum hominem adoro non honoro præcisè caput excludendo alias partes ab illa adoratione. Sumendo autem ſecundo modo ſcilicet prout ly ſolummodo excludit aliquid, ſcilicet, vt rationem adorandi, poteſt dici, quòd ſolummodo ſecundum naturam diuinam eſt adorandus, excludendo aliam naturam, vt eſt ratio adorandi: quia nulla alia eſt ratio ſummi dominij, nec ratio adorationis debitæ ſummo Domino, ſicut nec corpus eſt ratio adorandi virtuoſum.

Audiamus nunc Lychetum in Comm. num. 2. *Dicit Doctor, quòd hæc propoſitio Chriſtus eſt adorandus eſt vera ſolummòdo ſecundum naturam Diuinam, ideſt quòd ſecundum ſolum naturam Diuinam eſt adorandus, ideſt quòd natura Diuina ſolitariè accepta eſt adoranda. Et licet natura humana, vt vnita naturæ diuinæ ſit adoranda, tamen natura Diuina in Chriſto conſiderata ſolitariè eſt adoranda. An modo natura humana ſolitariè accepta ſit adoranda adoratione latriæ? patebit infra, quod non.* Hunc ſenſum appellat Scotus categorematicum. Ad ſecundum ita Lychetus. *Accipiendo autem ſyncategorematicè: dicit Doctor, quòd poteſt excludere aliquid, vel à termino adorationis, vel à ratione adorandi. Cum quæritur. An Chriſtus ſit ſolum ſecundùm naturam diuinam adorandus? Sic excludit à termino adorationis ſenſus eſt, quòd tantũ natura diuina in Chriſto eſt terminus adorationis, ideſt quòd tantum natura Diuina in Chriſto eſt adoranda, & hic ſenſus non eſt verus, quando natura humana, vt vnita diuinæ eſt adoranda: ſic tamen intelligendo, quòd totus Chriſtus, qui ſimul includit naturam diuinam, & humanam eſt adorandus, ita quòd à tali adoratione non excluditur natura humana; ſicut etiam dicimus, quòd Pater in diuinis eſt adorandus, ita quod non tantum natura diuina in Patre eſt adoranda, ſed etiam paternitas, vt in Patre tamen, quia Paternitas, vt in ſe conſiderata non eſt adoranda, ſic in propoſito. Si verò excludit, vt à ratione adorandi: dicit Doctor, quòd Chriſtus ſolum ſecundum naturam diuinam eſt adorandus: Patet quia ſola natura diuina eſt ratio formalis adorationis, ſicut etiam dicimus, quòd Pater in diuinis ſolum ſecundùm naturam diuinam eſt obiectum fruibile, ideſt, quòd ſola natura diuina eſt ratio formalis obiecti fruibilis.*

Progreditur Lychetus. *Primo modo,* inquit, *vt ly ſolum excludit à termino adorationis, Probat Doctor auctoritate Damaſceni quomodo à termino adorationis non debet excludi natura humana, cùm Chriſtus adoratur. Deus, inquit perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu Sancto vna adoratione cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes.*

tes. Subiungit. *Dicit Doctor, quod ly, Cùm, accipitur aſſociatiuè, non autem copulatiuè, vt ſit ſenſus. Adoremus Verbum cum carne, ideſt, habens carnem ſibi vnitam, non autem cum carne, hoc eſt, carnem adoramus, quaſi ſit propoſitio copulatiua. Supple ſic dicendo. Adoramus Verbum, & adoramus carnem non vt vnitam* Verbo, *quia bene poſſumus adorare carnem, vt Verbo vnitam, & hoc eſt quod dicit*. Ita Lychetus. Accidit ei quod Caietano, vt melius, & dilucidius mentem ſuam ex Scoto expoſuerit in reportatis diſtinct. 9.num.8.

Patet quia ſcilicet quod adoretur natura humana cum alio, & ratione naturæ diuinæ copulatiuè, quia ſecundum Damaſcenum lib. primæ Orthod. fid. cap. 54. *adoramus Verbum cum carne, non quod ly cum tenetur copulatiuè, ſed aſſociatiuè, & ſic intelligitur Auguſtin. ſuper illud pſal. Adorate ſcabellum, &c. natura vt vnita eſt adoranda, ita quod caro non excluditur à termino adorato. Exemplum ad hoc: fugio carbonem vbi eſt lignum, & calor, non propter lignum, ſi per ſe conſideretur, ſed propter calorem improportionatum, quem fugerem ſi eſſet per ſe; & ſic ſi confusè concipio, totum fugio: ſi diſtinguo, tantum calorem fugio. Sic in propoſito ſi totum confusè concipio, Verbum, & carnem totum adorabo latria; ſi diſtinguo, naturam diuinam adoro. Aliud exemplum, cum quis portat ſignum beſtiæ, ideſt, diaboli, totum eſt inadorabile, non ſic adorans totum Verbum cum natura humana, non eſt idolatra, quia natura humana non impedit totum eſſe adorabile. Tertium exemplum Auguſtini de Rege purpurato, Regem in purpura adoro; ſi purpura per ſe iaceat, non adoro, nec propter eam totum eſt adorabile. Similiter homo adoratur propter virtutem, vel propter caput; hoc non excludit alia membra; ſeparet tamen hominem à virtute, vel membrum à capite, neutrum eſt adorabile. Vltimum exemplum. Adoramus Deum trinum, nec illæ proprietates per ſe ſunt adorabiles, neque impediunt totum eſſe adorabile: ſic totus Chriſtus indiſtinctè conceptus, & confusè debet adorari, non natura humana per ſe*. Perſpicuè ac eleganter Scotus exempla proponit. Animaduerte autem eum loqui cum Damaſceno lib.3. de Fide cap. 7. & lib.quarto cap.3.& orat.1.de Imaginibus à quo deſumpſit primum exemplum de ligno ignito paulum deflexum: cum Damaſcenus dicat *Ferrum ignitum timeo tangere propter ignem coniunctum, atque ſimul fugio ferrum & ignem*.

Ex adductis textibus apparet vtrũque Doctorem cum ſuis interpretibus conſentire, & nihil in doctrina diſcrepare, quæ ſane Conciliis, & Sanctis Patribus conformis eſt; quamquam aliquando ſubtiliùs, & diſtinctiùs, vti mos ſcholarum eſt propoſita rem continet: ſcilicet Chriſtum vnica adoratione adorandum eſſe, & humanitatem ratione ſuppoſiti vna, & eadem adoratione colendam eſſe, contra quam Neſtorius oppinabatur, qui cum duo ſuppoſita, vel perſonas in Chriſto poneret, duas item diſtinctas adorationes inducebat: aduerſus quam hæreſim, & Catholica, & Scholaſtica veritas vnam tantùm latriæ adorationem poſuit. Vtrum verò humanitas Chriſti periculari adoratione prẹter illam latriæ in Verbo poſſit adorari, maior quæſtio eſt;

Digitized by Google

in qua Scholaſtici cum D. Thoma, & Scoto, quos modo adduximus hoc in loco affirmant, ſubtiliter, diſtinguendo, & præſcindendo humanitatem à Verbo; tunc enim non ſumūtur concreta cum ſuppoſito, ſed per ſe conſiderata, & in hoc ſenſu docent poſſe adorari præciſa concretione ſpeculatiuè loquendo diſtincta adoratione ab altera propria ſuppoſiti, quæ ſit inferior latria, & maior dulia, quæ hyperdulia appellatur. Patet quia humanitas Chriſti, vt ſic eſt creatura, ergo in ſe, & propter ſe non eſt adoranda latria, ſed hyperdulia, quæ debetur præſtantiæ illius naturæ propter dona gratiæ ſingularia. Nota autem ſub iſta præciſione terminare diuerſam adorationem, quia non ſumitur concretè, nec propriè adoratur, cum adoratio ſit rei propriè ſubſiſtentis; vnde nunquam eſt concedendum quòd Chriſti humanitas in concreto adoretur alia adoratione, quàm latriæ. Hæc eſt ſumma ſententiæ Sancti Thomæ hoc in loco, & Scoti, & aliorum quos poſtea citabimus Auctorum cum ſingularem hac de re diſputationem inſtituemus, ad quam lectores remittimus. Antequam ventiletur quæſtio duo præmittenda.

CAPVT II.

Quæ ſit Adorationis Etymologia.

Oportet vocum amphibologiā, & analogiam tollere. Quatuor ſunt huc facientes voces, Honor, Veneratio, Cultus, Adoratio; Honor latiùs omnibus patet, diciturque reuerentia, quæ alicui in virtutis teſtimonium exhibetur, complectitur enim genus omne venerationis, & extenditur ad profana, & ſacra. Veneratio parum ab honore differt, quāquam arctior ſignificatio eius ſit, nam contrahitur ad reuerentiam, quæ debetur maioribus, cùm honor etiam ad pares, & minores trahatur, etenim veneratio ſuperius quiddam attingit; hinc apud Virgilium: *Venerare Deos: Venerabile Numen; Venerabilis Ara*, quæ continent reuerentiam vltra ſtatum humanum, quamquam idem Auctor, *Venerande Puer*, dixerit. Cultus ſtringitur vulgò ad rem ſacram, & propè diuinam, etſi Verbum, colo, verſetur etiam in humanis. Itaque tres iſte voces promiſcuè vſurpantur, & tum ſacra, tum profana comprehendunt. Adoratio ſacratius quiddam videtur innuere & ad res diuinas, & propè diuinas videtur pertinere, certè minus latè funditur, quàm tria prædicta vocabula. Etymologia ſumitur à voce, Ador, quæ ſignificat genus frumenti, vel Farris, quod ſacris adhibebatur, vnde, Ador, Far pium appellabant, & libis adoris ſacrificuli vtebantur. Quare ſacratiorem ſignificationem ſibi vendicauit; eiuſque rei Auctores ſunt Priſcianus, & Nonnus; non mihi tamen diſplicet deriuare vocem adorationis ab oratione *& ad*, quaſi adoratio ſit oratio facta ad aliquem, à quo reuerenter, & ſuppliciter poſtulatur, etſi enim oremus ęquales, imò etiam & minores, eos tamen ſimpliciter oramus, & rogamus, non autem ad eos orationes dirigimus, quòd indicat religionem, oramus quippè ad ſuperos, eoſque petendo adoramus; hoc ſenſu congruè accipitur adoratio, vt terminus illius ſit ſuperior, & auguſtior, quàm pro habitu humano, & religioſum quiddam præſeferat. Hoc ſenſu ſumit Virgilius *Sanctum numen adorat*,

Digitized by Google

rat. Statius cum dixiſſet *Diuinam Æneida* ſubiunxit *pronus adora*: & alibi diſcum immanem, & vltra humanas vires *adoratum* appellauit; habes huiuſmodi ſignificationem in Plinio lib. 28. c. 2. vbi etiam exprimit formam adorationis rerum diuinarum. Græci vtuntur verbo, *proſcineo*, germano. Latini, adoro. Non minus tamen inficias adorationem hominibus conuenire, ſed iis qui præſtanti, & excellenti aliqua dote, vel animi, vel corporis commendantur. Et quidem inter honorem, & adorationem diſcrimen poſuit Auguſtinus l. cont. ſer. Arianorum. cap. 13. *Honorat*, inquit, *omnis, qui adorat, non autem adorat omnis, qui honorat*: ex quo patet, honorari poſſe æquales, imò & minores; adorari non poſſe, niſi præſtantes, & excellentes, quemadmodum ex Ariſtotele deducit D. Thomas in 2. 2. q. 103. ar. 1. & 2. lect. 8. in l. 4. Eth. & lib. 8. c. 8. Et docet Anaſtaſius Epiſcop. Neopolitanus in Epiſtol. ſuper quibuſdam quæſtionibus cap. 7. ſynod. act. 4. & Damaſc. orat. 1. de imaginibus. Itaque ex Ariſtot l. 4. eth. c. 3. & l. 8. c. 8. Adoratio includit ſubmiſſionem adorantis, & excellentiam adorati. Ex his deduxit Damaſcenus orat. 1. de Imagin. definitionem adorationis, quæ huiuſmodi eſt. *Adoratio eſt nota ſubmiſsionis, & humiliationis*, & clarius orat. 3. eſt *Animi cedentis ſubmiſſi, atque humilis ſignificatio*. Pulchre autē Auguſtinus l. 10. de Ciuit. c. 4. cum dixiſſet de hominibus dici poſſe, quod ſunt colendi, & venerandi, ſubiunxit: *Si autem eis multum addideris, & adorandi*. Huc pertinet quod idem Auguſtinus ſcribit l. 83. quæſt. q. 37. de laude, & gloria: *Gloria*, inquit, *eſt clara cum laude notitia; quę ſi fiat cum ſubmiſſione, & recognitione excellentiæ ſuperioris eſt adoratio*, Accedit quippè reuerentia, & veluti quædam religio, quæ tangit animum venerantis, vti docet D. Bonauentura in 3. d. 9. art. 2. qu. 1. qui obſeruat hanc vocem *adorationis* reuocari ad cultum quendam, quem inferior exhibet ſuperiori in ſignum reuerentiæ, ob maieſtatē perſonæ. Hac ratione diuiſis vocibus apparet Etymologia adorationis, vt in eo diſtinguatur à reliquis, quod inæquales non quadrat, ſed ſuperioribus conueniat, qui tamen tales ſint, vt pręſtent cæteris, ac inter eos tam excellant, vt quodammodò ſuperius quiddam, quàm ordinarius hominum habitus præſeferant. Adoratio igitur, quamquam præcipuè ad ſuperos pertineat, ac propriè ad Deum, & qui de Deo participant tendat, reuocari tamē poteſt ad humana, quę maximè ſint in eo genere præſtantia, & excellentia. Hoc ipſum in Scripturis ſacris inuenimus, ex multis locis tres ſunt ſatis. Primus in Geneſi cap. 23. n. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terrę*; alter in eodem libro, cap. 42. n. 7. *Cumque adoraſſent eum* (idelt Ioſeph) *fratres ſui*. Tertius 1. Paralip. *Inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deū, & Regem*, qui locus rē continet, cum eod. vocabulo, & Deum, & hominem Regem extra Deum adoratione dignum efficiat. Hinc eſt, vt Patres quiddam interdum tribuant adorationem ſoli Deo, & affirment ſolum Deum eſſe adorandum, vti Hieronymus epiſt. 13. ad Riparium, & Auguſtinus de vera & falſa relig. c. 55. & Fulgentius libro ad Donatum. c. 4. eodem tamen extendunt adorationem ad creaturas ſanctitate excellentes, aſſeuerantes Angelos, & ſanctos eſſe adorandos, vt idem Auguſtinus ſerm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo, & epiſt.

44 & lib. 20. cont. Fauſtum cap. 21. & Hieronym. epiſt. 53. & Iuſtin. in 2. Apolog. & Athanas. lib. de Virginit. circa fin. & Anaſt. proximè laudatus.

Theologi ex Doctrina Patrum ad remouẽdam analogiam diſtinxerunt inter vtramque adorationem inducto ex lingua græca diſcrimine, & duas ſtatuerunt: alteram propriam Dei, quam Latriam, alteram Creaturarum quam Duliam dixerunt: illam à Verbo *Latreuo*, hanc à *Duleuo* deriuatam, & quamquam Suidas, & Valla, & Viues diſcrimen illud negent, ſacri tamen ſcriptores tùm Patres, tùm Scholaſtici confirmant. Patrum Princeps eſt Auguſtinus lib. x. de Ciuit. c. 1. & lib. 20. contra Fauſtum c. 21. & lib. 1. de Trint. c. 6. & qu. 61. in Geneſ. quem ſequitur Iſidorus lib. 8. Etymol. cap. vlt. & Beda Lucæ 4. & Homil. 4. ſuper illis verbis *Dominum Deum tuum adorabis*. Idem ſentiunt Anaſtaſ. Epiſc. Theopol. in Epiſt. quæ refertur in 7. ſynodo act. 4. & Tharaſius in Epiſt. ad Conſtan & Iren. quæ habetur act. 7. & Ionas Aurelianus in 5. to. Biblioth. lib. de cult. Imag. & Germanus Patriar. Conſt. Epiſt. ad Thomam Epiſcop. relata à 7. ſynodo act. 4 & Damaſc. orat. 2. & 3. de Imag. & paſſim 7. ſynodus. Sequuntur Scholaſtici cum Magiſtro in 3. diſt. 9. & ibi S. Thomas, & Scotus cum Interpretibus vtriuſque Scholæ, & iterum D. Thamas 3 p. q. 25. Itaque Latria propriè ad ſolùm Deum refertur, ac ei ſoli tribuitur. Dulia eſt alia ſpecies adorationis diſtincta à latria, quæ Sanctis adhibetur tracta à Verbo Duleuo, quod ſignificat ſeruitutem non tamẽ illam, quæ includit ſummam erga Deum ſummè colendum, & adorandum. Eſt communis ſententia fundata in loco Pauli ad Galatas 5. *Per charitatem ſeruite inuicem*, vbi, loco verbi *ſeruite* ponitur græcè *Duleuetè*. Sic docent Albertus in 3. diſt. 9. art. 6. in corpore. D. Thomas 2. 2. qu. 103. vbi eam diſtinguit à religione, & Bonauentura in 3. diſt. 9. art. 2. q. 4. & Gabr. q. 1. art. 1. Durandus q. 3. Riccardus art. 3. q. 1. Scotus in 3. diſt. 9. q. vn. quamquam Hæretici cum Caluino negent iſtam diſtinctionem traditam inter Latriam, & Duliam, quam tamen defendunt Alanus Copus Dialog. 5. c. 9. & Petrus Caniſius lib. 5. de B. Virg. c. 15. Suarez d. 51. & 5. Vaſquez d. 9. c. 1. Et inter has duas datur alia ſpecies adorationis, quæ appellatur Hyperdulia, quæ propria eſt ſcholaſticorum, minor quàm Latria, & maior quàm Dulia, ideſt ſupra Duliam, cum ſit excellentior, & applicetur ſummę excellentiæ creatæ, ſicuti humanitati Chriſti, & B. Virgini Mariæ, qui vltra Sanctos adorantur peculiari adoratione præſtanti, & excellenti: Hæc autem ſpecies ſic appellata celebratur à Doctoribus Scholaſticis, vti apparet in Magiſtro, & D. Thoma, & Scoto, quos proximè citauimus, qui humanitati Chriſti attribuunt hyperduliã. Fatentur tamen apud Patres non eſſe vſitatam hanc formam adorationis, imò ſunt qui dicant eam comprehẽdi ſub ſpecie adorationis latriæ, verùm id conſtat admitti tanquam ſpeciem veram. & diſtinctam adorationis inter latriam, & duliam conſtitutam, eaque dicunt adorari Chriſti humanitatem. Caietanus Comment. in 3. p. q. 25. Durandus q. 3. nu. 7. Henricus quodlib. 10. qu. 6. Caniſius lib. 5. de B. Virg. Corduba lib. 1. q. 5. dubit. 3. puncto 4. & alij. Manent itaque tres adorationis ſpecies ſuis notis, & diſtinctæ & conſtitutæ.

CAPVT

CAPVT III.

Vtrum adoratio quæ, & qualis ſit virtus?

VIrtutem eſſe nemo dubitet qui norit quid virtus ſit; hæc ex Ariſtotele 2. Ethic. patet, omnis quippe actus, inquit ille, procedens ab electione, & cadens ſuper debitam materiam, & cum debitis circumſtantiis eſt actus virtutis, ità ſe habet adoratio; ergo adoratio eſt virtus. Illud Ariſtotelis effatum probat Scotus in prolog. q. vlt. & in 1. diſt. 17. dum ait, omnem habitum recti rationi conformem eſſe virtutem; cum igitur adoratio ſit actus voluntatis deliberatus colendi, & adorandi Deum, & quæ Deum participant ex iuſto motiuo reuerentiæ, & ſubmiſſionis ſine dubio ſumpta pro habitu virtus eſt, & actualis adoratio eſt actus virtutis. Quænam ſit autem, ex obiecto, & motiuo liquet, nec enim eſt Theologica, ſed moralis, quia obiectum eius immediatum, & proximũ non eſt ipſe Deus, nec res ipſa diuina in ſe, ſed cultus & reuerentia ergà ipſum, quod obiectum, proximè & immediatè attingitur ab ipſa virtute, ex quo fit vt ſit moralis non Theologica. Inter morales autem pertinet ad iuſtitiam non tanquam pars ſubiectiua, ſed potentialis, & propriè religio appellatur ad quam pertinet, nam reuerentia, & cultus eſt quid debitũ Deo, non tamen ex rigoroſa iuſtitia, ſed ex æquitate, quæ non ponit æqualitatem iuſtam, & propriam inter hominem, & Deum. Itaque quatenus redit debitum reuerentiæ, & cultus alteri, ideſt Deo, & Sanctis eſt potentialiter iuſtitia, dum autem non reddit æqualiter redit ad religionem ſub qua quaſi ſub ſpecie continetur. Exẽplum eſt in virtute pœnitentiæ, quæ item verſatur in reddenda Deo ſatisfactionem prò peccatis, nec tamen eſt propriè iuſtitia, quia non reddit iuſtum, & æquale. Obiectum adorationis eſt duplex. Alterum quod; alterum cui; obiectum quod, eſt ipſe cultus, & reuerentia in quo verſatur adoratio. Obiectum cui, ſiue finis, eſt ipſa perſona cui cultus defertur, qualis eſt Deus, vel Sanctus.

Difficultas eſt de formis, ſiuè ſpeciebus adorationis; ſunt enim qui nolint duliam eſſe virtutem religionis, qualis eſt Vaſquez d. 98. cap. 1. verum omninò eſt me iudice aſſerendum tres ſpecies, ſeu formas eſſe adorationis Latriam, Hyperduliam, Duliam. De Latria dubitat nemo; de duabus aliis ambigi nequit, nam hyperdulia verſatur erga excellentem quandam, & participem diuinitatis perſonam, cui honor eo titulo exhibetur, qualis eſt humanitas Chriſti, & B. Virgo Maria, itaque motiuum eſt aliqua excellentia Diuina à Deo ſingulariter participata: vnde cum motiuum ſit eiuſdem rationis, & obiectum ſit cultus, & perſona cui exhibetur ſit Diuina per participationem excellentiæ ſupernaturalis iuſta eſt ſpecies virtutis adorationis. De Dulia ſuadetur, quia hæc etiam fertur proximè in cultum, & reuerentiam debitam in perſonam ſanctam, quæ participat per gratiam, & dona ſupernaturalia Deum, à quo perficitur & ex hoc motiuo procedit. Nihil ergo deeſt adorationem virtutis, ac ſub eodem genere continetur, & quidem Scotus in hac diſtinct. 9. ita de tribus loquitur vt nullam excludat à ratione adorandi, niſi quod Latria ſit maxima, ac nobiliſſima,

Digitized by Google

biliſſima; hyperdulia ſit minor, & inferior; Dulia vero ſit minima, & infima reſpectu aliarum. Itaque diferunt ſecundum maius, & minus, non autem ſpecie: vnde manent intra eamdem rationem ſpecificam, cum maiori, uel minori perfectione. Sic autem Scotus n.2. §. hic ſunt tria, loquẽs de Latria. *Reuerentia*, inquit, *ſumma reſpicit Deum*, & n.8. *Debetur ſumma reuerentia*. Latriam vocat *ſummam reuerentiam*, quo indicat excellere, alias non excludere; nam ſumma refertur ad maiorem poſt illam ſummam, & ad minorem reſpectu maioris, itaut in eodem ordine virtutis cõſiſtant, latria tamen in gradu ſummo. Hyperdulia in gradu medio. Dulia in gradu infimo. Ratio autem dubitandi petita ex eo, quòd nonnulli Theologi duliam videãtur excludere ab hoc numero virtutum facilè reijcitur, quia illi Theologi latè ſumpſerunt ſignificationem duliæ, ſcilicet pro vt conprehendit omnẽ affectum ſeruitutis, quo pacto Religionis virtus non eſt, vt apparet in S. Thoma 2.2.q. 102. & 103. Bonauentura in 3.d.9.ar. 2.qu.4. nos autem ſumimus duliam contractam ad cultum religioſum propter excellentem aliquam ſanctitatem participatam à Deo, ac proinde ſecretam ab illa concretione ſeruitutis profanæ, in quo ſanè ſtatu habet rationem virtutis Religionis. Ita conſtituitur adoratio in communi, genus quoddam religionis in tres ſpecies diuiſum Latriam, quæ eſt cultus erga Deum, Hyperduliam, quæ eſt cultus erga Chriſtum, & B. Virginem, Duliam quæ eſt cultus erga Sãctos. Equidem hanc eſſe doctrinam Scoti puto, nam ille de hyperdulia item dicit eſſe in eo genere *ſummam* num. 12. erga Chriſtum Redemptorem, & num. 9. *extremam reuerentiam* appellat. Non eſt autem Hyperdulia verſus diuerſa, nec duplex, ſed vna, & eadem. Præterea ibid. §. *Quantum ad iſtum*. nu.12. ſic ait. *Ei* hoc eſt *Deo creatori debemus Latriam: ſicut modo Mariam adoramus hyperdulia, & omnes alios Sanctos Dulia. Nec tamen propter iſtam adorationem ſumus depreſſi quaſi ſi ſolus Deus eſſet adorandus*. Nullam excludit adorationem, & admittit Duliam etiam cùm de Latria, quæ *Dei* eſt propria diſertè loquatur. Quare hæc mihi ſtat ſententia. Imo P. Gabriel Vaſquez qui oppoſitam tuetur, & acriter more ſuo noſtram impugnat d.98. c.1. in fine diſputationis n. 5. ſic ſcribit. *Addendum eſt cultum Sanctorum non ſolum, dicendum eſſe ſacrum, ſed Religioſum vocari poſſe; non quia ſit ex ſpeciali virtute Religionis, quam ſcholaſtici diuerſam conſtituunt ab obſeruantia, & hyperdulia, ſed quia cum diuino cultu maximè coniunctus eſt. Eiſdem namque rebus, & ceremonijs ſacris honorem ſanctis deferimus, &* Deo, *Templis nimirum hymnis, luminaribus, & ſimilibus, quibus non liceret homines in ciuili dignitate conſtitutos honorare*.

Rectè igitur dicebat Marſilius in 3 q.xiv. art.1. eamdem virtutem reapſe eſſe latriam, quæ dicitur verſari circa cultum Dei, & Duliam, quæ verſatur circa cultum, & honorem Sanctorum, & ſolum per connotata diuerſa differre. Itaque eumdem eſſe habitum virtutis religionis, qui dicitur latria propter ordinem ad cultum Dei, & Dulia propter ordinem ad cultum Sanctorum, idque apparere ex ratione efficaci appoſito charitatis exemplo. Sicut enim eadem charitate ſecundum rem, & Deus diligitur propter ſe, & proximus propter Deũ, etiam

Digitized by Google

etiam eadem religionis virtute Deus poteſt coli, & adorari propter ſe, & Sancti, adorari, & coli propter Deum. Cui ſanè argumento non video quid poſſit reſponderi; Itaque ſtatuo Duliam ad eumdem habitum religionis pertinere. Non tamen conuenio cum Marſilio; magis enim diſtinguitur Dulia à latria, quàm charitas proximi à charitate Dei, nam hæ habent idem motiuum, & ſolùm differunt in ſubiecto materiali, at vero Latria & Dulia differunt etiam in motiuo, & ratione formali, quia diuerſus eſt cultus erga Deum, & erga Sanctos, quos non poſſumus adorare Latria. Atque vt obiter hoc dicam, *D.* Thomas non contradicit, quia in 2.2.q.102.& 103. loquitur de Dulia, quæ verſatur erga homines excellentes, & non egreditur terminos naturales, vt liquet ex textu, in quo citat Auctores profanos, qualis eſt Tullius, ac in eo ſenſu loquitur, atque adeo in Dulia, vti eſt honeſta quædam virtus naturalis verſatur, qua ratione ad religionem minimè pertinet; de hoc tamen inferius agemus.

CAPVT IV.

Vtrum & quatenus Chriſtus adoretur?

DE fide eſt adorari latria, idque ex ſupradictis ad textum probatur. Ratio eſt clara, quia Chriſtus eſt vna tantùm perſona Diuina: adoratio autem tendit ad terminum ſubſiſtentem, igitur adoratur Latria. Ita contra Neſtorium docuit Eccleſia, & habetur in Cōcilio Epheſino, & in Alexandrino, & in quinta Synodo Conſtantinopolitana, deducitur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 5. & can. 6. in quo decernitur Sacramentum Euchariſtiæ, Latria eſſe adorandum ob præſentiam ipſius Diuinitatis.

Hoc ſuppoſito eſt quæſtio Scholaſtica; Vtrum humanitas Chriſti ſubſiſtens in Verbo adoretur adoratione Latriæ? Ac primùm, ſi ſumatur in concreto, vt includit ſuppoſitum, Latria eſt adoranda, ſi autem confusè ſumatur non expreſſo ſuppoſito, ſed tantum retento, & non excluſo, latria item adorari debet; & dummodo in concreto ſumatur, etiamſi confusè, & inuolutè ſuppoſitum deferat Latria eſt adoranda, vnde Scotus noſter in hac diſt. 9. qu. vn. vſus eſt termino, *confusè*, & in eo tradit adorandam eſſe Latria, hæc ſunt certa, etiam inter Scholaſticos. Illud eſt controuerſum: An humanitas Chriſti poſſit ita diſtingui vt per ſe, non conſiderato Verbo, ſumpta, poſsit adorari, & qua ratione adoretur? Poſſe præſcindi ſuadetur, quia eſt natura diſtincta à Verbo: ergo poteſt per ſe ſumi, & conſiderari, ac proinde quæri poteſt: vtrum, & qua ratione adoranda ſit? loquimur autem de adoratione, quæ fit ad rem tanquam terminum adoratum, nam prout eſt ratio adorandi, eſt inadorabilis Latria, vt inquit D. Thomas, & Scotus citati, quia natura humana, & creata non poteſt eſſe ratio adorandi Latria; igitur ſupereſt quæſtio de adoratione humanitatis, vti eſt terminus illius.

Prima ſententia eſt, & vt arbitror communis, humanitatem Chriſti ſumptam, & conſideratam ſecundū ſe, prout eſt in Chriſto, poſſe, ac debere adorari propria, & peculiari adoratione, quæ non ſit latria, ſiue illa appelletur Dulia, ſiuè Hyperdulia, quemadmodum ſignificant Scotus,

& Sanctus Thomas in textibus ſupra citatis, cum diſcipulis, noſtris Scotiſtis in 3.d.9.q.vn. & Thomiſticis in 3. p.q. 27. art.2. & diſſertè Caietanus, & Lychetus. Idem ſentit Henricus quodl. 10.q.6. Durandus qu.3.nu.7. Thomas Valdenſis.l.de Sacramentis. cap. 113. Corduba.l.1.q.5.dubit.3. punct.4. Ratio eſt quia humanitas Chriſti præciſè ſumpta eſt Creatura, & ita non eſt adoranda Latria, ſed alio genere adorationis, cuius capax eſt; quòd autem ſit adoranda patet, quia habet dona gratię excellentia propter quæ adoranda eſt. Addit Aretinus, cui alii conſentiunt, etiam ſi illa natura adoretur propter dignitatem, & excellentiam gratiæ vnionis, adhuc non eſſe adorandam Latria, ſed inferiori adoratione, propterea quòd illa vnio non eſt quid increatum, ac proindè non eſt adoranda adoratione Latriæ. Hoc additamentum mihi non placet, quia gratia vnionis iam connotat, & inuoluit perſonam Verbi, atque adeo continet rem adorandam Latria: & ſaltem confusè, vt ait Scotus, ſumitur illa humanitas ſimul cum termino Verbi, atque adeo eadem cum eo eſt adoratione colenda. Non enim vnio illa poteſt præſcindi à termino Verbi, alioqui non erit hypoſtatica, neque ſingularis. Redeo ad inſtitutum. Humanitas Chriſti ſic præciſa, & ſumpta per ſe, eſt quid adorabile cum ſit ſancta, & donis gratiæ cumulata; ergo adoratione digna, quæ cum Latria eſſe nequeat, inferior ſit oportet, ideſt, vel Dulia, vel Hyperdulia.

Hanc ſententiam difficilem reddit Aretinus q.7.art.7. vbi ponit quinque concluſiones: in prima, & ſecunda affirmat humanitatem Chriſti in ſe conſideratam, imo & Chriſtum vt hominem præciſè non adorari latria; in tertia autem aſſerit naturam humanam conſideratam vti vnitam in abſtracto perſonaliter naturæ diuinę adorari Latria; in quarta verò docet humanitatem Chriſti in cōcreto per ſe adorari Latria. In quinta denique ait, licet humanitas Chriſti poſſit diſtingui à Verbo ſaltem in adoratione interiori, & ſpeculatiuè, melius tamē eſſe non diſtinguere illam à Verbo interius, nec etiam practicè in exteriori adoratione. In quibus apparet eum meticulosè locutum; ſecunda quippe concluſio, & tertia non admodum videntur cohærere, & quinta docet ſpeculatiuè ſumptam non eſſe omnino Latria adorandam, nec mihi placet exemplum, quod adducit adorandi Regem cum ſua veſte; procul enim abeſt exemplum veſtis ab humanitate, cum appoſitio veſtis non inducat vnionem, quæ datur in humanitate cum Verbo.

Secunda ſententia eſt humanitatē Chriſti præciſam à diuinitate, & ſecundum ſe ſumptam non poſſe alia quàm latriæ adoratione adorari. Hāc ſequitur Vvaldenſis tom.3. de Sacrament.c.119. Catharinus opuſculo de adorat. Imag. Claudius Sainctes de rebus Euchariſtię repet. 9. c. 3. & Clicthoueus lib.2 de Euchariſt.c.10.nu.5. & 6. & ante omnes tradidit Bonauentura in 3.diſt.9.art.1.q.1. dum ait humanitati Chriſti ſecundum ſe cum donis alijs gratiæ conſideratæ ſolam deberi Duliam, ſed quia ſemper coniuncta eſt cum Verbo, ſemper ſimul cum Verbo adorandam eſſe Latria, eamdem ſumma vi tradit Gabriel Vaſquez diſp.96. cap.4. Ratio prima eſt quia illa humanitas ſemper ſumitur vt talis eſt, ſi autem vti talis, ſemper eſt coniuncta cum Verbo; ergo

ſem-

ſemper debet adorari Latria. Aſſumptum probatur, quia illa humanitas eſt ſingularis, & propria illius ſuppoſiti diuini, & ſumitur reduplicatiuè, & vti eſt à parte rei, & in indiuiduo, certa, & determinata, ergo ſemper ſumitur vti talis eſt, ac proinde vti coniuncta cum Verbo; vnde ſequitur eadem Latria eſſe adorandam. Secunda ratio eſt, quia illa humanitas præciſa à ſuppoſito Verbi, & ſecundum ſe conſiderata, vel ſumitur cum donis gratiæ, quæ habet, vel non: ſi non ſumitur nō eſt humanitas Chriſti, ſed alia in abſtracto, & ſic nullo modo eſt adoranda, quia deſtituta eſt illis donis proprijs humanitatis Chriſti, & manet in ſtatu naturæ in quo certè adoranda non eſt: ſi autem ſumitur cum propriis donis, quæ habet à parte rei, cum illa ſint propria illius humanitatis Chriſti vt talis eſt iam ſumitur in concreto, qua ratione adoranda eſt Latria; vnde mihi videntur hallucinari auctores dum præſcindendo à donis propriis humanitati Chriſti volunt eam adorari hyperdulia propter excellentiam donorum, cum ea dona ità excellentia ſint coniuncta cum vnione ad Verbum, & inde emanent. Quod autem conſiderent præciſam ab iſtis donis id facit vt ea non ſit propter ea dona adoranda, atque adeo reducitur ad ſtatum naturalem, & purè humanum, & prorſus inadorabilem, quare ſtare non poteſt adoratio hyperduliæ cum illis donis, quibus ea natura ſpoliatur: ſi autem cum illis conſideretur iam ſumitur in ſtatu diuino; vnde illa dona reſultant, & cui debentur, igitur debet adorari Latria. Tertia ratio. Crux, claui, lancea, flagella, columna, & alia inſtrumenta Paſſionis Chriſti adorantur Latria per participationem cum ſuppoſito diuino, hæc autem inſtrumenta non attingunt Verbum, ſed ſolam humanitatem, quam participant, & ratione huius participationis per humanitatem adorantur Latria. Ergo à fortiori humanitas, quam immediatè attingunt Latria debet adorari, quod argumentum apud me plurimum valet; non enim video qua ratione ſolui poſſit, cum præſertim humanitas meritoriè concurrat ad redemptionem. Si ergo ſatis hoc eſt ad tribuendam adorationem Latriæ maiori iure eadem adoratio humanitati, quam attingunt tribuenda eſt; ex quibus concluditur humanitatem Chriſti ſemper ſumi cum adoratur coniuncta cum Verbo, & eadē eſſe ratione adorandam. Et quidem in hac ſententia fruſtraneam iudico ſuppoſitionem quam faciunt auctores ſumendo illā humanitatem præciſam à Verbo, imo & contradictoriam. Moueor quia duos ſtatus habet illa humanitas, ſeparationis à Verbo, & coniunctionis cum Verbo: in ſtatu ſeparationis caret illis donis cum quibus eſt coniuncta Verbo; ergo caret omni ratione adorandi, & reducitur ad purum ſtatum naturalē, quia eſt incapax adorationis. In ſtatu autem coniunctionis adoratur Latria; ergo illa ſuppoſitio prima eſt fruſtranea, & contradictoria ſibi: ſupponit enim manere in ea natura ſeparata ea dona, quæ habet coniuncta. Quando autem ſumitur cum donis ſupponitur vnita Verbo, & tunc erit contradictio ſumere illam coniunctam, & negare Latriam. Itaque illa ſuppoſitio humanitatis cum illis donis in ſtatu ſeparationis eſt de re impoſſibili, & contradictoria, inuoluit enim contradictionem ſpoliari donis propriis

humanitatis coniunctæ, & retinere adorationem Latriæ. Quòd ſi aduerſarij dicant in ea humanitate vti præciſa ab vnione verbi manere dona gratiæ. Vrgeo. Vel iſta dona ſunt propria humanitatis vnitæ, vel non: ſi ſunt propria ſequuntur humanitatem coniunctam Verbo: ſi non ſunt, ſed alia diſtincta, iam deſinit eſſe illa humanitas coniuncta cum Verbo, ac proinde alterius humanitatis à Chriſto prorſus alienæ, & ruit tota machina ſuppoſitionis. Eſt igitur ſtatus fictus non verus; verſatur enim circa aliam humanitatem diuerſam à Chriſti humanitate.

Hanc ſententiam videntur probare Sancti Patres, & Concilia, quæ diligenter affert Pater Vaſquez, quorum præcipuum eſt teſtimonium Athanaſij orat. contra Arianos ad Adelphium vbi ſic. *Nec iſtiuſmodi Corpus (ſcil. Chriſti) ſeorſum diſcriminatũ à Verbo, adoratione proſequimur, neq; Verbũ adoraturi, Verbum à carne longè ſeponimus: ſed cum ſciamus vt dictum eſt, Verbum carnem eſſe factum, illud iam in carne ſitum Deum agnoſcimus.* Concinnit Theodoretus ad Eph. 1. *Secundum operationem virtutis, quòd autẽ aſſumpta ex nobis natura eiuſdem honoris cũ eo, qui ſumpſit, ſit particeps, nulla videatur adorationis eſſe differentia, omne miraculum ſuperat.* Hi ſufficiant pro Græcis. Pro Latinis primus eſto Ambroſius lib. de Incar. Dom. Sacram. cap. 7. vbi ſic. *Nunquid, cum, & diuinitatem eius adoramus, Chriſtum diuidimus? Numquid cum in eo imaginem Dei, Crucem que veneramur, diuidimus eum?* Negat Ambroſius diuiſionem ſtatuum, & ſeparationem humanitatis Chriſti à ſuppoſito Verbi. Alter ſit Auguſtinus ad verſ. pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt*, per quod intelligit Chriſti humanitatem, quæ apud Iſ. c. 66. dicitur terra. *Terra*, inquit Propheta, *ſcabellum pedum meorum*, & coniungens hæc duo terram, & ſcabellum, ſcilicet humanitatem; *Ipſe*, inquit, *Dominus dixit, cum de commendatione ipſius terræ loqueretur, Spiritus eſt, qui viuificat, caro autem nihil prodeſt. Ideo, & ad terram quamlibet cum te inclinas atque proſternis, non quaſi terram intuearis, ſed illum Sanctum cuius pedum ſcabellum eſt, quod adoras, propter ipſum enim adoras. Ideo & hic ſubiecit; Adorate ſcabellum pedum eius quoniã Sanctum eſt. Quis ſanctus eſt in cuius amore adoras ſcabellum pedum eius? Et cum adoras, illum ne cogitatione remaneas in carne, & à Spiritu non viuificeris.* Geminus eſt alter locus Auguſtini ſerm. 58. de Verbis Domini, qui affertur à Magiſtro in hac diſtinct. 9. *Dicunt heretici, filium non natura eſſe Deum, ſed creatum; Quibus reſpondendum eſt. Quia ſi filius non eſt Deus natura, ſed creatura, nec colendus eſt omninò, nec vt Deus adorandus, dicente Apoſt. Et coluerunt, & ſeruierunt potius creaturæ, quam Creatori. Sed illi ad hęc replicabunt, & dicent. Quid, quòd carnem eius, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum diuinitate adoras, atq; ei nõ minus quam diuinitati deſeruis? Ergo Dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatẽ propterea adoro, quod à diuinitate ſuſcepta, & deitati vnita eſt, vt non alium, atq; alium, ſed vnum eumdemque Deum, & hominem Filium Dei confitear.* Hoc teſtimonium rem prorſus continet, nõ enim Auguſtinus diſtinguit duas adorationes. Addit enim *Si hominem ſeparaueris à Deo, illi nunquam credo, nec*

ſeruio:

ſeruio. Veluti, ſi quis purpuram, vel diadema regale iacens inueniat; nunquid ea conabitur adorare? Cum verò ea Rex fuerit indutus periculum mortis incurrit, ſi ea cum Rege adorare quis contẽpſerit. Ità & in Chriſto Domino humanitatem non ſolam, vel nudam, ſed diuinitati ſuæ vnitam, vnũ Filium Deum verum, & hominem verum, ſi qui adorare contempſerit, æternaliter morietur. Apparet igitur ex Auguſtino Chriſti humanitatem ſolitariè ſumptam non eſſe adorandam.

Si hæc ſecunda ſententia traderetur à noſtro Doctore Subtili arrideret profectò mihi. Sed quoniam video Scotum perſpicuè docuiſſe contrariam, tum in 3. ſentent. diſtinct. 9. tum in Reportatis eadem diſtinct. & cum eo ſentire Lychetum, & alios Interpretes, permanendum eſt in prima ſententia de adoratione hyperduliæ erga Chriſti humanitatem ſeparatim ſumptam, ornatam tamen gratia, & reliquis donis ſupernaturalibus; in quo etiam Scotus conuenit cum Diuo Thoma, & noſtri cum Thomiſtis communiter; igitur dico ſpeculatiuè loquendo primam ſententiam eſſe veram, praticè verò tenendum eſſe ſecundam, vti notat Scotus ad finem huius diſtinctionis: vbi ſic, *Tutum eſt in adoratione non nimis diſtinguere naturam illam creatam à Verbo, ſed Verbum ſubſiſtens in duabus naturis adorare*. Hoc ipſum docuit Damaſcenus in celebri loco lib. 4. de fide cap. 3. *Si diuidas*, inquit, *ſubtilibus conceptibus, quid quod videtur ab eo, quod intelligitur inadorabilis eſt, vti creatura*. Vbi videtur ſtatus ſpeculatiuus terminis ſcholaſticis explicatus, ne putes autem inadorabilem eſſe, intellige inadorabilem per Latriam vti exponit S. Thomas. Idem dicendũ de auctoritate Auguſtini proximè relata eodẽ modo exponente Scoto in hac diſt. n. 14. *Si natura humana eſſet ratio adorationis Latriæ, ipſa ſeparata à Verbo eſſet ratio eiuſdem adorationis: quòd falſum eſt ſecundum Auguſtinum in littera: quia ſi natura illa ſeparetur à Verbo, illi homini nunquam ſeruio, hac ſcil. ſeruitute Latriæ*. Itaq; Scotus de ſola Latria interpretatur concedens adoratione hyperduliæ adorari.

Supereſt reſpõdere ad argumẽta, quæ videbantur vim habere. Omniũ eſt vna ſolutio, dicendo, illam gratiã, & dona ſupernaturalia non extrahere naturam à ſtatu adorationis minoris quam Latriæ, quia omnia ſunt creata, & finita, ac proinde aliena ab adoratione Latriæ, nec obſtet dicere ea dona eſſe propria talis naturæ, & à ſuppoſito mediante vnione emanare, quia etiam ſi vnio non intercederet, ea dona quantum eſt ex ſe poſſunt communicari naturæ creatæ, & non vnitæ, in quo ſtatu ſeparantur cogitatione à perſona, & vnione, ac proinde conueniunt naturæ vt ſic, præciſa à Verbo, & vnione, atque adeo manet illa natura ſolitariè ſumpta illis donis affecta in ſtatu humano, in quo non poſtulat adorationem latriæ, ſed hyperduliæ: vnde ſequitur mereri quidem adorationem, quia abbundat donis ſupernaturalibus, non tamen adorationem Latriæ, qua ratione tollitur omnis ratio dubitandi, & manet prima ſententia tuta ſpeculatiuè, & diſtincta ſua adoratione in ſenſu ſcholaſtico extra praxim conſtituta.

Digitized by Google

CAPVT V.

Quid ſit Dulia, & quibus debeatur?

DVliam eſſe infimam Adorationis ſpeciem conſtat à verbo *Duleuo* Græco, quemadmodum ſæpe diximus. An conueniat Sanctis, ſiue in vita, ſiue poſt vitam in dubium verterunt Hæretici: negãtes eam ipſis debere. Imò eam Idololatriam putarunt; & alienam à Religione exiſtimarunt. Et ſolam tantummodo ciuilem quandam obſeruantiam, ſiue reuerentiam duxerunt. Hæc autem manifeſta hæreſis eſt damnata in Concilio Niceno ſecundo, ſiue 7. Synodo Actione 2. in Epiſt. Adriani Papæ eius nomine I. ad Conſtantinum, & Irenem. & Actione 3. in Epiſt. Theodori. & Actione 4. in Dialogo Leontii Epiſcopi Neapoleos. & in Epiſtol. Germani Patriarchæ. Noſtris eam temporibus damnauit Concilium Tridentinum ſeſſione 25 c. *de inuocatione, & veneratione Sanctorum*. Imo, quod rem maximè continet, ac eſt magnoperè obſeruandum: Pſeudoſynodus 7. idem contra certos quoſdam Iconomachos definiuit Actione 6. Tomo 6. in Definit. 17. Hanc hæreſim tenuit Iulianus Apoſtata, teſte Nazianzeno orat. 3. & ibi. Elias; & Cyrillus lib. 6. contra eundem Iulianum quòd ſanè mirandum eſt, cum ille Deos gentilium adoraret, & idolorum cultor eſſet. Poſt Iulianum Leo Iſauricus, & Conſtantinus Copronymus ſuis Imperialibus edictis cultum omnem, & venerationem Sanctorum ſeueriſſimis vetuerunt, auctore Cedremo in vitis eorũdem. Renouarunt errorem Vuicleffus, & gregales: vti refert Valdenſis Tomo 3. c. 118. n. 2. & cap. 130. Caluinus lib. 1. Inſtitut. c. 11. §. 11. & c. 12. §. 12. & Centuriatores cent. 1. lib. 2. c. 4. qui tàm cum Mahometanis, quàm cum Catholicis ſentire animaduertunt, contra quos ego in Gallia primùm: deinde in Anglia ſæpè ac fortiter dimicaui. Hac de re ſcripſi in meis ſcholis Theologicis, & Aſſertore Romano, ſiue Medulla Hiſtor. Eccleſiaſt. latè opinor, ac neruosè multis ſacræ Scripturę teſtimoniis, & ſententiis Patrum vſus, quorum indicare placet nomina, cum præſertim plures ſim additurus. Ita Iuſtinus in Apologetico 2. initio. Origenes hom. 3. in diuerſos. Euſebius 3. de præparat. Euangel. cap. 7. Athanaſius lib. de Virgin. propè finem. Baſil. orat. in S. Mamantem. & orat. in 40. Martyr. Nazianzenus orat. 1. in Iulian. ſiue 3. in ord. Nyſſenus orat. in Theodorum Martyrem. Epiphanius hæreſi 79. Chryſoſtomus homil. de Sanctis Iuuentino, & Maximo. Tertullianus de Corona militiæ. Cyprianus Epiſt. 34. ſerm. 6. Maximus ſerm. de natalis Sancto. Octauii. Aduentoris, & Solutoris. Hieronymus Epiſt 53. Auguſtinus Epiſt. 44. & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21. Cyrillus lib. 6. in Iulianum. Theodoret. lib. 8. Græcanicarum affection. Damaſcenus de Fide lib. 4. cap. 16. & 17. Bernardus ſerm. in illud Apoc. 12. *Signũ magnum*. Theologos Scholaſticos haud opus eſt numerare, cum hi ſint mallei hęreſum, & hæreticorum. Duce S. Thoma, & Scoto. Quoniam vero Caluiniani cauillantur vti ſolent abuti vocabuli analogia dicentes coli quidem cultu, & obſeruatione ciuili, quæ contineat reuerentiam ſecularem, excludat verò adorationem Religioſam.

ſam. Oportet eos ratione conuincere, quæ ſit valida, & rem conficiat. Eam vero ſic formo. Cultus alicuius ſumitur ex cauſa, ſiue, vt aiunt, motiuo, quo quis vtitur colendo perſonam, quæ illo cultu afficitur: at motiuum colendi Sanctos non eſt ciuile, nec ſæculare, ſed Sacrum, & religioſum; ergo fit neceſſariò ſacer vltra laicum, Religioſus ſupra ciuilem. Patet propoſitio. Nam cauſa colendi diuerſos inducit effectus; vt cum quis Regem colit ob maieſtatem, diuerſus eſt cultus ab eo, quo reueretur Doctorem propter doctrinam: & qui veneratur Iudicem diuerſum ei exhibet cultũ, ab eo quo proſequitur Patrem ſuum ob pietatem: imo & Hæretici alio modo ſe habent colendo laicos ſuos, & ſuos miniſtros Eccleſiaſticos: ſi quos tamen habent: certè Aram, ac templum longè alio venerantur cultu quàm menſam, & domum: igitur ex motiuo ſumitur diuerſitas reuerentiæ: ex quo fit conſequens, vt qui hominem propter Sanctitatem, & coniunctionem cum Deo per charitatem, & gratiam veneratur eum ſacra, & religioſa reuerentia proſequatur. Hæc eſt adoratio, igitur iuſtè ac propriè adoratur. Expono amplius. Motiuum ciuilis cultus eſt naturale totũ, & politicum, & manet intra limites naturæ: at vero motiuum colendi Sanctos ob ſanctitatem, & vnionem cum Deo tranſgreditur fines naturales: ergo eſt vera, & germana adoratio ſacra, & Religioſa. Hac ego ratione altius exaggerata ſuis munita exemplis Hæreticos vehementer pręmebam. Nec ſatis ſe reſpondendo, & cauillando expediebãt: meque Canopeius, & angue peius oderant; non quòd eos aliqua iniuria, probroue, à quibus ſemper cum iis diſputando abſtinui, afficerem; ſed propter arguendi vim, & conuincendi ſcientiam, quam horrere ſe fatebantur. Vera loquor. Abſit fucus, & gloriolæ aucupatio. Quid ergo illi? nam acuti ſunt, & ſolerti & in Scripturis, & Patribus non hoſpites, ſed verſati, quibus cum mihi interdum certamen erat, confugiebant ad quædam Sacrę Scripturę, & Patrum teſtimonia, quæ dicebant ſolum Deum adorandũ, & non eſſe Angelos, nec homines adoratione colendos. Quod ego vno verbo refellebam. Teſtimonia illa de adoratione Latriæ eſſe accipienda, quæ propria vnius eſt Dei, non autem de alia ſpecie inferiore Dulia, quæ quadrat in ſanctos.

Teſtimonia hoc loco non affero, nec reſponſiones, quoniam infra de his iterum dicturus sũ. Expectet Lector, dum intra ſcholaſticæ diſputationis me terminos contineo. Breuem vſuram temporis poſtulo: mox euagabor.

Non ſolum autem Sancti poſt mortem poſſunt, ac debent adorari, ſed etiam dum viuunt: idque ratio adducta conuincit, quæ idem continet motiuum virtutis, & Sanctitatis, ac donorum Dei ſupernaturalium; & confirmatur eo, quòd iſti Sancti multa operantur miracula, & prodigia, quæ ſupra humanam, & ciuilem naturam, & ſtatum ſunt, igitur adoratione ſimili ſunt afficiendi; cuiuſmodi eſt adoratio Religioſa, & Sacra, non autem ciuilis, & politica, ſiue forenſis, quæ eſt communis etiam Gentilibus, qui dotibus Corporis, & Animi, & fortunæ inſignibus ornantur. Pudeat hæreticos dicere ea ſolũ ratione poſſe Sanctos, & iuſtos viros adorari, qua licet ethnicos, & paganos ho-

Digitized by Google

homines adorare.

Et verò quando cum meis iuratis inimicis manus hic conſerere cōtingit volo aduerſus eos telum fatale intorquere. Si Sanctos Chriſtianis adorare non licet, & eorum adoratio perinde eſt ac idololatria, vt ij dicunt, ſequitur nos non eſſe Chriſtianos, nec in Chriſtum Meſſiā credere, nec ipſum adhùc veniſse; atque adeo nos Catholicis, & illos de atholis Chriſtianorum nomine ſpoliandos eſſe, ac ethnicis, & gentilibus adnumerand s. Sequela probatur accepto eorum argumento. Chriſtus ſecundum omnes fermè Prophetas non venit niſi propter exterminādam idololatriā, & finis eius fuit eam delere, & idola abolere & funditus ſuperſtitioſum Deorum cultum euertere, ita vt pro ſigno aduētus ſui Meſſię Idololatriæ exterminationem Prophetæ attulerint: quòd habetur expreſſum Iſaię cap. 2. *Eleuabitur Dominus ſolus in die illa, & idola penitus contercntur*. Quod idem ſignificat c. 31. Zacharias etiam cap. 13. *In die illa erit Fons panis domus Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & mēſtruatæ, & erit in die illa dicit Dominus exercituū, diſperdā nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra*. Oſeæ 10. *Ipſe confringet ſimulacra eorum, depopulabitur aras eorū*. Micheæ 1. *Omnia ſculptilia eius concidentur, & omnia idola eius ponam in perditionem*. Quæ veritas tam aperta eſt in Scriptura, vt ob ea dicta Hebræi negent Meſſiam veniſſe, nec venturum affirment, dum Idolatræ in mundo fuerint. Nunc redeamus ad inſtitutum. Poſt Chriſtum, quem Hæretici nobiſcum Meſſiam, & Deū eſſe fatētur (excipio paucos, qui Chriſtum verū Dei Filium eſſe negant) cœpit, & adoleuit & viguit maximè idololatria, cum in tota Romana, & Vniuerſali Eccleſia Sancti, & eorum imagines, & Reliquiæ adorentur, ac eorundem memoria cōſecrentur, ac nomina inuocentur. Quæ ſi eſt Idololatria, eam non ſuſtulit, ſed induxit. Nec poſſunt Hæretici reſpondere ſemper fuiſſe qui negarēt Sāctos adorandos. Nam hi pauciſſimi, & ſerò in Eccleſiam venerunt, ac extra illam fuerunt, quia hæreſi laborabant. Reliqua vero omnis vbique colebat Sanctos, & Concilia, id vniuerſalia decreuerunt. Quod ſi illi erant Chriſtiani, quia Iconomachi erant, etiam Mahometani in Chriſtianorū numerum veniebant. Cum his ergo numerari debent Caluiniſtę dum negant Sanctos adorari: & idolatras nos Catholicos appellant. Soli ergo ſunt Chriſtiani. Imo & ſoli Prædeſtinati ſicut iactant. Sanè vti Donatiſtę, qui ſe ſolos eſſe dictitabant mundos, & puros, & immaculatos, & apud ſe Eccleſiam eſſe gloriabantur: quos Auguſtinus copioſè refutat, ac oſtendit eos extra Eccleſiam eſſe: à Fidelium communione alienos. Verùm minus ſibi, quam Caluiniſtæ arrogabant, nec enim ſe prædeſtinatos dicebant, quemadmodum Caluiniſtæ. Ecquis hoc iis reuelauit? Legeruntne Librum vitā, & ſua ibi nomina repererunt? quo id teſtimonio probāt? ſuo dicto. Non credimus, quærant appellant Iudæum, qui credat. Scio ego quo ſenſu appellentur Prædeſtinati, quo interdum ſumit Auguſtinus *prædeſtinatos*, licet raro in deteriorem partem, pro *præſcitis*, quales ſunt qui in ſua hæreſi moriuntur. Peccant enim contra Spiritum Sanctum cum finali impenitentia obſtinati virulentas animas efflant odore

teter-

Digitized by Google

teterrimo. Eos hoc ego argumento premo, & Chriſtianos eſſe nego cogens fateri ſe, dum nos Catholicos quòd adoremus Sanctos idololatras vocāt, Chriſtianos non eſſe cum nemo Chriſtianus eos non adoret à Chriſto edoctus, & in Chriſti Eccleſia inſtitutus. Diſcant argumentati. Melius ipſis argumentanter Hebræi, qui ob id negant Chriſtū veniſſe, quia à nobis vidēt imagines, & ſimulacra, quæ idola eſſe exiſtimant, adorari; & idcirco nolunt admittere Meſſiam, poſtquem arbitrātur idola, & idololatrias vigere, & amplificari. Quanquam & hi miſeri decipiantur, tum quod non vident Prophetas de Idololatris ſuæ gentis loqui, cum vitulos aureos, & idola vicinorum colebant: transferendo ad Deos alienos ſuæ cultum Religionis, tum quod non conſiderant Idolatriam per aduentum Chriſti eiusque prædicationem ceſſaſse, adeo vt Monarchia, & Imperium gentilium Imperatorum, & Principum penitus defecerit, & idola in Cruces, delubra in Eccleſias, ſuperſtitiones Ethnicas in Chriſtianam Religionem trāſierint. Iam pridem prophetia illa impleta eſt quoad vtranque partem. Etenim Iudæi poſt Chriſtum vnum ſuum illum Deū colūt, eiq; vni relictis ſimulacris & idolis tanquam Polypi ſaxo adhęrent. Ecquis enim hodie Iudęorū colit idola, vel quenquam ſanctorum adorat? Ceſſauit ergo illorum idololatria poſt aduentum Chriſti, qui erat vnus ex ſenſibus, in quo loquebantur Prophetæ; Ceſſarunt etiam poſt Chriſti aduentum gētiles idolorum cultores, & cum ethnico Imperio defecerunt. Vnus Chriſtus adoratur, & colitur, qui venit deſideratus cunctis gentibus, de quibus rem ſuum non eſt, quod omnes illos falſos Deos exterminauit. Itaque in aduerſarios argumentum retorquetur: ac eodem tum Hæretici, tum Iudęi confutantur. Maneat itaque Sanctos & viuos, & mortuos poſſe ac debere vltima, & infima adorationis ſpecie adorari.

Exibam cum me retinuit pia, & curioſa quæſtiuncula, cuius neſcio qui in mentem venit, ac nō potui non attendere. Vtrum alicui Homini Sancto poſſit aliqua tribui adoratio Latriæ? Videbatur mihi initio quæſtio putida, & inſolens: ſed cum meminiſſem quorundam Auctorum qui excitarunt, quæſtiones alias ſimiles, imò minus quam hæc mea aptas & congruentes, ſcilicet vtrum quælibet res inanimata, & irrationalis poſſit ritè adorari Latria? qualis eſt Vaſquez inſignis ſanè, ac eximius Theologus. d.109. & vtrum Papæ conueniat adoratio Latriæ? Qualis eſt doctiſſimus Caramuel, animos ſumpſi ad eandem de Sanctis agitare controuerſiam, cum prę ſertim vnus is eſſet Seraphicus Franciſcus, mirabile ſanctitatis Prodigium, Chriſti ſtigmatias, viua eiuſdem, ac ſpirans imago: qua ratione conuenientior, & aptior quæſtio videbatur. Itaque in mei Parentis, cuius me indignum filium eſſe fateor, gratiam, eam ſuſcipere, & tractare decreui: ac ea excogitaui, quæ ſubiicio argumenta. Loquor autem non de motiuo adorando communi aliis hominibus, ac Sanctis, quatenus in his Deus tāquam Creator, & conditor, & auctor eſt, & quatenus ineſt ipſis per potētiā, eſsentiam, & præſentiam, ſed ſpeciali quodam, & proprio, quod non quadret in alios, ſed vni, ac ſoli conueniat Franciſco. Ad affirmandum probabiliter nonnulla, excogitare potiùs conie-

ſturas nixus auctoritate Auguſtini, quem æquè diligo, ac Franciſcum; etenim hic mihi auctor eſt, & magiſter morum; ille doctrinæ.

Duobus modis poſſunt res adorari, vno propter ſimilitudinem, quam habent cum Deo vti eum ſimpliciter repræſentant, tanquam creationem, qui eſt omnibus communis; ſcilicet Sol, & Lapis. Altero ſpeciali, & expreſso, qui repreſentet aliquod attributum proprium Dei, ſitque ſacrum & Religioſum. Primum negat Auguſtinus ſatis eſse ad adorationem Latriæ. De ſecundo affirmat. Affert autem exempla vtriuſque. Primi cōmentariis in Pſalmum 103. concione 3. de 2. parte eiuſdem Pſalmi ad verſic. *Sol cognouit occaſum ſuum. Non putetis eo fratres ideo nonnullis Solem eſſe adorandum, quia Sol in ſcripturis aliquando Chriſtum ſignificat. Talis eſt dementia hominum, quaſi adorandū aliquid dicatur, cum dicitur Sol Chriſtum ſignificat; adora & Petram, quia Chriſtum ſignificat. Adora & Ouem, & Leonē, quia Chriſtus ſignificant. Videte quam multa Chriſtum ſignificent. Omnia iſta Chriſtus in ſimilitudine, non in proprietate.* Reiicit communem ſimilitudinem; exigit peculiarem proprietatem. Secundi habetur in Pſal. 98. in med. ad uerſ. *Adorate ſcabellū pedum eius.* Vbi ſic perſpicuè. *Et adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Quid habemus adorare ſcabellum pedum eius? Suppedaneum dicit ſcabellum. Quam dicunt Greci* ipopodien *dixerunt Latini ſcabellum; & alij dixerunt, ſuppedaneum. Sed videte fratres, quid nos iubeat adorare. Alio loco ſcriptura dicit, Cęlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare: quia dixi alio loco, quod ſit ſcabellum pedum Dei; Et quomodo adorabimus terrā, cum dicat apertè Scriptura. Dominū Deum tuum adorabis. Et hic dicit, Adorate ſcabellum pedum eius. Exponens autem mihi quid ſit ſcabellum pedum eius, dicit. Terra autem ſcabellum pedum meorum. Anceps factus ſum timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum, & terram. Rurſum, timeo non adorare ſcabellum pedum domini mei, quia pſalmus mihi dicit. Adorate ſcabellum pedum eius. Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius? & dicit mihi ſcriptura. Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & inuenio quomodo hinc impietate adoretur terra ſine impietate adoretur ſcabellum pedū eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Marię carnem accepit & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutē dedit: nemo enim illam carnē manducat, niſi prius adorauerit, inuentū eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Apparet hic terram per ſe vulgo ſumptā ſicuti Sol ſuperius non adorari, relatam vero ad ſcabellum pedum Dei, hoc eſt intellectā de ſignificatione Corporis Chriſti in Euchariſtia, quæ propria eſt ſignificatio, adorari propter peculiarē notionem: & proportionem ad Cibū illum cęleſtem Panis ſuperſubſtantialis, qui eſt Caro Chriſti, quam ſumimus in Miſsa & ante ſumptionem adoramus. Huiuſmodi eſt exemplum S. Franciſci ille vti Sanctus eſt ſecundum ſenſum ſanctitatis etiam excellentis, non alia quàm Dulia adoratione colitur, & adoratur. Si vero

ſpe-

ſpectetur vti ſingulariter, & miro modo ſanctus per indiſcremans cum Chriſto virtute ſtigmatum ſimilitudinem ſecundum hanc proprietatem videtur eum ita repræſentare, vt poſſit latria, quæ Chriſto eſt debita adorari. Nec enim ipſe in ſe, ac intranſitiuè, & terminatiuè adoratur, ſed vti refertur ad Chriſtum in quem tranſit ratio, & motiuum adorandi, quemadmodum de Terra ſcabelli diximus, & hoc eſt primum pro mea ſententia argumentum.

Secundum eſto. Franciſcus accepit à Chriſto vulnera & ſtigmata per impreſſionem cruentam & pęnalem, & ſenſit dolores ſimiles doloribus Chriſti Crucifixi: & in ſe tranſtulit cum vitalibus ſignis Paſſionis, igitur participauit non ſolum moraliter, quod nō eſt ſatis ad latriam, ſed realiter, ac phyſicè Chriſti dolores, ac paſſiones, quod ſatis eſſe videtur ad terminandam adorationē Latriæ: quod diſcrimen nos olim obſeruauimus inter participationem inducentem Duliam, & Latriam, vt hæc phyſice aliquid acciperet ab eo, quo cum adoratur Latria illa vero ſolum moraliter ſumeret denominationem. Vnde diximus cum communi Theologorum, continentiam ſolum ſine vlla partium communicatione phyſica, qualis erat continentia Chriſti in vtero Matris, non ſufficere ad Latriam, quia ex illa, quamquam intima, nihil de propria Carne Chriſti in Virginem Mariam cum in aluo geſtantem tranſibat.

Tertium, Crux, Claui, Lancea, Columna, Spinæ, Claui, Flagella propter participationem de ſanguine ipſius Chriſti Latria adorantur: ſed in Sancto Franciſco impreſſa eſt figura Crucis & Clauorū per veram, & realem participationem cum ipſa viua Crux, & ſenſibilis fuerit & Claui veri, & ex Carne propria formati cum dolore intimo forēt, & ſanguine per impreſſionem expreſſo. Eius adoratio eſt ſimilis adoratione Crucis & Clauorum Chriſti, hæc eſt Latria; ergo Franciſco, Cruci, & inſtrumentis Paſſionis, quos repræſentat competit.

Quarta & optima ratio. Ob rationem imaginis, & ſimulachri conuenit Franciſco adoratio Latriæ propria ſui Prototypi, quem ad viuum exprimit, & figurat. Ec quis enim viſo Franciſco extenſis brachiis manibus, & pedibus clauis extātibus, & ſanguinē manantibus non excitetur ad Chriſti Crucifixi memoriam? Poteſt vnuſquiſque conformatus ad Crucem elato capite expanſis brachiis, erecto corporis trunco repræſentare Crucem, ac ob eam imaginem latriam terminare: quanto igitur potiori iure Franciſcus ad eam poſitus Crucis formam poterit eodem modo adorari?

Quintum. Vbi fit vnius in alterum transformatio, licebit vnum, & alterum eodem cultu colere, ac reuereri. Fit quippe alter, de quo dicitur: Alter ego: at inter Chriſtum, & Franciſcum datur huiuſmodi trāsformatio: igitur & ſequitur ex ea ſimilis adoratio. Minor probatur, quia videmus ex duobus dimidiis vnum componi: in ſchemate quippe Ordinis noſtri Seraphici Chriſti, & Frācīſci brachia tranſuerſim ita collocata, vt ex duobus fiat vnum Corpus, quod omnino eſt argumentum vnionis transformatiuæ mutuum amborum. Ex quo conſectanea eſt par vtriuſque adoratio.

Sextum. Amicitia reddit ex duobus di-

Digitized by Google

dimidijs vnum, adeo, vt alter ſit pars alterius. Vnde illud *Animæ dimidiũ meæ*, eoque fit vt in vnum dimidium quadret quod conuenit alteri. In Frãciſco id cernimus, cùm notabili prærogatiua, quòd illa non ſolum eſt dimidium Animæ, ſed etiam dimidium corporis, quemadmodum proximè oſtendimus in ſtemmati Seraphico. Permittitur ergo adorari Latria. Quòd ſi quis adorantem culpet ignoſcendũ erit, cum tranſmutatæ doceãt ignoſcere palmæ. Excuſabit opinor errorem Chriſtus dicens *Non errasti nam & hic Chriſtus eſt*.

Septimum petitum ex Auguſtino ſupra laudato loco Pſalmi 98. Si terra quia eſt ſcabellum pedum Dei relata ad Euchariſtiam eo autore terminat adorationem Latrię, à fortiori vt aiunt, terra Franciſcus, qui ſe terram præ Humilitate putabat, quod Chriſtum repræſentat Crucifixum, atque adeo cruentam victimam ad viuum eandem poſtulabit formam adorationis. Nam ſi ſatis fuit terræ, figurare ſacrificium Hoſtiæ incruentę, cur non ſatis erat Frãciſco exhibere figuram victimæ cruentæ? quod ſanè iudico idoneum, & validum argumentum.

Octauum, & vltimum, ac quo maxime moueor illud eſt: ſacrificium, & oblatio à Chriſto ſummo Sacerdote facta erat infiniti valoris, atque adeo opus diuinum, & Latria dignum. Tale fuit Franciſcus in ſtigmatum impreſſione: quam inſtar Sacerdotis patrauit, uti patet. Ex quo fit conſequens, vt Franciſco tanquam ſacrificio à Sacerdote Chriſto facto, & oblato Latriæ adoratio debeatur. Addo quòd idcirco Franciſcus Sacerdos eſſe noluit, quia videbat ſe futurum ſacrificium: natus ille erat ad victimam, & hoſtiam immolandã à Chriſto: non ad ſacerdotem immolaturum Chriſtum. Adiungo. Chriſtus non potuit eſſe ſacerdos ſui ipſius per cruentam immolationem, quia ſic nõ potuit immolari: tranſiit ergo ad aliud Sacerdotium Melchiſedech, & ſe incruento panis & vini ſacrificio in Altari immolauit. Itaque vt proprie Sacerdos eſſet oportuit immolari Franciſcum cruentam Victimam. Ex quo auxit ſui Sacerdotis dignitatem manendo in ſuo ordine proprio Sacerdos, non in alieno Melchiſedech, vt admirari libeat excellentiam huiuſce Sacrificii ſtigmati Franciſci, quæ tanta eſt, vt conſecratio incruenta hoſtiæ Euchariſticæ fuerit ordinis alieni, at vero immolatio victimæ Franciſcanæ, cruenta fuerit effectus ordinis proprij. Eritne qui inficietur huic tam raro, & miro Sacrificio deberi quodammodum adorationem Latriæ.

Et quidem de hac quæſtione ſatis: quam meus in S. P. meum Franciſcum amor excogitauit: nec puto mihi vitio vertendum eandem probabilem in affirmatiuam partem facere, tot productis rationibus, ſtuduiſſe: non quod velim vt approbetur, aut quod ſentiam eſſe approbandam, ſed vt in medio relinquam, iudicio meo ſuſpenſo, expectans aliorum de eadem præiudicium, vt me ad doctiorum mentem conformem. Vno verbo quicquid dixi S. Romanæ Eccleſiæ ſubiicio; teſtatu hæc à me potius, tanquam à concionatore ex pulpito, quàm ſcholaſtico Magiſtro, ex cathedra tradidiſſe.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Adoratione media, quæ dicitur Hyperdulia, & quomodo, & quatenus B. Mariæ Virgini conueniat?

NOmen eſt Græcũ, quemadmodum Latria, & Dulia compoſitum ex præpoſitione, ſuper quę ſignificat excellentiam, & præſtantiam ſuper Duliam, & denotat inferiorem locum poſt Latriam, vt ex hac notione conſtat, quæ commonſtrat eam eſſe ſub Latria, & ſupra Duliam, propterea quod medium locum inter vtramque formam adorationis obtinet. Et quoniam ſatis de conuenientia illius cum Humanitate Chriſti ſubtiliter diſtinctis conceptibus diximus, ita nunc quæſtio redit ad B. Virginem Mariam Matrem Dei. Hæretici more ſuo tollunt hanc ſpeciem, quod vellent Catholicos Idololatria inſimulant iactãtes, nos ſtudio colendi, & commendandi Virginem diuinam ei adorationem deferre. Quorũ princeps fuit Lutherus, teſte magno authore Caniſio Societatis Ieſu lib. 5. de B. Virg. quem cum ſuis gregalibus citat, ac inter eos Philippum Melanthonem nigrum theta candidiſſimo Virginitatis lilio, & albis Catholicorũ Scriptorum calculis infigẽtẽ inducit. Cuius fumi caliginem diflat ibidem Caniſius ſecutus veteres Patres, & antiquiores Theologos autores; cui omnino cohærent recentiores. Doctrina eſt Scoti noſtri ſuperius laudati, qui in hoc 3. d. 9. q. vn. ſ. *Quantum ad dictum*, n. 12. *Deo*, inquit, *Creatori debemus Latriam. Sicut modo Mariam adoramus hyperdulia, & omnes alios Sanctos Dulia*. Addicit vni Mariæ hyperduliam. Qui eam negant tribuendam Mariæ Heterodoxi prętextu, quòd ea vox non inuenitur in Patribus, eorum eſt impietati ac proteruiæ tribuendum. Iis autem ora obſtruunt duo inſignes Ieſuitę Caniſius lib. 5. & Vaſquez diſp. 99. cap. 2. Certè tituli, quibus Catholica Eccleſia, quæ non poteſt errare, & cui Patres omnino credunt, ornat Beatã Mariam Virginem efficiunt, vt excellens ei quædã adoratio deberi videatur. Appellat enim *vitam, ſalutem, ſpem*, præter alios, quos recitamus quotidie in Litaniis, honorum gradus, qui ſatis oſtendunt eius poſt Deum primam & dignitatem, & ſanctitatem. Vnde colligitur nouo quodam ac miro modo ita colendam; qui non potuit melius exprimi, quàm nomine hyperduliæ. Ego ex peculiari pręrogatiua deduco Mariam Sanctiſſimam ſic eſſe adorandam, nimirum ex Immaculata Conceptione, quæ niſi ea eſſet, non extolleret Virginem ſuper alios ſanctos, cùm ſint alij in vtero sãctificati, vti Hieremias, & Baptiſta, foretque eius ſanctitudo maculate peccato, atque adeo minus digna hyperdulia; nec excelleret alias Creaturas humanas: niſi ſecũdum gradus ſimiles ſanctitatis, ſuper quos non eſſet eleuata per rationem ſuperiorem prærogatiua, quam hyperdulia ſequeretur. Hæc enim appropinquat ad Latriam, quia diuerſo modo participat Deum, non eſt autem ſpecialis, & diuerſus modus participandi, niſi per carentiã omnis culpæ, tum actualis, tum originalis. Loquor autem de hyperdulia nixa excellenti gratia ſanctitatis, ob quam vellem adorari Virginem hyperdulia. Id autem conſtat inter Catholicos Doctores ob Maternitatem Dei penitus adorãdam

eſſe

eſſe hyperdulia. Eſt quippe dignitas maxima, & ſingularis ſupra omnem honoris ſtatum poſita, qua maior excogitari nequit, ac proinde ſumma, vt eã vocat hic Scotus, in ſuo genere, adoratione digna ſcilicet poſt Latriã. De hac dubitare nõ licet: vere deſunt Patres qui dicant. Duos è numero plurium, quos afferunt Caniſius, Suarez, & Vaſquez produco, Nazianzenum, qui in Tragędia de Chriſto patiente disertè: *Admitte*, inquit, *ò virgo inclyta hunc, qui tibi Verbi Parenti, ſed ſuper modum tuum, legemq; ſolùm inter omnes contingit honor. Quid eſt ſuper modum?* niſi hyperdulia? Adiungo Epiphaniũ Hæreſi 79. in med. vbi dicit Virginem Mariam cæteris eſſe *honorationem* propter Incarnationis myſterium. Vterque autem hoc motiuum tetigit. Nam hoc ſonat illud Nazianzeni *Tibi Verbi Parenti ſiue genitrici*.

Atque hic aperitur opportunus aditus quæſtioni celebri. Vtrùm B. Virgini conueniat vlla congrua ratione adorari Latria? Eam indicat S. Thomas 3. p. q. 75. a. 5. argum. 3. quod ex contactu intimo Chriſti petebat rationem adorandi, corroboratam exemplis. Cui tamen ita reſpondet negando; aſſignata differentia, quia res aliæ cùm ſint inanimæ non ſunt capaces proprię adorationis, & ſolum admittunt adorationem exemplaris ad quod referuntur. At verò B. Virgo eſt capax propriæ adorationis, eaque eſt adoranda, non aliena, quæ eſt Latria. Vbi Caietanus adiungit: non eſſe abs re fateri Beatam Virginem propter intimum cum filio ſuo contactum, dummodo non ſit ſcandalũ, aut periculum, Latria poſſe adorari. Sunt qui abſolutè doceant conuenire Latriam B. Virgini ob excellentiam maternam Dei, quia hæc pertinet ad vnionem hypoſtaticam. Imo P. Vaſquez d. 100. c. 2. n. 3. ait eandem, vt eſt imago Dei ſpecialis coniuncta cum contactu poſſe adorari Latria. Quod mihi non placet, quatenus requirit contactum; quid enim facit contactus ad rationem imaginis, cùm hæc ſola ſit ſufficiens ratio adorãdi imaginem, propter exemplar, quod repræſentat. Ecquis enim, vt imago alicuius adoretur, contactum imaginis cum ſuo exemplari requiſiuit? Omnis Crux vbique adoratur modo ſit Crux, ritè formata, ac Chriſtũ quacunque ex materia ſit, repræſentet: diuerſa prorſus eſt ratio contactus, qui eſt extra repræſentationem, & fit per participationem, puta ſanguinis Chriſti: & non dependet ab imagine. Itaque ille contactus B. Virginis cum Chriſto magis pertinet ad rationem Maternitatis, quam Imaginis: Vaſquez autem n. 4. negat cum Caietano quem citat, poſſe Virginem propter maternitatem adorari Latria; cui hac in parte aſſentior. Ratio quæ me mouet eſt, quia per illam maternitatem etiam cum intima geſtatione in vtero, & contactum nihil B. Virgo accipiebat à Filio re ipſa, nec phyſicè, quemadmodum Claui, & Lancea, & Columna, & ſpinæ, quæ acceperunt phyſicè, & realiter aliquid ſanguinis. Itaque Virgo dedit Chriſto, non accepit à Chriſto carnem & ſanguinem: alioquin omnis creatura, quia creatur à Deo, & habet in ſe Deum, coniunctum contrahet rationem adorandi propriam Dei quæ ſit Latria, quod verum non eſt. Maneat itaq; ſtatutum B. Virginem Mariam, neque ratione dignitatis, neque ſanctitatis, neque contactus poſſe Latria adorari: propriam vero illius adora-

tionem

tionem eſſe Hyperduliam, quam ei Scotus aſſignauit.

Verum enim verò non patitur, ſingularis mea ergo B. Virginem obſeruantia, pietas, & religio denegare ei adorationem Latriæ. Omnes igitur & animi, & ingenii vires intendi vt modum aliquem inuenirem, quo eam poſſemus Latria colere. Nouus hic erit, ſed haud opinor ineptus & gratus ſtudios nominis Mariani. Is autem eiuſmodi eſt. B. Maria in die Paſſionis Chriſti meruit adorationem Latriæ, ſcilicet quando percuſſo Lancea latere Chriſti iam mortui vulnus illud accepit in anima iuxta dictum propheticum Simeonis Luc. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quod communiter & Patres, & Interpretes de iſto vulnere Lanceę interpretantur, quos interſunt duo, qui mihi hanc viam aperuerunt Paulinus, & Auguſtinus mutuis ſuis Epiſtolis 58. Paulin. & 59. Auguſtini tomo 2. operum 5. Auguſtini. Hunc autem modum huius præcipuè, cui ſum aſſiduus, nixus authoritate excogitaui. Illud vulnus illatum fuit Corpori iam exanimi, & ſine vllo actuali ſenſu doloris eiuſdem ſine anima: illud autem B. Virgo ſuſcepit in Animam ſuam, quæ doluit pro Filio, & ſuppleuit vicem dolituri iam non dolentis, qua ratione reddidit vulnus ſenſibile accipiens ictum inflictum corpori, & informans dolore animi concurrendo ſpiritualiter cum eo corpore, & idem cum eo vnum ſubiectum dolens componendo; traxit quippe ad ſe per amorem virgo vulnus corpori, illudque ſuo proprio dolore animauit: non præciſe per dolorem quem reddidit, ſed per acceptationem vulneris, propter quod doluit. Quod perſpicuè dixit Simeon *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. *Pertranſiuit* igitur, tetigit, percuſſit animam idem gladius, qui latus transfixerat. Communis igitur fuit gladius Chriſti Corpori, & Animæ Mariæ, & vno ictu amborum corpus, & animam tranſuerberauit. Vnde Auguſtinus ad quæſtionem 9. in fine epiſtolæ 59. *Quo*, ideſt ferro *materna anima vulnerata eſt doloris affectu*, & clarius Paulinus proponens quæſt. in fine epiſt. 58. *Animam illius* (Virginis) *Crucis romphæa penetrabat*. In eundem ſenſum multa diuinitùs Bernardus, qui rem meam penitus expreſſit. Tunc ergo B. Virgo potuit adorari Latria, cum accepit dolorem in anima, & vicem Animæ iam abſentis, & minime dolentis ſuppleuit.

Adijcio aliud magni momenti, & quod iam diu mente agitabam, nec ſatis expedire poteram, propter ſententiæ difficultatem, quæ nunc noua oborta luce ſublata eſt. Mirabilis euentus, ac diuinus plane effectus ex hoc vulnere animato à B. Virgine ſecutus fuit, ſcil. *Reuelatio illa multorũ cordium cogitationum*, quod prædixit Simeon, & exitus ille *ſanguinis, & aquæ* per apertum vulnus quod dixit Ioannes; quæ duo pertinent ad vulnus cõmune Corporis, & Animæ Mariæ. Igitur coniungamus vtrumque: Confluuium Sanguinis, & Aqua, & reuelationem cogitationum. Primum ſciendum in illo pectore per illud vulnus lateris fuiſſe formatã Eccleſiã Chriſti, ſicuti fuerat Eua ex latere Adam. Ita docet Auguſtinus li. 2. de Geneſi contra Manich. c. 24. lib. 2. contr. Fauſt. Manichæum c. 8. in Pſ. 126. in medio. Pſal. 127. poſt med. & ſæpè alibi. Hæc autem Eccleſia exiit ad ſimilitudinem Calicis Euchariſtici *ſanguis, & aqua*,

Idque

Idque Auguſtinus locupletauit extẽdens ad alia omnia Sacramenta. Hoc accepto, dico Eccleſiam ſpectare item ad B. Virginem, quæ illud vulnus dolore formauit, & ad eandem etiam pertinere recordationem *cogitationum multorum cordium:* quas interpretatur Auguſtinus illa eadem epiſt. vt ſint *Inſidiæ Iudæorum, & infirmitas diſcipulorum*, quæ tunc patuerunt virtute illius apertionis; Quomodo autem hæc ad Virginem Mariam referantur, diligentius eſt inquirendũ. referamus primum haſce cogitationes multorum cordium in Chriſti morte, ad eas, quas habuit B. Virgo in Chriſti natiuitate Lucæ 2. *Conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. En Cor plenum cogitationibus myſteriorum, quorum memoriam ſeruabat. Iſtæ cogitationes Sanctę Cordis Virginis referendæ ſunt ad illas cogitationes multorum Cordium, quas Deus Virgini reuelauit. Quorſum? Vt ſcilicet Beata Virgo per memoriã eorum myſteriorũ, quia in ſuo corde impreſſerat, occurreret cogitationibus eorum qui occidebant Filium, quales erant Iudæi, de quibus Auguſtinus, & illorum qui trepidabant, & nõ credebant Chriſti Reſurrectionem, vel ſaltem de ipſa ambigebant, quales erant quidam ex Apoſtolis, & diſcipulis, quod etiam tetigit Auguſtinus. Hos igitur ſuis cogitationibus B. Virgo refutabat corrigens peruerſas mentes Iudæorum, eis ſe opponendo, & confirmans animos diſcipulorum obiecta veritate ſuarum cogitationum: & duo præſtabat. Euertebat errores, & roborabat Fidem. Hoc autem eſt proprium Eccleſiæ, cuius tunc initium & ortus erat per illud oſtium, quod vulnus aperuit in latere Chriſti, quod Beata Virgo ſuo ſpiritu animauit. Vnde ſicut illa Mater fuit Chriſti, cùm eum concepit, & peperit, ita & mater Eccleſiæ fuit nunc in Cruce, cùm eam in dolore enixa eſt, & parturiens in lucem edidit. Suſcepit igitur Eccleſiam, tanquam Mater Filiam, eamque defendit ab hæreſibus peruerſorum, & muniuit præſidio doctrinæ diuinæ confirmans in Fide Doctores. Quæ duo munia ſunt propria Eccleſiæ Catholicæ, quæ à Virgine Matre in ſuis natalibus Deo ſic ordinante accepit. Magna mihi lux ad gloriam B. Virginis Mariæ oboritur ex hac notatione, & collatione cogitationũ. Itaque didici expoſitionem difficilis illius, & celebris ſententiæ, quam in Acroama eiuſdem Virginis conuertit Eccleſ. ſacro in Miſſali. *Gaude Maria Virgo. Cunctas hæreſes tu ſola interemiſti in vniuerſo mundo*, quæ vti omnium, ita & meum diu torſit ingeniũ. Quomodo enim quadret in B. Virginem, vnicam, & ſolam omnes vniuerſi mundi hæreſes interemiſſe? Contingere mihi memini ſæpe cum hac difficultate luctari, ac ſemper ſuccumbere. Videbam quippe B. Virginem nunquam docuiſſe, nec prædicaſſe, nec vllam ſcholam habuiſſe; oraſſe videbam, & contemplatione deditam vacaſſe Deo, relicto Apoſtolis munere docendi, & prædicandi, & controuerſias Fidei componendi, Scripturas exponendi, Concilia celebrandi, & palàm, & vbique euangelizandi. Non eo tamen terrebar. Poterat enim priuatim docere Apoſtolos; illud turbabat, quòd vna ea omnes hęreſes in vniuerſo mundo euertiſſet: cum Virgo Chriſtũ non poſſit excludere nec omnes hæreſes cum multæ poſtea eſſent venturæ, & nihil illa ſcripſiſſet, quo poſt mortẽ naſcentes

oppri-

Digitized by Google

opprimeret? rurſum angebat phraſis *interimere*, quod eſt bellantis, cùm B. Virgo ne hoſtem quidem vllum viderit. Præterea hæc particula conuenit Filio, in cuius ore eſt *gladius verbi Dei.* Itaque deſpondebam animo, aliò mentem auertebam: nec erat quem hac de re conſulerem, cum locus Sacræ is Scripturæ non eſſet, ſed Eccleſiæ; atque adeo interpretes non eſſent. Verùm nunc, Deo dante, occaſionem ſum nactus ſententiam Eccleſiæ, & capiendi, & exponendi. Teneo ſenſum. B. Virgo cum Chriſto Filio genuit Eccleſiam, concurrens animo ad vulnus, vnde exiit fœtus communis amborũ. Eccleſia illa fuit, quæ hæreſum eſt interẽptrix; & quę cumque vbique natæ ſunt, & oriuntur, & orituræ ſunt eas excindit, accepta virtute à Matre Virgine Maria, quæ ſuis cogitationibus refutauit inſidias, & errores Iudaicos, & Apoſtolos pro fide pugnaturos confirmauit, & armauit doctrina. Igitur ea per iſtum doloris gladium omnes hæreſes in vniuerſo mũdo interemit. Dicitur autẽ ſola, quia Chriſtus iam erat mortuus, atque adeo nullus erat; nam in illo triduo illud compoſitum *Chriſtus* vnitum non fuit, ſeparata anima à corpore, nõ tamen ſeparato ab vtraque parte cõpoſiti Verbo, vti docent Theologi, ergo ſola quę viua erat ſupererat Maria, ad quam redibat, hoc in ſenſu gloria interemptionis. Et illic gladius erat, ſed tunc non ſentiebatur à Chriſto, qui capax tunc non erat doloris, & vulnus viuum ad Virginẽ pertinebat. Non nego tamen per illud viuum Chriſtũ anteà meruiſſe, & meritum Patri ſuo antea obtuliſſe. Ago de actu præſentis doloris, cuius Corpus mortuum capax non erat. Erat autem ſola Virgo, vnde qui ex eo prouenerunt fructus ad ſolam poterant Virginem referri. Hoc me modo difficultate explicui.

Vna ſolùm ſupereſt obiectio. Quomodo iunctæ hæreſes dicatur B. Virgo interemiſſe, ſi quemadmodum expoſuit Auguſtinus Iudęorum tantùm inſidias, & errores extinxit? Sunt autem multę hæreſes extra Iudaiſmũ. Cui duobus modis reſpondeo. Primùm: B. Virginem tunc per ſuas proprias cogitationes extinxiſſe ſuperſtitiones Iudaicas, per virtutem vero communicatam Eccleſiæ, & doctrinam traditam Apoſtolis futuras omnes alias interemiſse. Secundùm, & aptiùs reſpondeo. In Iudaiſmo velut in radice omnes hæreſes contineri, ac vniuerſas ex Iudaiſmo emanaſſe. Ac ne prolixior ſim, & putidior id probando, recurro ad meum theſaurum Auguſtinum, & inuito Lectores ad audiendam optimam, & ſuauiſſimam doctrinam. Refrico memoriam Calicis nempe Eccleſiæ, in quam cõfluxit ſanguis, & aqua, diuerſis riuulis, antequam colligerentur in calicem, & mox è profluenti inconfluentem verſis, & exhibeo locum Pſal. 74. ad verſic. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verùmtamen fax eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Hunc Calicem interpretatur Auguſtinus eo in loco de lege Iudaica mixta, & littera, & allegoria; ſiue ex vtriuſque Teſtamenti Sacramentis. Per fæcem autem intelligit carnalem ſenſum Iudęorum, & hæreſes illorum. Hoc tantùm accipio. Et de manu Auguſtini Calicem ſumo: & in vſum meum conuerto. Calix ille erat Synagoga mixta ex ijs, & figuratis. *Inclinauit* Deus hunc Calicem in ſuam Eccleſiam, in Cruce Calicem

repræſentantem miſtum ex aqua, & ſanguine, remanente fæce Calicis primi Synagogæ apud Iudæos, ideſt hæreſi ſua impia, cuius ad noſtrum Calicem nihil tranſiuit; totum igitur quod erat fæx, & pus manſit apud Iudæos, vnde biberent omnes Peccatores terræ: ideſt omnes hæretici, qui forent in vniuerſo mundo. Omnes quippe hæreſum ſordes ex illa Iudaica fæce promanarunt. Quo fit, vt B. Virgo, quæ illam Iudaicam peſtilentam excidit, omnes hæreſum peſtes euerteret, & reciſo illo Iudaici Monſtri capite omnia eius mẽbra interemit. Qua ratione illa Eccleſiæ profunda, & celebris ſententia explanatur, ac *B.* Virgini ſuus honor, & cultus reſtituitur: nec vocat *interimere* cùm gladius præſtò ſit. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius* apud Simeonem, ſiue lancea apud Ioannem *unus militũ Lancea latus eius aperuit*. Cuius eſt ferire, ac *interimere*, *Interemiſti*. Moneo hic lectorem huiuſmodi ſententiam inueniri etiam in officio paruo B. Mariæ pro Antiphona I. tertij Nocturni.

SCHEMA CONCILII

Francofordienſis

HOc Concilium in Germania, ſiue Franco-Germania, quod ſit in Francia Orientali, propterea Francum ab Hincmaro dictum, congregatum Francofurti fuiſſe conſtat, cauſa erroris Felicis Epiſcopi Vrgelitani, & Elipandi, Toletani Archiepiſcopi, qui non recte de Chriſto ſentiebant; quamuis enim Filium Dei, quà Deus dicerent, eum tamen quà homo eſt, ſeruum Dei, & Filium tantùm adoptiuum vocabant, quod Neſtorium ſapiebat, teſte Diuo Thoma 3. part. quæſt. 22. art. 2. Ita Seuerinus Binius refert in Notis ad iſtud Concilium, ac ex duplici Elipandi cõfeſſione oſtendit, & alii quos citauimus ſupra, Collat. 3. diff. 3. ſect. 5. Ex hac quæſtione orta eſt alia de adoratione Chriſti, & imaginum, quæ in eodem Concilio ventilata eſt, de qua doctiſſime agunt duo lumina Theologia Suarez, & Vaſquez: ille d. 44. in 1. tom. 3. p. Hic ibidem ideſt Vaſquez de Incarnatione diſp. 88. Quid autem ſtatuerit Concilium, videamus. Quoad primam quæſtionẽ, rectè ſtatuit Chriſtum, etiam quà homo eſt, naturalem Dei Filium eſſe dicendum, & nulla ratione adoptiuum, aut eſſe poſſe, aut dici, debere ſicuti nos ſuperius tradidimus; quod attinet ad ſecundam quæſtionem de adoratione imaginũ nihil in actis eius Concilij, quæ hodie extant, reperitur. Quomodo id acciderit, ignoratur, Imo Vaſquez lib. 2. de adoratione diſput. 2. c. 3. negat Felicem Vrgelitanum, in eo errore fuiſſe. Sed omnino conſtat, hunc alterum eius errorem fuiſſe. Scilicet Iconomachiam. Patet eſt Concilio Senonenſi, in Decretis Fidei, c. x. & ita refert Platina in Adriano, & Sabellicus Æneade 8. & Caſtro Verbo. *Imago*. Itaque concedendum eam hæreſim contra Felicem, fuiſſe damnatam, eumque ob illam proſcriptum. Quomodo verò ea quæſtio agitata in hoc Concilio fuerit magna de eo controuerſia eſt. Multi putant contra 12. Concilium Nicenum 2. ideſt 7. Synodum definitam Iconomachiam, ſed plures, & doctiores negãt. Inter quos eit doctiſſimus Vaſquez de Incarnat. d. 107. cap. 6. Vnde orta ſit illa ſuſpicio examinandum eſt. Conſtat præter

acta

Digitized by Google

acta Concilij Volumen nomini Caroli magni Imperatoris extare. Hi Carolini dicuntur, in quibus ea damnatio ſeptimæ Synodi continetur. In præfatione igitur huius voluminis quę pars illius eſt, citatur decretum Francofordienſis Concilij, quo doctrina ſeptimę Synodi corrupto illius ſenſu proponitur, atque damnatur, vti in eius tenore apparet. Verum aliud eſt citari Decretum, aliud fuiſſe illud Decretum quod citatur. Itaque negare poſſumus Decretum fuiſſe & affirmare illos libros, vel non eſſe Caroli, vel ſi ſunt fuiſſe corruptos. Hoc vero examinandum. Negare illos libros Caroli, eſse durum eſt; nã Hincmarus Rhemenſis grauis auctor eos citat, & ſequitur; imo ait, ſe vidiſſe illos cùm puer eſset. Nec ſatis. Maiori auctoritate probatur libros illos ſuppoſitos non eſse, quæ eſt Epiſt. Adriani Papæ ſcripta contra ipſos: ſingulos quippe in eo accuratè Adrianus refellit. Rem ad duo pronuntiata deuoluo vt pateat. Primùm in Concilio Francofordienſi nihil contra adorationem Imaginum decretum fuit, nec ab eo Concilio ſeptima Synodus Oecumenica, & legitima reprobata, imo eius doctrina confirmata. Probatur aſsumptum authoritate Concilij Senonenſis in Decretis fidei c. 14. vbi ſic: *Carolus*, inquit, *Magnus Rex Chriſtianiſſimus, in Francofordienſi Conuentu, eiuſdem erroris, ideſt Iconomachiæ ſuppreſſit inſaniam; quam infeliciſſimus quidã Felix in Galliam, & Germaniam inuexerat*. Deinde teſtimonio Platinæ in vita Adriani; ita *Biennio poſt*, ait, *Theophylactus, et Stephanus Epiſcopi inſignes Adriani nomine Synodum habuerunt, in qua, & Synodus quam 7. Græci appellabant, & hæreſis Feliciana de tollendis Imaginibus abrogata eſt*. Confirmatur vna ratione Pauli Æmilij lib. 2. de geſtis Francorum circa finem, vbi refert Concilium Frãcofordienſe prodiiſse contra Hæreticos damnantes Imagines. *Et Imaginibus*, inquit, *ſuus honor ſeruatus eſt*. Cõſentiunt Sabellicus Enneade 8. lib. 8. Caſtro contra hæreſes verbo *Imago*, Petrus Galiſardus in Chronagr. ſub anno 816. in Carolo Magno. Anſelmus Riddus in Catal. annor. & Princip Surius in præfat. ad Concil. Francoford. Verum quidem eſt Alanum Copum Dialog. 4. c. 14. cui adhæret Vaſquez d. 102. c. 3. & d. 107. cap. 1. nollet Filium eius errores fuiſse cõpertum, neq; damnatum: ſed ſolius alterius hęreſis de Adoptiuo. At cum hic error induceret alium, vel ſaltem cum inuoluerit non eſt mirum vtriuſq; Felicem participem quandoquidem negando diuinitatem Chriſti errare potuit circa Dei adorationem. Sed relicta perſona veniamus ad id quod caput eſt. A Concilio Francofordienſi nihil fuit contra ſeptimam, ſiue ſecundam Nicænam conſtitutum. Si qua Synodus in Concilio damnata eſt, illa fuit Pſeudoſynodus Græca, quæ habita eſt à Conſtantino Copronymo contra Imaginum adorationem, non autem ſeptima Synodus ſub Conſtantino Filio, & Irene Matre pro Imaginibus celebrata.

Probatur deinde optimis rationibus. Prima ſit. Patres huius Concilij ſæpe profitentur ſequi ſe maiorũ traditionem, & Adriani Pontificis nomen, & dignitatem recognouerunt, ac reueriti ſunt: & ipſemet Carolus Magnus, qui huic interfuit Cõcilio in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ dicit. *Se Apoſtolicæ ſedi, & antiquis*

tiquis Eccleſiæ traditionibus tota mentis intentione coniungi. Quomodo ergo potuerunt illi Patres cum Carolo Imaginum cultum abrogare, & ſeptimam Synodum approbatam damnare? Secunda, quia Patres Cõcilij Francofordienſis vel condẽnarunt doctrinam illius Synodi, ex errore iuris, vel ex errore facti, ideſt, vel quòd putabant imagines nec eſſe tollendas, & reprobandam Synodum, quæ cultum probauerat, vel quod cùm eſſent Catholici, & cultores imaginum, ignorabant illam imagines ſuſtuliſſe. Neutrum dici poteſt. Ergo Cõcilium errare nil potuit. Primum; ideſt, non eſſe Iconomachos patet, ex eo quod Catholici erant, & inter eos erant Legati Adriani, & Carolus pijſſimus Imperator, quem nemo umquam in ſuſpicionem alicuius hæreſeos vocauit. Secundum non ignoraſſe doctrinam ſeptimę Synodi veram, & Catholicam eſſe conſtat ex eo, quod illa ipſa ſeptima Synodus Nicena ſecunda Synodus conuocata fuerát ab eodem Adriano, & approbata. Legati eiuſdem erant Patres illius temporis, quos latere non poterat Synodus recẽs œcumenica. Quare in facto errare non poterant; quæ ratio tanti momenti eſt, vt propter eam Binius relinquat ſententiam, Baronij, & Bellarmini exiſtimantium Synodum fuiſſe à Patribus Francofordienſibus damnatam. Et quidem ita ſenſit Baronius, eo anno, & Bellarminus lib.2. de Imaginibus c. 14. & lib.2. de Concil. c.8. Contra quos mecum ſentit Vaſquez de Incarnatione diſputatione 107. c.6. & Suarez in eodem tomo diſputatione 54. ſectione 3 quos duos ſola dignitate minores duobus Cardinalibus antepono.

Tertia ratio: quia ſi quid in eo Concilio contra Imaginum cultum, & ſeptimam Synodum fuiſſet decretũ, eius profectò mentionem in ſuo illo de imaginibus ſcripto Adrianus Papa feciſſet; at nullam prorſus fecit, ergo nihil ea in re errauit Concilium.

Quarta; ſi doctrina Concilii Francofordienſis eſſet Iconomacha vterentur eius authoritate, illi qui paulò poſt eius Concilij tempora fuerunt ſcriptores Iconomachi; cuius modi ſunt Claudius Tarinenſis huius Hæreſeos in Occidente inſtaurator. Verùm hic nullo teſtimonio Concilij vſus fuit, nec Ionas Aurelianenſis, qui contra ipſum Claudium ſcripſit, quid quam vel de hoc argumento, vel contra hoc argumentum ex doctrina Concilij deſumptum producit.

Quinta; non potuit Carolus Imperator præſens in Concilio pati illum errorem contra Imagines, qui erat pius & Catholicus, & nullius hæreſeos labe aſperſus: quod ſi eius erroris compertus, aut ſuſpectus foret, nõ fuiſſet poſtea electus quod bene obſeruauit Sanderus lib. 2. de Adoratione Imag. c.5. & Vaſquez d 107. c.6. vt illum opponerẽt aduerſarium Orientalibus, qui Iconomachi fuerant Imperatoribus. Imperator à Leone tertio ſeptẽnio poſt Concilium Francofordienſe. Quomodo igitur poſſit eligi Imperator Carolus de illa Hæreſi ſuſpectus, ſi in eo fuiſſet Concilio, vbi eadem Iconomachia eſſet conſtituta? Hactenus de Primo Pronuntiato.

Secundum ſit: cauſa huius deceptionis auctorum circa huiuſmodi Concilium fuit ſumpta ex illis libris Carolinis; qui cum aduerſus ſeptimam ſynodum ſcripti eſſent, occaſionem dederunt ſuſpicandi Concilium fuiſſe illud, quod eam damnauit. Sunt qui putent in præfatione voluminis dam-

damnationem Synodi cõtineri, quod quidẽ veroſimile eſt ſed illa præfatio potuit eſse ſuppoſita & connexa libris ab aliquo hæretico impoſtore. Ijs etiam ſeptima Synodum. Hoc ergo ſaltem obtinemus, in rem noſtram magnopere faciens; ſcilicet intra libros ſeptimam legitimam non damnari: Sed tantum in præfatione quæ eſt additamentum extra corpus operis.

Sed quoniam in libro illo Carolino ſunt errores, ac propterea ille ſit ab Adriano ipſo I. Pontifice refutatus ſecus opinandum, & dicẽdum eſt, nimirum eum librum alium omnino ac diuerſum eſse à libro Concilij Frãcofordienſis ſuppoſitum ab Iconomachis, & compoſitum in Conuenticulo, & Conciliabulo eorum, & in lorum Concilij Francofordienſis ſubmiſsũ ad decipiendum populum Chriſtianum, in quo artifices mirabiles ſunt Hæretici. Quod autem Hincmarus illum pro Francofordienſi Concilio habuerit id parui momenti eſt, quemadmodum omnes fermè bonę notæ ſcriptores affirmãt. Potuit enim decipi Hincmarus deluſus æſtu hæreticorũ & ſpecie obiecta libri, ac exiſtimare illum eſse volumen Concilii Francofordienſis. Narrat enim ſe cùm eſset adhuc adoleſcentulus vidiſse in palatio Imperatoris Caroli illum tomum, & crediſse in eo eſse acta Concilii Francofordis. Falli autem potuit propter immaturam ætatem. Hoc volumen Romam ad Papam Adrianum miſsum fuit, à quo illud eſt accuratiſſimè confutatum. Hincmarus illud volumen pro Concilio accepit, & illius doctrinam pro ignorantiam facti experti inſcius approbauit. Atque vt meũ de hac grauiſſima cõtrouerſia, in qua & noſtri cum hæreticis de facto, ac iure litigant, & poſtea inter ſe noſtri de caritate Fidei concordes, de facto ſolum & narratione contendunt iudicium proferam, ſummam facio. Concilium Francofordienſe nihil aduerſus cultum ſacrarum Imaginum, nec aduerſus ſeptimam Synodum definiuit. Quod autem multi putarunt, in ſeptima Synodo Decretum eſse Imagines Sanctorum Latria (quæ vnius Dei propria eſt) eſse adorandas, id ex libro Carolino, qui hoc ei perperam impoſuit, hauſerunt: quem librum Hæretici poſtea fraude corruperunt, vel potius ſuppoſuerũt. Hincmarus iuuenili incogitantia errauit ſumens vnum volumen pro altero; qui erat error facti, & occaſionem aliis errandi ſua auctoritate præbuit: ac nonnihil in iure ob illam falſam exiſtimationem peccauit. Septima Synodus quæ eſt Nicena Secunda Francofordienſi Concilio, & recognita, & reprobata; & nihil penitus contra ipſam, nec præter ipſam eodem Concilio, aut decretum eſt, aut conſtitutum.

Ex hac ſumma non leue compendium facient Lectores, citra laborem prolaxæ, & faſtidioſæ lectionis auctorum omnis generis, qui de hac controuerſia ſcripſerunt. Hic inueniet collecta, quę per eorum opera ſunt diſperſa. Atque vt ab antiquioribus incipiamus quicquid Annonius qui alius eſt ab Aymonio ad annum 794. Abbas Veſpergenſis in Chronico, & Regino, & Ado, eodem anno ſcribunt.

Quicquid in Hiſtoria Boiorum Auentinus, Paulus Æmilius lib. 2. de geſt. Francorum. Platina in Adriano I. Genebrard. in ſua Chronol. ſub illo anno. Sabellicus Ennea-

de

de 8.li. 8. Petrus Goliſardus in Chronographia Riddus in Catalogo annorum & Principum. Surius in Concil. Francoford. præfatione Hiſtoriæ tradunt quibus adiungendus Baronius & Spondanus. Quicquid Ionas Aurelianenſis, & Alanus Dial. 4. Sandirus lib. 2. de Imagin. Binius in notis ad Concil. Caſtro. Verbo *Imago*, & tres Summi Theologi Bellarminus tum in lib. de Concil. cap. 8. tum lib. 1. de Imag. cap. 14. Suarez de Incarnat. d. 44. Vaſquez ib. d. 107. ſtatuit Concilium Senonenſe in decreto Fidei t. x. ſiue quicquid in ipſomet Concilio Francofordienſi, & libro Adriani I. Papæ & in volumine Carolino inuenitur, & quæ ſuper his commencionatores Lugenſes. Cenſuriatores perturbatores, & quid tandem putarent Hincmarus cauſa litis tantæ hic à nobis breuiter tractata inueniuntur. In quorum nos bonas, & longas horas poſuimus ſicut noſter mox eſt: nec penitet diſpondis, vt alieno compendio ſeruiamus.

SECTIO VLTIMA.

De Adoratione Euchariſtiæ.

ABeunti iniecit Religio manũ, vt eam de charta tollerem prętermiſſa peculiari hac de re cõtrouerſia, ad quam ſummus amor, & ſingularis erga Euchariſtiam pietas & obſeruantia mea incitabant. Sunt itaque in hoc ſacroſancto myſterio duo, quæ venire in quæſtionem, & poſſunt, & ſolent: Corpus Chriſti verum quod ibi eſt: & ſpecies ſub quibus eſt. Quoad primum Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. c. 5. definit hoc Sacramentum Latriæ eſſe adorandũ, propterea quod verus hac Chriſtus continetur. Hoc ipſum magna conſenſione docent Patres tũ Græci, tum Latini, quorum Catalogum texunt Suarez, & Vaſquez ad quos auidos huiuſce eruditioni amitto. Ego vno Auguſtino contentus, laudabo locos, in quibus eam doctrinam tradit, ac ex iis vnum excipiam, qui nullus eſt in Auguſtino, alterum producam, quòd eſt germanus & genuinus. Igitur in Pſalmum 98. ad illum verſum. *Adorate ſcabellum eius*. Latè ac perſpicuè huiuſmodi adorationem Latriæ tradit. Eandem innuit Pſal. 21. in cap. expoſit. & epiſt. 120. c. 7. Citatur itẽ à Vaſq. epiſt. 118. Verum ibi nihil hac de re habet Auguſtinus, nec eius Epiſtolæ argumentum id exigebat quod in alia quęſtione verſabatur, ſcilicet de more ſeruãdo in frequentando Sacramento Euchariſtiæ ſecundum varios ritus Eccleſiarum illarũ, vel raro ſicut Oriẽtali Eccleſia vel frequenter imo, & quotidiè, ſicut in Occidentali. Locum Pſal. 98. quòd rem maximè continet afferre operæpretium duco: & quia ad vtranque partem quæſtionis pertinet. *Quomodo*, inquit, *adorabimus ſcabellum pedum eius? Terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco: Cęlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæro quid ſit ſcabellum pedum eius, & dicit mihi ſcriptura. Terra ſcabellum pedum meorum. Fluctuans conuerto me ad Chriſtum, quia ipſum hic quæro, & inuenio, quomodo ſine impietate adoretur terra. Scabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit.* Ades dum. *Et quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam Carnem manducat niſi*

prius

prius adorauerit inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini vt, non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. Conſtat autem loqui propriè de adoratione Latriæ, tum ex modo loquendi quo vtitur iniecta religione ne pro Chriſto adoretur aliud, tum ſublata ſi adoretur Chriſtus, reddito ei debito cultu adorationis diuinæ; tum quod apud Auguſtinum, ſicuti ſupra non ſemel obſeruauimus, Adoratio propriè Latriam ſignificet: tum quod alibi loco ſimili in Pſal. 108. prope finẽ vetat adorare Solem, & alias figuras Chriſti, quod notauimus diſputando de Adoratione Beatæ Virginis Mariæ, *quia ſunt ſimilitudines, non proprietates*.

Duo hic quæri poſſunt. Primum. Vtrum hinc ſumatur argumentum idoneum ad probandam tranſubſtantionem Euchariſticã per annihilationem Panis, & vini, & tranſitionem in ſolũ & verum Corpus, & Sanguinẽ Chriſti? De quo litigat cum Claudio de Sainctes Gabriel Vaſquez d. 108. c. 12. n. 112. ad 117. negando vnum ex altero inferri. Mihi arridet ſententia Claudii, Primo propter modum loquendi Concilij Tridentini, & Auguſtini qui tenet vnicã ibi eſſe Chriſti ſubſtantiam, quæ ſola adoratur. Si enim Panis eſſet non committeret Auguſtinus religioſus ac ſeuerus ſcriptor, vt illa adoratio extra Chriſtum tenderet, & creaturæ tribueretur: nec Patres Concilii Tridentini non diſtinguerent adorationes more Auguſtiniano. Secundò quia mens Concilii fuit auferre impanationem Lutheri, non tollebatur autem remanẽte in Euchariſtia Pane, & vino cui alia adoratio congruebat. Tertio quia fieret maxima confuſio adorationis ſi duo eſſent obiecta adoranda: & præberetur occaſio fidelibus errandi, ſaltem ambigendi in adorando. Quarto quia vna ſimpliciter ponitur Latria, quæ vni tantùm, ac ſoli reſpondet Corpori, & Sanguini Chriſti. Quia Scholaſtici non excitant hic niſi duas tantum quæſtiones, alteram de Adoratione ſubſtantiæ Corporis, alteram de adoratione accidentium; quod argumentum eſt in Euchariſtia veram eſſe tranſubſtantiationem, nõ autem impanationem. Addo ex inimicis noſtris coniecturã me auctore probabilem. Caluinus cum ſuis, & Tigurinus ait ſi Chriſti Corpus, & Sanguis eſſet in Euchariſtia, omnino eſſe adoranda Latria: ſed quia non eſt niſi ſolus panis, & vinum Idololatriã eſſe eius adorationem. Non admittunt ergo ſtatum illum medium impanãdi proprium Lutheri, ac agregatum, idque argumento adoratione, quam viderunt vnam & ſimplicem eſſe oportere. Hæc non puto improbatum iri ab acutiſſimo mortalium Vaſquezio ſi à Claudio proponerentur. Cæterum quibus Claudius in eam venit opinionem & leuia ſunt, & à veritate aliena. Falsò enim aſſumit Accidentia in Euchariſtia non habere propriam exiſtentiam in quam tẽdat adoratio, ſed exiſtere per exiſtentiam alienam Corporis, & ſanguinis Chriſti; nulla non modo neceſſitate imo ne quidem probabilitate. Cui enim Theologo ſcolaſtico in mentem venit ea opinatio? Incarnationis ne quæſtio eſt. Vtrum Humanitas Chriſti exiſtat per exiſtentiam Verbi? quæ multo eſt rationi propinquior: cum vertitur inter exiſtentias ſubſtantiales. Hæc autem eſt incongruens, vtpote verſatur inter exiſtentias omninn diuiſas, prædica-

mento,

mento, ideſt vnam ſubſtantialem, alteram accidentalem. Ille modus exiſtendi in Euchariſtia extra ſubiectum inhæſionis non ſumitur ab exiſtentia, ſed ab inhærentia quæ eſt vnio cum ſubiecto in communi ſententia ſuppoſita propria exiſtentia accidentis: niſi fortè voluit Claudius Accidentia exiſtere per exiſtentiam ſuorum ſubiectorum: quod penitus eſt abſurdum,&,me auctore,in Philoſophia nouum, & ab omni ratione alienum. Quod verò attinet ad autoritatem Cypriani in ſermone de Cœna Domini, præterquãquod ille ſermo inerti autoris eſt (quod miror latuiſſe Vaſqueziũ) nõ attingit ſcopũ vti legenti patebit, & ibi nu. 14. docet Vaſquez. Hactenus de Adoratione Corporis & ſanguinis Domini in Sacramento Euchariſtiæ.

De ſpeciebus. Difficilius eſt iudicare, cum ſint naturalia accidentia, quæ quæ per ſe ibi exiſtunt, vel negatiue ſine ſubiecto, vti vult Scotus, vel poſitiuè per modum aliquem productum a Deo, per quem ſuſtineantur, vt docet S. Thomas. Variæ ſunt authorum, diſcrepanteſque ſententiæ. Quidam aiunt adorari more imaginũ cum ſuo exemplari iuxta opiniones proprias, ponendo duas adorationes vnam propriam, alteram prototypi, ſiue exemplaris: quod tradunt Suarez & Bellarminus ſuperius à nobis laudati, vel ponendo vnam ſolum quæ eſt imaginis ſimul cum exemplari, ac eadem omnino, quod tradit D. Thomas & Vaſquez quos ſecuti ſumus. Illius autem ſententiæ, quam communem dicit Vaſquez d. 108. cap. 13. ille ibi eſt aſſertor: ſtatuendo vnam adorationem cum Chriſti corpore terminare. Alii cenſent adorari ſpecies ſimul cum corpore, & ſanguine Chriſti. Sicuti humanitas pariter cum Verbo, cui adhæret adoratur, quo exemplo vtitur Vaſquez d. 109. c. 3. Sunt qui affirment adorari per accidens, non per ſe, quemadmodum aſſerit Clyctouæus, quem idem Vaſquez citat & ſequitur. Omnes vero fatentur adorationem illam eſſe Latriam. Si tamen excipiat qui duas adorationes attribuunt imaginibus diſtinctas inter ſe propriam, & alienam. Mihi primum diſplicet illa prima ſententia, quæ tradit illas ſpecies adorari ſicut imagines, quia ſpecies illę non ſunt Imagines Corporis, ac ſanguinis Chriſti: imo ſolius Panis, & vini naturalis, quatenus in huius quidem propriè imagines ſint, ſed ſigna non enim oculi repræſentant quemadmodum imagines, quæ ſunt figuræ coloratæ, quod eſt proprie obiectum. Vſus, ac vera illa ſpecies pertinent ad alios ſenſus qui non feruntur in guſtus, & auditus, odoratus, & tactus. Deinde quia confunderetur illa adoratio Imaginis cum alia ſimili adoratione. Accidit enim vt ſæpè Hoſtijs imprimantur figuræ Crucis Clauorum, Agni, & huiuſmodi, quo fiat, vt in his adorentur illę imagines impreſſæ alia adoratione diuerſæ imaginis: & vna abundat alteram. Secundum non placet illa per accidens Latriæ adoratio, quaſi ſola adorationis Corporis & ſanguinis colatur & nihil in ſe ſpetiale quod ſit capax adorationis Latriæ, nec probo exemplum humanitatis Chriſti, quæ ſumpta per ſe non adoratur Latria, ſed tantum hyperdulia. Maius aliquid volo concedere ſpeciebus Sacramenti Euchariſtiæ.

Auctor itaque ſum. Species illas Sacramentales altiori modo adorari; & quidem Latria. Triplici ratione

præciſa

Digitized by Google

præciſa ratione imaginis. Primo quia, componunt vnum cum Corpore, & ſanguine Chriſti in eodem genere Sacramenti, ex vtroque enim ratio Sacramenti conſurgit: cum Sacramentum ſit viſibile ſignum gratiæ inuiſibilis, includens ſignum, quod apparet, qualis hic ſunt accidentia: & rem contentam ſub iis, quæ non apparet, quale eſt corpus Chriſti inuiſibiliter, ac inſenſibiliter exiſtens, ex quo ſequitur Sacramentum ex vtroque componi neceſſariò. Hæc autem eſt inſtitutio Diuina & ſupernaturalis: vnde illud compoſitum manet extra ordinem creatum, & naturalem, & poſtulans cultum Diuinum ſcilicet Latriæ, cum præſertim Chriſtus in Euchariſtia ſit etiam Sacramentum, & ſignum vnionis per gratiam, & Charitatẽ cum accipientibus ſuum Corpus, & ſanguinem, quos ſecum facit vnum Corpus & vnum Spiritum. Vnde eſt res Sacramenti, & Sacramentum. Sacramentum, quà ſignificat vnionem cum Eccleſia communicante. Res Sacramenti, quà exiſtit in hoſtia ſignificatum per ſpecies Sacramentales: & hac ratione refertur ad Panem naturalem cibum quòd ſicut iſte ex multis granis in vnũ coit, & vinum ex multis acinis confluit, vt ait Auguſtinus tract. 26. in Ioannem, ita Corpus Chriſti myſticum ex multis membris Fidelium vnum ſecum efficit, & componit Corpus per Charitatem, gratiam, & dona. Mutuum igitur ſignum eſt, & verè Sacramentum, ac reſpondet Pani: à quo ſignificatur, & quem ſpiritualiter ſignificat. Hæc doctrina eſt indubitata, accepta ex Auguſtino, quemadmodum oſtendimus luculenter in noſtro Auguſtino Euchariſtico à c. 8, quod non latuit Vaſquez d. 109. c. 3. n. 18. adducto vno tantum loco. Epiſtola 23. vbi id Auguſtinus dicit: nos autem plurimos afferimus. tract. 6. in Ioan. lib. 10. de Ciuit. cap. 4. 5. 6. in Pſalm. 21. 68. 93. 101. 129. & epiſt. 33. 80. ad Bonifac. Comitem, imo & probamus hoc eſſe germanum placitum Auguſtini: adeo vt ſæpe vocet Euchariſtiam ſignum & *Figuram Corporis ſui*, ideſt myſtici & Eccleſiæ; vti expreſsè ait in Pſalmum 3. initio. Quare in idem prorſus compoſitum venit cum ſpeciebus panis, quæ ſunt ſigna Corporis Realis Chriſti, ſicut Corpus Reale Chriſti eſt ſignum Corporis Eccleſię myſtici. Ex his ſequitur ob hanc rationem compoſiti, ideſt Sacramenti poſſe adorari Latria ſpecies accidentales in Euchariſtia: quatenus cum eodemmet Chriſti corpore integrant vnum Sacramentum.

Secunda ratio adorandi eſt propter ſimilitudinem quam Chriſtus ſumere voluit ex Pane, & vino: Cibo, & potu in hoc Sacramento, vt non aliter communicari voluerit, niſi hoc modo quo nutrimur corporaliter per Panem & vinum: trahendo inde nomen Panis, & ita ſe appellando: & rurſum tribuendo Pani manducationem veram & realem, quam inſtrumentum neceſſarium eſſe voluit nutritionis ſpiritualis. Ita vt inquit Auguſt. tr. 26. in Ioan. *Carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis, & ſanguinis Chriſti*. Sacramentum propriè vocat hoſtiam conſecratam, & conſecratum vinum: quæ comeſtio, & potatio pertinet ad genuinam Euchariſtiæ formam, per quam conſtituitur in ſpeciali forma talis Sacramenti, ideſt Euchariſtiæ: quæ reſpondet in re manducationi, & potationi participatæ

ticipatæ ſpirituali, per rem, & virtutem Corporis Chriſti & fit mutua ſimilitudo inter Sacramentum, & rem Sacramenti, ideſt Chriſtū, vt Sacramentum manducetur corporaliter, & Chriſtus in eo etiam, & nutritio ſpiritualis aſſimiletur nutritioni Corporali; & ſicut Panis nutrit per ſui conuerſionem illum, à quo editur, ita & Corpus Chriſti alat per ſuam conuerſionem illum, à quo manducatur. Hinc illa ſententia *qui manducat meam carnem, & bibit meū ſanguinem in me manet, & ego in eo*. Quod in hūc ſenſum accepit Auguſt. tract. illo 6. in Ioannem. *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere Sanguinem, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*. Et rurſum. *Vt viuat propter me participatio facit, qua manducat me*. Idem docet Chryſoſtomus homilia 61. ad populum Antiochenum: *Vnum corpus eſficimur, membra ex carne eius, & ex oſſibus eius in illam miſceamur carnem*, & infra, *vos carnibus meis alo, meipſum vobis appono*. Eiuſdem ſententiæ autor eſt Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagoga 4. *In ſpecie panis dat nobis corpus & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem, vt cum ſumpſeris guſtes corpus & Sanguinem Chriſti factus eiuſdem corporis, et ſanguinis particeps*. Tandem quieſcamus in Auguſt. tract. 26. in Ioan. init. *Non poteſt viuere Corpus Chriſti, niſi de Spiritu Chriſti. Inde eſt quod Apoſtolus exponens nobis hunc Panem vnus Panis inquit vnum corpus multi ſumus. O Sacramentum pietatis! O ſignum vnitatis! O conuiuium charitatis! Qui vult viuere habet vbi viuat; habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur*. Eo ſcilicet modo, quo cibus incorporatur manducanti per comeſtionem, & nutritionem. Hinc exiſtit noua ratio adorandi. Panis, virtus nutritiua per ſimilitudinē tranſit in Corpus Chriſti, & viciſſim, virtus Corporis Chriſti reuoluitur ad Panem in ſenſu ſpirituali; hæc virtus Chriſti eſt Diuina: illa fit diuina cum accipitur à Chriſto, ergo ex ea reſultat ratio adorandi Latria propter adductum de nouo fundamentum.

Tertiam inueſtigaui ſubtiliùs, & ſtudioſiùs. Comperio in huiuſmodi ſpeciebus miraculum perpetuum, & ſingulare quo ſuſtinentur ac exiſtunt more modoque ſubſtantiali per diuinam potentiam, quæ illa accidendentia ſupra naturam conſeruat: & reponit in ſtatu omnino ab eorum appetitu innato alieno. Dum ergo ita ſunt miraculosè eleuata per virtutem obedientialem tranſeunt in ſtatum ſupernaturalem & ponuntur in ordine diuino, & petunt coli, & adorari Latria. Si enim Veſtis, ac Thronus Regis meretur adorationem Regiæ perſonæ, quia eandem repræſentat mortua quadam, & morali repræſentatione: quantò maiori iure illæ ſpecies, quæ actualiter, & phyſicè ſuſtinentur à Deo per acceptam virtutem eamque perpetuam, & permanentem parem adorationem Latriæ terminabunt? Sufficit Veſti ſemel indui, & Throno ſemel inſideri, ad acquirendam & conſeruandam eiuſdem rationis adorationem cum perſona Regis quem reſpicit, & non ſufficiat ad poſtulandam & ſuſtinendam adorationem Latriæ illa Virtus accepta à Deo, per quam perpetuò, & conſeruantur modo ſupranaturali? Certè quicunque Chriſtianus Catholicus, qui hoc videat, & expendat, exclamet *Digitus Dei eſt*

eſt hic nõ ſicuti in Cælo, quod eſt opus naturale, ſed ſicut in lege Diuina, quæ erat ſcripta à Deo digito ſuo diuino. Si manus Dei eſt adoranda Latria, hic eſt manus Dei Omnipotentis ſupernaturale miraculum operantis: qua ratione illa colitur, ea quoque effectus adoratur. Etenim huc adhibeo illud celebre Auguſtini dictum epiſt. 3. ad Voluſianum *Tota ratio facti eſt potentia facientis*. En alia diſtincta ratio adorandi Latria Euchariſtię Sacramentum, ideſt ſpecies Sacramentales, quatenus per Diuinam acceptam virtutem per ſe ſubſiſtunt, & ſubſtantiali more extra ſubiectum ſuſtinentur, & conſeruantur.

Ambitioſum hoc dicit aliquis, & ſpecioſum, ad pompam comparatum, & ad conciones magis, quàm ad ſcholas accommodatũ. Nolo inficiari. Equidem cõcionatorẽ in hoc meo libro interdum egi: ſed non pręterea abhorrens aliquid a ſcholaſtico dixi. Venia danda mihi eſt; etenim Ara à pulpito haud procul ſita eſt: ac ego conciones habens ſæpe ſum expoſitã palã in Altari, quod in mea Luſitania ſolẽne eſt è pulpito Hoſtiã veneratus ac ritè ſalutaui & religioſè adoraui. Verum Lectori, & Cenſori volo, & ratione, & exemplo ſatisfacere. Ratio eſt huiuſmodi. Conueniens omninò erat & congruens. Panis ille verus, & vetus ſuam amittit ſubſtantiam vt cedat Corpori Chriſti, & ſponte, vt ita dicã ſua omnino perit, & ſui iacturã facit in gratiam Euchariſtiæ, ac non vult eſſe vt Corpus Chriſti ſit, abiens in nihilum, propterea quod debet fieri tranſubſtantiatio neceſſaria ad veritatem, & reuerentiam tanti Sacramenti relictis ſolis ſpeciebus ad decorem, iiſque comitantibus Panem illum Diuinum ad cuſtodiam, & ſolatium ſenſuum; quæ certè mira eſt Panis erga Euchariſtiam religio, & reuerentia, ob quam meretur idoneum, antidoron pro hoſtimento: nullum autem potuit eſſe aptius, quam participatio adorationis Euchariſticæ per Latriam vt ea compenſaret iacturam ſubſtantię. Gratum igitur Chriſti Corpus, verè *Bona Gratia*, ideſt Euchariſtia, ſe exhibere debuit, gratiam faciens adorationis participatæ ſpeciebus Panis pro Chriſto ad nihilum redacti. Iuſta quidem retributio, & Deo digna. Vtar exemplo accommodato. Cur, quæſo ego in Cruce percuſſo Chriſti latere manauit ex vulnere Sanguis & Aqua, & quidem naturalis, & germana? Vnde tantus honor Aquæ, & quidem eo loco vbi Chriſti Pectus Calicem Euchariſticum repræſentabat? Haud temerè, imo magno id accidit myſterio. Refero mentem ad Nuptias Cana Galileæ. Video Aquã in vinum Chriſti imperio conuerſam tranſiiſſe in aliam naturam, & propriam depoſuiſſe, in Symbolum, & paradigma tranſubſtantionis Euchariſtiæ. Huic officioſo Aquæ obſequio reſpondit Chriſtus illo myſtico officio extollendi aquam ad dignitatem Calicis Euchariſtiæ ſimul cum ſanguine, vt quæ mutarat ſubſtantiã in nuptijs, eam in thalamo nuptiali Crucis cum fænore recuperaret. Maneat ergo hæc adoratio rata, & ſuis rationibus munita. Omnia tamen S. Romanæ Eccleſiæ arbitrio iudicioque venerabundus ſubiicio.

Oportet hic, additamenti loco, vel Parergon dictis, vel prologium dicendis ponere. Cum ante annos ferme quinquaginta in Galliam iſſem, poſtea abhinc viginti quinque in

Digitized by Google

Angliam miſſus eſſem cum Luſitanis Regis mei Legatis, contigit ſępè mihi cum Hæreticis illic degentibus de diuerſis controuerſijs diſputare, vel à me illis, vel ab illis propoſitis, tum clam, tum palam cum id tutò per legationis nomen liceret. Nec illi abhorrebant à diſputando, quòd Luſitani, gens magnoperè, Pietati dedita venientem in domum noſtram comiter, ac beneuole excipiebant, ac ego pro mea indole, ac genio ſuauiter jucundi ſine vllo aculeo diſputarent. Ardẽter quidẽ, & acriter agebant nec enim non incaleſcebam in diſceptando, ſed intra terminos modeſtiæ, & humanitatis me continebam. Memini frequentiùs nos, & acriùs de adoratione imaginum contendiſſe. Quare in hanc rem vehementer inuehi, & multa dixi quæ poſt manu ſcripta in vulgus exibant, ea ne interiderent dedi operam Romæ cum in Collegio de propaganda Fide, & Archigymnaſio ſapientiæ Cõtrouerſias, & hiſtoriam Eccleſiaſticam docerem, vt in ſcholaſticam formam redacta typis cuſa in lucem ederentur. Duos igitur tomos: compoſui de controuerſiis vnum *Scholæ Theologicæ*, alterum *Eccleſiæ Hiſtoriæ medulla* inſcriptum, hos cum in eas regiones typographorũ, & mercatorum Luſitanorum opera miſiſſem, accepi interdictum eis aditu fuiſſe graui multa inferẽt propoſita. Acceſſit iniuria tẽporum, inuidia emulorum, odium maleuolorum, quibus maxime ſum obnoxius, quamobrem factum, vt libri in noſtris regionibus relicti maiorem partem perierint. Quare animaduerſa penuria curaui vt complures earum quæſtionum in hoc volumen de Tertio Scoti ſententiarum coniicerem, vt damnum, & detrimentum ſarcirem. Ac imprimis de adoratione imaginum poſt ventilatam de Adoratione, quæ erat huius loci, ideſt Incarnationis, propriam quæſtionem excitaui, vt argumenta eorum refutarem, more potius Polemico, quàm Pacifico; ſtylo, magis fuſo, laciniofo, quàm curſo & ſcholaſtico. Quoniam autem illi præcipuè, & ardenter de Adoratione Romani Pontificis, ſiue Papæ, diſputarent adieci quæſtionem de illa ſpecialem, vt illos pacarem, inſtituere de illa iuſtam controuerſiam volui, ac omnino eorũ criminationes, & exprobrationes depellere, indignabantur quippe vehementer Romanenſibus, vt aiunt, propter deformem adulationem, & enormem adorationem Papis attributam: idolum, & Antichriſtum Papam, nos autem idololatras & membra Antechriſti appellantes. Hanc diſputationem cum accuratiſſima, & longiſſima eſſet, ac in eo tomo, quem inſcripſi *Medulla* extaret integra inde ſumptam, & ex parte imminutam huc tranſtuli, vt præſenti tractationi congrueret. Retinui autem quæ nominatim ad Anglos pertinebant, huc delere illorum nomen volui, propter quos eam controuerſiam vltro ſuſceperam. Inuenies itaque Anglorum propria, & genuina argumenta (gens quippe eſt acuta, & docta) vti mihi proponebantur, cum mei iuſtis, & idoneis reſponſionibus: quibus & ſolui obiecta, & reiecta retorſi. Meum eſt oſtendere Anglos decipi opinione circa factum Adorationis Papæ, quòd nobis imponant calumniam attribuendi ei Latriam & per eam idololatrandi, & aberrare à iure negando Papam minori adoratione & perſonæ debita adorari. Diſtinguendo inter formas adorationis ſegregando

gregando eas, & ſingulas poſtea ſuis ſubiectis & terminis applicando. Satis etiam moderatè nos geſſimus circa genus adorationis erga Papam: minus ei quàm nonnulli Recentiores Catholici deferre ſolent, deferentes; vt procul omnino eſſe ab ambitionis, & aſſentationis ſtudio iudicemur. Nec enim aliter ſcribimus, quã ducti amore veritatis, ſecluſi, quibuſcunq; priuati, vel commodi, vel honoris rationibus quas minimè curamus: quippe qui cùm ſcribendo viuamus, ac pro vita ſcriptionem habeamus, ita tamen ſcribimus, vt quas ſtatim morituri litteras exaremus ſtylus eſt concinnior & floridior, vt morem geramus has Anglis illecebras phalreaſq; dictionis amantibus: necenim nobis cordi eſt ab iis niſi ſola veritate diſcrepare. De qua ſi nobiſcum vellent conuenire, nil eſſet diſcordiæ, aut diſſenſionis: ſed amicitia intra aras manere debet quibus omnia reliqua officia poſtponenda.

Hoc item animaduertendum: me cum illos libros Romę componerem habitare in Collegio de Propaganda Fide, & ibi palam de mandatu Papæ docere iuxta regulam, et normam Conſtitutionis Apoſtolicæ Præceptoribus præſcripta, ſcilicet tradendi doctrinam S. Thomæ, cuius ego cum interprete agerem coactus fui in eius ſcholæ ſpatiis verſari, & à Scoti caſtris deficere. Hinc eſt ſæpe ab huius placitis diſcordare propter] perſonam quam induueram Thomiſtæ, quæ nolo quenquam turbent propter diſſimilitudinem doctrinæ, quæ omnino attendenda eſt & pendenda ſecundum ſenſus quos exhibeo in tomis, & ſcriptis in Scotũ, & ſi qua varietas opinionum foret ea non exiſtimetur antilogia, à qua ſemper procul eſſe volo. Dandum id eſt conditioni Cathedræ, & loci: non autem inconſtantiæ & varietati ſenſuum & animorum. Exemplum eſto. Quæſtio fuit tempore meæ doctrinę extra ſcholam Scoti: Vtrum, Materia Adorationis eſſent actus interni, & intrinſeci ſolum: excluſis etiam externis, & corporeis. In qua dixi placere mihi cum Vaſquio negare illam primam partem ſolitariam & omnino aſtruere ſecundam de neceſſitate actuum externorum. Ac deſerui communem ſcholarum ſententiam quę item eſt Scoti. Poſtea tamen eum redii ad caſtra Scotica in hoc tomo 3 mutaui ſententiam, & Scoti eam eſſe & agnoui, & declaraui: qua affirmat Adorationem in ſolis actibus internis mentalibuſque conſiſtere. Tu Lector bonis conſuli; & meam ingenuitatem æquo animo accipe. *Purgatio enim iuſta eſt, cum factum conceditur, culpa remouetur*. Auctore Tullio lib. de Inuentione.

IVDICIVM.

SI quem iuuit Collationis huiuſmodi de adoratione doctrinam inſpicere, & quæſtiones in ea pertractatas expendere, eum ego lectionis iacturam minimè feciſſe haud immeritò confirmem; Primum enim intellexi in Textibus, & bibit in fontibus duorum Principum ſcholarum ſententias puras, & limpidas, ſine ulla vel aquarum inſalubrium mixtura, vel fæcis obrepentes infectione, ita vt omnia ſint fideliter tradita, vti erant in ea ſcaturigine, vnde manabant. Deinde quæ addita ſunt, & in paginas noſtras deriuata, à Caſtellarijs fidiſſimis, & peritiſſimis accepta, riuulis directè, & apte deductis de-

Digitized by Google

deprompta; Demum quæ longius poſita videbantur tanquam paluilli, & aceolę per aquarum interualla diſpoſita florum, & oleum copiam irrigatam, vitreis aquis effunderunt. Nihil opinor inueni in acutioribus diſſonum, nihil interpretibus durum nihil in dictis contrarium. Textus producti teſtantur fidem, & ipſi loquuntur; Conueniunt inter ſe, retinent tamen ſuam innatam diuerſitatem, pro genio auctorum, dum quiſque diuerſo modo eundem explicat ſenſum, in re parum differunt, in modo aliquantulum diſcrepant. Doctori Angelico ſuus ineſt candor, & ſplendor, Scoto ſuum accumen, & neruus: ambo ſuccum doctrinæ & ſugunt, & liquant ſuauiter ad guſtum ſtudioſorum. Dedita opera diſtinctè, ac enucleatè, & copioſè textus adduxi, vt qui legeret compendium faceret, & ſine tedio, nedum iactura proficeret. Sanctus Thomas largior venas fundit: Scotus preſſior neruos intendit. Iam vero duo illorum interpetres Caietanus, & Lychetus de interpetrandi laude ex æquo videntur contendere. Inſiſtere Magiſtrorum veſtigia ea diligenter obſeruare, accuratè relegere, religioſè ſectari: nulla vis adhiberi, nulla nouitas addi, nulla obſcuritas offundi, nulla ambiguitas offeri. Igitur Theologica Doctrina de triplici adoratione conſtat. Quæ ad Chriſtum ſpectat de illa diſtinctius, & accutatius diſputatur, vt Chriſtus adoretur ſimpliciter Latria, Humanitas vero concomitanter, ſiue ſyncatagoramatice, vt ait Scotus, item adoretur, ſi vero ſumatur in abſtracto formali concepta diſtincto non latria, ſed minori adoratione genere colatur, de quo inter ſe conueniunt cum aliqua tamen differentia verborum, tùm doctorum, tum interpretum. Præterea ſuus honor redditur Hyperduliæ Beatę Virginis: ſuus item ſanctis Duliæ, hæc omnia ſine controuerſia ſunt. Quæ aliæ quæſtiones eccitaturos vtrum Beata Virgo poſſit addorari Latria, vtrum Sancto Franciſco conuenire ullo modo poſſit eadem ratio adorationis? à nobis propria opinione propoſita diſolsuuntur. De Euchariſtia peculiariter egimus, & cum accuratione, & nouitate aliqua, pro noſtrâ in illud miſterium pietate, ac reuerentia diſputabimus. Ac nequis ex ijs qui legere controuerſias amant, quidquam ad eas intelligendas, & decidendas deſideraret polmicam diſceptationem ſuſcepimus, & in aciem, & puluerem deſcendimus, & aduerſarios prouocauimus, & copioſè pro adoratione Imaginum decretauimus. Adduximus autem plurima ad Hiſtorias ſpectantia vt Hæreticorum arrogantiam, qui lactare ſe de eruditione ſolent, comprimeremus. Eorum errores ſacra ſcriptura teſtimoniis, Conciliorum auctoritate, Patrum ſententijs compreſſimus; & quia Concilium Francofordienſe ad rem hanc magnopere facere videbatur, illius ſchema produximus, & omnia eiuſdem arcana euoluimus & propalauimus haud pænitendo labore, & fructu. Ne quis poſtea Hæreticorum illud nouis Catholicis, vel per incogitantiam, vel per inſolentiam, vel per aſtum, & verſutiam obtrudat; coneturque ſuccos facere vulgo minus erudito: illorum quippè artes nouimus, eas experti in Gallia, & in Anglia, cum inter ipſos fuimus, & cum ijs ſæpius diſputauimus. Vnde occaſione accepta, inſtituimus diſceptationem, vel ſpecialem

Digitized by Google

lem de adoratione Papæ , quia cum eſſemus in Anglia vidimus homines eius nationis, vel ignorantia facti vel iuris multas imponere calumnias , tum auctoribus noſtris , ceu Papæ tribuunt quod proprium Dei eſt,quaſi doceant Idolatriam , tum Romanis Pontificibus, quòd ſibi arrogent diuinos honores, & deferri à Catholicis patiantur , quod impudentiſſimum eſt dicere; Itaque hunc errorem facti patefecimus, & depulimus. Alterum verò iuris apperuimus, & confutauimus manifeſte demonſtrando aliquam rationem cultus , ſiue adorationis deberi in offenſa religione Papæ non ſolum, more ciuili , & politico, ſed ſpirituali, & religioſo, idque diſtinctè, dilucidè, & copioſè effecimus ſoluendo Anglorum obiecta,cauillationes propalando,calumnias detergendo, noſtros auctores ab omni ſuſpitione purgando. Quinimo intorta in nos tela reiecimus, & amentata in aduerſarios retorſimus.

COL.

Digitized by Google

Digitized by Google

COLLATIO SEPTIMA

DIFFERENTIA II.

De Cultu, & Adoratione Imaginum.

SECTIO IV.

De Iconoclaſtis, & eorum erroribus.

DE Authore huius hæreſis quæ imaginum cultum tollit non admodum conſtat. Illud tamen veroſimilius videtur primos Iconomachos fuiſſe Iudęos, qui in ſuo Thalmud, quod prodijt in lucẽ anno Chriſti 476. ordine 21. diſt. 2. imagines ſuſtulerunt. Secuti Samaritani, vt habetur in Epiſtola Simeonis, quæ ponitur in 7. Synodo act. 5. Mahometus item in ſuo Alcorano c. 15. & 17. imagines damnat. Xenaiam tamen Principem Iconomachorum dicit Baronius, & Spondanus ad annum 485. qui fuit ſeruus quidam fugitiuus Perſa, & à Petro Fullone factus Hierapolis Epiſcopus, quamquam Bellarminus nolit eum hæreſiarcham fuiſſe. Ille tamen qui cauſam dedit 7. Synodo ſeu Concilio Niceno 2. fuit Hebræus quidam veneficus, à quo primum Arabes, mox Græci eo errore infecti. Hic peſtifera doctrina imbuit Leonem Iſauricum, qui primus ex Chriſtianis Imperatoribus bellum contra Imagines mouit. Secutus impium patrem improbus filius Conſtantinus Copronymus necromanticus, & Iconomachus, poſt eũ Leo Armenus & Michael Balbus, & Theophilus, praui Imperatores, huic hæreſi ſtuduerunt. In Occidente Imperante Ludouico Pio, Claudius Hiſpanus Fælicis Vrgelitani diſcipulus Epiſcopus Taurinenſis huius erroris author fuit. Poſtea anno 1372. Vvichleff adorationem imaginum oppugnauit, quem ſecutus Caroloſtadius Lutheri diſcipulus rem probante Luthero ſed authorem, quod ſe inconſulto fecerat, improbante. Acceſſerunt Zuuingliani, & poſtea Caluinus l. 1. Inſt. c. 11. & lib. 4. c. 9. ſ. 9. qui cum ſuis acerrimè oppugnat imagines.

Occaſio erroris fuit vocum ignoratio. Volunt enim hæretici omnes imagines eſſe idola, quæ cum videant coli non poſſę, negant imagines poſſe coli. Catholici à Deo illuminati diſtinguunt inter idola & imagines, & aiunt idolum ſignificare vanam, & falſam effigiem, ideſt, rei quæ non eſt; huiuſmodi erant idola Gentilium, qui Dij non erant, & affirmant imaginem eſſe repræſentationem rei veræ, vti

imago Cæſaris, vel Alexandri.

Differentia hæc apparet ex ſcripturis, Paulus enim ad Cor.1.c.8. ait: *Scimus quia nihil eſt idolum in hoc mundo*. Et Eſther cap. 14. dicitur: *Ne tradas ſceptrum tuum ijs qui non ſunt*, id eſt, *idolis*. Et Abacuch 2. vocatur *ſculptile*, quod ſeptuaginta vertunt *idolũ*, id eſt imaginem falſam, vti obſeruat D. Hieron. vir linguarum peritiſſimus in cap.2. Abacuch. Et in cap.13. Zachariæ comparat hęreſes cum Idolis, quia vanæ, & falſæ doctrinæ ſunt. Eodem fermè ſenſu ſumitur ſimulachrum dictum à ſimulando ad diſtinctionem imaginum. Vnde D. Auguſtinus in Pſalmum 135. dicit apud Latinos vocari ſimulachra, quæ idola apud Græcos vocantur. Hinc ortus eſt error Iudæorum, Turcarum, Hæreticorum.

Fundantur hæretici in loco illo celebri Scripturæ, vbi dicitur Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile, & omnem ſimilitudinem*, vbi quanquam illud *ſculptile* idolum ſignificet, certè particula *ſimilitudo* non poteſt ſignificare idolum, quia ad omne genus imaginis extenditur. Idem habetur Leuitici 26. *Non facies ſculptile, & idolum*. Vbi perſpicuè diſtinguit idolum à ſculptili. Et Iſaiæ 52. Ego Dominus. *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus*. Quò ſpectat illa prohibitio Dei. Non facietis mecum Deos aureos, & argenteos. Quare vbique in ſacris Litteris ſimulacra reprehenduntur, & cum idolis, & Diis Gentium numerantur.

Secundum argumentum eſt petitum ex authoritate Concilij Elibertini Canone 36. in quo ſunt hæc verba. *Placuit in templis non haberi picturas ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Quòd perſpicuè adorationem imaginum euertit.

Tertium probatur ex Concilio Conſtantinopolitano celebrato ſub Leone Iconomacho, de quo agit Paulus Diaconus lib. 21. & ex 3. Conſtantinopolitano, in quo fuerunt 338. Epiſcopi ſub Conſtantino Copronymo eodem Paulo Diacono authore lib. 22. & ex Concilio Francofordienſi, in quo fuit reprobata 7. Synodus, quæ probarat Imagines, vt refert Addo in Chronico anno 795 & Abbas Vrſpergenſis in Chronico anno 793. & Ioannes Auentinus in Hiſtoria Boiorum lib. 4. & alii.

Quarto probatur ex libris Caroli Magni, & Ludouici Pij contra imagines ſcriptis. Primum citat Caluinus lib. 1. Inſtitut. cap. 11. ſecundum citant Magdeburgenſes Centuria 8. cap. 9.

Quinto probatur ex Patribus. Primus ſit Irenæus lib. 1. cap. 24. qui numerat inter hæreticos Carpocratem, quia imagines Chriſti, & Pauli colebat. Secundus ſit Epiphanius hæreſi 79. dum affirmat hęreticos eſſe eos qui adorabant imagines V. Mariæ. Tertius Ambroſius oratione de obitu Theodoſii, vbi habet hæc verba. *Inuenit Helena Crucem Domini, regem adorauit, non lignum: quia hic gentilis eſt error, ſed adorauit illum, qui pependit in ligno*. Quartus Hieronym. in cap. 3. Danielis, vbi: *Cultores*, inquit, *Dei imagines adorare nõ debent*. Quintus. Auguſtinus de moribus Eccleſiæ Cathol. *Noui*, ait, *picturarum adoratores*. Vltimus ſit Gregorius Papa lib. 7. Epiſtolarum Epiſtola 54. & 109. vbi negat adorandas eſſe imagines. Alii Patres aſſeruntur ab Hæreticis in 7. Synodo Act. 6.

Addunt rationes. Prima, quia omnis iſte cultus ſuperſtitioſus eſt, & proprius Gentilium. Secunda, quia per illum-

illum fit iniuria Deo, qui ſolus debet adorari. Tertia, quia imagines non ſunt capaces adorationis. Quarta, quia homo eſt imago Dei viua, nec tamen adoratur.

Hæc Argumenta ſoluuntur.

PRimum petitum ex c.20. Exodi, & ex 26. Leuitici, & ex 52. Iſaiæ duobus modis ſoluitur. Primò dicendo hos locos intelligendos eſse de idolis, vt patet ex loco Leuitici, & ex loco Iſaiæ, & ex verſione 70. Interpretum ad locum Exodi, qui pro *ſculptili* verterunt *idolum*. Vnde hi loci loquũtur de adoratione illicita, & intrinſecè mala, qualis erat Gentilium erga idola, ad quam Iudæi inclinati erant. Quod ſi illa particula, *omnem ſimilitudinem*, quæ eſt in loco Exodi, alias etiam imagines comprehendit, in eodem ſenſu comprehendit, & quia Deus volebat auertere Iudæos ab illo vitio omnem occaſionem auferebat. Secundus modus reſpondendi eſt: illam legem fuiſse temporariam, nec pertinuiſse ad 1. præceptum Decalogi, & propriam fuiſse Moſaicæ legis, & inter præcepta legalia, quæ cum illa finem habuerunt numerandam.

Secundum ex Concilio Elibertino quatuor modis ſoluitur à noſtris auctoribus, qui videri poſsũt apud Biniũ in notis ad illud Concilium to. 1. par. 1. Ego dico ipſum Concilium omnino probaſse imaginum cultum, & noſtrã confirmaſse doctrinam; & probo ex illis verbis: *ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Ex quo patet prohibere, ne imagines, quæ adorari ſolent, depingantur in parietibus ob indecentiam loci, nam in parietibus poſſent facilè contaminari, & deformari, quod ſignificat tantam venerationem deberi imaginibus, vt nõ debeant pingi in loco vulgari. Et quidem exceptio firmat regulam. Cur enim ſolum prohibet Concilium pingi in parietibus; niſi quia in aliis locis pingi licebat? Si enim vellet omnino probibere vſum picturarum abſolutè diceret nuſquam pingantur. Quæ ſolutio mihi primum occurrerat, & poſtea inueni in notis huius Concilij apud Loyſam, qui eam tribuit Magiſtro ſuo Petro Martinez in Commentariis Epiſtolæ Iudæ. Sed ea tamen non latuit P. Suarez tomo in 3. par. diſp. 55. nec Bellarminum lib. 2. de Imaginibus cap. 6. Verum quidem eſt in aliis tunc Eccleſijs, & poſtea in Hiſpanicis pictura, iſtas in parietibus poni ſolitas, quia ille Canon non pertinebat ad materiam fidei, ſed ad vſum quendam decentem, & honeſtum, qui pro tempore potuit variari.

Ad tertium ex duobus Concilijs Conſtantinopolitanis reſpondetur ea duo fuiſſe Pſeudoſynodos, vt patet ex communi ſententia; nam inconſulta Sede Apoſtolica celebrata ſunt: ſine cuius auctoritate nullum fieri Concilium legitimè poteſt, vti definiuit Concilium Nicenum magnum; cuius quia de hac re non extat Canon affero locum ex Epiſtola Pontificum Ægyptiorum ad Fœlicem Papam, quę in 1. tomo Conciliorum poſt eius vitam habetur. *Scimus*, aiunt, *in Nicæna magna Synodo 318 Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Pontificis ſententia Concilia celebrari*. Quod teſtimonium, quia exterorum eſt, non poteſt eſſe ſuſpectum.

Quod attinet ad Concilium Frãcofordienſe reſpondetur duobus modis. Primo cum Alano Copo Dialog. 4. dicendo 7. illum Synodum, quæ fuit 2. Nicęna non fuiſſe damnatam à Conc.

Digitized by Google

Francofordienſis,ſed illam Conſtantinopolitanam hæreticam, in quo fuit æquiuocatio, imò illa 7. Synodus fuit ab hoc Concilio confirmata. Secundo reſpondetur cùm Bellarmino dicendo Concilium Francofordienſe damnaſſe quidem illam Synodum 7. quia putauit in ea definitum eſſe imagines colendas eſſe adoratione latriæ, & quia exiſtimauit illam Synodum congregatam fuiſſe ſine authoritate Papæ. Quare nihil ſenſiſſe contra cultum imaginum, ſed erraſſe in facto credendo Synodum illam 7. duos illos errores commiſiſſe. Mihi placet iſtam Synodum, nec in facto, nec in iure erraſſe, ſed rectè proceſſiſſe, & cultum imaginum approbaſſe. Eos autem qui aliter ſentiunt deceptos fuiſſe authoritate libri Carolini, & Hincmari, vti latiùs dictum eſt in controuerſia de Conciliis.

Argumentum ſumptum ex libro Ludouici Pii Imperatoris, commẽtum illud fuit Magdeburgẽſium; hic enim liber nuſquam eſt. De libro Carolino maior eſt quæſtio. Certum eſt tamen illum non eſſe Caroli Magni, cum ab Adriano I. Pontifice reprobetur, in eo libro, quem ſcripſit ad Carolum Magnum. Ex quo apparet non eſſe Caroli, qui cum Adriano de cultu imaginum rectè ſenſit. Eſſe autem illum librum Adriani patet ex tomo 3. Conciliorum, & ex Iuone, qui multa ex eo libro colligit, & producit in 4. par. ſui decreti. Præterea menda, & errores in eo reperti, planè monſtrant imperiti alicuius hominis, & leuiculi eſſe, non Caroli Magni, & Sancti, & docti Imperatoris.

Ad Patres ita reſpondetur. Irenæus arguit Carpocratem, quòd imagines Chriſti gentili more colebat ſacrificiis propriis gentilium, quod patet ex Epiphanio hæreſi 27. & Auguſtino hæreſi 7. & quia ſimul cum illis adorabat imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis, & Ariſtotelis. Epiphanius verò damnat hæreticos Colliridianos, quod adorarent Virginem Deiparam tamquam Deam. Ambroſius reprehendit adorationem Crucis, quando in ea Chriſtus non adoratur, ſed lignũ illud tantùm, & nudè ſumptum, quod legenti locum patebit. Hieronym. negat debere adorari ſtatuas pro Diis. Auguſtinus carpit eos, qui more Gentilium, & per abuſum adorabant picturas: quemadmodum etiam Gregorius Magnus cultũ imaginum ſuperſtitioſum reprehendit.

Rationes futiles ſunt. Ad primam reſpondetur imagines non adorari à nobis latria, quæ ſoli Deo debetur: adorari tamen alio cultu debito Sanctis, qui longè inferior eſt, & dulia appellatur. Qua ratione etiam ſoluitur quarta obiectio à ſuperſtitione deſumpta, non enim eſt ſuperſtitio adorare debito modo Sanctorum imagines, nam indebitus cultus ab omnibus Catholicis damnatur. Secunda ratio diluitur concedendo materialem imaginem minimè adorari, ſed formalem ratione rei, quam repræſentat. Tertia ſoluitur dicendo hominem non proponi adorandum in ratione imaginis, quia viuit, & animatur: ad auferendam occaſionem putandi adorari in ſe, & propter ſe, quod non accidit in aliis imaginibus, in quibus non eſt ratio propria, quæ adorationem terminare poſſit. Poteſt item reſponderi concedendo, hominem, vti eſt imago Dei poſſe coli, & adorari iuxta doctrinam Cirylli Hieroſolymitani Catheche ſi 12. & D. Auguſt. Epiſt. 203.

SE-

SECTIO II.

Imagines eſſe adorandas, & quomodo ſint adorandæ?

SI vellent Hæretici quæ pro imaginibus colendis habentur in 7. Synodo conſiderare, omnino eas reciperent, nec impugnarent. Quidquid enim noſtri Theologi ad eas defendendas excogitant, id omne fuit à Patribus illius Concilij occupatum. Ex eo igitur argumenta ſumo.

Primum eſto. Traditio Eccleſiæ ita docet ab initio ad noſtra vſq; tempora per manus Catholicorum deducta, quæ vim certè, & conſtantiam veritatis habet. Hæc traditio ſæpè ab eo Concilio affertur. Hac probat adorationē Adrianus I. Papa in litteris ad Imperatorem Conſtantinum, & Irenem poſitis in principio Concilii, eamque Pontificum, & Imperatorum trahendo illorum ſeriem exemplo confirmat. Eadem traditio aſſeritur ad finem act. 5. à tota Synodo, in quà ſunt hæc verba: *Secundum veterem Eccleſiæ Catholicę traditionem imagines adorari.* Idem Act. 7. ab vniuerſis Patribus vnanimi conſenſu, & plauſu affirmatur, & dicitur. *Hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Orthodoxorum, nos antiquæ Eccleſiæ legislationi non reſiſtimus.* Eadem traditio maiore vi inculcatur in litteris à Tharaſio, & Synodo poſt Concilium ſcriptis ad Imperatores, & Clerum Conſtantinopolitanum, vbi ſic. *Traditiones quas accepimus ſeruamus, omnia ſcilicet ſuſcipientes, quæ ante Catholica Eccleſia, & ſcripto, & conſuetudine admiſit, quorum de numero cum & venerandarum imaginum eſſent figurationes de ijs peculiariter egimus.*

Probatur ſecundo ex doctrina, & conſenſu Patrum, qui in eo Concilio afferuntur tum Græcorum, quorum teſtimonia producit Concilium, tum Latinorum, quos adducit in ſuis Epiſtolis inſertis Concilio, & in libro ad Carolum Magnum Adrianus. Profert Concilium Act. 4. & 5. teſtimonia Aſterii, Athanaſii, Baſilii, Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, Theodoreti, & Cirylli. Latini afferuntur ab Adriano Pontifices, & Doctores magno numero.

Probatur tertio ex locis Scripturæ, qui hoc ordine afferuntur. Actione 4. affertur locus Exodi 25. de Arca Teſtamenti, quam cingebant Cherubin, quæ expanſis alis obumbrabant Propitiatorium vultibus ad ſe conuerſis. Cui adiūgitur locus Numeri 7. vbi dicitur Arcam Dei eſſe in medio Cherubin. Producitur item locus Pauli ad Hæbreos 9. vbi meminit eorumdem Cherubin. Secundus locus eſt Ezechielis cap. 41. in quo habetur Cherubin cum palmis ſculptis eſſe. Adrianus in ſua Epiſtola poſita Act. 2. eodem exemplo Cherubin vtitur. Deinde addit in Adamo imaginem Dei fuiſſe expreſſam. Et notat Abraham extruxiſſe aram in honorem Dei, qui ei apparuerat. Et Iacob vidiſſe Angelos in ſcala, & Dominum innixum ſcalæ. Obſeruat poſtea eūdem Iacob adoraſſe ſummitatem virgę, ſine dubio Crucis repreſentationem gerentis. Adducit præterea effigiem illam ſerpentis ænei num. 21. & infert. *Si Iſraeliticum populum per inſpectionem ænei ſerpentis ſeruatum à ſua peſte credimus, Chriſti veri Dei, & ſeruatoris noſtri, omniumque Sanctorum figuras contemplantes, & venerantes dubitamus nos ſer-*

ſeruari? Tandem producit Cherubinos Salomonis.

Alia proferuntur in libro Apologetico Leontii Actorum 4. Non pauca item Act. 5. adducit Ioannes Epiſcopus Theſſalonicenſis. Nonnulla refert Actor. 6. Epiphanius in reſutatione doctrinæ Gregorii Epiſcopi Neocæſarienſis imagines impugnantis. Præterea Actorum 7. Tharaſius in Epiſtola ad Imperatores. quæ etiam eſt vniuerſæ Synodi, ſimiles locos adducit, quorum magna vis eſt in libro Adriani ad Carolum Regem Francorum.

Probatur quarto ex varijs hiſtorijs, & miraculis picturarum, & imaginũ, quæ magnam huic doctrinæ authoritatem conciliant. Afferuntur autem in Concilio ſæpius. Dicam præcipua loca. In Epiſt. Adriani ad Imperatores Conſtantinum, & Irenem, & libro ad Carolum Magnum. Act. item 4. multa referuntur miracula, ac imprimis illud de imagine Chhriſti à Iudæis Berithi crucifixa, quæ omnibus Concilij Patribus, cùm eſſet ex ſermone Athanaſii recitata lachrymas exciuit. Vnde concluſit Conſtantinus Epiſcopus. *Ecce is, qui ab immortalitate appellationem,* ideſt, *Athanaſius, ſortitus eſt, totam hanc ſacram Congregationem ad compunctionem, & lacrymas compulit, non enim venerandas eſſe tantummodo imagines Sanctorum docuit, ſed etiam maximas quaſdam meditandas rationes ab his proficiſci.*

Vnde conficitur Argumentum imagines nõ fuiſſe prohibitas Hebręis, & ijs exemplis Scripturas abundare, ſed tantum fuiſſe vetita idola, ac proinde corruere argumenta Hebræorum, & Hæreticorum.

Tres tamen quæſtiones ſunt circa imagines. Prima, vtrum imagines Dei licitæ ſint? Ratio dubitandi eſt, quia Deus caret corpore, vnde omnis imago Dei videtur eſſe falſa, & idolum. In hac quæſtione non ſoli Hæretici negant licere, ſed etiam quidam Catholici. Durand. in 3. diſtinct. 9. quæſt. 2. Abulenſ. in cap. 4. Deuter. quæſt. 5. & Peres de Traditionibus parte 3. tractatu de imaginibus. Poſſunt argumentari ex Concilijs, quia 7. Synodus Act. 3. duobus in locis admittens imagines Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum nullam mentionem facit de imaginibus Dei. Imo in perſona Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani Actione 3. ſic ait. *Amplectitur Imagines Verbi Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui pro nobis incarnatus eſt, cuius imago, & figura non Deitatis, quæ inconuulsè carni eius vnita eſt, præfert characterem: inuiſibilis enim eſt, & incircumſcripta diuina natura, Deum quippè nemo vidit vnquam: ipſe vnigenitus enarrauit, ſed humanitatis eius coloribus facientes iconem, adoramus.* Qui locus videtur expreſſus pro negatiua ſententia, quæ confirmatur ex Tridentino ſeſſ. 25. initio, vbi exprimens imagines Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum, de imaginibus Dei prorſus tacet.

Reſpondendum tamen eſt affirmatiuè cum Caietano 3. par. quæſt. 5. art. 3. Catharino in lib. de cultu imaginum, & Theologis communiter, & Bellarmino lib. 2. de Beatitudine cap. 7. Primum fundamentum eſt, quia Deus viſus eſt ſępè in forma corporea in Sacris Scripturis, vti quando apparuit Abraham Geneſ. 18. vti Auguſtinus interpretatur. *Tres vidit, & vnum adorauit,* propter Myſterium Trinitatis. Et quando viſus eſt Iacobo innixus Scalæ. Et Danielis 17. & Iſaiæ 1. & Amos 9. Igitur ſicut viſus eſt, & pingi poteſt. Probatur ſecundò, quia in

in Sacris Scripturis attribuuntur Deo affectus humani, vti ira, furor, pœnitentia, oculi, aures, & manus. Cur igitur non licebit adumbrare coloribus, quod licuit verbis deſcribere? Probatur tertio, quia Sacræ Litteræ multis in locis exhibent Seraphinos, & Cherubinos, & Angelos effigiatos, qui tamen incorporei ſunt. Ergo licebit etiam Deum pingere, quamuis careat corpore. Probatur quarto ex vſu Eccleſiæ, quæ ſolet myſterium Trinitatis depingere, & præcipuè Spiritum Sanctum in forma Columbæ.

Argumentis ita reſpondetur: primo non obſtare Deum eſſe incorporeum, cum ſæpè in figura corporis apparuerit, & Angeli qui ſpiritus ſunt, imagines habuerint. Obiectio ex Conciliis ſoluitur duobus modis: primo negando in Conciliis non fieri mentionem imaginis Dei, cum Act. 5. 7. Synodi fiat mentio, Spiritus Sancti effigiati inſtar columbæ. Et in Tridentino loco citato admittitur in Hiſtorijs Sacræ Scripturæ, quæ depinguntur rectè figurari Deum, dummodo tamen doceatur populus, non propterea Diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus, aut figuris exprimi poſſit. Vnde patet eas imagines Dei permitti. Ad locum adductum Concilij reſpondetur: Concilium noluiſſe loqui de imaginibus Dei, quia ſatis erat ſtatuere contra Hæreticos adorationem imaginum Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum. Nolebat enim tunc irritare Iconoclaſtas, præſertim cùm adorare Imagines Dei, non eſſet res neceſſariò definienda, quia vt inquit Bellarminus poſſe fieri has imagines non eſt res de fide, & in opinione verſatur, quamquam non liceat eas impugnare. Quæ eſt ſecunda ſolutio contra Caluinum lib. 5. Inſtit. cap. 11. qui ait nefas eſſe.

Secunda quæſtio: vtrum liceat Chriſtum in forma agni depingere, ſicut & Euangeliſtas inſtar Leonis, & Bouis, & Aquilæ effigiari? Negat Carranza in ſumma Conciliorum nixus Can. 82. 6. Synodi, in quo ait prohiberi pingi Chriſtum in forma agni. Sed omnino eſt affirmandum, quia ita diſertè habet Adrianus Papa Synodo 7. Act. 2. in litteris ad Tharaſium, quo loco refutatur Carranza, quia ibi Papa ſic ait: *In 6. Synodi Canonibus narratur pictura illa veneranda, in qua Agnus digito præcurſoris præmonſtratus graphicè eſt inſculptus, qui in typum gratiæ aſſumptus verum nobis per legem agnum, nempe Chriſtum Deum indicat. Idem affirmat Elias Act. 4. & Epiphanius Act. 6. eiuſdem Synodi.* Præterea Damaſus in vita Sylueſtri ſcribit Conſtantinum in loco ſui Baptiſterij agnum ex auro puriſſimo poſuiſſe. Tandem ſi Spiritus Sanctus in forma columbæ depingitur, ergo & in forma Leonis, Bouis, Euangeliſtæ.

Quæſtio tertia duplex eſt, vtrum imagines tantum in ſuis Hiſtoriis ponendæ ſint, ita vt ſolitariæ non poſſint conſiſtere? Et vtrum in templis ſint collocandæ? Quoad primam Caluinus negat imagines per ſe ſolas eſſe ponendas, ſed tanquam partes hiſtoriæ ad illam eſſe referendas, ac proinde admittit imagines in picturis quæ deſcribunt hiſtorias Scripturarum. Catholica tamen doctrina eſt imagines per ſe ſolas poſſe poni, & adorari. Ita ex traditione Eccleſiæ docemur, & in hoc ſenſu eas 7. Synodus adſtruxit. Probatur exemplis. Primò, Chriſtus miſit ſuam imaginem Regi Abagaro ſolitariam. Ita ſcribit Euagrius lib. 4. cap. 26. & Damaſc. lib. 1. de imaginibus. Et huic imagini fiebat feſtum

Digitized by Google

in de tranſlationis eius. Secũdo extat diuina prouidentia imago Chriſti mortui in Sudario, quæ negari non poteſt, cum aſſeruetur Turini, & magna religione colatur. Tertio imaginem B. Virginis pinxit B. Lucas, imo & plures fecit, vti refert Nicephorus lib. 14. cap. 2. & Theodorus Lector lib. 5. Collectaneorum. Quarto Tertullianus lib. de pudicitia ſcribit in Calicibus ſacris ſculpi ſolitas imagines Chriſti ouem humeris ſuis ferentis. Quinto Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Euangeliſtarum c. 10. ait paſſim inueniri imagines Chriſti inter Petrum, & Paulũ collocatas. Et patet ex commemoratis Act. 4. & 6. 7. Synodi. Et confirmatur, quia Conſtantinus Magnus vidit imagines Petri, & Pauli non contextas hiſtoriæ, ſed veluti in tabula ſeparatas, vti Syluester illas habebat.

Falsò autem negat Caluinus nullius vtilitatis eſſe huiuſmodi imagines. Cõtrarium enim docent exempla à 7. Synodo allata, inter quæ commemoratur illud de imagine B. Virginis, cuius aſpectu Maria Ægyptiaca tot gemitus edidit, tot lacrymas emiſit, & cuius fidem implorauit. Refelli poteſt Caluinus contrario argumento, nempe perniciolas eſſe laſciuas imagines, quæ res ipſum hominem in humanioribus litteris verſatum latere non potuit. Puto enim legiſſe illum apud Terentium, & Plinium, quæ ſatis eſsent ad eius opinionem refutandam.

Quoad aliam quæſtionem: imagines in Templis, & locis Sacris locari nefas eſse putat Caluinus. Nullo fundamento, cum vbique occurrant exempla tum in Scripturis, tum in Eccleſiaſticis Hiſtoriis. In veteri Teſtamento Cherubini, in tabernaculo, & in templo collocati. Exod. 25. & 3. Reg. 6. In 7. Synodo Act. 6. refertur diſcipulos S. Epiphanij templum ei ſtruxiſse, & in eo eius imaginẽ collocaſse. Damaſus in vita Sylueſtri narrat Cõſtantinum in Templo Lateranenſi imagines Saluatoris, & duodecim Apoſtolorum, & quatuor Angelorum poſuiſse, idque apparet omnino licere, & conuenire ex traditione Eccleſiæ. Vbi enim melius ponentur ſanctorum imagines, quam in templis, vbi habent aras, in quibus coluntur?

Obiicit tamen Caluinus locum Epiphanii in Epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, in qua dicit eſse contra authoritatem Scripturæ pendere in Templo effigiem alicuius hominis. Loquitur autem de Imagine ſacra.

Variis modis huic obiectioni reſpõdent noſtri Authores. Mihi omnino perſuaſum eſt, hanc Epiſtolam fuiſse falſatam, & hoc eſse additamentum Hæreticorum. Moueor primo, quia ſi hæc eſset doctrina Epiphanii non auderent eius diſcipuli Templum ei erigere, & in eo illius imaginem collocare. Secundo quia nemo Hæreticorum, qui ante 7. Synodũ, vel in ea contra imagines argumentati ſunt, hoc teſtimonio Epiphanii vſus fuit. Tertio, quia in eadẽ 7. Synodo Patres Orthodoxi ex doctrina Epiphanii multa teſtimonia adduxerunt ad imagines cõfirmandas. Moueor tandem, quia D. Hieronymus ad Pammachium contra Ioannem Hieroſolymitanũ refert totam penè iſtam Epiſtolam, nec tamen hanc partem Epiſtolę adducit. Itaque certum puto ab Hæreticis illud additamentum Epiſtolæ Epiphanii fuiſse adiectum, præſertim cum appareat ex Actis 7. Synodi, Act. 6. Hæreticos duos alios locos Epiphanii ſimiliter falſos adduxiſse. Quod ergo tunc palã auſi ſunt illi, veroſimile eſt poſteà alios clam maiori fiducia feciſse.

SE-

SECTIO III.

Vtrum eadem adoratione attingatur Imago, & res adorata?

HÆc Controuerſia difficilis eſt propter Hæreticos negantes licitam eſſe adorationem imaginum ex eo, quia ſequeretur committi idololatriam in ipſa adoratione. Poſita quippè Chriſti imagine, qui adorat illam, debet per latriam adorare; vnde ſequitur idololatria adorando imaginem, quæ non eſt Chriſtus. Quod ſi quis dicat adorari in ea Chriſtum, non imaginem, ſequitur imaginem non adorari. Vel non magis adorari Chriſtum in imagine, quàm in alia qualibet re, in qua cogitetur Chriſtus.

Tres ſunt hac in re ſententiæ. Prima imaginem nullo modo adorari, ſed per eam ſolum exemplar, & illam tantum eſſe occaſionem adorandi. Ita quidam cum Durando in 3. diſtinct 9. quæſt. 2.

Secunda ſententia affirmat in adoranda imagine interuenire duas adorationes, vnam propriam imaginis, vt talis eſt, quę ſit inferioris notæ ab adoratione exemplaris, ad quam vltimò terminatur prima. Ita Sanderus lib. 2. de imaginibus cap. vlt. & Albertus Pius Carpenſis lib. 8. contra Eraſmum, & Catharinus Op. de adoratione. Conch 6. & 7. & Bellarminus lib. 2. capit. 20. & 21. fundãtur, quia nulla imago poteſt adorari latria. Hoc enim prohibetur à 7. Synodo Act. 7. & poſtea Can. 3. vbi dicitur imaginem Chriſti non eſſe adorandam latria. Et additur huiuſmodi imagines non aliter adorari, quã Euangelia, & vaſa ſacra, quæ nullo modo adorantur latria. Bellarminus ait ſpectata ratione duas debere dari adorationes, vnam quæ terminetur immediatè ad imaginem, & propria illius ſit, quæ latria eſſe non poteſt, & aliam, quæ tendat in exemplar, & propria illius ſit, imaginis autem impropria, ac proinde latria dici nequeat.

Tertia ſententia docet, vnam tantum, & eamdem eſſe adorationem imaginis, & ſui prototypi, ſiue exemplaris, ac proinde nihil eſſe in imagine, quod non referatur ad exemplar à quo tota ſumitur ratio adorandi. Vnde qui in imagine colit Chriſtum adorat imaginem adoratione propria Chriſti, ideſt, latria; idemque de adoratione Crucis dicendum, quæ item latria adoratur. Contrà autem qui adorat Sanctum non poteſt adorare niſi per duliam, quia exemplar non eſt capax alterius adorationis. Vnde hæc ſententia non admittit duas illas adorationes diſtinctas, vnam propriam imaginis inferiorem, & alteram propriam exemplaris ſuperiorem. Hæc eſt doctrina Diu. Thom. 3. part. quæſt. 25. quem ſequitur ibi Caietanus, & communiter Thomiſtæ. Tradit eam Payua lib. 9. Orthodoxarum explicationum, & Turrianus lib. 1. Can. Apoſtol. cap. 25. & lib. de dogmaticis characteribus, & multi ex antiquioribus Scholaſticis cum Alexandro, & Bonauentura. Defendit eam Vaſquez tomo de Incarnat. diſp. 108. cap. 3.

Hæc ſententia placet. D. Thomas eam munit doctrina Ariſtotelis, lib. de memoria, & reminiſcentia diſtinguẽs duos motus adorantis in imaginem: vnum in eam, vti res quædam eſt pręſcindens à ratione imaginis; alterum in imaginem, vti eſt formalis repræſentatio prototypi, ſeu exemplaris, & ait primum eſſe diuerſum à ſecundo,

ſecundum autem eſſe eumdem motũ in imaginem, & in prototypum, ſiue exemplar. Vnde concludit quod imagini Chriſti, vti eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum nulla reuerentia exhibetur: quæ autem exhibetur vti imagini, eadem adoratio eſt, quæ exhibetur Chriſto. Ex qua doctrina ſequitur, ſicut Chriſtus latria adoratur, ita & eius imaginem adorãdam, cum eadem ſit ratio adorandi imaginem, & exemplar. Hæc ratio conuincit, nec indiget confirmatione Vaſquez, qui multum ſudat in excogitanda ratione euidenti præter hanc D. Thomæ, nec illam, meo iudicio, diuerſam inuenit, quæ item eſt Bonauenturæ in 3. diſtinct. 9. art. 1. quæſt. 2. & 4. Iuuat ex parte, quòd inſinuat D. Thomas adorationem non ferri niſi in creaturam rationalem, qualis non eſt imago præciſa ab exemplari. Confirmatur ratio D. Thom. à contrario argumento, quo Vaſquez bene vtitur, nimirum iniuriæ, quę quando fit imagini fit prototypo. Ergo etiam adoratio quando fit imagini ideo fit, quia tranſit ad exemplar. Inſuper docet experientia, nos viſa imagine ſtatim recordari exemplaris ſui, & affectu, & adoratione ad illud tendere.

Oppugno autem contrariam ſententiam admittentem diſtinctas adorationes, quæ item eſt Suarez tomo de Incarn. diſp. 54. ſect. 3. hoc dilemmate: Vel illa adoratio diſtincta, quæ defertur imagini eſt diuerſa ab ea, quæ defertur exemplari, vel non. Si non eſt diuerſa, habeo intentum. Si autem eſt diuerſa, oportet videre quænam illa ſit? Igitur adoro imaginem D. Petri, ſi illa adoratio eſt diſtincta ab illa, qua Petrum in ſe adoro, debet eſſe diſtincta à dulia, nam Petrus ſola dulia adoratur. Non poteſt autem eſſe alia ſpecies adorationis, quia non datur. Ergo non poteſt eſſe diuerſa, ſed eadẽ dulia. Idem argumentum facio in latria. Si enim adoratio, quæ tendit in imaginem Chriſti eſt diſtincta ab ea, quæ tendit in Chriſtum, ſequitur eam eſſe, vel minorem latriam, vel duliam. Minor latria eſſe non poteſt, tum quia imago ſumpta in ſe non adoratur latria, tum quia ſequeretur imaginem adorari latria contra Concilij doctrinam, quam Aduerſarij nobis obijciũt. Supereſt ergo vt ſit dulia. Hoc autem eſſe non poteſt, quia confunderetur adoratio imaginis Chriſti cum adoratiobe imaginis Sanctorum. Quod ſanè dici non poteſt, & repugnat experientiæ, quia nos exhibemus actus exteriores imagini Chriſti longè diuerſos ab iis, quos exhibemus imaginibus Sanctorum, tundimus enim pectus, & veniam peccatorum poſtulamus coram Chriſti imagine: quod non facimus, nec poſſumus facere ergà imagines Sanctorum. Qua ratione refellitur ſolutio Suarij, qui ſect. 4. admittit duas dulias, & duas latrias, vnam inferiorem debitam imagini per ſe ſumptæ, alteram ſuperiorem debitam exemplari.

Confirmatur hæc doctrina noſtra, loco Tridentini Concilij; quo etiam vtitur Vaſquez diſp. 108. cap. 3. Igitur Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto poſito in principio docet, imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & Sanctorum in Templis eſſe retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem eſſe impertiendam, non quod credatur in eis eſſe aliqua diuinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant. Sed quia honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa,

quæ

quæ illæ repræſentant, ita vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt veneremur: idque Conciliorum præſertim ſecundæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitũ. Negat omnino Concilium imaginibus ſecundum ſe ſumptis rationem diuinitatis, & virtutis, & totam refert ad exemplar. Vnde colligitur totam rationem adorandi ad exemplar reuocari. Et quod maximè notandum eſt affirmat hoc eſſe definitum in Concilijs, & nominatim 7. Synodo. Vnde apparet 7. Synodum non ſolum non contradicere huic doctrinæ D. Th. quæ noſtra eſt, imo & eam maximè probare. Itaque non bene ſignificat Bellarm. cap. 22. nec Suarez diſput. 54. ſect. 3. D. Thomam ſi vidiſſet iſtam 7. Synodum aliter ſenſurum, cum alijs Scholaſticis, qui eam non viderunt. Addit Suarez, nec illos habuiſſe notitiam 7. Synodi generalis, nec epiſtolæ Adriani, quaſi excuſare eos velit, quod in hac noſtra ſententia fuerint. Quam ſuſpicionem redarguit Tridentinum Concilium à quo eadem doctrina traditur, quam D. Thom. prius poſuerat, quod argumento eſt 7. Synodum, idem quod D. Th. tradidit prius ſenſiſſe, & Tridentinum eundem ſenſum confirmaſſe.

Hinc patet ſolutio ad argumentum ex ratione petitum negando in imagine eſſe aliquam virtutem, vel excellentiam diſtinctam ab exemplari, propter quam ſeorſim & ſine illo adoretur, cum tota ratio adorandi imaginem ſit exemplar, ita vt quod aiũt Philoſophi ea virtus adoretur in imagine vt quo, & in exemplari vt quod, hoc eſt, principaliter, & terminatiuè. Ad doctrinam Concilij Nicæni ſecundi, quæ videbatur difficilis, quia prohibet vllam imaginem adorari latria, reſpondetur ex Concil. Tridentino, Concilij mentem fuiſſe vulgari modo loqui, quia vulgus putat adorationem terminari in imaginem, & eam ratione ſui adorari, qui erat error Gentilium, qui putabãt imagines habere aliquod numẽ: vti obſeruat Concilium Tridẽtinum. In hoc igitur ſenſu 7. Synodus negat imagines adorandas eſse latria. Quæ ſolutio vera, & facilis eſt.

Vaſquez aliam excogitat, & nimis ſudat in excogitando. Soluit autem hoc modo. Diſtinguit in adoratione actum externum, & internum, & ait actum internum latriæ non poſse verſari circa imagines, ſed circa exemplaria, quia ſubmiſſio illa animi, & ſeruitus interior non exhibetur niſi Deo, & Chriſto: at verò actus exterior, poteſt ad imaginem terminari, & explicat Concilium dicendo loqui de prima adoratione interiori, quæ non poteſt conuenire imagini, non autem de exteriori, qui in imaginem quadrare poteſt. Verum hæc ſolutio mihi non placuit cum eam legi, & poſtea vidi impugnari à Suarez ſectione illa 3. quia ille actus exterior adorandi imperatur, & informatur ab actu interno, & ex vi illius tribuitur imagini: ergo iam intentio, & actus interior ſimul cum illo actu externo imagini exhibetur. Cum autem ille actus latria ſit, imago adorabitur latria; & ita illam ſolutionem impugnat Suarez. Ergo ſignum eſt etiam hoc voluiſse prohibere Concilium, nec enim imagini ſacrificari poteſt. Præterea, non omnis imago eſt capax actuũ externorum adorandi, quia coram imagine Sãcti non poſſumus tundere pectus, cum ille actus ſolum cõueniat ima-

imagini cui debetur latria ratione exemplaris. Vnde apparet etiam in actibus exterioribus ineſſe periculum idololatrandi.

Pro fine quæſtionis animaduerto nomen IESV adorari item latria, cum illud nomen ad ſignificatum referatur. Vnde eadem ratione qua imago Chriſti propter exemplar adoratur latria, & hoc nomen propter ſignificatum latria colendum eſt. Quæ ratio exprimitur in Concilio Moguntino celebrato anno 1549. par. 2. Quòd attinet ad Crucem dico breuiter cum D. Thom. quæſt. 25. art. 4. veram Chriſti Crucem duplici ratione adorari latria. Primo propter repræſentationē Chriſti. Secundo propter phyſicum contactum, & myſticam vnionem cum Redemptore. Alias Cruces vno tantum titulo latriam terminare, nimirum quatenus Chriſtum repræſentant. Qua de re Suarez diſp. 56. & præcipuè Vaſquez diſput. 111. quo nemo ſolidius, & eruditius de adoratione tractauit.

Obiectio de adoratione Euangelij, & vaſorum ſacrorum nihil officit doctrinæ traditæ. Quando enim Concilium dixit adorandas eſſe imagines Chriſti ſicut Euangelium, & vaſa ſaſa ſacra, intellexit non eſſe periculum idololatrandi in adoratione imaginū, ſicuti non erat in adoratione Euangelij, & vaſorum ſacrorum. Vnde intentio illius fuit non comparare adorationes, ſed excludere periculum idololatriæ.

Ad calcem animaduerto in 7. Syndoo ſiue 2 Concil. Niceno Act. 4. haberi. *Angelos adorandos eſſe quod ſint corporei*. In quo ne Lector offendat, volo monere, illud non dici ab Vniuerſo Concilio, ſed à Ioanne Epiſcopo Theſſalonicenſi, cuius ibi legitur liber, vbi negat homini Gentili de adoratione imaginum diſputanti Angelos omnino incorporeos, & ſpirituales eſſe: *vt vos*, inquit, *gentiles dicitis*: & affirmat eſſe compoſitos *ex ſpiritu*, *&* *tenui* corpore: cum ſolus *Deus ſit incorporeus*, *& informabilis*. Idque Athanaſij, Baſilij, & Methodij authoritate confirmat. Qua de re nos latè alias diximus, cum quæſtio nobis poneretur de Bullis Papæ, in quibus quædam narrando, quædam obiter aſſerendo, alia propriè decernendo, & definiendo proponebantur: An hæc omnia, & quatenus eſſent credenda? Ibi enim diſputando de doctrina tradita à Summis Pontificibus, & Concilijs vniuerſalibus locum difficilem Nicolai I. Papæ c. *à quodam Iudæo*, de conſecr. d. 2. & locum iſtum Concilij Nicæni 2. Act. 5. adduximus, & accuratè examinauimus. Summa tum noſtræ ſententiæ fuit. Quæ rectè ad ſcopum quæſtionis reſponſa feruntur, ea omnino eſſe credenda. Quæ in tranſcurſu, & obiter dicuntur: Ijs nos credere non teneri. Idque Suario tom. de Incarnatione diſput. 54. ſ. 2. & Vaſquio ibidem diſput. 179. cap. 5. & Bellarmino lib. 4. de Roman. Pontif. capit. 12. & Henriquez lib. 2. de Sacram. Baptiſmi cap. 10. & Sanchez tomo de conſil. ſeu opuſculis moralibus lib. 4. cap. 2 dub. 14. P. Del Bene, tomo 2. ſumm. Theolog. d. 1. quæſt. 2. authore probauimus. Nunc autem ſatis erit locum Carranzæ in ſumm. Concil. in not. ad eum locum ſeptimæ Synodi afferre, vbi ſic. *Synodus non improbat, ſed magis viſa eſt approbare hanc ſententiam, dicente Tharaſio Patriarcha. Oſtendit autem Pater, quod & Angelos pingere oporteat, quando circumſcribi poſſunt, & vti homines apparuerunt. Sacra Synodus reſpondit. Etiam Domine.*

Au-

Auguſt. ad Nebridium Epiſtola 115. *dicit Angelos aerea, aut ætherea animantia, & in lib. de eccl. dog. cap.* 11. *dicit. Nihil incorporeum, & inuiſibili natura credendum, niſi Deum ſolum. Et cap.* 12 *creaturam omnem corpoream eſſe Angelos, & omnes virtutes celeſtes corporeas, licet non carne ſubſiſtant, (addentes) Ex eo autem corporeas eſſe credimus, quod localiter circumſcribantur. Si anima quæ carne clauditur. Et in quæſt.* 67. *dixerat infimos Angelos animaliter viuere, quod tamen in primo Retractat. temperauit. Et nuper Cardin. Caiet. in comment. ad Epheſ.* 2. *dixit Dæmones eſſe aereos ſpiritus. Hæc dixerunt Patres iſti ſecuti Platonem. E contra multi alij Patres Eccleſiæ ſentiunt Angelos omnino incorporeos: quos, vt videtur, ſecuti ſunt Patres Concilij Lateranenſis primi, dicentes. Deus ab initio vtramque de nihilo condidit creaturam corporalem, & ſpiritualem: Angelicam, ſcilicet, & mundanam. Hæc illi. Quibus verbis ſpirituale oppoſuerunt corporali. Sed hæc controuerſia nondum Eccleſiæ cenſura terminata eſt.* Hæc ille.

COL

COLLATIO SEPTIMA

DIFFERENTIA III.

De Adoratione Papæ aduerſos Hæreticos.

SECTIO IV.

Vtrum Papa ſit adorandus?

NEgant, & per negant omnes Hæretici: & adorari minimè patiuntur: quem è medio tolli vellent. Verùm ſumpta notione Duliæ eo quem Auctores noſtri tum Scholaſtici, tum Morales afferunt ſenſu, Pace Heterodoxorum pronuntio.

Sumpta notione Duliæ ea quam volũt in Scholis noſtri ſignificatione, non video qui negari poſſit in Romanum Pontificem eam quadrare? nec cur nos tantoperè reprehendant Hæretici, quod eum & colamus, & veneremur? Nam quo, quæſo, nituntur fundamento? Si Sacrarum Litterarum monumenta conſulant, inuenient Abraham Gen.23.nu.7. populum, ideſt Filios Heth. Ibid.41.num.7. Filios Iacob Ioſeph fratrem adoraſſe. An quod Genti Iudææ licuit cùm Deum, Regemque adorauit, Genti id Catholicæ non licebit? Qua ratione igitur ij alios adoratione ſunt proſecuti, ea nos Papam proſequi volumus. Cur taxant? cur ſugillant? Quid? *Idololatræ*, inquiunt, *ſumus cum adoramus*. Igitur & Balaam idololatra fuit cum Num. 12. *Adorauit Angelum pronus in terram*. Quod ſi affirment, & Angelum neceſſe eſt damnemus, qui non vetuit eum ſibi honorem impartiri. Preterea Ioſue vir Sanctiſſimus alium Angelum eodẽ honorẽ affeciſſe ſcribitur lib. Ioſue cap.5. nec aut ille Idolatra, aut Angelus ſuperbus. Sed hi Angeli erant fateor; non tamen iis honor diuinus deferendus fuit, ſi non alium Dulia, ſiue adoratio cultum importat. Verùm morigerari Hæreticis volo; Angelos excipiant. Certè anima Samuelis à Saule inclinato ſuper faciem ſuam in terram *adorata eſt*. 1.Reg.28. num.14. Ecce non totus homo adoratur. At mortuus erat; eiuſque immortalis pars anima adoratur. Igitur liceat nobis Papas mortuos adoratione proſequi. Id fortaſſe admittant, vt defunctos eos videant; tam viuos oderunt, vt vel ea mercede mortem eorum mercentur. Nolo iis tamen hac in re morem gerere. Viuos licet adorari; quemadmodum & Ionathas à Dauid 1.Reg.20. ac idem Dauid ab Abigaile. 1.Reg.25. & Eliſeus Vates à Propheta-

rum

rum Ierichuntinorum filijs eſt adoratus. 4. Reg. 2. Cornuto nunc Hæreticos argumento peto. Aut erat illa adoratio latria? aut non erat? Si dent eſſe latriam, quì Creaturis delata? cur à Sanctis Angelis, hominibuſque admiſſa? Sin latria non erat, quod prorſus dicendum, quid obſtat quominus ea Ponficibus noſtris præſtari queat? Iam vero in prophana litteratura, quot exempla huiuſce cultus, & adorationis ſuppeditantur? Agamemnon apud Euripidem in Hecubà, & Achilles apud Homerum adorantur Perſarum, Parthorumque Regibus eum honorem exhibitum, & Herodotus, & Plutarchus, & Curtius, & diſertè Caſſiodorus l. 3. Hiſtoriæ Tripart. Authores ſunt. Quem ſibi Alexander in ſumma fortuna haberi voluit, teſte Plutarcho lib. de Fortuna Alexandri. Quin ipſe Perſeus & Rex, & Macedo Paulum Æmilium Romanum Imperatorem ſupplex adorauit. At ſuperbus Alexander fuit: vt fuerit; certè Paulus fuit Æmilius moderatus. Quid Traianus? quo nemo moderatior Princeps extitit? Hic à Decebalo Dacorum Rege adorari ſe paſſus eſt. Hadrianum Imperatorem idem adorationis genus admiſiſſe Spartanus ſcribit. Antonino Optimo Principi placuit adorari more Perſarum, teſte Lampridio. Idem probauit Syluanus, Authore Ammiano Marcellino. Ne Maximinum Iuniorem, alioſque commemorem, qui ob inſitam & ferociam, & impotentiam honoris illud genus ſuſpectum reddere potuerunt. Omnibus, teſte Tullio Epiſt. ad Ligarium. 15. lib. 6. Iulius Cæſar Dictator facem prætulerat. Ad *cuius pedes fratres, & propinqui Ligarij iacuerunt*. Et quidem niſi huiuſmodi adoratio liceret, in conſuetudinem ſolemnem minimè veniret; ex qua non Imperatores modò, vti & Conſtantius apud Zonaram, & Theodoſius apud Pacatum, & lentinus apud Ammianum, ſed etiam Magiſtratus inferiores adorari conſueuerunt. Nam Præfecto Prætorij cultus delatus ſcribitur Caſſiodoro lib. 3. form. 3. his verbis: *Ingreſſus Palatium noſtra conſuetudine frequenter adoratur Caſſiodorus*. Quid ergo, malum, nos reprehendunt Hæretici, quòd Romanum Pontificem adoremus, quaſi id inſolens, & abſonum ſit, cum nigil magis in Hiſtorijs tritum inueniamus, quàm iſtud ad cultum hominum, qui in dignitatis ſint culmine conſtituti iter, in quo tot videmus adorantium impreſſa veſtigia? Negare certè non poſſunt Pontificiam dignitatem: etſi enim eam excludant, nos planè admittimus: admiſſaque Pontifices vt excellentes, debito eum adorationis religioſæ, citra latriam tamen, gloriæ cultu adoramus. Cum præſertim illos Dei Vicarios eſſe fateamur, qua ratione maiores eos quàm pro humano habitu ducimus, & vti ſuperiores adoramus. Audiant quid Vegetius Chriſtianus Author de ratione adorandi Imperatores, etiam Chriſtianos à Chriſtianis ſentiat. Propoſita enim populorum ergo ipſos reuerentia cultui religioſo proxima ſic ait. *Iurant autem per Deum, per Chriſtum, per Spiritum Sanctum, & per Maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt, & colenda: nam Imperatori, cum Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti, & corporali numini fidelis eſt præſtanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus: Deo enim vel priuatus, vel militaris ſeruit cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat Authore*. Diſcant ex Vegetio primum diligendam eſſe Maieſtatem,

Digitized by Google

tem, quæ colitur, quia in vtramque partem multum valet affectus; vel odium ad ſpernendum, vel amor ad reuerendum. Nam quos Reges Angli amarunt, impensè coluerunt. Papas noſtros quòd oderunt, maximè contempſerunt. Deinde norint cauſam adorationis eſſe ipſam ſpeciem, & ſimilitudinem Dei imperantis, & regentis in Imperatore, Regeue impreſſam; ac, vti noſtri dicunt Theologi, rationem exemplaris adumbratam in imagine, quam colimus; quæ ideo adoratur, quia virtutem exemplaris continet; atque adeò cùm imago adoratur ſemper cum exemplari adoratur; vt per ipſam adoratam imaginem trãſeat cultus ad exemplar: quæ eſt communis Scholarum noſtrarum doctrina hauſta ex Sacris fontibus, propoſita à Diuo Thoma 3.par.quæſt.25.ar.3.4.& 5. & Bonau.in 4.diſtinct,9.art.1.quæſt 2.& 4. de qua luculenter duo Ieſuiticæ Scholæ Principes Suarez, & Vaſquez 1.tom.3.par.ad quæſt.25. Diui Thomæ, quos qui Anglorum legere velit, duplici ſe Sole illuſtrari ſentiet. Tertium: Sciant nihil intereſſe, viua ne ſit imago; an mortua, dummodo vna & eadem ſit ratio adorandi. Ecce enim in viuum Imperatorem adoratio tendit, & quadrat; nec quòd ille non animetur, cultus exanimatur, & perit: quod animaduertit Vaſquez diſput.110.cap.3. & 4. Suarez vero de Papa noſtro id diſertè oſtendit diſput. 52. ſect.3. *Dico*, inquit, *poſſe dici religioſum honorem eum, qui viuo homini tribuitur ſolum intuitu Sanctitatis, & ſupernaturalium bonorum, quia ex vera fide, & religione proficiſcitur. Sicut quando adoramus Pontificem, quia eſt Vicarius Chriſti*. Scio eos iſtis Theologis fidem habere nolle: ſed eos ego ijs obiicio, quos longo interuallo ſuis exiſtimo anteſtare; ac quoniam nonniſi recentes authores ſuorum errorum habent, ſciant veritatis noſtræ, & recentes nos aſſertores, eoſque doctiſſimos habere, quos ſuis acriter opponamus; cuiuſmodi ſunt Leſſius de Iuſtit.lib.2.cap.38.diſp.1. Azor.1.part. lib.9.cap.5. & Malder. de iuſt. tract.10. cap.5.& Viguer.de Iuſt.tract.3. cap.3. Caſtro Palaus tract.8.diſput.1. Bonac. tom.2.diſput.3.de Adorat. par.1. & inſignis auctor Caramuel in ſua Hierarchia Eccleſiaſt.lib.1.d.60., aliique complures;

At fortiter, vti putant, obiiciunt. Adorationem vel eſſe religioſam, vel ciuilem; illam ſoli Deo tribuendam; hanc hominibus. Quòd ſi Papa Pontifex ſit, nulla adorandum eſſe ratione; non religioſa, quæ cùm Diuina, & latria ſit, licita non ſit. Non ciuili, quæ, cum ſæcularis, & ſacra non ſit, in Papam quadrare non poſſit. Itaque ſi Papam adorant Catholici, vti Pontifex eſt, ſacra & religioſa ratione Idololatriam admittere: Si ciuili, omnino ineptire, ac deſipere. Id ſanè volunt vnum Papam adorandum non eſſe, quando omne genus ab eo adorationis excludunt. Ego quàm longè opinione fallantur, oſtendo, & vindico illatam veritati iniuriam. Quod ſibi ſumunt, id prorſus falſum, & ineptum eſt, nimirum, omnem religioſam adorationem ſoli Deo tribuendam, atque adeò Latriam eſſe: id quippè negamus; cùm adoratio religioſa genus ſit, & formas ſub ſe, & ſpecies, vti initio diximus, contineat. Quæ tres à Sacris Theolologis numerantur: Latria, Hyperdulia, Dulia. Et ſi autem media Hyperdulia antiquis Patribus eo nomine, ac voce nota non fuerit, & res accepta, & nomen à recentibus ſummis Theologis impoſitum, vti eſt Scotus in 3. d.

9.q.

d.9.q.vnic.& S. Thom.3.par.q.25.ar.5. & Gabriel lect. 49. ſuper Canonem Palud.in 3.d.9.q.2. Almai.q.1.ante medium. Quemadmodum eruditè oſtendunt duo à me proximè citati Authores Suarez, & Vaſquez, qui probant genus id excellentis Duliæ propriè in D.Virginem quadrare, quod antè probarat Caniſ.l.5.c.15.

Sed vtcumque ſit, monſtremus hominibus vrbanis, & politicis, qui negant alium cultum eſſe præter diuinum, & ciuilem, tertium eſſe religioſum, & pium, qui hominibus præſtari poſſit. Aiunt eſſe quandam preſtantiam, & rerum, & dignitatis, qua qui inter cæteros homines eminent cultum, & venerationem merentur. Hoc quidem ipſi comiter, ac vrbanè admittunt, vt Imperatores ſtrenuos, quibus abundant, & Reges, quos coluere ſuos, ac Principes Magiſtratus iure colere videantur. Imò & inſignes forma, & florentes ætate, ac nobilitate fœminas, in quas officioſiſſimi eſſe ſolent, honore apto, congruoque accipiant. Aſſumo quod dant, & ad cultum prophanum, ciuilemque pertinet, & peto vlterius. An admittant eſſe adhuc aliud genus excellentiæ ſpiritualis, & ſacra, ad ſupernaturalem ordinem, ſtatumque pertinens, quæ nimirum ſit nixa virtutibus doniſque gratiæ, imò & ipſa gratia, qua ornati homines Filij Dei adoptiui, & hæredes Regni cæleſtis efficiuntur? Non dubito quin annuant; atque adeò & concedant eſſe aliam dignitatis formam, quæ ad iſthæc dona & procuranda, & tuenda, & adminiſtranda ordinetur: *Sacra nempe*, & vltra prophanam, ciuilemque prouecta? Cuiuſmodi apud Heterodoxos fuit, cùm erant Catholici, Sacerdotalis, & Pontificia, quas ante pauca ſecula abiecerunt. Tum his ſumptis efficitur, vt aliud genus adorationis exiſtat ſpiritualis, & ſacræ, quod diuerſum prorſus ſit à ciuili. Quod cum diuinum non ſit, nec Latriam contineat, & hominibus conueniat. religioſum erit, ab vtroque genere diſtinctum, & ſeparatum. Ergo nos ſanctos tum viuos, tum mortuos colimus, & Pontifices veneramur; & eorum maiores, dum fortuna fuit, colebant, & venerabantur. Quod ſi apud eos Theologorum authoritas noſtrorum valeret, citarem Vaſquez, & Suarez, & Leſſium, & Becanum, & Caramuelem, qui hac de re doctè, & ſolidè diſputant. Verùm opponunt: Pontificibus noſtris ſæpe deeſſe virtutes: vitia, quæ multa commemorare ſolent, ineſſe. Vtcumque ſit, dignitas certè manet omnino colenda. Quemadmodum ſæpè contingit Magiſtratus, Principeſque Anglorum, & dotibus animi, & corporis deſtitui, quibus cum careant, coluntur tamen ob munus, & dignitatem. Quòd ſi negent, & ego grauatè ob amorem gentis impetraro; id ſaltem dicamus potuiſſe cõtingere: non idcirco tamen eos, ſi cõtingeret, non fore venerandos ob excellentiam dignitatis. Certè non paucos in hiſtoriis aliarum gentium legimus fuiſſe Imperatores, ac Reges turpes moribus, & deformes vitiis, quibus tamen reuerentia, cultuſque debitus, & congruus exhibitus. Igitur ſinant nos doctrina noſtra, & conſuetudine frui, nec quod Papas, Sanctoſque adoramus, Idololatras appellent; niſi fortè cum illi fœminas ſuas, quas ardenter amant, & quod amant, cœleſtibus interdum Nympharum, Dearumque nominibus appellant, & Solem oculis, Lunam ſuperciliis, ſydera pupillis ineſſe dicunt, & totum cœlum, vo-

eas dirent, ſpolient, Idololatræ ſunt, quod nolunt fateri, cum prope ſint iſta offerendo ab idololatria, à qua nos, à profectò longiſſimè abſumus, dum Pontificem veneramur.

Et verò nos ſcitè, ac prudenter formas iſtas Latriæ, & Duliæ diſtinguimus, notiſque perſpicuis ſeparamus, ne quis inſimulare poſſit ſuperſtitionis. Nam etſi ſunt ſigna quædam adorationis communia, quæ ſola menti diſcerni poſſunt, vt ingeniculationes, inclinationes, demiſſiones; non deſunt alia quæ propria ſunt Latriæ, & ſoli Deo præſtamus. Cuiuſmodi eſt pectoris tunſio, quæ ita in Latriam quadrat, vt nefas vulgò ſit ad Duliam transferre. Eius ego rei teſtes ipſos Anglos appello, quos & in Luſitania, & Italia, immò & Londini ad ſacra ſæpè noſtra auidè venientes, & accuratè cæremonias, rituſque noſtros obſeruantes vidi. Dicant quando viderint nos coram Sanctorum imaginibus pectora tundere? De noſtris cùm dico, de doctis, & bene inſtructis dico; nec enim quod ruſticus, indoctuſue faciat, id quidquam officit doctrinæ. Ecquis tamen non vidit coram Euchariſtia, & Imagine Crucifixi, & Cruce pectora pulſare? quod ipſum argumentum eſt à nobis diſtingui genera cultuum, nec promiſcuè haberi. Quod ſi obijciant Catholicos illud ſignum interdum coram Sacerdotibus, & Pontificibus edidiſſe, animaduertant id propterea contigiſſe, quod ii aut Deum in manibus ſuis Euchariſtiam præferrent; aut exercerent Diuinum in Confeſſionis Saccramento iudicium. Tunc quippè non eos vti homines, ſed ſupra humanum habitum, ſpeciemque euectos veneramur, atque adeò Deum in ipſis adoramus. Quid verò eſt quòd nos ita pueros, rudeſque inſtituimus, niſi ne illud genus adorationis quod pectoris tunſione fit, alteri quàm Deo, diuiniſque tribuant? cur nolumus eo Sanctos coli: immò ne Beatiſſimæ quidem Virgini Mariæ deferri permittimus? cur aliter ruſticos, & incultos homines facientes ſeuerè reprehendimus? niſi quod Idololatriæ ſpeciem remouemus. Non ſunt nobis Angli religioſiores. Scimus quid Deo; quid Sanctis; quid Pontificibus; quid Sacerdotibus, quid Regibus; quid Magiſtratibus conueniat. Suum cuique tribuimus. *Reddimus quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Nec iam me audiant, ſed Anaſtaſio Epiſcopo Theopoleos in Epiſtol. ſuper quibuſdam quæſtionibus aures dent. *Nemo*, inquit, *offendatur adorationis vocabulo, ſiquidem & Deum, & homines, & Angelos Sanctos adoramus: non omnibus tamen Latriam hoc eſt cultum diuinum exhibemus*. Dicit enim Scriptura. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli Latriam præſtabis. Quo in loco diligenter obſeruandum eſt, poſteriori voci dictionem, ſoli, adiunctam fuiſſe, quæ tamen erat in adoratione omiſſa. Quare licet nobis adorare homines, cum nihil aliud ſit adoratio, quam honoris alicuius exhibitio quaſi emphaſis, & excellentia. Latria vero nequaquam hominibus deferri debet, quia nulla ratione licet eos diuino honore afficere, quòd propria eſt precibus, votis, & ſacrificijs colere.*

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.

Cur, quatenus, & quomodo Papa ſit adorandus?

OPtant nihilominus Heterodoxi, vt altiùs, & penitiùs rem inſpiciamus, & adorationem Pontificis ſeueriùs examinemus. Tria præcipuè inquirunt. Cur adoremus? & quomodo? Et qui adorando ab Idololatria alieni ſimus? Morem geram ſtudio in eos, & amore ſingulari; etſi multa iam dixerimus, quæ ſatis eſſent amantibus, & non inuidentibus. Verùm nouè, & aptè proprièque dicamus. Ratio adorandi Pontificem ea eſt, quòd ſit Eccleſiæ caput, Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, Summus Magiſter, Optimus Legislator, in Apice Eccleſiaſtici Ordinis conſtitutus. Negant hæc Angli. Sed non quid ipſi negent, ſed quid nos exiſtimemus, ac verum ſit inquiritur, cum de ratione adorandi quæritur: ſupponenda hæc: ſaltem ferenda ſunt, dum cauſas noſtri cultus exponimus. Nos id ſumimus quod credimus, & aliàs latè, dilucidèque oſtendimus; nec non & obiter nunc probabimus. Igitur Eccleſiam Romanam habere tum primum gradum, & prærogatiuam honoris: tum excellentiam poteſtatis, Sancta Nicena Synodus can. 6. iuxta Calcedonenſis lectionem definijt, cuius cum ſit Pontifex caput, neceſſe eſt vt in Arce ſit dignitatis conſtitutus. Vnde oritur idoneus, ac iuſtus adorationis titulus, quæ ipſi non à ſæcularibus ſolùm, ſed etiam ab Eccleſiaſticis Principibus deferri debet. Eſt enim Papa Authore Leone I. ſerm. 2. de Aſſumpt. *Primus Epiſcopus omnium*, et ſer. 3 *Sacerdos Magnus*, et Arnobio teſte in Pſal. 138. *Epiſcopus Epiſcoporum*, atque adeò in Sixto Epiſt. 2. et Victore I. Epiſt. 1. et aliis, de quibus ſupra *Epiſcopus Vniuerſalis Eccleſiæ appellatur.* Idque cum omnes aliarum nationum, tum diſertè Gallorum Epiſcopi faſſi ſunt apud Aimonium lib. 5. capit. 37. *Seipſos Filios, Famulos, & Diſcipulos* Romani Pontificis appellantes quibus titulis excellentiam Papę declararunt, quam nos aliàs 4. et 5. vindicia aſſeruimus. Qua in re obſeruanda Pontificum modeſtia, qui Epiſcopos Filios cum appellant, cæteris abſtinent; imò cum audiunt, erubeſcunt. Certè Damaſus vnus ex antiquis teſte Nicephoro lib. 12. cap. 17. etſi ſubiectos ſibi Epiſcopos eſſe agnoſceret Filios dumtaxat appellabat, ſiue quis alius author eſt Epiſtolæ.

Et quidem ante Damaſum Athanaſiaſter, et omnes Ægygtij Epiſcopi Marco Pontifici huiuſmodi ſubiectionis, et obedientiæ teſtimonium reddiderunt: Sic enim Epiſtol. Scriptor ille ad Marcum Papam: *Verè nouimus Apoſtolatus veſtri cor gratia Sancti Spiritus in tantùm eſſe accenſum, vt omnibus oppreſſis ſuccurratis: quantò magis nobis, qui licet exigui, ordinis tamen veſtri ſumus, vobiſque obedientes cum omnibuſque nobis commiſſis, & ſumus, & volumus eſſe ſemper.* Nec ego magis quid apertè fateantur, quàm quid tacitè ſignificent attendo. Cum enim ad Sacrę Sedis Anchoram confugiunt, et Romani Pontificis patrocinium, et præſidium, et opem aduerſus contrariæ factionis potentiſſimos Epiſcopos implorant, haud obſcurè ſignificant, quãtum ubique, et apud omnes Pontifex ualeat, à quo et ipſi liberari, et alii coerceri, et comprimi poſſint; cùm iubente Papa omnes in eius poteſtate futuri eſſent. Hinc

illa ſolemnis iuramenti formula, qua omnes Epiſcopi conſecrandi Summo Pontifici Romano fidem, & obedientiam præſtabant; eique quodammodo Sacramentum dicebant. De quo extat decretum in Lateranen. Concil. cap.5. ſub Innocentio III. & in Epiſtol. Paſchalis II. ad Polonienſem Archiepiſcopum ſcriptum monumentum, & in Hiſtoriis Radauici lib.2. cap.70. & Vrſpergenſis anno 1105. manifeſta exempla. Mihi vnum tantum placet afferre grauiſſimum ex Epheſino Concilio deſumptum, quod rem maximè continet. Igitur cum Arcadius, & Proiectus Epiſcopi duo Celeſtini Papæ Legati litteras ab eodem ad Synodum datas producerent, legique poſtularent, alter eorum Arcadius dixit. Præcipiat Sanctitas Veſtra litteras, ideſt *Sanctiſſimi, & cum omni adoratione nominandi Papæ Celeſtini Apoſtolicæ Cathedræ Epiſcopi*. Cumque idem ingeminaſſet alter Legatus Proiectus, eiuſdem adorationis expreſſo vocabulo; reſpondit Cyrillus ad vtriuſq; ſententiam & voluntatem, vt omnino legerentur litteræ, *cum idoneo, & conuenienti honore*. Quem huiuſmodi nos eſſe putamus, qui vſu venit inter Catholicos, vt nēpè cum leguntur, capiti ſuperimponantur. Quin etiam Andreas Epiſcopus litt. ad Hormiſdam in princ. *Commendans me*, inquit, *veſtigijs veſtris proximus*, & Theodoretus Epiſcopus Lignidi ad eundem. *Veſtris prædicandis, & adorandis me præſentare veſtigijs*. Spondanus anno 519, nu. 4.

Si autem Summus Pontifex ab Eccleſiæ Principibus, qui Sacri ſunt, ideſt Epiſcopi, colitur, & adoratur ob illam capitis dignitatem, ecquis dubitet eum ab Regibus, & ſæcularibus Principibus adoratum, adorandumq; que eſſe? Et quamquam multis id ego exemplis confirmare poſſem, volo abſtinere ne ſim in re vulgari prolixior. Legat, qui volet, Ioſephum Stephanū Valentinum Epiſcopum Veſtanum in ſuo libello de oſculatione pedum, & Angelum Rocca Camertem Epiſcopum in Opuſculo de Imagine S. Gregorij à Paulo Diacono deſcripta, & Andream Sauſſayum tract. de Adorat. Pontific. & Cornelium à Lapide in Iſaiam cap.49. & Lorinum in Acta Apoſt. cap.10. Tantùm Anglos volo adducto gentis ſuæ præclaro Rege conuincere. Eduardus Rex Anglorum, Alredo in eius vita Authore, litteras obedientiæ, & obſeruantiæ teſtes ad Nicolaum II. anno 1059. dedit his verbis: *Summo Vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam ſubiectionem, & obedientiam*. Negare non poſſunt Angli Eduardum ita ſcripſiſſe, ac vt ſcripſit, ſenſiſſe. Cur quæ illi cum maioribus ſuis, & cum eo poſteri per tot ſæcula ſenſere nouiſſimis temporibus ex animis, & ſcriptis ſuis deleuerunt? pudeat eos non iam ab Eccleſia Romana, ſed à ſua etiam defeciſse. Cuius tamen pares reliquias vidimus, quæ nobiſcum ſentientes, & fidem auitam retinent, & exiſtimationem vendicāt; & ſi eas tamquā *Troas reliquias Danaum* Patria, ceu Iuno nouerca inſectetur, cùm fouere, conſeruareque debuiſſet ob reuerentiam antiquitatis Angliæ, cuius illæ monumenta tuentur, & ſeruant. *Sacra ſuoſque tibi ſeruant de more Penates Anglia*. Tu eas, & diſſipas, & eijcis. Qua pietate veterum euertiſti ſepulchra, & tabularia incendiſti? ſed manent typis mandata ſcripta, quibus nos Catholici tua dogmata refutabimus. Non ferunt aures veſtræ, *Summo Vniuerſalis*

Digitized by Google

uerſalis Eccleſiæ Paſtori Nicolao. Tulerunt aures maiorum veſtrorum teretes, opinor, ac religioſæ; an veſtræ ijs meliores? ſi affirmatis iniuriam ijs facitis, quibus vos meliores eſſe fatemini. Ac ego vobis obiicio, non poſſe vos cum Pontificem debito cultu ſpoliatis, non & veſtris Maioribus honorem detrahere. In eadem ſunt naui, & Papæ noſtri, & Aui veſtri; vtroſque perdet, qui alteros perdit. Per viſcera materna Papas transfigitis, & dum Pontificiam dignitatem obteritis, manes veſtrorum parentum conculcatis. Sed id vos docuit Henricus VIII. Aliud vos, reliqui Henrici, & vltra Henricos, Edmundi, Eduardi, ac ceteri docuere. Imò & Henricus cum purus idem docuit. Vos eum impurum, & cum Anna commixtum ſequi maluiſtis peruerſo argumento: nam dum purus cum Eccleſia Chriſti, quæ virgo eſt, potuit, cùm impurus & turpis non potuit conſiſtere. An non erat pura Eccleſia anno 259. Cum Hyppolitus, Euſebius, & Socij Martyres ad B. Stephani Papę adorantium ritu pedes prociderunt? Non erat inuiolata anno 294. cum Præpedigna Claudij vxor Caij Pontificis pedes amplexa, illum adorauit? Certè Virginem Eccleſiam Romanam intra ſeſquiſeculum fuiſſe non negant; eo autem tempore Alexander Primus à Petro ſextus, à Quirino, quem Chriſtianis Sacris Sacris imbuerat, ad pedes procumbente adoratus eſt? non igitur corrupta fuit Eccleſia, quæ ſequentibus deinceps temporibus idem tenuit inſtitutum; ſed ij ſunt corrupti, qui ab ea defecerunt, & ſanctiſſimum illum morem antiquarunt: quem nos Catholici acceptum, & à maioribus traditum retinemus; & ſecundùm eum Romanos Pontifices adoramus. Cur autem eum nõ adoremus, quem Sanctus Bernardus lib. 2. de Conſider. c. 1. *Parem in terris habere negat*, quod Chriſti vicem obeat, perſonamque ſuſtineat? Ac ne obſtrepant: vno Clodouei I. Galliarum Chriſtiani Regis exemplo ora obſtruo. A quo Seuerinus Abbas Agauenſis Monaſterij ob reſtitutam ſanitatem flexis eſt genibus adoratus. Norunt Clodoueum multorum Ducum, & Regum capita conculcaſſe. Is victor, & celſus ad pedes ſe Religioſi hominis abiecit, & plantis laureatum caput ſuppoſuit.

Audierunt Heterodxi cur Adoremus Pontificem? Audiant quomodo adoremus. Grammaticè volunt; nos Theologicè eo ſenſu quem ad Duliam retulimus. Intelligunt quid dicam. Eruditi ſunt: non aut *Farre pio, aut faliente micà*, adoreàue litamus. Apageſis huiuſmodi ſuperſtitionem ex vno Etymologiæ fonte deductam. Nec adorando, quod ait Plinius l. 28. c. 2. *Dexteram ad oſcula referimus, totumque corpus circumagimus; quod in læuam feciſſe Galliæ religioſiùs credunt*. A quo motu manus ad os *Adorationem* dictam volunt Grammatici: qui ex illo Plinij Senioris, & altero Iunioris in Panegyrico ad Traianum loco, & Apuleio, & Minutio, & Suetonio Etymon colligunt. Vnde *Orariũ* à Prudentio hymno. 1. Periſteph. *Adoratio* appellatur. Poſſemus quidem illo modo, moreque adorare, quem receptum legimus tum à Græcis, tum à Latinis Authoribus; ſed maluimus eo abſtinere, quòd hac ratione, & veterum idola, & profani Reges adorati. Videant Pamelium adnot. in lib. de Oratione num. 49. Certè illa rotunda corporis circumactio, & manus arcuata deductio, & in os ambitioſa attractio animati quiddam Rhombi ſimile

habet

Digitized by Google

habet ad refigendam lunam accommodatum, & magicæ ſuperſtitionis plenum; quod propterea improbamus qui demiſſionem in venerando profitemur. Et quidem illa ratio circumacto corpore adorandi ritum antiquũ ſacrificantium fuiſſe docet Seruius ad lib. Æneid.9. & ad piacularis, ac expiatoris ſacrificij genus pertinuiſſe affirmat, patetque ex Liuio dec.1. l.5. & Plut. in Numa, Camillo, Marcello. Suetonio in Veſpaſiano, & Aulo Vitellio. Præterea cum pompæ, & oſtentationis plena eſſet, in adulationem ſæpe trahebatur, quo vitio nihil eſt à Chriſtiana veritate, ſinceritateq; alienius: quam ideo Vitellius Vir, teſte Suetonio, miri in adulando ingenij excogitauit. Exemplum idcircò apud poſteros adulationis habitum ſuperſtitioſum. Iam verò magicam ſuperſtitionẽ illum circumuertentis ſe in orbẽ corporis motum redolere apparet ex Val. Flac. lib.8. Argon. in nupt. Iaſonis, & Medeæ. Cùm enim ſacrificantibus tribuat, quod Colchis vſitatum erat, ſuſpicionem Magicæ artis contraxit; cùm præſertim cauſa cur id fieret ea eſſet vt mouentis, gyrantiſque ſe cœli perpetuam vertiginem eo rotatu corporis imitarentur; idque ex Augurali ſcientia traherent, quæ omnium ſuperſtitioſiſſima & fuit, & habita eſt. Quare in Colchidem, & Theſſaliam amandanda, & cum veteri Vrbe ſepelienda; non in Romam recentem, & Catholicam reuocanda. Theologica eſt adoratio noſtra humilis, demiſſa, ſincera, religioſa, plena officij & pietatis: nec eam cum ciuili confundimus. Relinquimus Regibus ſuam, ſuam Dynaſtis, Magiſtratibus ſuam, quos variis modis colunt qui ijs parẽt: & quamquam aliquid retinemus quod commune cum ijs ſit, aliquid addimus. Itaque & adiicimus ciuili, & de Diuina detrahimus; vt & vltra ciuilem ſit, & citra Diuinam. Ingeniculationem retinemus; tunſionem pectoris excludimus: illa communi vtimur; hac Dei propria abſtinemus. Addimus oſculum pedum, quod hominibus infra Papam poſitis denegamus, vt Pontificia forma conſtet iuſta, & idonea inter Ciuilem, Diuinamque conſtituta.

Acceperunt Heterodoxi *Quomodo adoremus*. Nunc *quì extra Idololatriæ periculum adoremus* accipiant. Et primùm animaduerto Adorationis materiem, quæ ſubiectum dicitur, eſſe actus, & opera exteriora duntaxat, quæ à virtute Religionis ad cultum, & reuerentiam imperantur. Ita ut Adoratio iuſta & perfecta, ex voluntate interiori, & officio exteriori conſletur: quemadmodum docet Vaſquez. d. 93. cum multis quos adducit authoribus. Et ſi enim aliter opinetur Suarez diſput. 51. qui ſentit Actus merè internos poſſe ſubire rationem materiæ ſubiectæ adorationi, ego contra cum Vaſquio ſentio, propriè externa obſequia, & officia materiẽ Adorationis continere. Verùm, quod rei hæret, conſtat apud omnes Theologos externam adorationem ex affectu interiori, actuque pendere, ac dignoſci. Quo fit, vt diſtinctio adorationum in externos actus prodiens potiſſimùm ex interna intentione deſumatur: quẽadmodum docuit Leontius in 7. Synodo Act.4. circa finem. In quo prorſus Vaſquez, & Suarez, Leſſiuſque lib,2. de Iuſt. cap.38. d.1. conſentiunt. Itaque fieri poteſt, vt quem quiſque affectum adorandi induat, ſiue Latriæ, ſiue Hyperduliæ, ſiue Duliæ, eo externum actum afficiat; & quo affecerit, eo genere cultus adoret; vt cùm

eadem

Digitized by Google

eadem ſit externa adoratio, diuerſa tamen ob actum interiorem reddatur: idemque alijs, atque alijs temporibus homo eamdem inclinationem capitis, & corporis ex diuerſo adorationis affectu, genereque efficiat; & multi eodem ſimul tempore eumdem actum exteriorem exercentes diuersè ob diuerſum adorandi ſtudium, affectumque adorent; alius ex Latria, quòd ex Religione erga Deum, alius ex Hyperdulia, quod ex veneratione in Diuam Virginem, alius ex Dulia, quod ex obſeruantia erga Sanctos homines procedat. Id verò ſecundum Patrum doctrinam ſtatuimus; apud quos animi in adorante ratio ſemper habetur; imo & ex habitu animi Latriam à Dulia ſolent diſtinguere; vti Origenes homil. 8. in Exod. & Tertul. lib. de Patient. & Auguſt. q. 71. & 86. in Exod. vnde Paulus ad Roman. 12. *rationabile obſequium* Latriam appellat. Et Ioannes c. 16. n. 2. abſolutè *obſequium*, quod ea ſpiritu, & ratione adoratio conſtet cum ſeruitute ſumma coniuncta, quemadmodum ex Polluce, & Etymolog. magno *Latriam* vocabulum exponente colligimus.

Hoc ſumpto, quod negari nequit, diſertè reſpondeo Anglis; ex animo noſtro ſpectari genus adorationis oportet; noſque id profiteri, & teſtari aliter Deum, aliter Virginem Matrem, aliter Sanctos velle adorare. Inſcitè verò, ac ineptè illos taxare adorationem noſtram, & idolatriæ arguere, cum animi noſtri intentionem, vt aiunt, affectumque non norint. Quòd ſi reponant ex actibus ſe externis iudicare eas eſſe, quòd nimirum ijsdem nos, & Deum, & Sanctos, & Papas proſequi videant; & ego in illos reijciam, & eiuſdem culpæ reos appellem: nam ab ipſis eadem item officia Principibus, & Magiſtratibus ſuis, quæ Deo, exhibentur. Puto enim eos aliquo ſigno, & ſi non viderim, Deum colere. Quod ſi externa aut capitis demiſſio, aut oculorum ſignificatio, aut corporis inclinatio eſt; eo certè ipſos vidi Principes, & Magiſtratus ſuos colentes. Niſi fortè ne ſint Idololatræ nullum externum cultum externum Deo ſe dicāt exhibere, quod eſt omnino irreligioſos, & impios ſe exhibere. Nec excuſari poſſunt actus interioris prætextu; nam qua nos ratione impugnant, nos eos conuincimus. Eum nō videri, nec percipi ſenſibus, itaque nec illius habendam ad ferendum de adoratione iudicium rationem. Præterea ne hàc euadant obſtruo effugium. In ipſa quam admittunt adoratione ciuili, niſi animus attendendus ſit, grauiter eos delinquere; quippe qui nihil inter Regis, & minorum Magiſtratuum cultum & obſeruantiam diſtinguunt, cum omnes eodem officio, & obſequio proſequantur. Quare læſæ Maieſtatis rei adorando exiſtunt, cum quem Regiæ Maieſtati cultum exhibent eumdem inferioribus præſtent. Imò ſępè illos Londini vidi maiori obſeruantia proſequētes fœminas, quàm principes viros, & Magiſtratus, quæ certè non eſt fortis, ſed delicata doctrina, & mollior, quam pro ea, qua nos reprehendunt, ſeueritate. Vnde iam ſi admittant diuerſitatem formarum in adoratione ciuili, vti monſtrauimus, vrgebo exemplum, & eo inducto, quæram: cur non & diuerſa in adoratione ſacra formas admittant? vt alia Deus, alia Virgo Dei Mater, alia Sancti homines adorentur.

Igitur cum exhibemus cultum Deo, Diuinam in eo Maieſtatem agnoſcimus, & veneramur; eoque interiori affectu quaſi colore quodam actum ex-

externum afficimus; quem Latriæ nomine appellamus. Cum Diuam Virginem Matrem colimus, excellentiam in ea quamdam creatam quidem, ſed ſummam reueremur, ac hyperdulia proſequimur; quæ multò eſt Latria inferior, ſuperior autem Dulia. Dum Sanctos, & quos ratione virtutis, doniue ſupernaturalis, aut dignitatis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ colimus, & obſeruamus, præſtantiam in ijs quamdam attendimus, qua ſuper nos attolluntur, & eminent; eoſque Dulia veneramur. An non ſunt huiuſmodi adorationes ſatis diſtinctæ? non animo, & affectu ſeparatæ? Cur ergo à nobis aiunt permiſceri, & confundi? an omnes noſtri Theologi falluntur? quorum Scholæ his vocibus crepant. An non erat ſapiens D. Thomas? non prudens Bonauentura? non acutus Scotus? non circunſpectus Alexander? Antiqui minus hac in re, quàm noui Angli Theologi viderunt? Vt ſigna exteriora eadem ſint, quibus triplex hæc adoratio efficitur, affectus certè animi ſunt diuerſi. Quid? quod ne externa quidem ſigna omnia tribus ſunt adorationibus communia, cùm illa percuſſio, tunſioue pectoris, cuius ſupra meminimus, propria Latria ſit, & ſoli Deo debeatur; quam cum videant Sanctis à nobis, Virginique non tribui, ſibi perſuadeant ſoli Deo reſeruari. Non eo hæc dico, quòd negem Chriſti, & Crucis imagines latria adorari, cum certum ſit ita, & adorari, & adorari oportere, quemadmodum docet D. Thom. q 25. & ibi Theologi. Sed nomine Dei intellige, quę aut ſunt Deus, aut Chriſtus Homo, aut Crux, quæ Typum Chriſti gerit, & rectè repræſentat. Addo quæ Crucem conſequuntur, & de ſanguine Chriſti participant, vti Claui, & cætera pœnarum inſtrumenta, quæ dum crudeliter torquent, fæliciter conſecrantur. Quod ſi ne his quidem acquieſcant, illud demum obiicio. Quemadmodum ij adoratione ciuili, & Regem, & Magiſtratus ſubditos Regi venerantes comprehendunt, & in ea tamen diuerſos gradus, rationeſque agnoſcũt, & ſeruant, ne cultum ciuilem debitum Regibus cum alio communi confundant; & in vno, eodemque ciuili genere formas plures retinent, quibus diſtinctè, ſeparatimque adorant; alioque affectu, & modo Regem, alio Legatum, alio Magiſtratum obſeruant. Ita nos vnum adorationis genus in plures, ac idoneas formas diuidere, & ſingulas ſuis ſubiectis accommodare, nec alias cum alijs permiſcere, vllaue ratione confundere. Ac vti ij Maieſtatem Regiam tot inter adorationes integram, illibatamque ſeruant; ita nos cum Virginem Matrem, Sanctoſque, & eorum reliquias adoramus, Maieſtati Diuinæ iuſtum, & proprium honorem, cultumque ſeruare, ideſt *Latriam*, ſtudemus: quam ei ſoli, & tribuimus, & tribui debere omnino fatemur.

SECTIO III.

Loci Sacræ Scripturæ ab Anglis obiecti explicantur.

PEritiam Scripturarum arrogare ſibi Angli ſolent; homines, qui ſe ad Diuinas litteras factos putant; ac propterea ſuo plerumque ſenſu eas, non aut Patrum, aut Conciliorum iudicio, & intelligunt, & exponunt. Nos verò Catholicos quaſi eorum rudes irrident, non quod credant à nobis ignorari eas, ſed quod videant non

non arbitrio, libituue noſtro; ſed communi Patrum, Doctorum, Conciliorumque interpretatione earum ſenſum metiri. In quo illi Hebræos imitantur, qui littera contenti textui nudo inhærent; & quod ſonat littera aſſumunt; nec myſticos ſenſus, aut inquirunt, aut attendunt, & Chriſtianas expoſitiones negligunt, & damnant; ſeque Dominos Scripturarum iactant. Sed inter vtroſque differt, quod Hebræi litteram ſolùm ſequuntur, quæ occidit, & ſemetipſos occidunt. Heterodoxi cùm vltra litteram ſpiritualem quoque, ſed abſurdum admittant ſenſum, in vtroque deerrant, & bis occidunt; grauiùſque multo quàm Hebræi peccant. Hinc eſt illa maior licentia interpretandi apud hæreticos, quàm apud Hebræos, quod littera cum ſimplex ſit, & plana, minorem in interpretando diuerſitatem admittit, myſtica verò interpretatio, cùm vtrumque ſenſum & ſpiritualem, & litteralem contineat, multiplex eſt, atque adeo multis temerè intelligentium exponentiumque erroribus obnoxia, quos oportet inducta face communis authoritatis remouere.

Igitur Angli Heterodoxi contra huiuſmodi adorationem Papæ multa obijciunt, quorum nonnulla in inuectiua illorum propoſuimus. Addimus autem hic cætera quæ ſolent opponere. Aiunt primum Deum Deuteron. 6. dixiſſe *Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſ[e]ruies*. Chriſtumque eodem teſtimonio vſum apud Matth. c. 4, ad dæmonem, qui adorari ſe poſtulabat repellendum; ibique expendunt Chriſtum ita reſpondiſſe Dęmoni loco obiecto, perinde ac adoratio eſſet propria vnius Dei, & nemini alteri præter eum conueniret. Nec enim excepit Dæmonem peruerſum, damnatumque non eſſe adorandum: ſed diſertè dixit, vnum Deum eſſe adorādum, petito principio adorationis, & ſubiectionis, quod cum ſolus eſſet Deus vlli creaturæ non poterat deferri. Itaque non malitiæ Dæmonis rationem habuit; quam ſanè habuiſſet, ſi adoratio Sanctis etiam Angelis, aut hominibus tribui poſſet. Vrgent vero amplius, quod etſi locus Deuteronomij videatur de adoratione propria Dei loqui, nam Græcè eſt latreuſis, Hebraicè tamen eſt verbum Tagabodh, quod communem ſeruitutem denotat. Quid? quòd textus Euangelij de quacumque adoratione loquitur, cum habeat ProsKiniſin, quo verbo communis adoratio ſignificatur. Vnde præcluditur effugium, ad quod ſolent confugere; Dei præceptum de Adoratione Latriæ eſſe capiendum. Acutè obiiciunt, & expendunt ſed audiant & vera, & ſolida. In his duobus locis ea intelligenda eſt, quæ Dei propria eſt, & Theoſobia ſeu Latria dicitur; deque illa præceptum intelligendum: ac primùm de loco Deuteronomii patet. Nam toto eo cap. 6. agitur de adorando, & diligendo, ac timendo Deo, & remouenda Idololatria Gentium, quæ idola pro Diis colebant, vti videre eſt in textu, vbi num. 3. eſt: *Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt*: quod ad fidem omnino diuinam pertinet, & num. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Quod proprium eſt charitatis Theologicæ, & num. 13. Timor Dei commendatur: *Timebis*: & iuramentum per nomen illius inducitur. *Per nomen illius iurabis*. Quo quid magis proprium Dei? nam cum nomen Dei in iuramentū aſſumitur ſolius Dei nomen ſignificatur. n. 14. id à contrario argu-

mento probatur. Idololatria enim vetatur: *Non ibitis poſt Deos alienos.* Accedit quod Biblia vulgata vbi eſt latreuſis *Adorabis*, legunt *Timebis*: vt per timorem genus adorationis exprimerent, qui timor cum Dei donum ſit, & ad Deum referatur, inducit vim adorationis diuinæ. Itaque nequis obiiceret, *Adorare* eſſe vocem communem, maluit Interpres vti verbo *Timere*, quod propriè ad Deum ſpectat tanquam obiectum timoris; nec enim homines timeri iubentur: imo non timeri, vt ſolus Deus timeatur. Venio ad textum Euangelii, in quo retinetur verbum commune prosKinin *Adorare*. Ac pri mum dico noluiſſe Christũ ſenſum germanum loci inuertere, ſed ſeruare: itaque quo ſenſu erat in Deuteronomio, eo vſum fuiſſe; nec enim debuit mutare quod acceperat. Deinde ad id, quod acutè ex diabolo obiecerant, refello, ac retorqueo: nam Diabolus adorari, & coli vt Deus volebat; nemo quippè id ſibi non perſuadeat, cùm Satanas eſſet, qui propterea de cœlo ceciderat: vnde eo loco propriè refutandus erat; qui adorationem Dei propriam contineret. Videant Angli nedum ſuo iudicio indulgent, Diabolo faueant, & modeſtiam pro ſuperbia inculcent. Nam ſi ille communem tantùm adorationem ab homine poſtulabat, cum ſuperioris eſſet naturæ, moderatiùs aliquando ſe gerebat, quàm vt tam à Chriſto acriter reprehenderetur: *Vade poſt me Satana*: nec Chriſtus aptè, opinor, adorationis diuinæ præceptum obiiceret, ſi nihil de ea Diabolus cogitaret. Præterea minus magnificè promitteret Diabolus, ſi minorem diuina adorationem exigeret. Nam quid ille non modo montes aureos, ſed vniuerſi orbis regna pollicetur: *Hæc omnia tibi dabo* pro communi quædam, & quæ cum quolibet excellenti homine communis eſt reuerentia? Maius aliquid agitabat Diabolus cùm adorari ſe petebat: nec minus erat arrogans in petendo, quam impudens in promittendo. Quod ſi quæ ſunt in Dei poteſtate temere promittebat, nil mirum ſi quæ propria Dei eſt eam adorationem ſuperbè poſtulabat. Tandem animaduertant Angli oportet, quomodo textus ſit compoſitus. Eſt enim *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*: vbi loco *Adorabis* habetur, *prosKiniſis* commune verbum, loco autem *Seruies* habetur latreuſis; quod eſt proprium Dei, cum ſit *illi ſoli.* Igitur malè Angli colligunt verbum *Adorabis* communi ſenſu capiendum eſſe, cùm verbum latreuſis propriè ſumi debeat: nam cum ſententia in verbum proprium deſinat, eo certè debet concludi, & definiri; at illud quidem aptius eſt, vt quod eſt commune ab eo quod eſt proprium; quam id quod proprium eſt à communi, vulgarique regatur. Ac, vt more Catholico agam, etſi multa in hac interpretatione contenta, à meo ſint ingenio, iudicioque profecta; hoc vltimum, in quo vis haud mediocris ineſt, à Tharaſio id in Epiſtol. ad Conſtant. & Irenen, & Anaſtaſio Epiſcopo in act. 4. 7. Synodi, aliique antiquis ſum authoribus mutuatus. Ex his apparet inanem eſſe illam Anglorum obiectionem, cum conſtet vtroque in loco, & Deuteron. & Matth. non de adoratione communi, quam *Duliam* nos, ſed de propria Dei, quam *Latriam* dicimus, mentionem fieri: atque adeo nihil aduerſus noſtram ſententiam inde concludi.

Rurſum obiiciunt duos alios locos ex D. Paulo alterum. 1. Timoth. 1. *Soli Deo*

Deo honor & gloria: ex quo deducunt: nominibus non licere aut hanc, aut illum impartiri: & cui impartiatur eũ Deum alterum fore; in quo eſt Idololatria. Alterum ex 4. ad Galatas vbi ſic: *Tunc ignorantes Deum ijs, qui natura non ſunt Dijs ſeruiebatis*. Quod Græcè eſt *eduleuſate*: ac ſignificat hoc loco adorationem Latriæ, cum vulgò Duliam notet. Vnde colligitur, ne Duliam quidem poſſe hominibus tribui; cum vel in hoc ſenſu non quadret niſi in Deum, atque adeò cum alteri præter eum defertur, idololatriam importet. Sed pace Anglorum hi duo loci rem non continent. Nam primus eum honorem indicat, qui ſit coniunctus cum gloria, quæ etſi Latinè, *frequens ſit de aliquo fama cum laude*; & à Tulio ad humana accommodetur: apud Paulum tamen ſæpè ad Diuina transfertur, vt gloria Deo conueniat. Vnde familiare eſt Paulo vetare, ne quis in ſe, ſed in Domino glorietur. *Qui gloriatur in Domino glorietur*. *Mihi autem abſit gloriari*. *Quid gloriaris quaſi non acceperis*? & multa alia; quibus abſtineo. Itaque mirum non eſt Paulum honorem, & gloriam, id eſt, qui continet gloriam honorem: Deo, non hominibus deferri velle.

Ad hæc: etſi honor, & gloria commune quiddam ſignificant, cum tamen à ſubiecto coercentur, ei tantùm addicuntur: quemadmodum inter Latinos fieri videmus. Cùm enim honor ſit cum Diis, hominibuſque communis, interdum Diis tantùm accommodatur, vti apparet in Virgilio, qui vtroque ſenſu accipit: taceo de humano, cum vbique ſit obuius. Diuinum indico lib. 1. Æneid. more gentilico.

An quiſquam numen Iunonis adoret,
Præterea? aut ſupplex aris imponat honorem?

Hoc exemplo vtar reſpondẽdo Angelis D. Paulum hic ad Timotheum honorem, & gloriam ita ſumpſiſſe, vt in ſolùm Deo quadraret. Secũdus locus eodem ferè modo explicatur. Etſi enim *duleuo* multiplex ſignificatum habeat, variiſq; cultu, & obſequii generibus applicetur, hic tamen ad Latriæ cultum reſtringitur, quo Gẽtes Idola pro Diis colebant, vti patet ex Textu loco cit. & paulo poſt n. 9. *Elementa quibus denuò ſeruire vultis*. Loquitur de officio, quo cum Ethnici eſsent, idola proſequebãtur; ac vt illud officium Idololatriam continebat ex animo quo prệſtabatur, ita ad eam transfertur. Verùm nos qui Chriſtiani, qui Catholici ſumus, qui idola non colimus, imò Deum adoramus & propter eum homines Sãctos, & in Sacris cõſtitutos veneramur, lõgè alio ſenſu idem illud verbum vſurpamus; quo Paulus aſsumit: cùm hic gentibus adorantibus idola accommodet, nos autem idola damnemus, & Deum, & Sanctos eius aptè, & innocenter colamus.

Adiiciunt locis Angli exemplar: ac primùm Mardochæum inducunt, qui Eſth. 3. flectere genua coram Amano noluit vnus, Cæteris flectentibus, & adorantibus Aman, ſolus Mardochæus *non flectebat genua nec adorabat, quod diceret ſe eſſe Iudæum*: in quo erat cauſa, quam prodidit c. 13. n. 12. cum Deo loquens: *Tu ſcis*, iniquit, *quia non pro ſuperbia, & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate facre im hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimũ: libenter. n. pro ſalute Iſrael etiã veſtigia pedũ eius deoſculari paratus eſſem: ſed timui ne honorẽ Dei mei transferrẽ ad hominẽ, & ne quẽquã adorarem excepto Deo meo*. Integrum locum adduxi, vt appareat quis illius ſenſus ſit, & vtri melius intelligant Angli, an Catholici? Hinc illi colli-

gunt ſolum Deum eſſe adorandum, qui autem homo adoratur ei diuinum honorem deferri, cùm ad eum cultus Dei propriꝰ transferatur, quod Idolatriam continet. Quod autem Aman non peteret adorationem Latriæ, quo excuſari poſſent Catholici, conſtat ex eo quod illum omnes alij iuſſu Imperatoris adorabant, *Sic enim eis præceperat Imperator*. Non præcepiſſet autem is vt Amanus pro Deo coleretur. Præterea illa adoratio erat communis, ideſt *ingeniculatio*, qua homines alij alios ſolent reuereri. Inſuper & Amani teſtimonium cap. 13. indicat non de adoratione Latriæ, ſed de communi eſſe locum intelligendū: ait enim Mardochæus in parentheſi: Paratum ſe eſſe pro ſalute Iſrael non ſolum ingeniculari, ſed etiam in *oſcula pedum ruere*: quod ſanè non feciſſet, ſi Latriæ genus illud eſſet, quo nullatenus liceret Mardocheo Amanū adorare: quod ſi qua ratione licebat, argumento id erat adorationis illam formam communem, non propriam Dei eſſe. Igitur eo manifeſto exemplo probatur nullum prorſus adorationis cultum homini eſſe præſtandum.

Huic loco ab antiquioribus hæreticis obiecto variè reſpondent Authores noſtri. Nam eorum quidam cenſent Aman petiiſſe latria ſicuti Deum adorari, atque adeò rectè Mardochæum egiſſe cùm adoratione abſtinuit, ne cultum diuinum ad hominem transferret. Ita Sanctus Thom. 2.2.q.84.art.1.& Lyra in eum locum Eſtheris citans Gloſſam Hebraicam in eandem ſententiam quam ſequitur, ac exponit Caietanus in comment. ad locum S. Thomæ. Alii autem ſentiunt Amanum officium duntaxat, & cultum ciuilem exegiſſe ob rationes proximè adductas; verùm quoniam illud genus adorationis ſupplex quotidianum apud Hebræos Deo tantùm deferri ſolebat, ne ſuſpectum eſſet, ac in contemptum diuini numinis fieri videretur, à Mardochæo exhiberi Amano minimè debuiſſe. Sic Vaſquez de adorat diſt. 97. c. 3. & Suarez d. 53. ſect. 1. Ego in gratiam Anglicæ gentis perſpecta vtraque ſententia, etſi idonea ad refellendum exemplum, accuratiſſimè inſpecto loco, adijcio. Illum quidem cultum ſeorſim, ac per ſe ſpectatum ciuilem fuiſſe, atque adeo à Rege permiſſum Amano, eique ab Aulicis eius famulis illius Imperio delatum, quod mihi perſuadent Vaſquij, & Suarij rationes: Verùm eo Amanum abuti ob ſuperbiam in contemptum Iudæorum religionis voluiſſe, proindeque maius quiddam à Mardochæo, quàm ab Aulicis poſtulaſſe. Vnde patet quanti interſit, quo quiſq; animo adorationem aut exigat, aut exhibeat. Cum ſi Aman illam iuſtè, & ſine ſuperbia, neglectuque à Mardocheo exigeret, nihil committeret, quominus ab eo ſicut ab alijs coleretur. Quoniam verò arroganter, & impiè poſtulabat, egit ne à Mardochæo alioue Iudæo poſſet, adorari. Id mihi exploratum eſt verba Textus exactè pendenti. Primum ait Mardochæus: ſed id *non ex ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate feciſſe*, excuſando enim factum monſtrat illud ex ſe licitum fuiſſe, cùm & ſe peccare abſtinendo ſi peruerſo animo faceret, & Amano id contumeliæ fore teſtatus ſit. Quod argumento eſt, illud genus obſequii per ſe prauum, ac vetitum non eſſe; cum prauitas animo prauo imputaretur. Deinde Mardochæus diſertè affirmat ſe minimè adorare velle *Aman ſuperbiſſimum*: quo manifeſtè oſtendit eum in ea adoratione exi-

exigenda haud dubiè ex ſuperbia peccare. Id verò alia ratione fieri non potuit, niſi adulterando rationem cultus, eamque in latriam conuertendo; ad quem cum retuliſset animum Mardochæus adiecit: *Timui ne honorem Dei transferrem ad hominem*: vbi verbum, *Timui*; indicat non euidentiam rei, ſed latentis animi ſuſpicionem, nixam ſuperbiæ indiciis, per quæ ſe Amani mens prodebat. Accedit illa ſententia Mardochæi ſe purgantis: *libenter enim pro ſalute Iſrael, etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem*: nam in cauſa, & animo rem totam ſitam eſſe ſignificat, neq; in facto quicquam morandum, ſed voluntatis rationem habendam: poſse enim illa, & maiora obſequia præſtari, ſi iuſtis de cauſis poſtularentur, quæ non erāt in poteſtate Mardochæi adorantis ex præſcripto, ſed Amani adorandi, à quo illa ad idololatriā trahebantur, quam aut fouere, aut pati Mardochæus non poterat. Vnde concludit, *Ne quemquam adorarem excepto Deo meo*. Docetque Amani adorationem in contemptum Dei cedere, quod ſic ex ſuperbia vellet adorari, vti Deus Hebreorum adorari ſolebat. Idque ex alio Eſtheris loco aptè confirmatur; nam ex cap. 15. nu. 10. & 11. conſtat Eſtherem coram Aſſuero *Rege corruiſſe*: & ex cap. 3. *virgam* eiuſdem *oſculatam fuiſſe*: quod officium cultus rationem continebat; nec propterea Eſther reprehenſa, quòd nimirum in Rege adorato animus, & in Eſther iuſta adorante mens inerat; quæ ſi in Amano eſſent, adorare Mardochæo liceret. Quod non licuerit, id non facto, quod alii innocui, innocenteſque præſtabant; ſed animo prauo ac peruerſo, quem Mardochæus præſtare non poterat imputandum.

Atque hac ego ratione locum expono, & omninò Anglis ſatisfactum exiſtimo; qui nihil ex eo nobis poſſunt obiicere, cum conſtet multum inter exempla intereſse: nam Amanus ex ſuperbia latriam ſibi exigebat, & pro Deo coli haberique volebat; & animo peruerſo cultum alioqui communem, & licitum deprauabat. Pontifices autem Romani latriam non poſtulant, imò & ſeueriſſimè vetant, & puniunt, eamque ſoli Deo deberi docent, & deferri iubent, & deferunt. Tantùm admittunt Duliæ cultum, qui dignitate perſonæ Chriſti Vicarium agenti cōueniat: eumque ſibi non arrogant; imò potius oblatum cum accipiunt; non ad ſe ſpectare, ſed ad Chriſtum referri profitentur. Quin ſi foret quiſpiam qui Pōtifices vera latriā adorari vellet, is acerbiſſimas opinor ſacrilegii admiſſi pœnas penderet ab ipſis Pontificibus conſtitutas.

Secundum oponunt Petri exemplum Act. 10. quem cum Cornelius Centurio *procidens ad pedes eius adoraret. Eleuauit Petrus* dicens: *Surge & ego ipſe homo ſum*: & contendunt neminem hominem ab homine adorandum; quod in eum adoratio cadere non poſſit, quicumque ille demum vel Papa ſit, cum Petrus eo nomine adorationem repulerit, quod homo eſset; niſi fortè Papæ Dii ſunt. Miror hic duo grauiſſima iudicia, Vaſquium, & Suarium non probare D. Hieronymi expoſitionem docentis Cornelium Petro diuinum cultum præbere voluiſſe, ac ideo eſſe à Petro repulſum, quam probauit Alanus Copus dial. 3. c. 7. & quidem Hieronymus ita ſentit lib. contra Vigilantium. Et ſi enim D. Chryſoſtomi interpretationem ſequantur hoc loco dicentis, Petrum commune officii religioſi genus

ex

ex modeſtia recuſaſſe, cum aliàs & deberetur Petro, & ipſe poſſet accipere: potuerunt tamen vtranque expoſitionem retinere; & vti Magnus Auguſt. ſolet, non vna tantum ratione difficultatem expedire. Mihi illud videtur Cornelium ex immoderato quodam pietatis ſenſu, Petrum religioſiùs, quàm par erat colere voluiſſe, atque adeo quiddam maius humano habitu in eo homine ineſſe crediddiſſe, ex qua opinione cum adoraſſet, à Petro fuiſſe cohibitum, ne opinionem illam fouere videretur. Suoq; ego Vaſquium argumento vrgeo; opponit quippe Cornelium cognouiſſe antea Petrum hominem eſſe, ad ſeque venturum, atque adeo humano cultu proſequutum adoraſſe. Cui repono quid igitur ſi hominem cognorat, & vti hominem colebat, monet eum Petrus ſe hominem eſſe: *Nàm & ego ipſe homo ſum?* Quid enim monendus erat id quod cogitabat? Igitur maius aliquid mouebat ille, & diuinius quiddam in Petro ineſſe ſuſpicabatur, ob idque monendus fuit, Petrum hominem eſſe, ne quid ei humano maius tribueret. Quod Diuus Gregorius Magnus Epiſtol 24. Regeſti lib. 1. (quod neſcio qui latuerit vigilantiſſimum authorem Vaſquium) manifeſtè tradidit. *Petrus authore Deo Sanctæ Eccleſiæ Principatum tenens à bene agente Cornelio ſeſe ei humilitèr proſternente immoderatiùs honorari recuſauit: ſeque illi ſimilem recognouit, dicens: Surge ne feceris, & ego homo ſum.* Accuratè, ac rectè Gregorius cultum adorationis erga Petrum Principem Apoſtolorum, & Caput Eccleſiæ probat in Cornelio; quem bene agere adorando affirmat: ſed exceſſum in exhibendo cultu non probat, & cum Petro recuſante tacitè reprehendit, ne quis iuſtæ, ac debitæ adorationis modum excedat. Hæc eſto prima ratio expediendi locum, idonea ſanè quæque maximè rem contineat. Altera Chryſoſtomi, Vaſquii, & Suarii, Cornelii adorationem communem quidem, & moderatam extitiſſe, ſed Petrum eam ob modeſtiam recuſaſse, quod nollet initio naſcentis Eccleſiæ honores eos admittere, qui à Gentibus Dijs ſuis tribui ſolebant. Nihil igitur immoderatiùs egit Cornelius, ſed Petrus ſe habuit moderatiùs; quod æquius tunc duxit Chriſtianæ humilitatis exemplum, quàm Pontificiæ authoritatis documentum præbere. Quod & inducta iam adorandi conſuetudine ſæpè fecerunt Romani Pontifices, non magis dignitatis vindices, quàm modeſtiæ aſſertores. Gregorius enim Primus authore Sophronio in Prato Spirit. c. 151. Abbatem Ioannem Perſam Romæ volentem ſe adorare more Catholicis conſueto occupauit ſeſe ad illius pedes proſternendo, eumque ſuppliciter adorando. Et Leo III. Carolum Magnum, teſte Aimonio lib. 4 de geſtis Francorum c. 90. Romam inuectum coluit & adorauit. Et Gregorius V. Abbatem Nilum ad ſe Romam accedentem ab adoratione prohibuit, & manum eius colentis habitu oſculatus eſt. Imò & tantum apud Principes Eccleſiæ viros virtutis eius, quæ in demiſſione, & neglectu ſui conſiſtit, exiſtimatio valuit, vt cùm ea ſæpè vterentur Pontifices, & abuterentur impij, neceſſè fuerit vtrorumque ſtudia coerceri: hæc quòd ſuperba, illa quòd ſuperbiæ anſam dabant; ac propterea ſancitum eſt Sinodo 7. c. 14. *Non debere Epiſcopos ante genua Principum ſæcularium ad eos adorandos procumbere; quamuis cum omni modeſtia illos debeāt honorare.* Ita & relictus moderationi locus,

locus, & occaſio contemptus præciſa, quod ſcitè animaduertit Suarez diſp. 53.in 3.p.q.25.ſ.2.

Tertium exemplum, quod vulgo afferri ſolet petitum ex 14.cap. Act. vbi Lycaones ſacrificare Paulo, & Barnabæ voluerunt, omnino idololatriam continet, proindeque non eſt huius loci, nec eo Angli, qui inter omnes Heterodoxos argumentantur ſolertiùs, vtuntur. Et idcirco non commemorant Suarius, & Vaſquius; obiter tantùm proponunt, nec ſoluunt, quòd nihil ad rem putent intereſſe.

Quarto, & vltimo exemplo maximam ineſſe vim exiſtimant Sueci, & Angli, illudque magna nobis Catholicis vi obijciunt. Angeli, ſiue vnius bis viſi, ſiue duorum (quod nunc ſequor vt procedam diſtinctiùs) Angelorum Apocal. tum cap. 19. tum 22. quos cum adoraſſet Ioannes prohibitus eſt ne faceret ijſdem penè verbis: *Vide ne feceris: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu Prophetarum. Deum adora*. Eadem prorsùs ſententia; quam ſuam eſſe confirmant Sueci, nēpè ſolum Deum adorandum religiosè; præter eum neminem: cùm deterritus ſit Ioannes homo, & alieno in loco ab adoratione ſuperioris ſe Angeli, ac ea ratione deterritus, quæ rem continet, quod ſolus Deus adorandus erat, *Deum adora*; eo monſtrato quòd obiectum adorationis foret. Quare huic loco accuratiùs reſpondendum. Duas eſſe huius ſententiæ expoſitiones tradunt Suarez & Vaſquez: Primam Auguſtini qu. 61. in Geneſim, & lib. 20. contra Fauſtum c.21. ſentientis Ioannem pro Deo habuiſſe Angelum, & latria adorare voluiſſe; à qua proinde prohibitus ſit. Secundam Bedæ, Richardi de Sancto Victore, Anſelmi, & Ruperti exiſtimantium Ioannem communi Angelos cultu proſequutum, nec eos niſi Angelos putaſſe: ſed vetitum ab iis ex modeſtia orta ex conſideratione Incarnati Verbi, & Apoſtolicæ dignitatis. Vtramque probant ambo Theologi: ſed primæ præferunt ſecundam, quam item proponit Bonauent. in 3.d. 9.art.1.q.5. quòd veriſimiliùs credunt Ioannèm, & ſcire quo cum loqueretur Angelum eſſe: nec decere decipi eum, & Deum Angelum exiſtimare: bis præſertim, inquit Vaſquez, cum ſatis eſſet ſemel moneri, & vetari, ne rurſum falleretur. Equidem vt non improbem ſecundam ſententiam, primam nihil ominus longè antepono, cuius author eſt Auguſtinus, & Remigius, ac probat S.Thomas 2.2.q.84. & Cælius Pannonius in Collectan. ſequiturque Alanus Coppus dial. 3.c.7. & Ioſephus Stephanus Valentinus Epiſcopus Veſtanus lib. de Oſculat. pedum Romani Pontificis cap. 19. Eam verò rationibus, opinor, idoneis confirmem. Ioanni non pauci alii occurerant Angeli, quos & viderat, & audierat, nec eos tamen coluerat: quin & Seniorum, & Animalium viderat, & voces acceperat ſine vllo adorationis ſigno; aliquid ergo excellentius in hiſce duobus Angelis inſpexit, ſuſpexitque, quo iuſtè commotus ad religioſum ijs cultum deferendum ſe demiſit. Et quidem haud temerè Chriſti perſonam eos ſuſtinere ſuſpicatus eſt; nam cum ſemel Chriſtum vidiſſet, audiſsetque c.1.& 2.& 3. multa & præclara, quæ myſticotera erant, à quibus ſimilia accepit, eos eiuſdem Chriſti perſonam agere iudicauit, ac vti ante illum cap.1. ex timore, ac ſtupore corruerat: *Cecidi ad pedes eius tanquam mortuus:* nec eſt ab officio, ſed tantùm à metu liberatus: *Noli timere:* ita

poſtea

poſtea voluit ex reuerentia ad eius pedes ſe proſternere, & quem metus primùm extorſerat cultum, eum libenter deferre. Cur autem in his potius Angelis, quàm in cæteris Chriſtum latere exiſtimauit, aperio: etſi enim eſſent de numero ſeptem, qui phialas tenebant, ea tamen dixerunt Ioanni, quæ ſuadebant eos maiores, quàm pro Angelico habitu eſse perſonas. Primus enim de Prædeſtinatis ad gloriam locutus eſt: *Beati qui ad cœnã nuptiarum Agni vocati ſunt:* Verba Dei ſe dicere magna energia profeſsus eſt: *Hæc verba Dei vera ſunt*: quod certè in eum qui Dei Patris Verbum eſt quadrabat: Itaque cum id ſibi Ioannes perſuaſiſset: *Cecidit ad pedes eius vt adoraret eum*: idque argumento eſt quiddam diuinius ex illa ſententia ei ineſse credidiſſe, quòd cum ante eum diù audiſſet, ne leue quidem adorationis ſignum præbuerit. Iam verò alter, qui cap. 22. oſtenderat Hieruſalem cæleſtem, & menſus eam fuerat, exactiſſimèque deſcripſerat, non modo factis Chriſti munus obiuit, cuius eſt manſiones parare in domo Patris ſui, & aſſignare; ſed etiam verbis eumdem ſe eſse tam perſpicuè ſignificauit, vt mirum eſſet ſi Ioannes Chriſtum eum eſſe dubitaret: Sic enim finijt: *Ecce venio velociter: Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius*; quæ certè vix alius à Chriſto, aut qui eius perſonam gereret dicere poterat; cum præſertim ille etiam edocto Ioanne eſſe ſe Angelum adhuc eam orationẽ inſtituat, quæ non niſi Deo conueniat. Ecquis enim præter Deum dicat: *Ego ſum a & o primus & nouiſſimus, Principum, & finis.* Et quis niſi à Ieſu audire ſe putet. *Ego Ieſus miſi Angelum meum.* Niſi fortè Ieſus ex abrupto inducitur, vt verba Angelo loquenti eripiat, & ſermonem ereptum contiuet; quod ipſum perſuadet Angelum antea loquentem ea dicere, quæ Chriſtus ipſe dicere potuiſſet. Equidem fateor niſi Angelum ſe ille profiteretur, & Ioannem ab adoratione deterreret me illum, cum iſta lego, pro Chriſto habiturum fuiſse. Iure igitur, dum ille diſtulit quis eſſet ſignificare, Ioannes eum maiorem, quàm pro Angelo habuit, & religioſiùs, quàm creaturæ ſolent, coluit. Ac ne quis exiſtimet me gratis aſſumpſiſſe duos eſſe Angelos; non vnum & eumdem; aut id data opera feciſse, vt argumentum Vaſquii eluderem obiicientis eundem eſſe à cuius adoratione Ioannes eſt deterritus, atque adeo non potuiſse illum bis latria adorari, cum iam ſciret Deũ non eſse, vtrumque volo diluere mõſtrando non abhorrere à textu dicere duos eos; ac diuerſos eſſe. Deinde etſi vnus duntaxat ſit, facile argumento Vaſquii ſatisfactum iri.

Duos igitur eſse Angelos apparet ex eadem ratiocinatione Vaſquij: nam quo ille conatur probare non potuiſse Angelum à Ioanne latria adorari, eodem ego argumentum probo, eumdem non fuiſse. Ait eum iam ſemel à Ioanne cognitum c. 19. non debuiſſe cap. 22. rurſum pro Deo haberi, & adorari. Hoc ſumo, & retorqueo; Igitur diuerſus erat Angelus, quem c. 22. voluit adorare ab illo primo. Etenim ſi idem foret, quomodo Ioannes eumdem à quo erat vetitus, adoraret? An non timeret, ne iterum in eamdẽ culpam caderet, & ob eam iterum taxaretur? Nam vel eum nouerat, vel non nouerat? ſi nouerat, pertinax erat in adorando: ſin minus nouerat, immemor certè erat, & negligens, qui tam citò eius, quem paulò ante viderat, memoriam depoſuerat. Igitur di-

tendum diuerſum Angelum eſſe, quem cap. 22. voluit adorare. Nec Vaſquez aptè ex eo deducit latria non debuiſſe adorari, cum deberet deducere nullo modo adorari potuiſſe: nam ſi bis adorandus non erat idem, quòd vetitus erat adorator: nil ſanè intererat quo modo adorandus, qui nullo modo erat adorandus: ſemel enim prohibitus adorare, non debuit iterum adorare, quacumque tandem ratione adoraret. Iam verò quòd bis adorauerit Ioannes, id perſuadet Angelum alium fuiſſe, cùm non liceret contra præceptum rurſum eumdem Angelum adorare. Igitur ex repetita adoratione apparet duos, & diuerſos Angelos eſſe, ne dicamus aut Ioannem in adoratione pertinacem, aut in obliuione tardum fuiſſe. Quod ſi opponas eumdem omninò Angelum eſſe, quòd Sacer Textus duobus in locis dicat: *Venit vnus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas*: quod non videtur quadrare in duos: facilè respondeo illud: *Vnus*: non ſignificare, *idem*, ſed *vnus* ſemel poni pro vno; & *vnus* rurſum alibi pro altero, vt duo ſint; niſi fortè quod in cap. 1. Geneſ. toties dicatur *Dies vnus* nō dies ſex, vnus tantum, idemque dies intelligendus ſit: at videmus ibi cum de ſingulis dicatur vnus, quoties vnus dicitur, toties alterum, & diuerſum eſſe affirmari: dies ſecundus, tertius, & quartus, vſque ad ſextum. Cum præſertim in loco Apoc. 19. non conſtet an ſit idem Angelus, qui loquitur cū Ioanne ille, qui cum eo locutus fuerat cap. 17. vbi eſt illud: *Venit vnus de ſeptem*, nam interponuntur multa c. 17. 18. & 19. quæ rem inuoluunt; nec rurſum dicitur c. 19. eum qui Ioanni dixit: *Verba Dei vera ſunt*: eumdem eſſe qui cap. 17. cum eo locutus fuerat; etenim id tantum habetur: *Et dixit mihi*. Præterea etiam obſcurum eſt, quis ille ſit Angelus, qui cum Ioanne ſermocinetur, cum illud; *Venit vnus de ſeptem* habeatur n. 9. c. 21. & inde ad n. 6. c. 22. multa diuerſaque commemorentur; quæ minus perſpicuam rem faciant. Vnde apparet eumdem Angelum eſſe non omninò conſtare: nec temere dicturum; qui aduerſus Vaſquium duos eſſe contendat.

Eſto tamen. Vnus & eumdem fuiſſe Angelum concedamus: nihil indè aduerſùs primam illam Auguſtini, & Thomæ interpretationem concluditur. Nam potuit idem Angelus ſpeciem ita ſuam, habitumque mutare, vt alius viderentur; poſſetque iure Ioannes ambigere, imo & exiſtimare ab eo, quem primùm viderat eſſe diuerſum. Nec id vitio dandum Ioanni fuit, qui ex mutatione habitus & oris, & corporis prudenter iudicauit aliam eſſe perſonam. Quemadmodum enim Diſcipuli qui probè Chriſtum norant, in mari ſuper vndas ambulantem non agnouerunt, & phantaſma eum eſſe putauerunt, adeo vt opus fuerit eos à Chriſto edoceri ſe eumdem eſſe: *Ego ſum*: & confirmari: *Nolite timere*; ita Ioannes & ſi antea vidiſſet, & noſſet Angelum, cum eum aliam agentem perſonam cerneret, diuerſum ab eo quem primùm viderat exiſtimauit, cùm præſertim minus multo eum quam Diſcipuli Chriſtum cognouiſſet. Quare nec eſt culpandus Ioannes, quòd ſit deceptus: nec quòd ex ea deceptione illum Latria voluerit adorare. Debuit tamen ab Angelo prohiberi, ne is qui Angelum eſſe ſe norat errorem adorantis foueret, ſe-

que veluti Deum adorari permitteret. Rectè igitur ait Auguſtinus, *corrigendus fuit adorator*: & ſi enim vacaret culpa, non decebat tamen opinione errare. Ratum igitur maneat Ioannem latria voluiſſe Angelum proſequi: qua cùm ſciret Angelus Deum vnicum eſſe colendum, monuit ne faceret, ac Deum iuſſit, vt adoraret. Vnde conſtat nihil ex eo loco aduerſus rationem adorandi noſtram Anglos deducere, cum illud exemplum ineptum omninò ſit ad probandum quod ſumpſerant; Ne adoratione quidem communi Anglos, & ſanctos eſſe colendos; cum ea adoratio non communis fuerit, ſed propria & Diuina; quæ alii à Deo perſonæ deferri nec debuit, nec potuit. Ita omnia Angelorum exempla deficiunt; & tradita à nobis doctrina integra manet, & inconcuſſa: quam opinor, Sueci vti acuti ſunt, perſpicient, & vti probi deinceps probabunt, & ſequentur.

SECTIO IV.

Paralipomena Catholicis afferuntur.

HÆc mihi de Adoratione cum Heterodoxis diſſerenti in mentem venerant; putabamque ijs prorsùs ſatisfactum eſſe: cum incidi in tomum vndecimum nobiliſſimi huiuſce ętatis Authoris P. Antonini Dianæ recens in lucem editi, qui inter ordinarias, quas Morales dicunt quæſtiones, vnam extraordinariam de Adoratione Summi Pontificis continebat. Inceſſit animo eū videndi cupido, & quòd eum Authorem doctum, & eruditum cognoram, ſpem concepi multa in eo inuenturum, quæ vſui forent; decreuique nihil omnino in lucem edere, quod non cum eius ſcriptis conferrem, collatumque probarem, & ſi quid noui legendo nactus eſſem, id operi meo, ingenuè illuc citato, adijcerem: ſemper enim mihi illa Plinij ſententia placuit; *Ingenuum eſt fateri per quos profeceris*. Igitur eius tractatum, ſic appellat, diligenter legi, & multa eruditione refertum reperi. Et quamquam omnes fermè res, ego antequam illum viderem ad huiuſcemodi quæſtionem pertinentes attigeram, comperi tamen magnam ab eo partem occupatas: ac vidi ab eo nonnullarum maiorem, quàm à me habitam eſſe rationem; & pauciores à me Authores adhiberi, quod etſi ego minùs doleam; nam id ſæpè aut ex ambitionis ſtudio, aut ex copia librorum oritur: nihilominus magni facere ſoleo, quòd & pertinax ſtudium, & acuratam lectionem ſignificet. Et quidem candidè fateor aliquot ab illo citatos Authores eſſe quos ego non noram: Inter quos fuerunt Magiſter Raphael de la Torre inſignis, vt ait Theologus in 22. D. Th. qu. 84. art. 5. d. 5. & Baldellus tomo 2. l. 3. d. 2. & Caramuel in Hierarchia Eccleſiaſt. l. 1. d. 60. Horum ſententiæ, ac Dianæ de ijs iudicium anſam præbuerūt inquirendi, an rectè ij ſenſerint? & Diana de ijs bene cenſuerit? Igitur cōperio tres ab iis quæſtiones, quarū ducenda ſit à me ratio excitari. Prima an Pontifex poſſit adorari latria? Secunda poſſit ne ſaltem hyperdulia adorari. Tertia, vtrum liceat eum adorari pectoris tunſione?

Primā quæſtionem ex Caramuele excitat Diana reſolut. 11. cuius ſententiam conceptis verbis affert affirmantem: Papam latria adorari poſſe. Hanc ille verè refutat, ſed minùs tamen

men firmo, opinor, idoneoque argumento. Hanc ego antè proponere quæſtionem volui; ſed ne hæreticis omnibus occaſionem de nobis querendi, quod nimium Papæ tribuamus, darem, malui abſtinere. Quamquam enim affirmaturus non eram, affirmantem tamen aliquem ex Catholicis producturus eram, vnde anſam arriperent hæretici oblatrandi. Vidi quippè aliquos hic Romæ doctos, graueſque Theologos, qui Pontificiæ Latriæ modum excogitantes, poſse à nobis hac item ratione Papam adorari aſserebant. Igitur Caramueli in ſua Hierarch. Eccleſiaſt, l. 1. d. 60. num. 680. quærit: *Si Deus ſolus eſt adorandus, quomodo Summus Pontifex adorari præcipitur?* Ac reſpondet: *Latriam, & Duliam deberi Pontificis Summo, ſed diuerſimodè*, inquit, *conſiderato. Poteſt enim conſiderari vt quod; poteſt vt quò: & conſideratur priori modo quando vt perſona; & poſteriori quando vt imago, vmbra; quando vt Pro-Chriſtus, quādo vt Pro-Deus, hoc eſt Chriſti Vicarius*. Tunc colligit priori modo conſiderato Pontifici. *Duliam*, poſteriori *Latriam* deberi. Addit tamē homo acutus, *vbi ceſſet errandi periculum* ea ratione eſse adorandum.

Hanc Caramuelis ſententiā ex integro propoſitam exemplis, & argumentis eiuſd. reſol. 11. reiicit Diana ex doctrina Leſſii & Baldelli cum Mazzaronio, & reſolut. 14. affirmans illud genus Pontificiæ Adorationis ad Duliam pertinere. Sed nullo opinor inuicto argumento probat. Sumit ſibi ex Leſſio, & Baldello cultum qui Sāctis exhibetur ob virtutem, vel dignitatē, & excellentiam ſupernaturalem religioſum eſse, à naturali & ciuili diſtinctum, quod nemo Catholicus negat; & poſtea cultū huiuſmodi omnē reducit ad Duliā, nulla prorſus ratione adducta cur non poſſit ad latriā pertinere: nā omnia quæ affert argumēta id tantùm probant, eam adorationē quæ ſupernaturalis eſt, & ad Sanctos ob dona gratiæ & miniſteria ad eam conducētia ſpectat, ex fide; ac religione proficiſci, & ad omnes Sanctos extendi, tum Beatos, tū Viatores. Ex quo non concluditur illam Duliam duntaxat eſse, niſi fortè quòd viuentibus exhibetur, iudicat Diana Latriam eſſe non poſse. Itaque ex illius ratiocinatione duo colliguntur: Alterum, eſse religioſam adorationem, quæ Sanctis tribuitur, ſiue Beatis ſiue Viatoribus: Alterum, eam Duliam eſse. Tertium quod in primis erat probandum, Latriam eſse non poſse, nulla ratione probatur: id tantùm innuitur, quæcunq; adoratio religioſa Sanctis Viatoribus tribuitur, eam intra Duliæ terminos contineri; nec ad Latriam extendi. Audiamus Dianam vbi propriè quæſtioni reſpondet. *Propter has rationes quod ſe extendat hæc eadem virtus (ideſt obſeruantia ſupernaturalis) ad cultum qui aliquibus exhibetur ſpecialiter propter aliqua dona, aut poteſtates, aut prærogatiuas ſupernaturales: vt quando honoratur, v.gr. Summus Pontifex quia eſt Vicarius Chriſti, vel aliquis alius quia eſt Sacerdos, vel Propheta, vel Euangelicus, & Apoſtolicus prędicator Eccleſiæ. Exhibentur enim ſine dubio hi omnes honores ex ſola fide, & affectu religionis; & ideo ad illos bene poteſt ſe extendere virtus Duliæ, cum hic etiā cultus non ſit ſolum ciuilis ſed religioſus, & ſacer.* Omitto truncā eſse, & imperfectā ſine integro ſenſu periodum: id ſumo, non cōficere rē propoſitā. Nemo. n. dubitat quin religioſa illa obſeruātia ad Duliā

ſe extendat, & ſacra non ciuilis ſit: ſed dubitat, An excedat Duliam, & parueniat ad Latriam? de quo ne verbum quidem dicit Diana. Et quoniam iterum ad calcem rem attingit, clauſulam adduco. *Dico igitur Latriam, & Hyperduliam ad Deum, & Beatam Virginem ſpectare; Duliam verò non ſolùm Sanctis in cælo exiſtentibus, ſed etiam viatoribus exhiberi; & hoc ſolùm propter eminentem Sanctitatem: ſed etiam propter dignitatem, gradum, & miniſterium, vt quidem efficitur in Summo Pontifice*. Ita reſpondet, perinde ac quæſtio eſſet, Vtrum cultus debitus Sanctis præſertim Viatoribus, ſit religioſus, & ſacer, an naturalis tantùm, & ciuilis? concluditque eum eſse religioſum, & ſacrum; atque adeo tum Beatos, tum Viatores Dulia, quæ eſt ſacra adoratio coli, & adorari. An verò quod erat propoſitum, poſſint Latria adorari? de eo prorſus ſiletur.

Mihi & ſuſcipienda quæſtio, & decidenda. Agam cum Caramuele, cuius adhuc, & integrum eſt argumentum. Nego Pontificem vlla ratione Latria colendum. Addo, ſi Authore Caramuele coli poſſet, multos alios homines Latria, eodem eſſe Authore colendos. Quoad primum animaduerto; vti Adoratio Latriæ omnibus in comperto eſt, ita radicem qua nititur, minus notam, & perſpectam eſſe; atque adeo neceſſe mihi fuiſſe diligenter eam inueſtigare, & aperire. Igitur Latria fundatur in ratione Diuinitatis naturalis, itaut naturam diuinam ſequatur; & cui Latria defertur, aut ſit natura Deus, aut participans de natura Dei, vel de illius naturali imagine prout naturalis eſt, quod addo propter Crucem, clauos, aliaque Paſſionis Chriſti inſtrumenta, & de quibus ſtatim dicam. Vnde Latria Soli Deo, & Chriſto, qui eſt Filius Dei naturalis, redditur, & Cruci, quæ illum vti Crux eſt, exprimit, & clauis, & reliquis ob contactum ſanguineum item defertur. Ratio autem huiuſce rei eſt, quia cultus Latriæ Deo debetur, vti Deus eſt natura ſua, non per adoptionem, quę eſt moralis quædam communicatio, ac extra rationem naturæ. Quod ipſum euidenter probatur. Nam Deus debet adorari vera & propria adoratione, vt autem talis ſit non debet communis eſſe. Creaturæ: ergo debet fundari in eo quod communicari non poſſit (vnionem hypoſtaticam excipio) creaturæ. Hæc eſt autem ſola natura diuina: ergo in ea ſola Latriæ ratio fundatur. Maior & appendix eius certa eſt. Minor ſuadetur, quia ſolus Deus eſt Deus per naturam, & Chriſtus Filius Dei naturalis: omnes autem cæteræ creaturæ quæ ſunt capaces diuinæ communionis participant Deum per adoptionem moralem, non per naturam. Conſequentia optimè colligit. Quare hoc argumento res eſt tota confecta. Id adeo verum eſſe exiſtimo, vt ſi Chriſtus Dominus eſſet tantum Dei Filius adoptiuus, non naturalis, adorari non poſſet cultu Latriæ, & idcirco adorari Latria, quia naturaliter eſt Filius Dei.

Ex hac, quam demonſtrationem idoneam puto, manifeſtè deducitur nullam creaturam, nedum Papam, Latriæ capacem eſſe, quòd nulli inſit ratio illa Diuinæ naturæ naturaliter communicata. Pergo ire primùm ad Crucem, & imagines Dei, & Chriſti, quod ſupereſt ad conficiendam rem. Fateor has omnes Latriam mereri ex eadem ratione. Nam cum

imago

Digitized by Google

imago adoretur ratione obiecti cuius eſt imago, quæ naturalis imago fuerit, & naturam obiecti naturaliter expreſserit, ea vti obiectum quod repreſentat, adorabitur. Quæ autem imago morale aliquid obiecti exprimat, hæc Latriæ capax non erit, quòd non accipiat ab obiecto naturalem rationem adorandi. Vnde ſequitur mutas imagines Dei, & Chriſti naturaliter ad exprimenda obiecta comparatas (etſi Chriſti, quòd homo, & viſibilis ſit, propriæ effigies; Dei autem, qui Spiritus eſt, & prorſus inuiſibilis, impropriæ, ac ex placito noſtro imagines ſint) eadem qua Deus & Chriſtus ratione adorandas eſse. Inter quas præcipuum locum Crux habet, quia Chriſtum Redemptorem directè repræſentat, & Lytrum ſanguinis innuit, qui cùm infiniti pretii ſit, & vti ego cum Summis Theologis Suarez 1. tom. in 3. par. diſt. 15. ſect. 6 & Vaſq. diſt. 36. c. 4. authore D. Thoma quodl. 5. art. 5. ſentio immediatè à Verbo aſſumptus, Latriam iure ſuo exigit, quòd Crucifixum Deum naturali illa ſua figura exprimit. Apposui data opera, *Mutas Imagines*, vt indicarem quæ mutæ ſunt meliùs rationē adorandi continere; nam cum natura per ſe ſua virtutibus, & dotibus careant, cùm adorantur, non alia quam aliena, ideſt obiecti, quòd referunt, ratione adorantur. Vnde Crux ſummo iure pro Crucifixo Chriſto adoratur; quod lignum omninò mutum, & brutum non ſit, non aliter adorationem terminat, quàm quod Crucifixum repræſentat. Quod verò attinet ad eamdem Crucem, & clauos, & cætera Paſſionis inſtrumenta, ea Latria item adorantur alia idonea ratione, quòd aliquid ex ipſa natura humana Chriſti verè participarunt, nempè ſanguinem ipſius, atque adeò per illam participationem reponuntur in ſtatu diuino. Vnde non ſatis eſt quiuis contactus etiam phyſicus cum Chriſto ad contrahendum cultum Latriæ: nam paries, aut columna, cui Chriſtus adhæreret, tangeretur ab eo phyſicè, nec tamen idcirco Latria eſſet adoranda. Immò ne ipſa quidem B. Virgo, quòd Chriſtum in vtero geſſit, quo non poſſet eſſe contactus phyſicus arctior, Latria colitur, cùm tamen colatur Latria Columna ad quam Chriſtus ligatus eſt, cum fuit flagellatus, quia ille contactus fuit ſanguinolentus, atque adeò naturæ verè & reapsè particeps, vti natura eſt vnita Verbo, mediante ſanguine.

His conſtitutis corruit omninò ambitioſa illa Caramuelis, & oſtentationis plena ſententia. Nam etſi Papa Vicarius Chriſti ſit, & vt ille ait, *Pro Chriſtus*, ideſt ratione dignitatis, & poteſtatis, quod morale quiddam, & myſticum eſt, & quanquam in Chriſto reſidens, & ab eo profectum acceptumque; non tamen aut eſt natura, aut pars naturæ, nec aliquid naturale ſecum in Papam transfert, cùm ei communicatur: atque adeo non confert rationem in qua fundatur adoratio Latriæ. Non inficior Chriſtum vti Pontificem, & Sacerdotem adorandum eſse Latria: nam & ille Deus eſt, & eius Pontificis, & Sacerdotis imagines repræſentant dignitatem in ea perſona, quæ radix eſt illius, & dignitatis, & poteſtatis. Verùm in Pontifice ſola eſt moralis communicatio ſeiuncta à Chriſti perſona, quare non poteſt terminare adorationem Latriæ, cùm ſecum non afferat fundamentum, quod eſt

natura,

natura, vel vera, vel præſentata naturaliter. Hac ratione refutatur tota Caramuelis argumentatio, ac item exemplum quod adhibet ad ſuam ſententiam confirmandam, quod eſt adorati Calicis Euchariſtici paradigma. Nam in Calice verus & naturalis Chriſti ſanguis continetur, qui veram & propriam exigit Latriam; at verò in Pontifice, quem inſtar Calicis eſſe vult, nil ineſt naturale Chriſti; ſed tantum quiddam morale & myſticum, qualis eſt dignitas, & poteſtas, cui non debetur Latria. Itaque nec ratio Caramuelis, nec exemplum quicquam proficit. Addo ſi illa ratio vera eſſet, multas poſſe creaturas Latriam terminare, nam multa participant communionem illam cum Deo & Chriſto moralem: Epiſcopi nimirum & Sacerdotes, ac viri Sancti, & iuſti, qui in gratia cum exiſtant, Filij ſunt Dei adoptiui, & Chriſti ob gratiam fratres. Quin & Reges & Principes ipſi Dei ſunt imagines, ac per Deum regnant; atque adeò hac ratione qua Deum regentem, gubernantemque repræſentant, Latria erunt adorandi. Idque erat conſectarium, quod ſupra obſeruaui Caramueli eſſe concedendum.

Quod autem animaduertit Caramuel quaſi cautus, ac prouidus, Papam adorandum eſſe Latria vbi ceſſet periculum, id ſinè ad prudentiam politicam aliquantum; ad veritatem Theologicam nihil, opinor, intereſt. Nam ſi verum eſt Papæ conuenire adoratione illam Latriæ, ſimpliciter eſt ei deferenda; nec quicquam de huiuſmodi veritate detrahit ſcandalum illud paſſiuũ: quemadmodum quod Crux Latria debet adorari, non neceſſe eſt dicere vbi ceſſet periculum adorandam eſſe, ſed ſimpliciter adorandam eſſe. Præterea periculum in rebus fidei, cùm opus eſt eam confiteri, non tollit obligationem quæ exiſtit in fideli. Vrgeo autem Caramuelem. Quæro ſi ab Hæreticis interrogetur: Vtrum Crux adoranda ſit Latria. Negaturus ne ſit, an affirmaturus? Equidem affirmaturum exiſtimo. Rurſum quæro: Si ſentiat Papam eſſe adorandum Latria, & ab Hæreticis rogetur, an ea ſit adorandus, reſponſurus ſit affirmando, an negando? Nam ſi neget, non rectè opinor, aget; cùm quod ad fidem, & religione pertinere exiſtimat, id coram hæretico non audeat tueri, & confiteri. Certè in periculo errandi eſt quiuis propter hanc opinionem; ea enim concepta ſi ſibi perſuadeat Papæ adorationem Latriæ deberi vti imagini Chriſti ob nullum periculum negare ei licet ſi rogetur, ea eſſe adorandum: Quemadmodum ſi rogetur: qua ſit adoratione Imago Chriſti & Dei colenda, vllo propoſito periculo negare poterit Latria eſſe colendam. Niſi fortè dicat ſe ad id non teneri confitendum, & de eo ſe periculo loqui, quod non oriatur ex quæſtione interrogantis; ſed de eo quod poſſit creari vbi nemo rogat quo genere adorationis ſit Pontifex proſequendus? Tunc enim non opus eſſe illud dicere, ſi inde errandi detur occaſio aliis qui interſunt, & ſibi qui confitetur. Deinde cum Papa duplici modo adorari poſſit, & Dulia, & Latria; non opus eſſe dicere vtroque modo adorandum: ſed ſufficere fateri eſſe adorandum. Accipio reſponſionem, & concedo Caramueli. *Abſtrahentium non eſſe mendacium*. Sed Logica opus eſſe Caramueli ad euadendum. Proficiat

illi

illi eam profiteri. Ego autem Theologiam potius in eo fundamentalem, quam Logicam ſubtilem quærebam. Fundamentalem aut Theologicam eſſe puto fateri palam, ac verè quid in re fidei, & Catholicæ religionis quis ſentiat; atque adeo Caramuelem cum ſentiat Papam, vti Calicem cum ſanguine Latria adorandum eſſe, negare non poſſe eadem qua Calix, Latria eſſe adorandum. Nec valere Logicam illam abſtractionem, quia qui rogat, quomodo Papa adorandus eſt? non de Papa vti homine iuſto, aut Sacerdote loquitur, qua ratione Dulia adoratur, ſed de propria, qua vti Papa colitur, quærit; quæ cum Latria, auctore Caramuele ſit, neceſsariò ea eſt exprimenda. Itaque & illa abſtractio parum valet; nec Logica multo proficit: nam in adoratione Papali ſupponitur Latria, proindeque non eſt locus abſtrahendi ab eo, de quo propriè agitur. Etenim ita Papa, vti Papa eſt adorandus Latria, vti Calix Euchariſticus; ſed hic omninò dicendus eſt Latria adorari, nec datur locus tergiuerſandi; ergo etiam Papam, vti Papa eſt, Latria adorandum prorſus fatendum eſt, nec datur vlla ratio elabendi.

Dianam vigilantem authorem miror, aut iſta minus curaſse, aut curare noluiſse, vt Caramueli, cuius ſe amiciſſimum profitetur, parceret: nec enim reor hominem doctum, & prudentem ac prouidum, quæ me non latuerunt, fugiſſe. Ego aliter in quæſtionibus inſtituendis, & ſoluendis gerere me ſoleo, & ſolius veritatis rationem habeo, nec quæ dixero, ſcripſeroue vllo modo à quoquam volo excuſari, ſed ſerio, ſeuerèque examinari: neque vbi errauero, corrigi, homo veritatis amator, & libero, ad dicendum; audiendumque ingenio; indole in hac ætate ad doctrinam æquè ac diſciplinam comparata: quod Auguſtini ſim diſcipulus; etſi ingenio longè impar, modeſtia certè aut diſſimilis, cuius Summi Doctoris mirificus fuit animi cãdor ad accipiendam doctrinam. Itaque moneo & Caramuelem, & Dianam (nam tum erat in viuis) vt ſi in hac tractanda quæſtione, quicquam aut perperam ſenſi, aut dixi, id liberè, acriterque impugnent.

Procedo? Aliam quæſtionem nobis ex Theophilo Raynaudo proponit Reſolut. 13. Diana. *An Summus Pontifex adorantur adoratione Hyperduliæ?* De qua Raynaudus in ſuo Onomaſt. Pontific. ſub not. 3. fruct. 1. *Porro, inquit, ſpectata tam ſublimi dignitate Pontificis, quæ eſt venerationis Pontificiæ debitæ fundamentum, addendum eſt, non qualemcumque cultum ei eſſe impendendum; ſed ſupra communem ordinem cultus religioſi Sanctis tributi: itaut cum Sanctis exhibeatur cultus Duliæ ſpectata ſola eorum ſanctitate; Pontifici tamen debeatur cultus Hyperduliæ: nam eius coniunctio cum Chriſto, quoad fundamentum reuerentiæ eſt longè altior, quidquid ſi de ſanctitate perſonali. Sicut Beata Virgo, quia habet excellentiam ſpecie diuerſam ab ea, quæ fundatur in gratia, nempe Maternitatem, colitur adoratione ſuperiore, quàm ea quæ fundatur in ſola gratia ſanctificante, vt iuſtè ſtatuit Suarez 3. p. diſp. 22. ſect. 3. qui anceps eſt an cultus ille ſit religionis ſtrictè ſumptæ, à qua oritur Dei & Chriſti adoratio, an vero oriatur ab ſpeciali habitu ob ſpecialem Virginis dignitatem cultus prædicti fundatricem, quod ſecundum circa Beatam Virginem mihi placet, & ob*

paritatem

Digitized by Google

paritatem rationis idem ſtatuo in re præſenti circa cultum impenſum Vicario Christi. Ita ex Raynaudo Diana quæſtionem producit, & eodem modo ſententiam Raynaudi improbat, quo antea Caramuelis improbarat: atque adeò minus quam par erat appoſite, & accuratè. Quare mihi aliter reſpondendum, & quæſtio prorſus tollenda. Primùm, quod attinet ad Hyperduliam iam dixi eſſe ſecundam ſpeciem adorationis propriam Virginis Matris Dei Principe Theologorum authore D. Thoma 3. p. qu. 28. art. 5. & 22. q. 103. art. 4. ad 2. quem ſequuntur cæteri Theologi de quo accuratè quod ſolet Vaſq. diſput. 99. ſect. 1. & ſeq. Ac de illa rectè cenſet Raynaudus eſſe formam diſtinctam à Latria, mihique cum illo hac in re conuenit. In eo quod huiuſce loci proprium eſt, diſſentio. Papam adorandum eſſe Hyperdulia: ac exemplum Beatæ Virginis Matris idoneum non eſſe affirmo. Nam eo non probatur Papam eadem adoratione, qua Virgo, colendum eſſe. Quod quidem ſic oſtendo. Hyperdulia Beatæ Virginis Matris fundatur in Maternitate Dei, quæ naturam ſpectat, eamq; veram & naturalem Dei Mater efficit; ſed hoc fundamentum non inuenitur in dignitate Pontificia, quę nec natura eſt, nec naturam ſecum inuoluit: ergo nullo modo Pontifici tribuenda eſt. Qua ratione nos proximè Latriam excluſimus. Maior, & minor conſtant: conſequentia colligit: nec opus eſt quicquam addere, cum omnia in proxima quæſtione de Latria Pontificia ſunt occupata. Vnde exemplum idoneum eſſe negaui, quòd ex eo potiùs refutetur, quàm probetur Raynaudi ſententia; vt enim probaret, debuiſſet ſimilis eſſe dignitas Pontificatus, dignitati Maternitatis: quæ ſanè diuerſæ omninò ſunt, cùm Maternitas ſit naturalis, Pontificatus moralis; ex quo non ſequitur eaſdem, ſed diuerſas adorationes fore, & cultum Pontificum Hyperduliam eſſe non poſſe.

Verùm quidem eſt quòd adoratio Papæ Superior eſt, quemadmodum & dignitas, aliis adorationibus Epiſcoporum, & Sacerdotum: immo & Sanctorum, ſi velis; ſed intra eandem ſpeciem Duliæ, quemadmodum ex Suario diſp. 22. ſect. 3. optimè probat Diana in Sanctis, qui alij aliis excellentiores ſunt. Quorum vti virtus & gratia per gradus quoſdam aſcendit, ita & cultus augetur. Sed cùm omnes Dulia colantur, intra eandem & gradus excellentiæ, & cultus manebunt, nec vnquam ad aliam ſpeciem accedent, quæ eſt Hyperdulia ſolius Virginis propria, quæ in Maternitate fundatur: quę cum ſit vnius tantùm Virginis Matris propria, non video qui poſſit aliis applicari; nam niſi Maternitas naturalis inſit, non poteſt Hyperdulia ſuſtineri. Loquor autem de vera, & germana ratione Hyperduliæ, vt conſtituit diuerſam ſpeciem à Latria, & Dulia: nam ſi ſermo ſit de impropria, de qua agit Diana paragrapho 3. eiuſdem reſolutionis, cum Paludano, quæ fit vt creſcente excellentiam moralis vnus ſuper alium Sanctus adoretur, tum poteſt cadere in alios Sanctos Hyperdulia; ſed non erit ea qua Virgo Mater adoratur. Immo nec ea qua vult Raynaudus coli Pontificem, cum ea non ſolum Pontifex ſed alij item Sancti, Sacerdoteſque adorentur. Hac quippè ratione fit, vt Sacerdos præ Diacono, Epiſcopi præ Sacerdote Hyperdulia

dulia ſit, quòd ſupra alium ſit. Vnde conficitur cùm Papæ ſuper omnes & Sacerdotes, & Epiſcopos adoratur, eodem genere Hyperduliæ adorari, quæ etſi gradu Superior ſit; ſpeciem tamen non excedit: ſed intra eandem faſtigium tenet, & in culmine conſtituitur, quod minimè quidem negamus.

Nihilo igitur magis probo, quod de vtraque ſententia, tum Caramuelis, tum Raynaudi Diana fert iudicium; eſſe nimirũ ſatis probabiles, cùm minus, me authore, probabile ſint: idque meis vt conſtaret effeci, opinor, argumentis. Ex quibus conſtat ſola Dulia Papam adorandum, quæ teſte ipſomet Diana, communis ſententia eſt; etſi minus iuſtis, ac idoneis argumentis confirmata: quorum nos fontem, & radicem inueſtigauimus, & ratiocinando in lucem apertam produximus. Gratamque huiuſmodi ſententiam Summis Pontificibus fore putamus, quod cum moderata ſit, nec inuidiam dignitati creat, & modeſtiam Chriſtianam ſapit, quam nemo non Pontifex profiteri debet.

Tertiam quæſtionem, quæ horum veluti appendix eſt, mouet Reſolutione 8. Diana. *Vtrum liceat coram Pontifice pectus tundere?* vſu occaſione exempli, quod refert. Nam Cõciuis quidam eius, ac eiuſdem familiæ Religioſus cum primum Papam ſolemni more veſtitum vidit præ nimio affectu corruens magnis pulſibus pactus cœpit obtundere. Quo anſam ſibi datam Diana narrat inquirendi: An ea forma adorationis erga Pontificem licita ſit? Reſpondet autem diſtinguendo; ſi ſpeculatiuè res iſta ſpectetur, & in rigore, vt ait, affirmat: Si practicè, & in vſu, negat licere. Probat primam partem ex doctrina Raphaelis de la Torre, qui de Tunſione pectoris eruditè, ac elegãter diſſerit. Summa eſt: Actus externus adorantis ab animo pendere; atque adeo poſse quemquam ex affectu Duliæ tunſione illam pectoris exercere, in quo nihil ſanè peccatur. Quæ ratio à nobis antea in diſsertatione cum Heterodoxis Suecis, & adducta fuerat, & commendata. Secundum partem ſuadet, quia cùm hic modus adorandi non ſit in vſu; & forſitan admirationem aſtantibus inducere, ab illo videtur abſtinendum.

Hac in re contra ſtatuo: Tunſionẽ pectoris non eſse adorandum Pontificem: quod ſi quis adoret, ex affectu nimio, aut ſubito motu, aut ex imperitia facturum: & quamuis culpa vacet, non rectè tamen, ac vti par eſt, adoraturum. Ratione ducor ea, quod quemadmodum ſupra animaduerti; Tunſio pectoris forma eſt adorationis Latriæ, & Deo, Chriſto, Crucique deſtinata: nec temerè, cùm omnium fidelium conſenſu id receptum, & conſtans ſit; hac Patres Eccleſiæ, quorum multos & graues citat Torres, apud Dianam, illam ſignum contritionis, & Confeſſionis peccatorum coram Deo eſse affirment; quæ cum eiuſmodi ſit, non quadrat in aliquam creaturam, ne in Beatam quidem Virginem Matrem Dei, cui conuenit inſignis adoratio hyperduliæ, quę tamen cum rationem Latriæ non includet, eam tunſionem pectoris excludit. Sanè quibus Diana exemplis vtitur, ea omnia Latriam continent, ac proinde in Pontificem non quadrant. Nec oportet ad animum confugere; nam etſi priuatus cuiuſque affectus à peccato excuſare poſſit,

§ § non

Digitized by Google

non idcircò tamen adorationis formas, modoſque immutat. Sin dicamus pro varietate affectum variari adorationes; & quod cuique priuato in affectu licet, in actu licere; hac enim ratione omnes adorationum formæ confundentur: cum qui ex affectu, aut imperitia Deum Dulia, Virginem Latria, Sanctos hyperdulia colat, quamuis peccato vacet, poſſit adorando omnes haſce adorationis ſpecies miſcere, & retinere; quod quàm ſit abſurdum ecquis nõ videt? Igitur, quod quiſque agat licitè ex eo non poteſt deduci illud ſimpliciter, abſolutèque licere: nec enim mens adorantis reſpectu Dei quoad peccatum; ſed reſpectu ſigni, actuſue externi adorationis ſumendus eſt modus: ac videndum, An iſte cum illa mente conueniat? & vtrum animus adorantis ex Dulia congruat cum ſigno Latriæ? quod ſi non congruit, parum refert, congruatne animus cum Deo, an non congruat. Ratio enim honeſtatis in animo innocente; ratio adorationis in actu cultus externo ab animo elicito conſiſtit; qui niſi inter ſe congruant adorationis modus euertitur.

Sed inſpiciamus rationem, qua dicit Papam tunſione pectoris adorandum, quæ idonea videtur. Eſt enim ſignum agnoſcetis peccata, ac petentis eorum remiſſionem. Quę quidem à nemine magis quàm à Summo Pōtifice petenda videtur, cui Chriſtus in perſona Petri dixit: *Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis*. Primùm hæc ratio nimium probat; nam ex ea ſequitur non ſolùm Papam Latria adorandum; ſed & omnes Epiſcopum, & Sacerdotem eadem adoratione Latriæ colendum: atque adeo negare non debet paulò poſt Diana Caramueli Papam adorari Latria: neque excitare hanc de ſolo Pontifice quæſtionem, cum de omni ſacerdote remittente peccata excitari poſſit: ad eos extendenda eſſe illa verba probat locus alter Matth. 18. vbi omnes Apoſtolo dicit Chriſtus; *quæcunque allegaueritis, quæcunque ſolueritis*. Et in Ioannis 20. ad omnes Apoſtolos, & Succeſſores Sacerdotes dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Deinde ea non probatur, quòd minus eſt idonea; nam cum nos pulſamus pectora ante Sacerdotem cui confitemur, id facimus in Exomologeſi, & in eo Dei perſonam agnoſcimus; nec hominis in eo, ſed Dei ratione habemus. Vnde vt ante Papam idem faciamus, oportet vt in eo rationem Sacerdotij habeamus, ac ei confiteamur, non quatenus dignitatem, & poteſtatem moralem exhibet; ſed vti intra Sacramentum rationem miniſtri iudicantis, & abſoluentis habet. Nec vero id eſt contra illud, quod ſuperiùs diximus de naturali communicatione; poſſet enim quis obiicere Sacerdotem, & Papam in eo genere abſoluendi nihil participare de Diuina natura, & tamen tunſione pectoris adorari. Nam Sacerdos remittens peccata nomine Dei repræſentat Deum, vti Deus eſt, & facit quod eſt proprium Dei; *Nemo enim remittit peccata niſi ſolus Deus*. Itaque quando ſupra negaui creaturam adorari latria, quia non poteſt participare naturam, vel aliquid de natura Dei, vti Deus eſt, intellexi creaturam manentem & re, & repræſentatione in ſtatu, & modo creaturæ; non dè ea quæ excedit eum ſtatum, & modum per tranſitum quendam repræſentationis perſonæ in perſonam: nam tum habet rationem ima-

imaginis: vnde vti imago Dei adoratur Latria, ita & creatura in eo quod Dei proprium, & genuinum eſt referens Deum poteſt Latria adorari; tum enim non habetur ratio creaturæ, ſed Dei. Adeo vt tunc cum Sacerdos abſoluit ſacramentaliter maiori ſit adoratione, quàm hyperdulia colendus, quæ ab eodem habitum Latriæ procedit, & Deum reſpicit. Nam certè à peccatis ſacramentalitèr abſoluere, quod non ſit ſine infuſione gratię, tam eſt diuinum, quam quod maximè: nec enim eſt habere gratiam, quæ eſt moralis participatio; ſed gratiam inſtrumentaliter conferre, quod eſt iuriſdictionis naturæ Diuinæ. Vnde gratia ex natura ſua cum ſit donum Dei, & effectus miſericordię eius communis eſſe poteſt omnibus hominibus; at poteſtas conferendi gratiam non eſt cuiuſuis hominis, ſed propria Dei, & cui Deus voluerit, tamquam miniſtro ſuo communicare. Atque ita conſtituta manet germana & quæſtio, & reſponſio, in qua meo iudicio nihil ad veritatem deſideratur præter duo, quæ nolo maneant indeciſa. Primùm, Vtrum Papa concedens Indulgentias extra Sacramentum poſſit tunſione pectoris, & Latria adorari? Cui reſpondeo negatiuè. Ratio eſt quia poteſtas concedendi Indulgentias eſt moralis, & alterius ordinis à poteſtate iudiciali, quæ ſacramento exercetur; oritur autem diſtinctio ex diuerſitate radicis; nam radix poteſtatis iudiciali eſt ordo ſacer, qui Sacerdotem conſtituit, & imprimit characterem, afficitque animæ naturam, atque adeo ſuo modo naturalitèr Authoritatem Diuinam participat; & reddit imaginem quodammodo naturalem impreſſo in ſubſtantiam animæ charactere. At verò radix poteſtatis Indulgentialis, vt ita dicam, eſt authoritas moralis iuriſdictionis, & dignitatis, quæ non fundatur præcisè in ordine, & charactere; ac ex ſe independens eſt ab ea naturali participatione iuxta Sanctum Thomam in quarta d. 20. qu. 1. artic. 4. quæſtiunc. 2. & Alenſem in quarta p. quæſt. 83. in 5. ſiue qu. 23. & Suar. d. 49. ſ. 3. & Lugo d. 27. ſ. 1. contra Durandum in quarta d. 2. quæſt. 3. & 5. quod amplius ex effectibus & modis conſtabit. Etenim effectus poteſtatis Ordinis in Sacramento eſt authoritatis iudicialis, & imperatiuæ, immediatè remittens peccatum per modum imperantis, & dominantis, abſolutèque dicentis: *Ego te abſoluo*: At effectus poteſtatis indulgentialis extra Sacramentum eſt applicatio meritorum Chriſti, & Sanctorum in Theſauro Eccleſiæ exiſtentium per modum diſpenſatorium in Papa, & poteſt committi hominibus laicis, vt notat Suarez, fitque item per modum impetrationis, & orationis, qui morale quoddam innuit, & inuoluit; vnde non exigit adorationem latrię, nec pectoris tunſionem.

Alterum eſto. Quid ſentiendum de Pontifice, cum vel definit res Fidei ex Cathedra, etiam ſine vllo Concilio qua ratione omnino eſt regula infallibilis; vel canonizat Sanctos, vel approbat Religionem? qui certè actus meo, & optimorum Theologorum iudicio ſunt eius modi, vt in iis ſit etiam Pontifex prorſus infallibilis: atque adeo Dei veritatem authoritatemque participet. Reſpondeo, ne tum quidem adorandum eſſe latria.

Digitized by Google

Ratio ex eodem principio ſumitur; quia Papa tunc non agit naturalem perſonam Dei, ſed moralem dũtaxat. Patet. Nam cum definit declarat rem quam decidit eſſe de Fide: non eam facit de fide quod ſolius eſt Dei. Declarare autem non eſt veritatem conferre, ſed tantùm monſtrare veritatem, quæ ineſt rei, eamque propalare: atque adeò non immediatè, neque propriè ſummam veritatem aut participare, aut repræſentare. Eodem modo res habet in Canonizatione Sanctorum, & approbatione Religionum, nec enim Papa, aut Sanctitatem confert Sanctis, aut inſpirat inſtitutum Fundatoribus, quod ſolius eſt proprium Dei, ſed tantùm declarat illam Sanctitatem eius viri, quem canonizat veram fuiſſe, eumque in cœlo eſſe: & illud eius Fundatoris cuius approbat Religionem inſtitutum ab Spiritu Sancto inſpiratum eſſe: quod ſatis non eſt ad participandam ſanctitatem Dei, aut repræſentandam, atque adeo neo ad Latriæ adorationem terminandam. Addo corollarium huic ſcholæ propter doctrinam quandam P. Gabrielis Vaſquez: qui de Adorat. d. 110. cap. 2. ſentit omnes prorſus res nulla excepta poſſe ritè adorari vera, & germana adoratione; immò & Latria, quòd quæcunque ſit res ea Deum repræſentet; in eaque proinde Deus adoretur. Pro qua doctrina citat Caietanum in 2. 2. quæſt. 103. artic. 3. ad 4. dub. eiuſque auctorem facit Leontium 5. Dialog. contra Iudæos, qui refert 7. Synodum act. 4. & nititur loco ſcripit. Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum eius. Adorate in monte ſancto eius*. Addit ex Partibus Leonem Primum ſerm. 7. de Natiuitate. Ratio à priori eſt, quia in omni re creata datur quædam imago Dei, cum ſit creatura, & eius affectus, atque adeo hoc nomini adorationis ſimilis diuinæ eſt capax. Alia ratio à poſteriori, & à ſigno eſt, quia licet nobis per omnem creaturam iurare, nec licet peierare, ergo & omnem creaturam licebit Latria adorare. Tandem quia res omnes poſſumus amare amando in eis Deum; ita vt omnis creatura ametur propter Deum, & in omni creatura ametur Deus. Igitur, & in omni creatura poteſt adorari Deus, illa Latria adorari.

Verum mihi aliud videtur cum Alexand. 3. par. quæſt. quinta, memb. tertio, artic. 2. ſ. 2. & Thoma Vald. tom. 3. cap. 166. num. 6. Et probatur 1. ex Auguſtino, qui ſæpe in libris contra Manicheos negat Solem poſſe adorari, idem qui negat conc. 3. in pſalm. 10 & deducit tanquam abſurdum ſequi ex eo lapidem eſſe adorandum. Ratio à priori eſt, quia adoratio fundatur in ratione imaginis, quæ eſt expreſſio exemplaris quod exhibet: ac in Latria clarius eſt vti ſupra diximus, quæ requirit participationem naturæ, & apparet ex imagine in diuinis, qui eſt Filius, & verbum, imago per intellectum, quæ non eſt in Spiritu Sancto, qui eſt amor procedens per voluntatem. At hæc ratio repræſentandi naturam diuinam non datur in quacunque re creata; in quam non quadrat ratio adorationis præſertim Latriæ. Confirmatur ex abſurdo, quia hoc modo ſequeretur omnes adorationes fore æquales & latriæ: nec erit diſtinctio inter lapidem, & quoduis lignum & Crucem. Præterea Adoratio primùm fertur in imaginem quæ adoratur, vt quo; At

Digitized by Google

vero in adoratione rei, quæ non eſt imago non adoratur res vt quo, ſed ſolus Deus in ea adoratur; quæ non eſt odoratio Imaginis, quæ ſimul etiam adoratur cum exemplari. Itaque res non ducit ad adorandum Deum, ſed Deus facit vt in re adoretur: vnde res non adoratur vllo modo, ſed eſt ſubiectum in quo Deus adoratur. Patet experientia, quia cum videmus imaginem, illa nos primò mouet, ac excitat ad adorandum Exemplar, adhuc nihil de eo cogitantes. At contrà res, quæ non eſt imago natura ſua, non excitat nos ad exemplar adorandum: ſed neceſsè eſt vt prius cogitetur Deus, vt in re adoretur. Habet ergo ſe res merè paſſiuè, & ſupponit potius tanquam ſubiectum alienam adorationem, quàm propriè adoratur. Ac ita demum ſentit Paludanus in 3. diſput. 9. quæſtio. 9.

Argumenta Pater Vaſquij facilè ſoluuntur. Locus ſcabelli retorquetur, nam hoc repræſentat maieſtatem Dei ſedentis, vt Thronus Regius maieſtatem Regis in eo ſedentis demonſtrat.

Prima ratio ex dictis ſoluitur. Aliud eſt enim eſſe effectum, aliud imaginem: nam non omnis effectus eſt imago ſuæ cauſæ; niſi ij, qui eius naturam participant: aliter quippè, & ſudor, & lachrymæ, & pulices erunt imagines hominis, quia ſunt effectus hominis.

Secunda maior ratio eſt, quia iuramentum non ſequitur rationem repræſentationis, quam requirit adoratio, ſed rationem effectus, & creaturæ, quæ reſpicit cauſam, & authorem Deum. Ad exemplum Amoris reſpondetur rationem amãdi ſequi bonitatem, quæ eſt proprietas communis entis, ac proinde in omni re inuenitur; qualis non eſt ratio imaginis: quemadmodum conſideranti patebit. Quare doctrina Vaſquij non videtur probanda præſertim de adoratione Latriæ, quæ tàm propria Dei eſt, vt Auguſtinus nulla ratione velit, vt Angeli, & homines Sancti, & Beati propriè colantur, ne videantur Latria adorari. Lege eum ſeuerè id vetantem lib. de vera Religione cap. vlt. vbi ſic, *Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia ſipiè vixerunt non ſic habentur, vt tales quærant honores, ſed illum à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes*. Et paulò poſt de Angelis. *Quod colit ſummus Angelus id colendum eſt etiam ab homine vltimo*. Et tandem. *Honoramus eos Angelos charitate, non ſeruitute; nec ijs templa conſtruimus. Nolunt enim ſe ſic honorari à nobis, quia nos ipſos cum boni ſumus templa ſummi Dei eſſe nouerunt. Rectè itaque ſcribitur hominem ab Angelo prohibitum ne ſe adoraret, ſed vnum Deum ſub quo & eſſet & ille conſeruus*. Mentem ſuam expoſuit lib. 20. contra Fauſt. cap. vigeſimoprimo. *Colimus Martyres. At illo cultu, qui grecè latria dicitur, latinè vno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriè diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum eſſe docemus, niſi vnum Deum*. Atque de his quidem hactenus.

Digitized by Google

SECTIO V.

Obiectionis Heterodoxorum initio propoſitæ breuis, et exacta refutatio cùm Epilogo.

FVcum faciunt Sueci, & Angli, vt nos à iuſta Pontificis adoratione deterreant: nec eo contenti perſonam calumniæ nobis imponunt,ac ea inducta traducunt. Impoſtura eſt maxima pontifices noſtros honores ſibi diuinos arrogare; quæ vel ab animo maligno ad inferendam iniuriam,vel procaci ad concitandam inuidiam profecta eſt. Tam longè à ſuperſtitione ſumus, quàm ij propè ab audacia. Quod vulgo aiunt Diocletianũ primùm coli ſe pro Deo iuſſiſſe,id ſanè ipſum perſuadet non potuiſſe Romanos Pontifices illũ imitari,quo nullum truculentiorem Tyrannum ſunt experti. In quam Vrbē Petrus veram Chriſti Dei, hominiſque Religionem intulit, ab ea Petri ſucceſſores idola eiecerunt, ſuperſtitionem exterminarunt,ac ob id Martyrium ſubierunt; Aras ſoli Deo, Sãctiſque erexerunt. Quem ſibi cultum tanquam Paſtores, & Pontifices deferri voluerunt, cum religioſa pietas inſtituit, quæ in iis Chriſti imaginem venerabatur. Longè alius tamen is erat ab illo, quo Deus, Diuinaque colebantur, & ad latriam pertinebat, quem ipſi Pontifices primi, ac principes maiore paratu, pompaq; exhibetur. Itaq; ſi quo honore afficiebantur eum ipſum cumulatiorem Deo, ad quem referebant,reddiderunt. Quarè non modo Deum diuino non fraudabant, ſed ſe ſuo quoque ſpoliabant, & in fontem, à quo acceperant regerebant. Lucifero intrudunt Angli, vbi Michaeles conſiſtunt. Non patitur huius clypeus illos angues. Nec nos Laocoōtes ſumus qui violati Numinis pœnas luamus. Lucifer ſuper Aſtra Dei ſolium ſuũ exaltare cupiebat. Romanus Pontifex ſolium Chriſti tuetur, ne quis in illud tenebroſus turbo inſiliat. Quod ſi altius eminet, & ſublimius aſcendit Michael cum in Luciferum vibrauit haſtam, & repulit. Nec is vſurpat ſolium,qui in illud, vt hoſtem vſurpare conantem deijciat,rogatus aſcendit.Lucifer *ſimilem* ſe fore iactabat *Altiſſimo:* Pontifex cùm perſonam Chriſti induit, non modo ſe mortalem agnoſcit, ſed ſeruum etiam ſe ſeruorum Dei appellat. Præterea ille ſpræcipitatur, hic retinetur: nec vnquam accipimus quenquam ab Angelo Pontificem percuſſum,impulſumue, ſeruãte Michaele, qui Luciferum perdidit. Alio ſerpentes iſtos amandent, qui regulis ſimiles coronati Altaribus obrepſere, & ſacris inſidiantes Pontificia iura vſurparunt, & obuoluta Aris purpuræ cauda tertiam ciuium partē in ruinas cum templis traxerũt, & ſceptris, baculis, & diadematis infulas implicuerunt. Reges Mitrati ſuperbis cornibus ſacra ventilantes,& ſepultos Sanctorum cineres in aera ſuccuſſu capitum iactantes.Nos Romæ vbi Petrus Chriſti iuſſu ſedem poſuit. Petri ſucceſſores, Chiſtis Vicarios eiuſdem inſtituto locamus. Romæ Sancta,& religioſa in Vrbe,quæ Capitolij faſtigia ad capitis Eccleſiæ veſtigia dimiſit, & Tarpeiæ Rupis culmina Aræ piæ Petri ſubiecit: faſcium & ſecurium formidandis malleolis Crucem Chriſti,Clauoſque eliſo terrore impreſſit. Nec vos liberi eſtis, qui Petri iugum ſuaue excuſſiſtis; ſed rebelles, qui ab ab eo quod Pàtres veſtri libenter portauerunt,

tauerunt, reſilijſtis, & ad grauius confugiſtis; dum Regibus veſtris translato ad eos impiè Pontificatu colla ſubieciſtis. Nos ſeruimus Chriſti Vicario, & ſeruiendo regnamus; libentes, non coacti: faciles, nō inuiti paremus. A vobis illa ſeruitus minis Regum, & terroribus expreſſa, niſi quos adulatio & ambitio ad ſeruitium flexit. Vos abominationē deteſtandam in loco Sācto poſuiſtis cum prophanam Maieſtatem in ſacra Sede collocaſtis, & Eccleſiaſticam deieciſtis, qua inſolentia, & iniuria Aræ gemuerunt, Templa eiularunt. Propterea cum inducta abominatione Eccleſia Catholica inter vos conſiſtere nō potuit, corruit, perijt, eiuſque vel muta Fana in ſtuporem verſa ruinam traxerunt. Itaque veteris Eccleſiæ parietinas tantùm tenetis, confluentibus eò vitiorum ſordibus inquinatas.

Procaciter nobis Antichriſtum obijcitis: Pōtifex Romanus pro Chriſto eſt, non Antrichriſtus. Chriſtum & confitetur, & defendit: locum eius & tuetur, & ſuſtinet. Quod ſi illius perſonam induit, & nos Fideles ſinguli Chriſtum, authore Paulo cum baptizamur, induimus; nec tamen idcirco Antichriſti ſumus. Vtri ſint; Miniſtri ne veſtri, an Pontifices Romani Antichriſti? vos ipſi iudicate. Illi ſponſam Chriſti puram erroribus deformarunt; ornamentis exuerunt; patrimonio ſpoliarunt; Eius membra amputarunt, lacerarunt, diſcerpſerūt. Hi à Petro, Apoſtoliſque, illibatam conſeruarunt, ditarunt, auxerunt. Amici Chriſti ſponſi ſunt, qui ſponſam amant, & colunt; non qui oderunt, & euertūt. Papæ Romani Amici ſpōſi ſunt; his illa tradita eſt à Petro. Miniſtri veſtri inimici; hi eam in thalamos ſuos induxerūt, & adulterarūt. Tunc illa eſſe deſijt cū apud vos fuit, nec enim corrupta eſſe potuit, quæ niſi pura eſſe non potuit. Nos Catholici vnum tantum Vicarium Chriſti agnoſcimus: Vos totidem, quot Reges, & Principes habetis. Vnus thorus coniugij iuſti argumentum eſt; multiplex, adulterij. Dimidios nos Romanos dicitis; admitto, quòd Romana Eccleſia, cùm ſponſa ſit Chriſti, eius dimidium eſt: Niſi fortè dimidios ob antiquitatem nobilem Fidei noſtræ appellatis. Vti *Curios* iam *Dimidios* propter vetuſtatem imaginum alter dixit. Vos Chriſtiani noui eſtis, Nouatores, & nothi. Integri, ideſt ſolitarii, & ſeparati, non dimidii, & coniuncti. Iam quòd nos fortia pati cùm paremus Pontifici dicitis, prophana Sacri miſcetis. Roma olim fortia, & faciebat, & patiebatur; dum & facinora patrabat, & labores bellicos ſuſtinebat: nos fortia aliter & facimus, & patimur. Strenuè cōtra vitia dimicamus: nos illos animæ hoſtes mundum, carnem, Diabolum, debellandos proponimus; bellum nobis inferimus: noſq; ieiuniis, vigilis conficimus: flagellis, ciliciis maceramus. Patimur & à vobis iniurias, ſectiones, proſcriptiones, exilia, tormenta, mortes, quod Romani ſumus. Niſi fortè vos Romani eſtis, qui fortia nos pati cogitis, non vos patimini. Illud aptè vobis repono. *Facere & pati fortia* Romanum *eſt*. Nobis hoc ſumimus. *Fac re pati fortia id vobis remittimus Heterodoxis*. Nam vos facitis iniuriis, ſuppliciiſque veſtris vt nos fortia patiamur. Itaque. *Facitis pati fortia*: Non facitis, & patimini. At ingeniculationes, ſubmi ones, ſuccolationes, adorationes plenis buccis concrepatis, & inani ſonitu impletis cum exprobratis, perinde inter vos ēę erga Reges, ac Principes veſtros non

vſur-

vſurpentur. Quod adulatio veſtra excogitauit, Pietas noſtra inuenit. Quæ vos ciuiliter officioſi, nos piè religioſi præſtamus Nec tam ea homini, quàm perſonæ deferimus, in qua Chriſtum conſideramus. Probat Roma caput & cerebrum ſuum, cum ante Papam caput inflectit. Graue cerebri pondus ineſt cùm demittitur. Putidè argumenta minor: Deeſſe cerebrum ei capiti quod adorando inflectitur, & deprimitur. Immò huic cerebrum ineſt, & graue pondus iudicij. Aptiùs ego vos leuitatis arguerim, qui inclinationes, & demiſſiones huiuſmodi & ignoratis, & damnatis. Altiùs capita attollitis quòd leuia, & aeris amantia in terram deorſum non vergunt; nimirum omni vento doctrinæ circumferuntur. Sed hoc ego Heterodoxi, non naturæ veſtræ defectui, ſed animi vitio imputarim, qui ſciam vos & iudico alioqui, & prudentia valere. Atque hac Sacra & multi inter vos Catholici valent, & maiores veſtris olim valuerunt. Nec ego deſpero populum Anglicanum, & Suecicum maiorum ſimilem fore. Neſcire vos dicitis vituperandi ne ſint magis Principes, qui Papas adorant, an Papæ, qui permittunt? Ego vero neſcio vtri grauiùs deliquerint: Principes ne veſtris, qui contra fidem, religionem, inſtituta, morem maiorum Pontificibus ius, authoritatem, cultum ademerunt, ſibi arrogarunt: An populi qui ademptum tulerunt, & vendicatum probarunt? Certè nihil eſt deforme niſi quod à ratione alienum, & vitioſum eſt: nihil ſuperbum niſi quod inſolenter, & iniurioſè fit. Vtraque via ad interitum itur. Hanc olim Lucifer præcipitatus luce maligna ſua ſignauit, & ſcintillis adhuc intermicantibus ſignatam reliquit. Facile eſt, quibus quiſque affectus eſt vitiis ea aliis affingere; nam iis coloribus tingit, quibus inficitur; ſed vt ij fucati ſunt, nullo negotio diluuntur. Itaque non laboro quo iure dicant Reges noſtros eſſe deformes, Papas inſolentes, cùm videam, qui hoc dicunt eos his malis laborare. Sacrarum litterarum nos & amantes ſumus, & reuerentes: peritiam non iactamus. Ii de peritia gloriantur, de amore & reuerentia tacent. Non amat qui & torquet, & lacerat: non reueretur qui pro libitu intrepretatur, & omnibus exponendas tradit; & proſtibuli inſtar in medium educit. Nobis illud ſanctum eſt: illarum intelligentiam communi Patrum & Eccleſiæ ſenſu, non priuato arbitrio metiri: & credentium more auſcultare, non philoſophantium inquirere. Hinc eſt quòd exempla retinemus, & probamus; ac ex iis Papam adorandum, rectamque de adoratione doctrinam colligimus. Pontifices noſtros religioſo cultu, iuſta, & idonea, quæ intra Duliam ſit, adoratione proſequimur: nec propterea quicquam Diuini honoris, quod Diuinæ detrahat Maieſtati, Papæ exhibemus. Quibus ſi aures animoſque adiiciant Heterodoxi Sueci, & Angli, & ſuæ eos pudebit temeritatis, & noſtram probabunt pietatem fide nixam, traditione firmatam, inſtitutis præceptam, Theologicis argumentis confirmatam, obiectionum tendiculis explicatam.

Digitized by Google

COLLATIO OCTAVA

De Inſtitutione Vitæ Chriſti ad Fidelium communem ſtatum, & ad ſpecialem Religioſorum Ordinum comparatæ.

DIFFERENTIA I

De ſtatibus profeſſionis Chriſtianæ.

CAP. I.

De diſcrimine ſtatus communis Chriſtiani laici à proprio Religioſorum.

EXpoſitis quæ ad materiam Incarnationis & annexa ſcholaſticè pertinēt quæſtionibus additis quibuſdam de Fide, qua attexi ſolent controuerſijs, ſupereſt, vt de exemplis, ac doctrina Chriſti Euangelica ad Vitam rectè, ac prefectè inſtituendam perpenſa, & perſpecta eius vita dicamus: vt quoniam finis Incarnationis hominum ſalus, & beatitas fuit, innocentia, & ſanctitate morum comparatur, quibus is diſciplinis, ac operibus obtineri poſſit, palam fiat. Erit autem ſcitu dignum, ac iucundum videre, quomodo Verbum Diuinum Incarnatum in ſuo vitę humanæ curſu, & ſe geſſerit exemplo, & nos eo ac doctrina ſua inſtituerit. De quo Auguſtinus præclare, & acute dixit, re, ac verbo ſimul docere debuiſſe, cum ille natura ſit verbum, cuius verba res item ſunt, & loquendo operetur, & operando loquatur. *Dixit* enim, & fecit dicēdo, quòd illius dicti facta erant. *Dixit & facta ſunt, & per ipſum verbum facta ſunt omnia.*

Lecto igitur Chriſti Euangelio cōſtat in eo rationem totius Chriſtianæ vitæ contineri. Tum communis omnibus ſine qua nemo ſaluus eſſe poſſit, tum priuatæ, ac ſpecialis, qua cum quis velit, poſſit perfectiùs viuere, certiùs ſaluari, vberiùs beari. Prima prorſus neceſſaria omnibus etiam minus perfectis, atque adeo facilior. Secunda vtilior, & vltra illam tendens ſuperiùs, & perfectiori modo attingēs finem, licet difficilior, & laborioſior. Prima contenta eſt obſeruantia præceptorum, quæ omnino ſeruanda ſiunt, vt careant peccatis mortalibus: Secunda conſilia etiam Chriſti am-

plectitur, vt perfectiùs agat & arctiùs Deo adhæreat: vtranque Chriſtus documentis, ac exemplis præſtitit. Documentis præcipiendo, & conſulendo, docendo, & monſtrando vias. Cum ipſe ſit via, & veritas, & vita. Et verò quoniam primum vitæ communis iter facile erat, & vnius formę breuius, & minus operosè docuit, ac exercuit. Secundum, quòd erat multiplex propter varias, & diuerſas alias alijs excellentiores formas perfectionis, accuratiùs, ac operoſiùs docuit, ac exhibuit: quemadmodum in decurſu operis apparebit. Habet ſuum, & certum gradum illa prima vulgaris ratio bene viuendi, cùm infra illam nihil niſi peccatum, & pœna ſit, ſupra verò ſit gradus altior quo illa non anhelat ſuo ſtatu contēta, hæc autem ſecunda cùm ſecura ſit, & ſub ſe habeat vitam chriſtianam communem, altiùs nititur, & ad ſublimiores gradus contendit, qui cum ſint diuinæ participationes naturæ, nullo termino continentur, atque adeo cum ope diuinæ gratiæ liceat vlterius progrediendo aſcendere, & aſcendendo perfici, qua de re exaggeratè dixit Chriſtus Matth. c. 5. *Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.* Conceſſit illud Filio ſuo Pater paſſionis præmium iuſtum, & congruum, vt quoniam *Poſuit in eo Redemptore iniquitates omnium noſtrum:* reponeret in eodem omnes perfectiones ſuas, quarum vera idea eſſet Chriſtus, vnde homines peterent exēpla. Has igitur in Euangelio quaſi penicillo expreſſas productis locis referemus. Capite Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. narratur ſtudioſum virtutis, ſuæ ſalutis auidum iuuenem veniſſe ad Chriſtum, eumque his verbis interrogaſſe: *Magiſter bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* En finis omnium Chriſtianorum. Huic autem ita reſpondiſſe Chriſtum *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* Vbi in eundem ſenſus Marcus: *Præcepta noſti,* & Lucas *Mandata noſti.* Omnes autem ſtatim explicant, quæ nam ſint illa præcepta, ſiue mandata, ideſt, quæ in decalogo continentur, ſuntq; omnibus ad ſalutem æternam neceſſaria. Horum obſeruatio, præceptionis opus erat, non autem perfectionis. Quare ibi Chriſtus perſpicuè diſtinxit vtramque. Nam cum adoleſcēs, ita eum vocat Matthæus, dixiſſet apud Matthæum *Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt?* Repoſuit Chriſtus apud Marcum; *Vnum tibi deeſt.* Sicut & apud Lucam. Quid autem hoc eſſet, omnes exponunt, in primis Matthęus: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cælo, & veni, ſequere me.* Ceu diceret habes quod ſufficit, & neceſſitatis eſt in ſeruanda præceptione communi mandatorũ. Cares tamen adhuc eo, quod confert perfectionem: eſtque vltra neceſſitatem, & proprium voluntatis. Proficiet illud quidem, & ſufficit ad ſalutem conſequendam. Sed non te perficiet, nec ſufficit, ad voluntariam perfectionem obtinendam. Eris in Cœlo, ſi ſerues præcepta, non tamen habebis theſauros in Cęlo. Frueris gloria, ſed non accipies abundantiam. Eris Beatus, at non Beatiſſimus. Ibis ad ſuperos via trita, & communi: non tamen ea, quam ego propriè inueſtigaui, & cuius orbitam Cruce impreſſi. Et illa mea eſt via, ſed lata, facilis, & patens omnibus, extra terminos perfectionis. Nam ego ſum omnibus via, ac nemo niſi per me ingreditur ad vitam. Verùm

rùm hæc via noua perfectionis, ultra mandata conſilia continens *arcta eſt*, & difficilis; *& pauci ſunt qui inueniunt eam*. Laborioſiùs conficitur, ſed terminatur glorioſiùs. Hæc eſt perfectionis proficiens ſemper, & demùm perficiens. Hæc *veni, & me ſequere*. Conſiliantur meliora, non tantùm præcipiuntur bona, & neceſſaria. Ita ſeruit Chriſtus has vias duas communem omnium, & propriam perfectorum, vti docet Hieron. Epiſt. 150. & Auguſt. Epiſt. 89. q. 4. Apparuit diſtinctio in effectu ſecuto ex propoſitione viæ propriæ, ac perfectæ. Ipſe enim iuuenis, qui ſeruauerat præcepta noluit ſequi conſilia; quique lætus & alacris primam viam cõmunem arripuerat, & inierat, ſecundam triſtis, & exanimatus horruit, & abicit, & aliorſum iter deflexit *Abijt triſtis* iuxta Matthæum. *Mærens* ſecundum Marcum. *Contriſtatus* apud Lucam. Quòd autem ille *Adoleſcens* vt appellat Matthęus eſſet vnus è populo Laicuſq; hoc genus hominum ſignificaret deducitur ex eo quod à Marco dicitur *procurrens quidam*, & à Matthæo *accedens vnus*; quamuis autem à Luca *princeps* appelletur: *Interrogauit eum quidam Princeps*, id non obſtat quominus ille Laicus fuerit, cùm particula *quidam* notet vnum eſſe ex laicorum numero, ſed virum primarium, & illuſtrem, quo nomine veniunt Primores Ciuitatum: cum præſertim Lucas nihil addiderit, quo ſignificetur nota Sacerdotij: quam omnino adhiberet, ſe ſynagogæ, aut Sacerdotum Princeps eſſet, in quem certè non quadrat illa vox *quidam Princeps*, nec alię *vnus* Matthæi, & *quidam* Marci. Iterum hoc dixit Chriſtus interroganti apud Matth. c. 22. *Quod eſt maximum & primum mandatum?* reſpondit *Diliges Dominum Deum tuum, &c. & ſecundum diliges proximum tuum*. Et concluſit *In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet*. Audiamus quid addidit Marcus cap. 12. Laudans hominis reſponſionem Chriſtus, & quidem ſapienter reddidit *Non es longe à Regno Dei*, quaſi confirmans ei ſalutem æternam, ſi præcepta illa ſeruaſſet quemadmodum à Chriſto expoſita audierat, & approbarat. Enucleatiùs hoc dixit, & manifeſtiùs tradidit Lucas cap. 10. loquens de huiuſmodi homine, quem vocat legis peritum hoc modo. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Ait ad eum. *In lege quod ſcriptum eſt: quomodo legis?* Ille autem dixit *Diliges Dominum Deum tuum, &c. & proximum tuum, &c.* dixitque illi *Rectè reſpondiſti. Hoc fac, & viues*. Quo ſalus æterna ſignificatur: ad quam ſatis erat obſeruantia legis communis: quæ iuſta erat merces, non autem illa *conferta & coagulata* reſpondens extraordinariæ perfectioni, vltra terminos præceptorum tendenti, quæ vti eſt difficilior ita & nobilior, & vtilior: quam qui ſequitur Chriſtum amplectitur. Deterret illa homines propter altitudinem faſtigij, in quo ſita eſt, cùm alia communis ſit in plano, ac facili loco, quo cuique vel imbecillo licet accedere ope gratiæ, & auxilii ordinarij. Videamus diſcrimen in alio textu Euangelii habemus hominem fidentem ſibi, & audacem, ſcilicet Matth. 8. magnificè promittentē *Magiſter ſequar te quocumque ieris*: ita & Lucas de eodem commemorat. Huic Chriſtus ſic reſpondit. *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*. Monuit dę difficultate imitationis quæ in ea conſecutione includebatur. Ille territus tacuit,

quaſi pænitens pollicitationis. Nec ſolus hic deſtitit à propoſito: ſed etiam alter iam informatus à Chriſto diſcipulus, ſed adhuc rudis, nec dum confirmatus inuitanti ſe Chriſto: *ſequere me.* Reſpondit, *Permitte me*, inquit, *primùm ire, & ſepelire patrem meum.* Lucæ 3. ſubtrahens ſeſe patriæ pietatis obiectis. Quia & tertius cum libens ei, ac lubēs ſe offerret ad ſequēda eiuſdem Chriſti veſtigia *Sequar te Domine* tergiuerſare cæpit, & nutare, ac retro redire, excuſatione facultatis *renunciandi primùm his quæ domi erant.* Chriſtus corripuit, ac increpuit *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno Dei*. Ingreſſi ſunt animosè, & ſteterunt in primo gradu Fidelium, citra perfectionem inſtituti altioris, quod vbi cognouerūt, deſpōderūt animo ac ſpe deiecti reſilierunt: & quantū alter ab altero ſtatus differret oſtēderunt. Cuiuſque Laici eſt adire locum peruium, ſubactum, & tritum obſeruantia præceptorum. Non eſt cuiuſuis vlterius ire, & perfectionis penetrare faſtigium: ad quod non niſi per obſeruationem conſiliorum peruenitur. Hanc doctrinam *Bonus*, vt hic audit Magiſter ſuo exemplo confirmauit. Primùm enim cōmunē ſanctè viuēdi formā, quæ ſatis eſt ad ſalutem æternā obtinendam ſeruauit, eiuſque ſpecimen præbuit in Euangelio, communi & victu, & veſtitu vtens, non inſueto & notabili, qualis erat Baptiſtæ, qui locuſtis, & melle ſylueſtri victitabat, & pelis camelorum aſperis & horrentibus induebatur, aſpectu, ſed & affatu facilis, & familiaris habitabat in medio populi, nemine excluſo, ſiue publicanus, ſiue peccator ille eſſet, omnium amicus, omnibus amabilis; cum eiſdem conuerſari, comeſſari, compotare ſympoſiari citra ieiuniorū auſteram frequentiam, extra inediæ profeſſionem, non abſtemius, non abſtinēs cibi vſitati, non affectans durum, & agreſte genus vitæ, ſed indulgens interdū mitiori, & ciuili, adeo vt hanc ei remiſſionis, & laxitatis ſpeciem vitio ei verterent, & obijcerent Phariſæi *Quare cum Publicanis, & Peccatoribus manducat Magiſter veſter?* Matth. 2. Marci 2. Lucæ 5. imo & diſcipuli Ioannis qui cū Chriſto expoſtulabant exprobando *Quare nos ieiunamus, tui autem diſcipuli non ieiunant?* Hinc illa inſignis iniuria apud Matth. xi. *Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus.* Trahebant ad infamiam victum & potum communem, & vſitatum & conuiuandi conſuetudinem, cui ſe Chriſtus dabat, cū inuitabatur ad ſympoſia familiarium etiam Peccatorum, & Publicanorum. Quod ſolitum cum facere narrant Euangeliſtæ paſſim. Ab initio ſuæ palam inſtitutæ, & comparatæ ad ſalutem animarum viæ eum ſibi morem fore facto prædixit, cum inuitatus venit ad nuptias in Cana Galilææ, & principium miraculorum abundantiam vini, mutata in illud Aquæ natura patrauit: quo certe communem viuendi coniugatorū modum morem, & laicorū ſtatum approbauit, & ordinarium edēdi, & potandi vini morem confirmauit. Nihil ibi abſtinentiæ, nihil ieiunii, nihil auſteri, nihil inſoliti, nihil non humani, & indulgentis fuit. Fauit nuptiis præſentia ſua, comitatu diſcipulorum, & nouitate ſigni, & quod amplius honorauit Virginitate Matris ſuæ intemeratæ Mariæ. *Erat Mater Ieſu ibi.* Quid ſibi vult iſta profeſſio? niſi quod Chriſtus gratiæ fons, & ſalutis auctor docere Eccleſiam ſuam voluit, ſibi cordi eſſe com-

Digitized by Google

communem omni Fidelium ſtatui formam bene viuendi aſſignare, quam etiam imperfecti, & imbeciliores ſeruarent eiuſque prima ſuæ prædicationis initio fundamenta iecit ne quem à futura poſtea perfectionis forma, quã præſtiturus erat, Religionis ſtatũ profitentibus deterreret. Itaque placere mihi nunquam potuit illorum Doctorum, ac interpretum opinio, qui aſſerunt iſtum Cana Galileæ ſponſum fuiſſe ipſum Euangeliſtam Ioannem, quem Dominus à nuptiis auocauit, & ad Apoſtolatus Virginalem profeſſionem, vel ſaltem cęlibatum perduxerit. Etenim hoc eſſet damnare nuptias, & anſam præbere hęreticis eas vituperandi, quaſi non eſſent à Deo ſanctiſſimè inſtitutæ. Aliò res illa nuptiarum ſpectabat, ſcilicet ad earum neceſſitatem, & honeſtatem commẽdandam, & primum, facilemque, & communem Caſtitatis gradũ conſtituendum. Aperte Chriſtus confeſſus eſt ſe veniſſe ad omne genus hominum ſaluandum, accommodans ſe ſe ad ingenia, & vires ſingulorum, diuidente Spiritu Sancto ſua dona, & chariſmata, quibus vult, & vbi vult ſpirante. *In domo quippe Patris manſiones multæ ſunt*. Diuerſis meritis reſpondentes. Itaque ipſius verbis concludimus in ſententia Matth. c. xi. *Venit Filius hominis manducans, & bibens*. *Omnibus omnia factus*, vt ait de ſe ab eo edoctus diſcipulus Paulus vt omnes ſibi lucrifaceret. Ioannes venit non manducans, neque bibens, certum quoddam arctiſſima, & ſeueriſſima vitæ genus profeſſus, quia ille homo priuatus erat, nec ad eum pertinebat proponere rationes, formaſque viuendi, quod munus erat Chriſti Saluatoris omnium; ſed ſuam tantũ viam arripere, ſanè perfectiſſimam, ſibi ad ſalutem capeſſendam propoſitam: relicto munere excogitandi & præſcribẽdi omnes recti formas, ei qui, & debebat & poterat inuenire, & proponere, cùm eſſet *via, & oſtium* ad ſalutẽ: & auctor omnis virtutis & gratiæ, ad quẽ vti ſummũ Legislatorem attinebat, varias, & diuerſis ſalutis cõparandæ rationes pro cuiuſque genio & facultate rationes propalare: quarum hæc prima communis, & propria Laicorum laxior, & remiſſio futura erat.

CAPVT II.

Omnes Perfectionis Chriſtianæ vitæ formas à Chriſto Domino inſtitutas fuiſſe ex doctrina Euangelij, hiſtoriaque oſtenditur.

CVm multæ ac variæ diſſimileſque perfectiones, quam illius communis, & Laicæ formæ in Eccleſia Dei inueniantur, opus omninò eſt, eas & noſſe, & numerare, & definire, vt appareat nullam earum non ex Chriſti vita, tãquam idea, promanaſſe.

Eas penè omnes ſcitè ac eleganter recenſet meus ille Doctor Auguſtinus lib. de morib. Eccleſię Catholicæ prope finem, cum iam de profeſſione Religioni agitaret animo, & ad illam Mediolani in Villa Verecundi ante Baptiſmum cum Alipio ſocio, & auditoribus aliis proluſiſſet. Verùm ego illius adorans potius, quàm ſequens, ſicut meus eſt mos, veſtigia ſuſcipio ac ſuſpicio ſeriem, ac deſcriptionem exhibitam, eius tamen fontes, & capita in Euangelio apud Chriſtum quęro.

Prima occurrit. Canonicorum Regularium, quorum antiquiſſima, & Apoſtolica eſt profeſſio delineata ab ipſomet Chriſto Lucæ cap. 2. cùm relicta

Digitized by Google

licta domo, inſciis, & inconſultis parētibus, ſponte ac libens more renunciantis ſeculo, & valedicentis carni & ſanguini abiit ad templum, ibique triduum egit, ceu addictus ſacris, & mancipatus Domino, & in ſortem Sanctorum electus Clericale inſtitutum ſuſciperet. Id perſuadet locus ſacer, occupatio audiendi, & interrogādi doctores, quos inter ſedebat medius, vt meliùs dicta intelligeret videretur, vti decebat Puerum, quem ætas Clericum affirmabat. Quare ibi non legitur docuiſſe, ſed audiſſe, interrogaſſe, reſpondiſſe, quod eius ætatis proprium erat, inchoauit tantùm profeſſionis imaginem primis lineis ductis, vt eam poſtea adultus inductis iuſtis coloribus abſolueret, & vltimam manū admoueret, docendo in Synagogis, legendo in Templo, concionando in foro vitia extirpando, virtutes inſerendo perfectum Clericum Regularem exhibendo: ad cuius ſe ſimilitudinem Apoſtoli conformarent, quemadmodum poſteà dicemus.

Secunda ſe offert Anachoretarum, qui ab hominum prorſus & ſocietate, & aſpectu remoti Eremum conceſſerunt, & ſolitarii in antris, & ſpeluncis more manſuetarum ferarum, in quas pro Chriſti ſe amore transformarant, vixerunt, cęleſtibus ſolum intenti, vacantes contemplationi, cœlis finitimi, Angelis ſimiles, vno excepto corpore quod præ tenuitate in ſpiritum propè vertebat, ac expers oneris, ac ponderis anhelabat ſuperos. Hæc expreſſa eſt à Chriſto initio Euangelij, cum abiit in deſertum, ibique dies, & noctes quadraginta moratus ieiunus, & orans aſcetam Anachoream egit, & quod ſolebat Anachoretis contingere, Diaboli eſt tentationes expertus. Sic de eo Matth. c. 4. Marcus cap. 1. Lucas cap. 4. Quorum Matthæus: *Ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo, & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſteà eſurijt.* Et Marcus c. 1. *Erat in deſerto, & tentabatur à Diabolo,* Lucas autem cap. 4. *Agebatur à ſpiritu in deſertum, & tentabatur à Diabolo.* Ecquis non videt ſpirantem quandam Pauli, Antonij, Hilarionis, Onuphrij, Macarii, & Paphnutij imaginem? Mihi cum legerem ieiunium, venit in mentem Pauli, & Onuphrij; cum *tentabatur* à Diabolo recurſarunt animo meo Antonij Diabolicæ tētationes. At imaginis ratio minus in Chriſtum quadrat: repono *Ideam*, à qua omnes illæ deſumptæ imagines. Huius alia ſunt ſchemata profeſſionis Matth. 14 Lucæ 9. *Seceſſit in deſertum locum ſeorſum* ſine vllo, ne diſcipulorum quidem comitatu: qui veſperi ad eum venerunt minus auſi eum orantem de die interpellare. Ideo & Lucas poſuit item *ſeorſum* ad ſolitudinis argumentum. Iterum eodem capite Matthæi Chriſtus dimiſſa turba. *Aſcendit in montem ſolus orare*, & 6. Marci *Abijt in montem orare*, cum iam omnes dimiſiſſet. Lucæ 9. *Cum eſſet ſolus orans.* Iuuat Ioannes cap. 6. *Fugit iterum in montem ipſe ſolus*. En bis ſolitarius. Necnon illa in Horto Gethſemani prima à cætu Apoſtolorum ſeceſſio, ac proxima à tribus quos ſecum duxit ſegregatio ad orandum paradigma Anachoritæ exhibet. Relictis quippe iſtis *proceſſit puſillum* ſcribit Matth. 26 *Cùm proceſſiſſet paululum* ait Marcus cap. 14. Manifeſtiùs, & exactiùs Lucas *Auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis*, c. 21. Alius item mihi videtur locus rem ſolitudinis continere, quem cum lego recordor illorū Aſcetorum qui ſolidas noctes, ac integros dies

orandos

orando tranſigebant in c.6. Lucæ, vbi dicitur. Exiit in montem orare. *Et erat pernoctans in oratione Dei*. Quod idoneum puto teſtimonium. Hactenus de Anachoretis. Modò de Cœnobitis, qui extra vrbes, & oppida cõgregati vitam eremiticam ſub Abbate ſuo degebant, iiſdem Anachoretarũ inſtitutis. Cuiuſmodi erant Monachorum greges ſub Magno Antonio, Hilarione, Pachomio. Cœnobitæ ob vitam in communi ſocietate actam. Suppeditat ſacrum Euangelium teſtimoniis. Apud Lucam cap. 19. fecit ſimul cum ſuis diſcipulis in deſerto. ipſi teſtantur. *In deſerto loco ſumus*, tanquam Cęnobitæ. Concordat Matthæus cap. 14 & Marcus 6 explicatiùs rem poſuit Ioannes cap 6. *Subiit in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis*, à turba ſequentium ſemotus, *in quem poſtea montẽ ſolus ijt*: quo ſignificetur illũ eò primùm ſub iis fugiſse comitatũ, & coronatum diſcipulis. Videor mihi videre Ieſum cum ijs ibi agentem, & colloquentem ſicuti lego Antonium, Pachomium, Arſenium, Paphnutium, Macarium, Amonem, & Pambumum in libro vitas Patrum ſuos Monachos erudire, cumque iis conferre diuina, & communicare cœleſtia. Sedens inuenitur eodem habitu Cęnobitici Magiſtri Math. c. 15. *Aſcendens in montem*. Sedebat ibi: non ſine Apoſtolis; ſtatim quippe loquuntur hi, ac reſpondent Chriſto *Vnde in deſerto panes*? Erant igitur in Eremo congregati, more, ac inſtituto Cœnobitarum; Chriſto Cœnobiarcham agente. Huc facit ſeceſſus in montem Thabor cum tribus Apoſtolis, & cum duobus Prophetis, Moyſe, ac Elia cõfabulatio; quid enim aliud ſonant illa Petri verba *Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula*, quàm cœnobiorum, & cellarum fabricam ad communem in eremo vitam ducendam? Exiſtimes mutato loco, ac tempore Petrũ ad inſignes Cœnobiarchas Monachos hæc verba dixiſſe. Momentum non leue reperio cap. 1. Actorum. In eo conſeſſu Apoſtolorum, & Sanctarum mulierum, duce Virgine Maria Matre Ieſu, erãt quippe ſemoti ab omni frequẽtia ſoli, & dabant operã rebus diuinis *perſeuerãtes* etiamnum in *oratione*: quod erat præcipuum munus Cœnobitarum. Nullus tamen iuſtior, & aptior eſt text. quàm ille, in quo narrant Euãgeliſtæ Chriſtũ in monte celeberrimum illum ſermonem habuiſſe, de quo Matthæus c. 5. 6. 7. & Lucas cap. 6. expoſitus ad mentem Lucæ, qui manifeſtè diſtinguit ſtationem in monte deſerto ad orandum, & eligendum Apoſtolos, quibus cum erat in illis diebus, & pernoctabat in oratione: & poſt hæc deſcenſum ex alto & remoto faſtigio ad locum planiorem, quem *campeſtrẽ* Lucas vocat, & ſermonem ibi ad turbam, quæ per illud elapſi tridui ſpatium eò confluxerat habitũ, quam ego ſic hiſtoriam intelligo, adhærens Lucæ narrationi. *In illis diebus exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. Solus, ſeparatus à diſcipulis orauit nocte, ſed cum illis ſimul exierat die in montem. Patet ex verbis ſequentibus. *Et cum dies factus eſſet vocauit diſcipulos* nocte illa exacta, manè vocauit. Ergo erant propè in eodem monte. Tunc ex iis omnibus, quòd plures duxerat, elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominauit. Hoc egit in monte priuſquam ſermonẽ haberet ad turbas. Fuit igitur more Cœnobitico in Eremo. Venio ad ſermonem. Sic expono. Bipartitum fuiſſe: dimidium in ipſomet monte

ad

ad Apoſtolos, quos elegerat inſtituens illos, & monens de requiſitis ad illud altiſſimum munus præſtandum: audientibus cæteris diſcipulis, nondum confluente turba; dimidium poſt deſcenſum de montis culmine ad quandam planitiem intra eundem montem clemētiùs demiſſum. Quem locum campeſtrem Lucas appellat: quò turba cofluxerat: ad cuius doctrinam reliquum ſermonem conuertit, qua ratione conciliantur verba vtriuſque Euangeliſtæ, quæ videntur diſcrepare. Matthæus quippe c. 5. ait, ſermocinatum Dominum in monte. *Aſcendit in montem.* Lucas verò dicit, *Stetit in loco campeſtri*; Matthæus ponit ſermonem vno tractu, & tenore ductum; initio quidem exprimit audientes diſcipulos, & Chriſtum ſedentem, quem ſtantem poſuit Lucas: in fine tamen capitis inducit Matthæus turbas quaſi audientes ſermonem. *Mirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Hæc autem facilè componuntur dicendo ſermonem quoad primā partem à ſedente in montis interioris culmine habitum ad ſolos diſcipulos: quoad ſecundam à ſtante in planitie, & molliori ſitu ad turbas; & quidem doctrinę ſermonis varietas eſt, partim propria diſcipulorum, partim communis turbarum. Vtcumque ſit ſemper manet ſeceſſus à frequentia germanus Cœnobitarum. Hi Monachi appellantur.

Sequuntur Ordines Mendicantiū, qui propriè Fratres dicuntur. Horum inſtitutum cùm maximè ſit Euangelicum, ſæpe occurrit apud Euangeliſtas. Primum Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu*, & Luc. 6. *Beati pauperes.* Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis veſtris.* Marci 6. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, non panē, neq; in zona æs.* Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via, neque panem, neque pecuniam.* Matth. cap. 16. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* iiſdem fermè verbis Marcus c. 8. & Lucas item 9. Pręterea Luc. c. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus: & qui non baiulat Crucem ſuam poſt me, non poteſt, &c.* quod dixerat Matthæus cap. 10. Lucas cap. 12. *vendite quæ poſſidetis. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in Cælis.* Matth. 6. *Nolite theſaurizare. Theſaurizate in Cęlis.* Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Eadem habet Marcus cap. 10. & Luc. cap. 18. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* rursū. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut filios, aut agros propter nomen meum.* Similia leguntur cap 10. Marci, & Lucæ 18. illuſtribus verbis introducto Petro. *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. qui dixit eis. Amen dico vobis: nemo eſt qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Huc facit ille alius locus Lucæ cap. 14. *Qui non baiulat Crucem ſuam, & venit poſt me non eſt me dignus.* Claudo illa ſententia Chriſti apud Lucam cap. 22. *Quando miſi vos ſine ſaculo, & ſine pera, & ſine calceamentis numquid aliquid defuit vobis.* En habitus Mendicantiū. Sed quoniam inter hos ſunt quidam ſtrictioris & ſeuerioris inſtituti, quàm alij, ſicut inter ordines Ordo noſter S. P. Franciſci, & in hoc ſint Reformati

eiuſdem

eiuſdem cum Obſeruantibus familię, ſub vno vti par eſt,ac eſſe oportet viuentes, quorum magna pars Diſcalceati nudis pedibus incedunt cuiuſmodi ſunt Excalceati Hiſpani, videndum: an iſta forma mendicantium ſit vna & ſimplex, an multiplex? & ſi multiplex ſit, an in Euangelio tale diſcrimen habeatur? Primo ſtatuendum diuerſam eſſe Paupertatem Ordinis Franciſcani ab alijs Ordinibus Mendicantiũ. Alii quippe carent priuato dominio, & viuunt ſine proprietate perſonali, retinent tamen dominium communitatis, quo minime priuantur. At vero Franciſcani omni prorſus dominio carent, tum priuato, tum communi ex vi ſuæ regulæ, ac inſtituti: quæ ſumma paupertas eſt, quam Deus diuinitus inſpirauit Patriarchæ Pauperum Franciſco. Nunc examinemus: Vtrũ ambæ iſtæ ſpecies nitantur doctrina,& exemplo Chriſti? Equidem illa communis omnibus alijs Mendicantibus,imo & aliis pluribus Monachorum extat in Euãgelio: conſtat enim apud Chriſtum fuiſſe pecuniam, & numos, quos illa cõmunitas poſſidebat,ſingulis eo iure carentibus, & ad vſum nudum redactis. Itaque vnus erat victus, & diſpenſator, qui omnium perſonam gebat, & in commune conferebat Hic erat Iudas de quo Ioannes cap.12. *Fur erat,& loculus habẽs omnia, quæ mittebantur portabat*, & cap.13. *quidam putabant, quia loculos habebat Iudas, quod Ieſus dixiſſet ei: Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem Feſtum.* Gazophylacium illud quoddã collegii erat; vbi pecuniæ aſſeruabantur, & vnde petebantur ad victum, & vſum ſingulorum: documento hanc Paupertatem Mendicantium cum dominio in cõmuni cõſiſtere poſſe. Secus verò aliàs factum à Chriſto comperimus cùm ille, & diſcipuli nullo dominio accepto,nec retẽto ex eleemoſynis tãtũ ſibi à pijs, & iuſtis collatis viuebant. Liquet ex eo Euangelii loco, vbi dicitur Mulieres Chriſtum & diſcipulos ſuis facultatibus alii eſſe. Quæ fortaſſis erant illę,quæ die Paſſionis cum Crucem humeris portaret ſuis plangentes eum, & lamentantes ſequebantur. Afferamus verba Lucæ c. 8. *Maria Magdalena, & Ioanna vxor procuratoris Herodis & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Nulla nec pecunia, ſumptusue nominatur,ſed ſola miniſtratio pia, & liberalis mulierum erga Chriſtum, & Apoſtolos. Ac ne quis obiiciat potuiſſe eas numos offerre ad emenda neceſſaria, operę pretiũ erit producere perſpicua teſtimonia, quæ omnem pecuniam excludant. Sunt verò illa proximè adducta de inſtitutione vitæ Apoſtolorum ad prædicandum Euangelium per orbem miſſorum Matth. 10. Marci 6. Lucæ 9. in quibus eis vſus omnis pecuniæ interdicitur, etiam vilioris monetæ, *neque æs*. Faciunt fidem loci ex quibus conſtat Chriſtum fortuito victu vſum. Sæpe enim cum Publicanis, cum Amicis, imo & cum Phariſæis, vt Lucæ c.7.apparet, inuitatus manducabat. Huiuſce Paupertates palmare argumentum eſt illa extrema fames, quæ adegit diſcipulos, vel Sabbato, ſpicas vellere, & manducare Matt.12.Luc.6.quod autem *duris in rebus vrgẽs egeſtas* cogeret, ac iuſta neceſſitas cõpelleret nõ male ſuade fames eſſet liquet ad quod Chriſtus reprehendentes Phariſęos exẽplo Dauidis ob neceſſitatem mandentis Panes Propoſitionis excuſauit. Quid? quòd in deſerto dum fuit Chriſtus non

ſolum pecunia, ſed recula nulla fuit. Procul erat à numis, qui clamabat Matth.8. & Lucæ 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cęli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Quì enim iis in anguſtijs rerũ pecuniis, vbi laxa ſunt & lauta omnia abundaret? Præterea Chriſtus natus eſt nudus, & nudus Crucifixus, & mortuus, quem S. Franciſcus propterea eſt imitatus: etenim in ſtabulo natus nudus, & in terram nudum ſe moriens proſtrauit. Illa prima nuditas conditionis humanæ fuit, ſed diuinæ inſtitutionis ordinatæ ad paupertatem ſummam, & extremam egeſtatem: quam inter alios Patriarchas Chriſto incedenti ad perfectionem propior expreſſit. Soleo dicere omnes alios ſequi Ieſum, quemque ſua ſũpta priuata, & propria ſuis humeris cruce congrua, & accõmodata. Franciſcum vero ſecutũ Chriſtum inſtar Simonis Cyrenæi (extra pretium tamen, non angariatum, ſed anguſtiatum) qui eandem Crucem Chriſti portauit, non aliam, nec alienam non de nouo ibi factam, ſed iam Chriſto fabricatam, ac ſibi poſt ipſum impoſitam. Hinc ei ſtigmata, & plagæ impreſſæ, quæ teſtabantur cum Chriſto & Crucem portaſſe, & in ea obiiſſe. Quare ille perfectus imitator Chriſti patientis extitit, alij viuentis, quæſiuit in eo ſtatu paupertatis formam in qua nihil proprium, nec in communi Chriſtus habuit, nec in particulari, præter dolores, & ignõminias, quas omnes pro nobis ſuſcepit, quas etiam Franciſcus, cui cordi erant, anhelauit.

Affinis huic de pecuniis, de Calceamentis quæſtio eſt. Vtrum Chriſtus nudus pedibus, an calceatis inceſſerit? Latè ea, ac variè, & eruditè diſputatur tum à noſtris, tum ab aliis Carmelitanis, & Auguſtinianis Reformatis. Equidem rem facile compono: Chriſtum vtrumque morem ſeruaſſe, ac interdum calceis vſum fuiſſe, interdũ abſtinuiſſe vt probaret exẽplo doctrinã Calceatũ indicant illa verba Ioannis Matth.2. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare.* Marci 1. *Cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius*: quæ item habentur Lucæ 3. & Ioannis 1. quamuis ſint interpretes, quia admodum loquendo vulgarem trahant ſeu metaphoricè, non proprie, & ex habitu animi ſui præ demiſſione proferat non autem ad habitum Calceati Chriſti referat, verum ego qui non patior affectu duci, ſed vi nudæ veritatis, ſentio propriè locutum Ioannem, & Chriſtum calceatum inceſſiſſe pro doctrina eorũ, qui calceis vtuntur. Sunt enim magni, & inſignes viri, & ſtudent magis decoro, & honeſtati, quàm auſteritati, & aſperitati. Sed in doctrina & inſtitutione Apoſtolorum diſertè habetur iſta nudipedum profeſſio apud Matth. c.10. *neque calceamenta.* Quod expreſsè nudos pedes videtur ſignificare. Locus tamen minus vrget: cùm Marcus c.6. exponat modum ponendo *Calceatos ſandalijs*, vt ſcilicet non omnino nudis, & intectis pedibus, ſed vtcunq; calceatis, & partem intectis incederẽt, quod ſatis eſt ad vetandum integrum modum calceandi. Vt verum fatear verba Matthæi conſilium continent, non præceptum; abſolutè tamen voluit Chriſtus, vt diſcipuli calceos omninò abijcerent, & nudipedes incederent. Diſpenſaſſe tamen poſtea vt ſandalia geſtarent. Sanè illud Chriſti dictum *excutite puluerem de pedibus veſtris.* Matth.10. Marci 6. videtur ſonare pedes omninò nudos: cùm Lucas ita rem exponat in ſuo text. c.10: *dicite etiam*

etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra extergimus in vos. Hoc certè minus quadrat in calceos, & pedibus nudis conuenit. Conſideret Lector. Ego ſic mihi perſuadeo, & momentum addo ex habitu Chriſti *ſuper mare ambulantis*, nec enim ille calceatis pedibus cõgruebat. Cæterùm illud negari nequit Chriſtum cùm ſuam tulit crucem, & vt ait Euangeliſta baiulauit nudis omnino pedibus inceſſiſſe: cui ſe exemplo Franſciſcus qui Crucifigendum, & crucifixum imitabatur, conformauit. Videor item mihi videre Chriſtum poſt ſuam Reſurrectionem nudi pedem fuiſſe; exponebat enim facilè & manus, & pedes ad videnda vulnera, & loca clauorum, & in Cælum aſcendẽs impreſſa reliquit in ſaxo pedum nudorum veſtigia: vnde coniectura ſit idonea, eum ſic ſolitum viuum, ſicut ſe exhibebat poſt mortem incedere. Ex his colligitur nullam non formam perfectionis Religioſæ Chriſtum, & exemplo, & doctrina tradidiſſe.

CAPVT III.

Quæ fuerit, & qualis, & quanta Paupertas, & nuditas pedum Chriſti, et Apoſtolorum ſubtilius inquiritur, & accuratiùs exponitur.

ET ſit ſatis videamur de vtraque dixiſſe, quia tamen non omnia quæ rem totam continent, nec penitus quæſtionem ex hauriunt, abſoluimus, cùm præſertim graues circa vtramque controuerſiæ extiterint nondum abſolutæ, nec deciſæ, operæ pretium duxi, eam refricare, & accuratiùs tractando rem conficere. Ac primum de paupertate ſumma contentio eſt, ortam tum ex textu Euangelii, tum ex Bullis Pontificum, quæ diuerſa videntur, imo & pugnantia tradere, in iiſq; conciliandis multum laborent graues Theologi, quos ſuo loco aliàs laudauimus. Igitur Nicolaus III. in c. *Exijt*. de verb. ſign. in 6. in exponendo Regulam Fratrum Minorũ docet Chriſtum, & Apoſtolos nihil proprium habuiſſe, nec in communi, nec in particulari, ſed nudu vſu fuiſſe contentum. Quam doctrinam approbauit Clemens V. in Concilio generali Viennenſi, & traditur Clementina *Exijt* de verb. ſign. fundatur in Euangelio Matt. 8. Luc. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidos; Filius autẽ hominis nõ habet vbi caput ſuum reclinet*. Rurſum Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in Zonis veſtris*, & Luc. 10. *Nolite portare ſacculum, neque peram*: quod cõfirmatur dicto illo c. 22. eiuſdem Euangeliſtæ, *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, nunquid aliquid defuit vobis*? Sunt alij loci, ex quibus conſtat Chriſtum vixiſſe de eleemoſinis ſibi, ac ſuo Collegio erogatis. Lucæ 8. *Miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Hoc ipſum ille fortuitus victus monſtrat, de quo Chriſtus Lucæ 10. *Manducate quæ apponuntur vobis: edentes, et bibentes quæ apud illos ſunt*, quibus teſtimoniis ſatis ea ſententia ſtabilitur.

Contra tamen ſenſit ac docuit Ioannes XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, de verbor. ſignific. ſcilicet Chriſtum non ſolo vſu fuiſſe contentum, ſed aliquod dominium ſaltem in communi habuiſſe. Nititur duobus locis, & quidem idoneis. Vtroque Ioannis Euangeliſtæ. Alter eſt c. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent hi*? qui modus loquendi innuit apud ſe eſſe numos, cùm præſertim reſpondeat Philippus: *ducentorum denariorum panes non ſufficiant* eſſaggerando enim

pretij magnitudinem indicauit minorum ſe ſummam habere. Firmat conjecturam textus Marci c. 6. *Emamus ducentos denarios panes*; ſumptis proximis verbis. *Emant ſibi cibos quos manducent*, quaſi dicerent diſcipuli. Habent ij ſummam iuſtam pro tanta multitudine; quæ apud nos eſt, non ſufficit. Manifeſtior eſt ille Ioannis 4. *Diſcipuli abierant in Ciuitatem vt cibos emerent*: Pecuniis quas habebant. Sed tertius locus inuictus eſt, ac perſpicuus Ioan. 12. de Iuda. *Fur erat, & loculos habens ea quę mittebantur portabat*. Inde extrahebat ad emēda neceſſaria, & ad eleemoſynas pauperibus de mandato Chriſti erogandas. Quēadmodum ipſemet Euangeliſta exponit c. 13. *Dicit ei, quod facis, fac citius. Quidam enim putabant qui loculos habebāt Iudas, quod dixiſſet ei Ieſus. Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret*. Ecce Iudas gazophylax, & diſpenſator in Chriſti Collegio. Iam vero ex Act. Apoſtolorum conſtat, vendi ſolere bona fidelium, & pretium deferri, & ponit ad pedes Apoſtolorum & in commune dominium trāſire; verba ſunt expreſſa. *Neq; quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia*. Auferebatur proprium, manebat publicum. Magnum exhibet iſta diuerſitas negotium interpretibus Euangelii, & Sacrorum Canonum ſcriptoribus Religioſis, dū quiſque vult proprium ſuę paupertatis ſchema defendere, noſtris præcipuè Franciſcanis, qui Nicolao III. adhærent: & primum, ac perfectiſſimā mendicitatem ſine vllo dominio profitentur, quorum ego vnus ſum, qui hac de re tractationem accuratam, & pro meo captu elaboratam inſtitui, & propalaui Romæ in cauſa grauiſſima, quam breuiter volo commemorare. Initio Pontificatus felicis Papæ Clementis IX. felicioris ſi diutius imperaſſet, in cuius tamen domo duo ſunt pignora futuri Pontificatus Omine ex vnius, re, alterius nomine, Felici, queſtio extitit maxima ſuper vectigali ſoluendo Cameræ Apoſtolicæ de vino conducto pro Fratribus Franciſcanis. Decretum cum diſtinctione; vt Reformati, & Capuccini ne ſoluerent: ſoluerent vero Obſeruantes Aracælitani: eo vel maxime quia in conſuetudinem verterat Fratrum incuria. Guardianus id temporis erat Vir ſummæ virtutis, & animi, voluit ſe ſtrenuè opponere decreto, & re mecum communicata, vbi me aſſentientē vidit, ſuſcepit alacer negotium, ac meum exorauit ſuffragium. Scripſi, & quidem animosè, & accuratè, & anſa accepta legi, quæ in rem facere poſſent, ac inter ea Bullas omnium ſuper Franciſcana Paupertate Pontificum. Quibus perſpectis, ac perpenſis, hunc in modum rationem formaui. Nos obſeruantes non habere vllum, nec in communi, nec in particulari dominium, ac veros eſſe Pauperes Mendicantes, & nudo, ac ſimplici vſu eſſe contentos. Scilicet ex vi inſtituti & regulæ S. P. N. Franciſci, quam iurati omnes ſeruabamus, ſicut Patres Reformati, & Capuccini, qui ex nobis emerſerant, & exierant. Quare qua ij ratione excipiebantur, nos quoque eorum Maiores exceptum iri, cum primęui, ac germani inſtituti eſſemus. Quod ſi aliquem è noſtris à regula deſciſcere contingebat, id priuatorum delictum eſſe, non communitatis defectum. Manere regulam in ſuo vigore. & nihil eidem, priuatorum quorundam tranſgreſſiones immobilibus omnino carere: mobilia, & pecunias

nias

nias & cætera vtenſilia in vſu eſſe, & vſu ipſo conſumi, dominio ad Papam translato, cuius ne vmbram quidem apud Fratres, vel conuentus reſidere, idque liquire ex Bullis Pontificum, & ſpecialiter ex litteris vnionis Leonis x. apud quem noſter Ordo diuiſus prorſus eſt, ac ſeparatus ab Ordine Patrum Conuentualium, à quibus nos receſſimus propoſita conditione obſeruandi verum, ac germanum inſtitutum & regulam S. P. N. Franciſci de vitanda omni propietate, ſolo, & nudo vſu retento: ac in ſtatu remanſimus; & exinde Obſeruantiæ nominati, imo & *Reformati* ſicuti apparet in Bulla propter ſtrictam formam Paupertatis: à qua qui reſiliunt peccãt contra Regulã, & puniri debent: quod non eſſet, niſi Regula eſſet vetans peccare. Itaque non minus peccat quiſque Obſeruans in habendo proprio, quam quiuis Reformatus, aut Capuccinus. Quorum etſi nonnulli, mortales quippe ſunt, à Regula deflexerint, non idcirco eam euerterint. Hac ratione ſatisfeci æmulis quibuſdam obiicientibus priuatorum culpas, & retorſi in eos obiectum; nam ſi eos peccare arguebant, regulam eſſe quã ipſi violarent peccando: ac ex peccato inſtitutum probari. Iam vero ex hoc ſequebatur illud, Fratres Obſeruantes immunes prorſus habendos eſſe à vectigali cum ſolo vſu, & nudo eoque à Pontificibus accepto, qui erant Domini, fuerentur, quo ſi eos priuare vellent iure dominorum poſſe, cum nihil dominij Fratribus ineſſet; ſed totum in Põtifice remaneret. Adieci, quod Aduocatis ſubtile viſum eſt, illud vectigal abſurdum omnino, & ineptum eſſe, redibat quippe ad eundẽ Pontificem ſolutio: cum ea bona illius eſſent propria, non Fratrum, vnde fieret, vt ipſemet Pontifices ſibimetipſis vectigal imponerent, & ſoluerẽt. Placuit vehementer ratio. Itaque ſublatum eſt onus, & onos obſeruantes inter PP. Reformatos, & Capuccinos numerati ſumus. Duo hinc ſunt conſecuta: alterum honorificum, alterum vtile Honorificum, quòd verè Obſeruantes Paupertatis S. Franciſci primæuæ non minus quàm PP. ſtrictioris Obſeruantiæ ſiue Reformati, & PP. Capuccini, cõtra quàm vulgus putat, iudicaremur; vtile quòd deinceps ab illo vectigali, quod nimis erat propter multitudinem Fratrum graue liberi maneremus.

Redeo ad inſtitutum. Egi tum ſerio, & accurate de quæſtione preſenti, examinaui, expendi Bullas & in iis cõtentas ſententias Pontificum, conſului plures de eo ſcriptores; ac imprimis Turrecrematã lib. 2. ſummę Dominicum, Soto lib. 1. de Iuſt. & Iur. q. 1. ar. 1. Bellarminum lib. 4. de ſummo Pont. c. 14. Suarez tom. 2. in 3. p. qu. 30 d. 18. ſect. 2. & ex noſtris quamplurimos præcipuè Mirandam in manuali Prælator. tom. 1. q. 11. a. 3. Sunt qui putent diſtinguendum inter res, & perſonas. Hoc modo: Primo quoad res. Bona vel eſſe mobilia, vel immobilia. Horũ nullum prorſus dominiũ Chriſtum, & Apoſtolos, nec in particulari, nec in communi habuiſſe: illorum tamen in communi ſolum, nõ in particulari habuiſſe. Itaque nihil eos aut prædii, aut vineæ, aut agri, domuſue poſſediſſe: pecuniarum autem, quæ ex eorum venditione fiebant, pretium in commune contuliſſe, atque adeo in publicum tranſiiſſe. Quemadmodum legimus in Actis Apoſtolorum fieri ſolitum, & notat S. Antoninus in Sum. p. 4. c. 4. ʃ. 20. 21. 23. quem ſequitur vir doctus Gallus: Mauritius à

Matre

Matre Dei Auguſtinianus Excalceatus in ſua Sacra Eremo. Quæ mihi certè ſententia ex parte arridet. Nam Chriſtus nec Apoſtoli in Euangelio nũquam eo genere reductionis pretij vſi ſunt, nec ipſi ſibi quicquam acceperunt ex vllis bonis venditis, & in cõmunes vſus retulerunt. Immò contrà Chriſtus ſequentibus ſe mandabat, vt ſua bona relinquerent, & venderent, & pretium darent pauperibus: vt nihil ad eos rediret, vt nihil ſecum, ne in publicos quidem vſus, traherent. Paſſim id occurrit in Euangelio. Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. vbique ſemper affigitur *Da pauperibus*, & additur *veni, ſequere me:* ſpoliatus & re, & pretio rei pauperibus erogato. Quod attinet ad morem vſitatum in ſtatu Apoſtolorum obſeruandum; id quidem vſitatum fuiſſe inter Fideles ad Fidem conuerſos permiſſione, & conſilio Apoſtolorum ità volentium prouidere neceſſitati publicę, & ſtatui paupertatis, qui ſatis eſſet ad renuntiandum proprio, conferendo pretium in commune. Animaduerto tamẽ Apoſtolus viuente Domino ceu in Collegio habitaſſe, & habuiſſe interdum dominiũ in communi pecuniarum, quę mittebantur in marſupium & pro omnib. vt apparet Io. c. 12. Deinde poſt Reſurrect. Dom. Initio cum fidelibus indifferenter permiſiſſe illud dominium cõmune ſine vlla proprietate. Poſtea tamen cum ad prædicandũ ſe contuliſſent diuerſimode ſe geſſiſſe, & ex eleemoſynis fideliũ mendicantium more vixiſſe, & ex fortuito victu manducaſſe iuxta illud *Manducate quę apponũtur vobis*. Imo & Paulus laborabat propriis manibus vt victum quęreret. Act. 18. e 20. quod erat proprium Vitę Apoſtolicæ & Euang prædicantium. Itaque mihi placet pars prima. Recognoſcamus ſecundã à perſonis petitã! Aiunt quidã Chriſtum, & Diſcipulos duas egiſse, perſonas: Priuatam in via perfectionis: & in hac nihil omnino vllo modo propriũ poſſediſſe: in publica vero quatenus ſe conformabant cum vulgo Chriſtianorũ, etiã infirmo, & imperfecto per quãdã indulgentiã, & permiſſionẽ proprium aliquid non in particulari, ſed in communi admiſiſſe, ac ita omnia cõponi, tum in Euangel. tum in Bullis. Equidẽ diſtinctionem perſonarum probo, ſed aliquid in ea deſidero. Nã Chriſtus triplicẽ agebat perſonã: Fidelis Laici in vita cõmuni toti populo Chriſtiano, ac vt talis poterat habere dominiũ, nõ ſolum in cõmuni, ſed etiã in particulari, quale habẽt, quaſi omnes, imo etiã multi Clerici ſeculares, qui tamẽ Chiſtianè, ac piè, & ſancte viuunt. Qui ſtatus deeſt in illa, quæ ſolũ eſt bimẽbris, diſtinctione. Deinde diſplicet illud, quòd illa diſtinctio ſupponit Chriſtũ vti perſona publica erat, ſe conformaſſe ĩperfectis conſentiẽdo vt haberent dominiũ aliquod in cõmuni, quaſi verò nõ ſit magna perfectio, & propria ſtatus Religioſi priuari dominio peculiari, & proprio retinẽdo cõmune, quale omnes Religiones etiã Mẽdicantes profitentur: noſtro excepto Ordine Frãciſcano, qui diuino Spiritu edoctus, ac ductus Franciſco Pauperrimo, & ſũmę authore Paupertatis illud excellẽs inſtitutum inuenit & amplexus eſt. Igitur illa Paupertas, quę abiecto proprio in particulari dominio, cõmune retinet, ac profitetur, perfecta eſt, & Religioſa: nõ ergo ad publicã perſonã Chriſti permittẽtis & indulgentis, & compatiẽtis infirmitati hominum, ſed potius ad perſonam eiuſdem Chriſti conſilantis, & adhortantis ad talem formam paupertatis pertinet. Aliter

fieret

fieret iniuriæ omnibus alijs Religioſis Ordinibus à Chriſto inſtitutis,quibus illam Paupertatis formam aſſignauit, quā vt perfectam vouent,& profitentur. Itaque non probo reſponſionem. Quid ergo dicendum? Mihi videtur ſumenda ratio ex diuerſitate vitæ Religioſæ, & Euangelicæ. Quarum Chriſtus,& author,& idea fuit. Vtraque diſtincta, & in ſuo genere perfecta. Prima excellēs, ſed ſecunda multò excellentior. Prima attendebat ſibi intra domeſticos parietes, in Cænobijs, & Collegijs collocata, propriæ ſaluti conſulens,& publica luce abſtinens. Religioſa alligata votis, profeſſa inſtitutum aſceticum,& ſedentariam perfectionem. Alterà ad doctrinam, & ſalutem proximorum comparata, tota in procinctu eminēs, ac emanans foras per virtutes, ac opera ſingularia, quibus homines incitati, & Euangelium audirent, & Fidem reciperēt, & Chriſtò ſeſe aggregarent. Hæc propria fuit Chriſti, planè vltra Religioſam Euangelicam, quam ſuos docuit Apoſtolos, & diſcipulos, quos elegit ad Euangelium prędicandum. Quam ille dedita opera formauit præceptionibus, conſilijs, diſciplinis, exemplis multo altioribus, ſicuti apparet in Hiſtoria Euangelica. Matth.8. Lucæ 9. Marci 6.& rurſum Matth. 10. Luc. 10 præterea Matth. 10. Lucæ 22. His præcepit ne quid poſſiderent, vt fortuito victu vterentur, & vetuit multa eorum, quæ aliàs permiſerat. De hac ergo Euangelica viuendi forma loquitur Nicolaus III. quæ propria Chriſti fuit, & Apoſtolis tradita ſpecialiter, tanquam Euāgelica. De altera verò intelligit Ioannes XXII. Equidem obſeruo aliam eſſe rationem viuendi in Cœnobijs aſceticè, aliā extra cœnobia in peregrinatione, ac prædicatione Euangelica: & animaduerto viros ſanctiſſimos, qui antea in Collegijs, & Cœnobijs vixerant cum cæteris ſecundum regulam communem Religionis, ſimul ac ſeſe conuerſioni gentium addixerunt, mutaſſe Regularem illam formam viuendi in alteram excellentiorem, & perfectiorem, ideſt Euangelicam. Ita ſe geſſit Diuinus ille vir, lumen Orientis Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xauerius, qui omnes virtutes repræſentauit Gaſpar Barzæus. Coſmas Turrianus, Gōzalus, Sylueria, quanquam, Xauerius ante Societatem confirmatam tempus non habuerit cœnobitico more viuendi; Euſmodi extiterunt in America noſtri ſeculi Thaumaturgus Ioſephus Anchieta, & præclarus Eccleſiaſtes Antonius Almeida, cuius vitam elegātiſſimè ſcriptam nuper latinis typis in lucem edidit Frater meus Antonius Macedo Rector nunc inſignis Collegij, & Academiæ Eborenſis Societate Ieſu. Hi certè in predicandos nihil à noſtris Franciſcanis Antonio, Bernardino, Solano pauperrimis differebant. Frāciſcanos nomino, eoſque Obſeruant: quia hæc altiſſima (Sacra eſt S. P. N. Frācīſci) vox paupertatis forma, ſine vllo dominij, vel particularis, vel communi, genere tota eſt Franciſcana a utere Franciſco, cui eam Deus reuelauit. Ab ipſo vno inuenta, & tradita,& ſeruata tanquā pretioſa Margarita quemadmodum aduertit Aluarus Pelagius lib. de Planctu Eccleſ.2. & Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure cap.41. dub.2. Thomas Bozius de ſignis Eccleſ. lib.9. cap.35. & noſtri communiter ſcriptores. Quibus tamen refragari eſt auſus Sacræ Eremi Auguſtianæ nobilis ſcriptor Fr. Mauritius à Matre Dei Excalceatus, ſui inſti-

tuti

tuti vindex acerrimus, qui cum optimè diſputat aduerſus Calceatos Eremitas conatur adimere Paupertatis prærogatiuam Franciſcanæ noſtræ, & ſuæ familiæ attribuere, quam illa facit antiquiſſimam. Verùm cum ille nitatur debili fundamento, & producat ſermones ad Fratres in Eremo, penitus ruit eius ſententia: pudeat eum illis ſermonibus habere fidē, qui à doctis, & emunctæ naris viris reijciuntur. Mihi iam diu notum eſt maximam partem ſpurios, & ſpurcos eſſe, Auguſtini nomine prorſus indignos. Miror vehementer, quòd nonnullis probentur, etſi quidam Eremitis qui amant Auguſtiniani videri. Deſinant quæſo ſuæ opinionis, ne velint iſta vitrea fracta inter rutilas Auguſtini gemmas numerare. Hoc habeant Auguſtinū nunquam de alia Paupertatis forma, quàm de illa in primitiua Eccleſia vſitata, & ab Apoſtolis & Canonicis Regularibus tradita cogitaſſe. Scilicet ſine proprio in particulari, & cū dominio in cōmuni: quemadmodum inferiùs exponemus. Noſtram Deus S. P. N. Franciſco ſtigmatiæ ſuo reſeruabat.

§. 1. *De nuditate pedum Euangelica.*

Aggrediamur aliam controuerſiam de pedum nuditate. An & quomodo Chriſtus nudipes, & quatenus fuerit? Egimus hac de re aliàs, & quidem copioſè. Nunc pro re pauca. Nuditas pedum quiddam Religioſum ſapit. Id Exod. 3. apparet vbi dicitur Moyſi, *Solue calceamenta de pedibus tuis: terra enim in qua ſtas terra ſancta eſt*. Iterum Ioſue idem præcipitur Ioſ. cap. 5. Hinc religio Summi Sacerdotis Sancta Sanctorum nudis pedibus ingredientis: & nudipedalia Iudæorum apud Ioſephum lib. 2. de Bello Iudaico. Itē, & apud Romanos eo nomine ſupplicationes dictæ apud Tertullianum in Apoleget. cap. 30. & altius repetita ſententia Pythagoræ, *Deum aperto capite, & diſcalceatus adora*. Quare non eſt mirandum, quòd quidam Chriſtiani ſcriptores nuditatem pedum ad ſenſum ſolum myſticum trahant, quos tamen egregie refutat S. Bonauentura in Apolog. Pauper. & opuſc. de Sandalijs Apoſtol. qui in litterali ſenſu cum ſpirituali coniuncto intelligi oſtendit: & ſane ita exponit S. Auguſtinus lib. 22. c. 77. contra Fauſtum. Alioqui, & omnia illa Chriſti verba de auro, & argento, ære, pera, virga vacua eſſent, et ſolo ſpiritu conſtarent. Igitur *Calceamenta*. Sandalia, Nuditas pedum propriè ſumenda ſunt. Hęc omnium ferme Patrum, Scholaſticorum, Eccleſiaſtarum, Interpretum expoſitio eſt. Refero illud Votum Nazianzeni orat. 12. quod addidit Bonauentura *Optantis videre homines, qui viuerent ad exemplum Chriſti nudis pedibus incidentes: propter Regnum pauperes, & propter paupertatem Reges*. Quales putat fuiſſe Apoſtolos: et longe poſt eos Origenus hanc nuditatem profeſſus eſt, teſte Euſebio Cæſar. lib. 3. de vita Orig. qui homil. vnica in lib. Regnor. ait Chriſtum hunc incedendi habitum ſuis Apoſtolis præcepiſſe. Ex altero nempe Nazianzeno colligimus Chriſtum: ex altero nimirum Origene deducimus Apoſtolos nudis pedibus inceſſiſſe. Subintrat quæſtio. An ſine calceis omninò? An calceatos ex aliqua parte, puta ſandaliis? quod ſupra notauimus loco Marci, adducto cap. 6. Primùm, multi regulares, qui Calceati ex integro incedunt, tradunt Chriſtum calceis integris, ac omni ex parte tectis & munitis inceſſiſſe, vt ab

eius

eius veſtigiis uideantur deuitare hæ, ducem ſequuntur S. Antoninum 3. p.tit.23.c.1.ſ.1.nixum loco Euangel. Marci 1. Lucæ 3. Ioann. 1. *Cuius ego non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti*. Quod Matth.c.3. aliter dixit *Calceamenta portare* quòd maius videtur afferre pondus. Huic opinioni vulgò creduntur fauere Caietanus in Matth. cap. 19. & Maldonatus Matth. 10. & Barradas in Matth. cap.10. quia interpretantur de duplicatis Calceamentis, quaſi vetet Chriſtus duo paria calceamentorum habere, ſicuti vetuerat duas tunicas: quē ſenſum Maldonatus acutus interpres Iuuēco Sacro Poetæ attribuit docenti, *Nec plantis tegmina bina*, vt nihil affectato ſtudio duplicatum quærerent. Verum hæc opinio reijcienda eſt, nam textus Euangelicus facile exponitur de ſandalijs vti dicemus inferius. S. Antoninus de Calceamento minimè integro, ac omnino tecto haud loquitur. Apponit quippe exēplum de Caligis Petri, quæ ſandalia ſunt, non calcei iuſti, ac vulgaris: quemadmodum vertit Chryſoſtomus, caligas, ſandalia. Homil. 26. Act. Apoſtol. Ac in eodem ſenſu loquuntur Caietanus, Maldonatus, Barradas. Caietanus enim ait ibi *Mittuntur*, inquit, *Calceati ſandalijs*: etenim ex induſtria *Marcus dixit quod miſit eos calceatos ſandalijs*. Ergo illa duplicata calceamenta, & vt ait *mutanda* non important Calceamento integra, ſed ferunt ſandalia. Barradas expreſsè dicit. *Reſpondeo ſenſum Domini eſſe, neque calceamenta portetis alia præter ſandalia, quæ in pedibus habetis*: Maldonatus item, *Marcus ſignificat iuſſiſſe Chriſtum, vt illa ipſa ſandalia, quibus tunc calceati erāt non plura ferrent*. Omnia manent alligata ſandaliis: nec ſe ad Calceos integros extendunt.

Communis doctrina eſt Chriſtum aliquando nudipedem inceſſiſſe, aliquando ſandaliatum. Calceatum, nuſquam apparet, inducto diſcrimine inter Calceos integros, & ſandalia: eoque accepto poſſe dici impropriè calceatum, cum ſandalium certum quoddam calceamentum ſit, quod nudis omnino pedibus opponitur. Eſt autem phraſis Euangelica in Marco cap. 6. *Calceatos Sandalijs*. Sunt autem ſandalia, quæ alio nomine *Soleæ* dicuntur, teſte S. Auguſtino lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. c. 30. his verbis quibus etiam formam deſcribit *Marcus dicendo calceare Apoſtolis ſandalijs vel ſoleis vt pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram, &c.* In rem Tertull. lib. de Pallio. cap. 5. *Soleæ præter habenas quibus religabantur nihil habebant quod ſordidari poſſet*. Perinde ac ſandalia. Vnde Rupertus lib. 1. de diuin. offi. c. 24 *Per ligula pedibus ſandalia conſtringuntur*. Pamel. in Tertull. loco proximo. *Calceatus Chriſtianorum, crepidæ, aut ſoleæ pro ſandalijs, quibus imæ, tantum calces, ſeu plantæ tegerentur*. Cornel. Act. 12. *Sandalia ſiue ſoleas*, ait, *geſtaſſe Chriſtū* aut ore Clementi Alexandrino. Emmanuel Sà in Marcum 6. *Sandalium genus eſt calceamenti: Soleas quidam appellant*. Nec omittam Calepinum *Soleæ dictæ quod ſola pedibus ſubijciantur*. Conſentit Rauiſius Textor, & Bayffius de re veſtiar. Sed malo Sacros. S. Bonauentura in ſuo de ſandalijs Apoſt. opuſculo ex gloſſa ad c.6. ad Epheſios. & Matt. 10. *Soleas & Sandalia* perinde habet. S. Thom. in eandem epiſt. ad Epheſ. cap. 6 *Calceatos*, dicit Apoſtolos *Sandalijs, quæ ſubtus habent ſoleas*. Petri Comeſto-

Digitized by Google

cis perſpicua eſt ſententia in Hiſtor. Scholaſt. tit. *Quod Apoſtoli miſſi ſunt cum poteſtate curandi*. *Secundum Marcum*, inquit, *Soleis*, vel *Sandalijs iuſsi ſunt uti.* Alphonſus Toſtatus diſertè qu. 83. in Act. Apoſtol. *Apoſtoli habebāt ſoleas, quæ vocantur Sandalia*, Marci 6. *Sandalijs calceati*, Tandem S.Thom. in cap. Matth. 10. *Marcus dicendo calceari Apoſtolos ſandalijs, vel ſoleis*: quem iterum laudo, ne quis vocet in dubium verba proxima ad Epheſios, vbi minus clarè id ponit. Tanti apud me eſt auctoritas Doctoris Angelici. Ac ne quis minus rei veſtiariæ peritus putet Petrū Apoſtolum ſecus, ac Chriſtum calceatum fuiſſe ob illa verba Angeli ad eum Act. 12. *Calcea te caligas tuas*, ſciat is perinde eſſe Caligas, & Sandalia: quod notant Interpretes ad eum locum, & obſeruat Maldonatus in c. 10. Matth. adducto textu Græco ὑποδήματα, quæ ſandalia ſonant: ita vt verba græca ſint ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, ideſt *Calcea te Caligas tuas*, vt vertit Latinus interpres. Vnde Calepinus *Sandaliū* inquit, *Calceorum genus eſt ſine Caligarum*. Sà in rem cum ſocio Maldonato ad 6. cap. Marci, *Sandalia ſoleas quidam appellant*. *Actorum* 12. *vertit* Interpres *Caligas*. Concurrit Ioannes Ianuenſ. in ſuo Cathol. Anno 1285. Verbo *Sandalium. In* 12. ait, Act. dicit Angelus Petro *Calcea te Caligas tuas, in græco habetur Sandalia tua*. S. Hieronymi illuſtre teſtimonium eſt in Epiſt. ad Euſtoch de Cuſtod. Virginit. *Non habebant caligas quas tollerent*. ideſt ſandalia: & rurſum ad Ageruch. *Apoſtoli toto orbe peregrini non æs, non argentum in Zona: non caligas habuiſſe in pedibus*; ideſt, *Sandalia*. Par nobis ſuppeditat Chryſoſtomus tom. 2. lib. 9. c. 12. de miſſione Apoſt. *Manifeſtum eſt Petrum habuiſſe ſandàlia*, vnde Angelus ait *Calcea te caligas tuas*. En Latina verſio Caligas, & *Sandalia* pro eodem poſuit. Scio eſſe nonnullos qui exiſtimant, idque magnoperè contendunt *Caligas* tibiarū eſſe, non pedum tantum calceamenta ſed etiam *Tegmina crurum*, vt cum Virgilio dicam, non inficior interdum pro iis ſumi, ſed in profanis: verùm in ſacris litteris, & Patrum & Eccleſiaſtarum ſcriptis ſumūtur Caligæ pro Sandaliis: Qua de re diligenter ac eruditè Iulius Nigronius *de Antiquorum Caliga* poſt *Bonauenturam* opuſculo de Sandalijs. Certe Ludouicus de Angelis Eremita Auguſtinianus Chronologus ſui Ordinis Generalis, quem laude virtutis & ſapientiæ florentem puer Conimbricæ agnoui lib. 4. de vita, & laudib. D. P. Auguſtini pro eodem ſumere ſolet *Sandalia & caligas*. *Sandaliola & caligulas*, quem virum honoris cauſa nomino.

His animaduerſis controuerſiam tribus cōclusionibus decidamus. Prima ſit Chriſtus Dominus non legitur Calceatus propriè, & integrè inceſſiſſe: nec id genus calceamenti Apoſtolis præcepiſſe, aut permiſiſſe. Conſtat ex Euangelio, & Actis Apoſtolorum, vbi nulla mentio huiuſmodi calceatus inuenitur. Vnus enim qui obiicitur locus Ioannis de ſoluenda Corrigia Calceamenti rem non continet, nec authoritas, quæ afferri ſolet Auguſtini perſuadet. Loci enim illius verba ſatis explicantur per *Sandalia*, ſiue *ſoleas*, ſiue *caligas* quę integra, & propria calceamenta non ſunt, quemadmodum exponit S. Bonauentura tom. 1. opuſc. fol. 316. in expoſit. Regul. Fratrum Minor. cap. 6. & fol. 430. in epiſtol. *De eo quod Chriſtus*.

Rupert.

Digitized by Google

Rupert.l.16. de Diuin.offic. cap.14. de Sandalijs. Durand. Mimatenſ. Epiſcop. in Rationali Diuin. Offic. lib. 3. Rubr. de Calceo, & Sandali. Barrad. in Concord.& Hiſtor.Euang. tomo 2.l.1.c.9. Cornel.à Lapide qui vti proxime diximus, laudat pro hac expoſitione Clementem Alexandrinum lib. Pædag. 2. de calceamentis cap. 1. eumque ita capit idem Cornelius in Act. Apoſt. cap. 12.& quidem admodum congruenter. Quare textus ille rem iuſti, ac proprii calceamenti non conficit. Iam vero Auguſtini authoritas, quam vehementer vrgent, & inculcant aduerſarij: ea quidem eleuatur, quia ſumitur ex ſer. 42. de Sãct. qui ſermones nõ ſunt omnes certi ac indubitati Auguſtini, ſicuti alij de verbis Domini. De verb. Apoſtoli legitimi, ac germani fœtus. Verùm quia ille communiter recipitur. Apte, & in rem expono. Id eiuſmodi eſt. *De his calceamentis*, inquit, *quibus calceati ambulamus conſolatur me idem Dominus meus. Si enim ipſe calceatus non eſſet, non de illo Ioannis diceret. Non ſum dignus corrigiam ſoluere calceamentorum eius*: quæ ſententia ſtare ex integro poteſt cum Sandaliis, ſiue caligis; quemadmodum ipſum Auguſtinum, cuius proxime adducit verba, interpretatur grauis Autor Sebaſtianus Barradas: Vir & Sanctitate,& litteratura eximius: mihi puero, & notus, & carus in Collegio Conimbricenſi Societatis Ieſu eius Religionis, quæ non Sandaliis, ſed integris calceis vtitur, ad quem attinebat eos ſuſtinere: & tamen ſentit Chriſtum non vſitatis apud Societatẽ Calceis, ſed Sãdalijs calceatum fuiſſe; nec loco Auguſtini mouetur, cuius magna ſemper eſt apud ipſum autoritas, quod vidit Auguſtini verba pro ſandaliis poni poſſe. Eximit ergo de his calceis ſcrupulum, ne nos in curſu ſcribendi offendat.

Nonnulli ſcriptores putant, hanc contentionem de ſenſu loci S. Auguſtini eſſe relinquendam Patribus Eremitis Auguſtinianis, à quibus ea vehementer agitatur, calceatis quidẽ eũ ad ſe cum integris calceis trahentibus excalceatis contra pro Sandalijs pugnantibus. Canonici quippe Regulares minus de eo laborant, quòd Auguſtinum Monachum negant fuiſſe, ac proinde abſtinent à quæſtione proprie Aſcetica, & Eremitica. Quamquam ego minus arbitror ab illorum inſtituto alienam. Cùm enim Auguſtinus Canonicus Regularis fuerit, iiſque Regulam dederit ad formam viuendi Apoſtolicam comparatam, oportebat iis ſe & in veſtitu & in calceatu conformare. Vnde probabile iudico Auguſtinum ſandaliatum inceſſiſſe, eumque incedendi modum ſuis item Canonicis præſcripſiſſe. De quo nos poſteà commemorabimus.

Comperto Chriſtum geſtaſſe ſandalia, conſequens eſt vt Apoſtoli eadem geſtarint cùm præſertim Chriſtus Marci 6. dixerit *Calceatos Sandaliis*. Et Petro Angelus Act. 12. *Calcea te caligas tuas*. Imo Petrus Comeſtor vult fuiſſe præceptum in Hiſtor. Scholaſt. de miſſione Apoſt. Indicat S. Thomas cap 6. epiſt. ad Epheſ. probat Bonau. opuſc. de Sandal. Eſſe autem ſacrum calceandi genus ex Romanis Ritualibus patet: & tradit in Rationali Durand. & Alcuinus in diuin. off. cum Microl. & alijs: Docet idem Toſtatus q. 68. in cap. 3. Matth. Conſentiunt interpretes Caiet. Cornel. Barrad. Maldonatus; nec inuenio qui eat inficiãs; dummodò inter-

Digitized by Google

dum non perpetuò fecerint. Quæritur enim.

Vtrum Chriſtus nudipes omnino cum Apoſtolis aliquando inceſſerit? Omnino eſt affirmandum. Traditur à Bonauentura ſæpè, ac doctè, & in vita Chriſti, & in Regul. & in Apologia Pauper. Conſentiunt omnes noſtri authores: Duce D. Hieronymo acutè ponderante diuiſionem veſtium Chriſti, & obſeruante nullam ibi fieri mentionem de calceis. *Milites veſtimentis Ieſu ſorte diuiſis caligas non habebant, quas tollerent: nec enim poterat habere quod prohibuerat ſeruis*. Hinc ad Apoſtolos conſuetudo. Idem Hieron. Amos cap. 3. *Vnde & Apoſtoli abſque calceamentis, & vlla mortui animatis pellicula nudis pedibus iubebantur incedere*. Verba Hieronymi confirmant ſuſpirium Magiſtri ſui, ideſt Nazianzeni Orat. 12. apud Bonauent. Do verba idonea, & iuſta *Optabat videre homines, qui viuerent ad exemplum Prædicatoris Euangelij Chriſti nudis pedibus incedentes*. Nominat Euangelium Chriſti, quod ipſe primus prędicauit. Inter quos numerari voluit Origenes apud Euſebium lib. 6. de Hiſt. Eccl. c. 3. *Per multos hic annos abſque omni calceamento nudis traditur inceſſiſſe veſtigijs*. Adducitur item Chryſoſt. qui innuit quidem, non exprimit Homil. vlt. ſuper Matthæum, & Matth. 10. Certius, & conſtantius afferri poteſt Origenes in lib. Regn. Homil. vn. & fortaſſe Ambroſius lib. de fuga Seculi c. 5. Expreſsè hanc ſententiam tenet Lyra in c. 1. Matth. & Lucæ 7. Dionyſ. Carthuſ. in c. Lucę 22. Bruno de Imaginib. cap. 9. Cornel. Ianſen. in Concord. cap. 16. Stella in Luc. cap. 3. Matthæus Toring. replica contra Burgens. c. 1. Apparet hoc in ipſiſmet veſtigiis pedum Chriſti nuditatem oculis ingerentibus: quorum multa extant exempla apud Burchardum, & Adrichomium. Itaque muti pedes pro nuditate pedum clamant. Accedat teſtimonium ſanctæ Brigittæ: quod eiuſmodi eſt. *Domine mi Ieſu benedicantur, & adorentur pedes tui beatiſſimi, quia cum magno dolore tuo per aſperiorem viam, quam alios docuiſti, in hoc mundo diſcalceatis pedibus ambulaſti*. Vt tamen hoc multis authoritatis momẽtis probetur, nullum apud me maius pondus habet, quàm exẽplũ S. P. N. Franciſci, qui hoc inſtitutum ſeruauit nudis omnino pedibus incedendi. Nam vt narrant hiſtoriæ, ille cum vidiſſet ſemitam, qua Chriſtus ad perfectionis culmen tetendit, ob multitudinem, ſequentium tritam, & exeſam eſſe, nec ſatis iuſta, & ordinata extare veſtigia, humi proſtratus intentiſſimis oculis ea inueſtigauit, & amoto puluere ingeſto, & reducto ad normam rectam paulùm detorto ordine plantarum, veram poſituram pedum indagauit, & omnibus indagatam indicijs, oculis expoſuit; ac ita deinceps ſuos impreſſit pedes, vt ne latum quidem à greſſu vnquam deuiarit; ac eo certiùs, quòd ea actio ad pedes, ideſt ad humiliorem partem corporis pertinebat, à quo humilitatis ſcopo ſibi dedita opera propoſito, non potuit aberrare. Plus itaque in pedibus vidit, quam cæteri, ac proinde nudos cum vidiſſet, amplexus eſt, ac profeſſus pedum nuditatem: quam Religioſi plurimi Hiſpaniæ Obſeruantium, qui Diſcalceati vocantur, nudipedes profitentur, cuiuſmodi fuit S. Petrus ab Alcantara Obſeruantiæ Diſcalceatus.

Nec verò deſũt teſtimonia Euãgelij, quibus hæc nudipedis Chriſti ſpecies con-

confirmetur: quorũ ſupra me minimus. S. Bonauenturæ arriſit locus ille Lucæ 7. *Obſecro*, inquit, *ſi Chriſtus nudis pedibus minimè inceſſiſſet qualiter rationabiliter de Phariſæo conqueſtus fuiſſet dicẽs: Aquam pedibus meis non dediſti*. Et quidem iure. Eo mihi exciuit memoriam alterius ſimilis Ioann. 13. cum Chriſtus loturus pedes diſcipulorum. Dixit Petro. *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet*, quæ ſordes nitidè oſtendunt nudos pedes, qui ſordes contraxerant. Qui certè non ferunt exceptionem illam qua quidam eleuant autoritatem loci Lucæ proximè adducti de Magdalena vngente, & rigante, & tergente pedes Chriſti, quaſi nudos non ſandaliatos. Aiunt quippe Chriſtum accubuiſſe menſæ more Romano, in lecto, atque adeo ratione loci nudos habuiſſe pedes. Vtrum ego non facile aſſentior huic opinioni, quod exiſtimo Iudæos aſsediſſe menſæ, non accubuiſſe: quem morem picturæ affirmant: & id hoc loco probo: non enim decebat, ut femina lecto incũberet, & ibi ea obiret miniſteria, & aliud exemplum adhibeo ex Ioanne c. 13. vbi eadẽ Magdalena caput Chriſti vnxit, quod minus quadrabat in lectum, in quo Ieſus recumberet. Pudorem quendam mihi affert habitus iacentis & vngi ſe patientis. Sedebat ergo Ieſus, & mulieri ſedẽtis pedes apprehendit, ac ijs pietatis officijs demulſit. Cæterum ad producta nuditatis pedum teſtimonia proximo cap. prouoco, ac confir no Chriſtum plerumque nudipedem fuiſſe.

Venio ad Apoſtolos. De quibus conſecutione idonea conſtat ſicuti Magiſter ambulauit, & ipſos ambulaſſe. Loci in promptu relegenti ſuperiora erunt. Ac ne quem turbet locus Marci 6. de ſandalijs, illa permiſſio fuit, non mandatum: imo exceptio quę firmat regulam non portandi calceamenta. Euthymij expoſitionẽ afferam, quæ mihi arriſit. Matth. 10. *Dignum eſt vt inquiramus, quomodo Mattheus, & Lucas dicunt dixiſſe vt illi neque calceamenta, neque baculos haberent. Marcus verò ait ſola hæc ijs permiſiſſe*, ideſt ſandalia. *Quid ergo dicendum eſt? Quod primum quidem ita iuſſerit ſicut Matthæus, & Lucas dixerunt* (ideſt nolite portare vlla calceamenta) *poſtmodum autem permiſerit eis, vt calcearentur tantùm ſandalys, & retinerent baculum ad pedum cuſtodiam, & ſuſtentamentum corporis, demittens ſe ad imbecillitatem eorum propter laborem ab itinere prouenientem*. Itaque Euthymio authore diſpenſatio illa, & indulgentia fuit. Certè verba Nazianzieni toties à nobis indicata eum ſenſum confirmant: perſpicuè enim loquitur de habitu prędicatorum more Apoſtolico incedentium. Audiamus hunc Theologię verticem totum nobis habitum Prædicatoris Euangelici deſcribentem. orat. 12. *Cupiebam & intentis ac ſolicitis oculis requirebam Sanctum illum canentem chorum, qui ad exemplum melioris vitæ omnibus viuunt legis Dei, atq; Euangelij Chriſti taciti Prædicatores, in quibus ipſemet habitus præfert virtutis inſignia: hirſutum caput, incultis, & horrentibus comis, pedes nudi, & Apoſtolicis ſimiles*. Eiuſdemmet inſtituti erant Monachi ab his deriuati, de quibus ita Caſſianus lib. de habitu Monachali *Calceamenta veluti interdicta Euangelij pręcepto recuſantes: cum infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, vel meridiani æſtus feruor exegerit tantummodo caligis muniunt pedes* hoc

hoc modo interpretantes vſum eorum: En exemplo ſtabilita illa permiſſio *Sandaliorum* ob neceſſitatem exigentem vſum calceorum, non quidem integrorum, ſed ſolearum. Hinc eſt quòd S. Hieronymus ſuppar, ac pene ſynchronos Magiſtri ſui Nazianzeni lib. cont. Iouinianum, cum ipſo expoſtulat, quòd cum prius nudipes eſſet poſtea deſciſcens à Fide & profeſſione Monachali calceos, & quidē ambitiosè ad ſpeciē deauratos geſtauerit. Firmant doctrinam duo nobiles interpretes Tertulliani Pamelius, & Cerda in notis ad librū de Pallio c. 7. quo in loco Tertullianus *nudipedem* Chriſtianum non vnguipedem, quales erant gentiles, vel in medio algores, & ardore inducit. Claudo duplici ſententia. Vna Sancti Bonauenturæ in Apolog. pauperum. *Chriſtus nudis pedibus inceſſit, & Apoſtoli ad mandatum ipſius.* Altera Dionyſij Carthuſiani comment. in Lucam cap. 22. *Apoſtoli nudis pedibus inceſſerunt & Chriſtus, in ſignum contemptus huius mundi.* Coronis eſto. Pro diuerſo viuendi Religioſo, & Euangelico ſtatu, duas illas incedendi formas Chriſtū alteram Sandaliatorum, alteram Nudipedum inſtituiſſe.

CAPVT IV.

De forma vitæ Apoſtolicę, & an à Chriſto, & quomodo expreſſa, & præſcripta fuerit?

DVo conſtare inter Eccleſiaſticos, & Aſceticos authores video: Alterum Apoſtolos Religioſam duxiſſe vitam. Alterum Canonicos Regulares ab iis tandem religiosè viuendi formam per Auguſtinum accepiſſe. Primum tradunt S. Antoninus in ſum. Hiſtor. tit. 15. c. 16. Gerſon. Alphab. 22. lit. N. Thomas Vualdenſ. lib. de Sacram. c. 5. Clictouæus opere de votis monaſt. Panuinius lib. 7. Vrb. Eccle. Bellarminus lib. 2. de Monach. c. 5. Paludan. in 4. ſent. d. 38. Cicada Cardinal. tit. S. Clement. in ſua præclara relatione apud Celſum. Hieron. Plati. lib. 2. c. 20. 24. Richard. Cenoman. in Antidoto contra Eraſmum ad Regul. S. Auguſt. Pennot. in Hiſt. Tripar. lib. 2. c. 4. 5 Melegarius init. ſui operis de Ord. Apoſtolici. Bordonus lib. de præcedent. c. 4. Serenius Dilucid. 1. & 2. Ego duobus hoc imprimis Principibus Theologiæ probo authoribus. Angelico doctore S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 4. & Auguſtino lib. 17. de Ciuit. Dei c. 4. quorum ſuo loco teſtimonia producam. Secundum aſſerunt S. Petrus Damianus epiſtol. ad Canon. Fanenſ. Io. Gerſon. Alphab. 2 lit. N. Vincent. Beluac. in ſpecul. hiſt. lib. 26. Onuphr. Panuin. lib. de ſept. vrbis Eccleſ. Platin. lib. 2. c. 23. Carol. Epiſcop. Nouar. lib. 2. Mauro l. in ſuo Oceano. Emmanuel Rodericius tom. 1. quæſt. Regul. q. 3. ar. 1 cap. 51. Philip. Bergomas. in ſupplem. vlt edit. lib. 14. ad an. 1401. retractans quę ante ſcripſerat. Bellarmin. de ſcrip. Eccle. in Auguſt. Bordonus lib. de præced. Gabr. Pennot. notus ſatis ob inſignem eruditionem. in ſua mirabili hiſt. Tripart. li. 2. c. 4. vbi rem hanc locupletiſſimè tractat. Ioannes Baptiſta Melegarius in Apologet. aduerſus Cellotium. Auguſtinus Papienſis in Propugnaculo Canonici Ordinis, quos ego tres *fortes & robuſtiſſimos* in caſtris Auguſtini iure appellem, qui nixi Sacris Canonibus: oraculis Pōtificum, Sanctorū teſtimonijs, ſcriptorum ſuffragiis rem euincunt. Mihi ſatis ſunt illa duo luminaria magna Eccleſiæ Auguſtinus, qui de ſe ſuis id Canonicis ſæpe affirmat ſerm. 1. 2. 3. de communi

vita

iura Clericorum, ſiue in Regula. S. Thomas in officio S. Auguſtini à S. Pio V. approbato, & 2.2. q. 88. Sententias amborum in decurſu diſputationis cum Poſſidonij, quem ſit nefas ab Auguſtino auellere idem confirmantis teſtimonio, afferemus. Nunc ſatis palmare dictum Romani Breuiarij lect. 4. de feſto S. Auguſtini. *Familiam inſtituit Religioſorum, quibus cum victu communi, eodemq; cultu vtens, eos ad Apoſtolicæ vitæ doctrinæque diſciplinam diligentiſſime erudiebat*. Verũ hæc pars poſterior in aliud tempus, & locum referenda. Circa primam duæ hic quæſtionis exiſtunt. Cuiuſmodi fuerit formula Apoſtolicæ vitæ? & an à Chriſto præſcripta, & in Euangelio expreſſa, & quatenus, & vbi? Has mihi duas vidico & accuratè expedio: non leui brachio, ſed lentè, ac operosè; ſumptis primùm ab Auctoribus iis, quæ rem continent idoneæ profeſſionis, iuſtæ, ac ſolemnis perfectionis ad verum Ordinem Religioſum conſtituendum.

Equidem legens Acta Apoſtolorum comperio eorum profeſſionem fuiſſe compoſitam ex contemplatrice, & actuoſa vita, vt illa cõtemplatio nõ eſſet ſedentaria, qualis Mariæ, quæ *Sedebat ſecus pedes Domini*, nec otioſa, & quieta eſſet, qualis Marthæ, quę ſolicita erat de ſolo miniſterio temporali: ſed coniunctim, & pariter ad Apicem perfectionis gradientes, quales erant Alæ Seraphinorum apud Iſaiam c. 6. qui colligebant quatuor ad cõtemplãdum, & explicabant duas ad volandum: docendo proximos prædicatione, & iuuando ſacramentorum adminiſtratione. *Attendebant ſibi*, quod ad Timotheum c. 4. dixit Paulus, *& doctrinæ*. Orabant vti Monachi, & ſolitarii. Agebant tanquam Clerici, & operarii. Capiebant à ſpiritu contemplando vires, quas collocarent in operando. A Deo principium. Poſt Aſcenſionem Domini Act. 1. *Erant in Cęnaculo perſeuerantes vnanimiter in oratione*. Hac exciuerunt Spiritum Sanctum Actor. 2. Dum erant pariter in eodem loco, ac ſe accingerent ad Euangelizandum. Hinc illæ linguę igneæ, quæ motu ſuo ſurſum actæ, mẽtẽ igneam ſignificabant, vacuam timoris affectibus, & purgatam omni labe ac concretione mortali contemplationem: cuius interuentu *Repleti ſunt Spiritu Sancto*, & habiles ad prædicandum effecti, *& cœperunt loqui*. Ecce doctrina. Mox ſecuta operatio *Baptizetur vnuſquiſque ueſtrum*; & infra. *Baptizati ſunt in die illa circiter tria millia*. Imitabantur autem auditores, ac diſcipuli Magiſtros Apoſtolos *Erãt perſ ueranteſ in doctrina, & communicatione fractionis Panis, & orationibus*; egregium erat talis cibi condimentum oratio. Ea prora, & puppis fuit Apoſtolis nauigationis Euangelicæ. Nouerant cæleſtes illi Argonautæ, è Piſcatoribus duces redditi, ſecundiſſimis ſe vturos ventis à flatu Spiritus Sancti per præces implorati: acceptis ergo Actuum cap. 3. initio. *Petrus, & Ioannes aſcendebant in Templum ad horam orationis nonam*. Agnoſce in primis Canonicis, horas Canonicas. Supra cap. 1. dixerat Lucas *Hora diei Tertia*, qua deſcenderat Spiritus Sanctus: hic dicit *Horam nonam*, ac exprimit *orationis*, ſuccedunt ſibi preces, & opera. Omitto miraculum. In eodem Templo vbi orauerant: claudus, iam non claudus, credidit, & laudauit Deum: & qui hora nona venerant in templum, & ad portam vnum ſanarant, in Porticu ad Veſperam (noſti horam veſ-

Digitized by Google

veſpertino officio deſtinatam) *quinq; millia conuerterunt*. Completa feliciter die cōpletum eſt miniſteriū. Succeſſit iniectio in eos manuum,& coniectio in carcerem:non ceſſerant iniuriæ, nec ceſſarunt à prædicatione. Reuertente die proximo domum, ad orationem cum ſociis redierunt c.4. *Cum oraſſent motus eſt locus, in quo erant congregati*, quaſi ſignificaretur plauſus orantibus datus ſed ille motus pondus habebat portendens vlterius ituro operando, & monens vt grandirent gradus Euangelizando. Vnde c.5. *Augebatur credentium in domino multitudo*. Et in fin. *Omni autē die non ceſſabant in Templo, & circa domos docentes, & euangelizantes Chriſtum Ieſum*. Hærent Templo etiam cum docent, vt intelligas prius orare,& poſteà docere: vt ſaperent verba oris, mentis meditationes. Præmittitur vero,ac præfertur oratio prædicationi, quaſi ab illa in hanc influat virtus diuina: nam ſic c 6. vbi maximè exaggeratur neceſſitas, & præſtantia muneris Euangelizandi aiunt Apoſtoli: *Nos verò orationi, & miniſterio verbis inſtantes erimus*. Idque paſſim occurrit ea geſta legentibus. Videre mihi videor hoſce ædificatores Eccleſię ſimiles illis apud Eſdram 2. ſiue Nehemiā c.4. qui opus ſibi ſumpſerant ædificandi murum Hieroſolymitanum *vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium*. Iungentes operationē cū oratione gladius quippè preces ſignificat, cùm apud Ioannem Apocal. 1. egrediatur ex ore, & cęlum feriat. Itaque procedebat opus, & opera, & prece. Orandi formam eſſe Canonicam docet iterum Sacer Scriptor cap.x vbi narrat Petrum Cum auſpicaretur conuerſionem gētium à Cornelio Centurione, oraſſe ab hora *ſexta* vſque ad *nonam*. Hinc Pſalmorum, & hymnorū cantus in Eccleſijs apud Paulum Epheſ. 5. & Coloſſen.3. quibus ſe magnopere cōmoueri, & mirificè affici ſentiebat Auguſtinus, iamiam futurus Canonicus Regularis, & Apoſtolorum diſcipulus. lib. Confeſſ. 9. Obſeruandum diligenter eſt Conciones huiuſcemodi Euangelizantium ſolitas fieri in Synagogis, Eccleſiis, foris, circulis, & palàm in locis publicis, quales ſunt Parochorum, & Clericorum, quibus cura mandatur animarum. Patet cap. 7. 9. 13. 14 17. 18. 19. 21. 23. Hactenus de inſtituto Apoſtolorum, fine, ſcopo illius. Vnde apparet illud non contemplatiuum, nec actiuum tantùm, ſed ex vtroque compoſitum, & vltra priuatam,ac propriam ad communem, & publicam proximorum ſalutem, & perfectionē comparatum; quæ præſtantiſſima eſt forma Religionis: quemadmodum tradunt Patres, ac imprimis Gregorius Magnus lib.6. moral. 18. & Scholaſtici Doctores cum S. Thoma 2.2.q.187. & oſtendit Plat lib.2.c.33. De quo iterum recurret ſermo.

Vocant nos virtutes Religioſæ, ac Heroicæ, quę ſpectantur in viris perfectis, qui eminent inter laicos. Hæ ad tria capita rediguntur; ac ex oppoſito, ex tribus vitijs colliguntur, quæ capitalia proponit Ioannes Euangeliſta, Epiſt. 1. cap.2. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt: & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. His tribus principalibus malorum omnium radicibus omnino opponit Religio Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam. Paupertate tollitur concupiſcentia oculorum, quæ cupiditatem & auaritiam lucentis auri, & illicientis numi fulgore excitat.

Ca-

Caſtitate fomes ille & pruritus ſenſus, quem libido irritat, prorſus comprimitur. Obedientiæ freno accepto inſolens, & tumidus, ac effrenis Superbiæ motus coercetur. Has profeſſi ſunt Apoſtoli, ex quo ſecuti ſunt Chriſtum: ipſo atteſtante Petro. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matthæi 19. Omnia dixit quæ ad bonorum poſſeſſionem, quæ ad veneris vſum, quæ ad ſuperbiæ faſtum attinent. Impleuerant, quæ mandauerat Chriſtus. Primùm renuntiando diuitijs, & facultatibus iuxta illud Lucæ 14. *Niſi quis renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus,* & rurſum. *Nolite habere aurum, neque argentum*: quin nec ſaculum, nec peram, vt ne locus quidem ſpei lucri ſit: quod ſuperiùs multis teſtimoniis mõſtrauimus. Deinde comprimendo concupiſcentiam carnis, ſenſuumque delectationes, & titillationes voluptatis per illa verba Lucæ 16. *Sint lumbi veſtri præcincti*: imò & licita antea cum vxoribus conſortia præcipendo, & thori partem diſerendo. Idque ſignificauit Chriſtus Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem.* vt appareat ne vxori quidem communicandum: ac vt Apoſtoli nonnulli eſſent coniugati, ſicuti Petrus, tamen cùm omnia reliquerunt, vxores dimiſerunt & vſui connubiali nuncium remiſerunt. Hi ſunt illi Eunuchi, de quibus Dominus dixit in Euãgelio Matth. cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnũ cælorum*. Eos autem Paulus, qui vnus eorum erat, ſeque Virginem profitebatur, deſcribit ad Galatas 5. vbi cùm de concupiſcentia carnis luxuriantis in propudia venerea, & laſciua dehoneſtamenta diſertè loqueretur, eaque numeraſſet concluſit, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Tandem ſuperbie faſtum, & tumorem per dimiſſionem animi, & ſubmiſſionem capitis erga ſuperiores ſibi propoſitos deprimendo, de quo Chriſtus. *Qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator.* Hæc virtus includitur in illis verbis *Abneget ſemetipſum & ſequatur me.* Quid enim quæſo eſt abnegare ſe inter ipſũ, niſi ſeſe alteri ſe ſubiicere, & ſuperiorem agnoſcere? & innatum dominandi appetitum deponere? Imò hæc eſt præcipua, & ſumma virtus quam Chriſtus præſetulit & admortem vſque profeſſus eſt Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem.* Ex qua doctrina Paulus ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris*. Huius obedientiæ, multa ſunt, & illuſtria in Actis Apoſtolorum exempla: Seligo nonnulla Act. 5. 6. *Cùm Princeps Sacerdotum*. Apoſtolos deterreret à prædicando, vſus eſt auctoritate iubentis, quod ſciret eos obedientiæ ſtudio teneri, nec auſuros præceptis refragari; quare *Præcipiẽdo*, inquit *præcepimus vobis ne doceretis*. Duplicat verbum imperandi, vt terrorem morigeris incuteret: nec eum ſua fefellit opinio; nam Petrus, vt excuſaret obiectum ad diuinum, & potentius imperium recurrit, cui fortiori obedientiæ vinculo tenebatur. *Obedire*, inquit ſimul cum alijs, *oportet Deo magis, quàm dominibus*. Non ſunt auſi refragari, ſed retenta obedientia diuinam humanæ præpoſuerunt: & clauum quaſi clauo trãſferunt. Tãti apud eos fuit vel inane præceptum: ob reuerentiam fruſtrà & fictè imperantis. Eadem

dem vſus eſt obſeruantia Paulus erga Ananiam Act. 23, à quo cum percuti iuberetur, ac Paulus iniuriam, & vim illatam ei duriter exprobaſſet, & ob id à circunſtantibus reprehenderetur, quod maledicto Principem Sacerdotum impetijſſet: quaſi ad ſe rediens, & facti pœnitens dixit. *Nſciebam fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum*. Ita in illo ſpectro, non Principe, ſpeciem reueritus eſt Principatus & excuſauit ignorantiam: ita Lucas narrat cap. 23. Quid? Quòd Apoſtoli miſerant in Samariam Petrum, & Ioannem & hi quidem ierunt? cùm tamẽ Petrus princeps eſſet, & caput reliquorũ ad obedientiæ exiſtimationẽ dicto Senatus Apoſtolici obaudierũt, & Petrus præbuit ſpecimen miſſi: quin imo ipſe cum Corneliũ & gentiles baptizaſſet, & ad Eccleſiam gentes admiſiſset, ac propterea à nonnullis ex fratribus rei nouitatem mirantibus taxaretur: ille modeſtè rationem facti ſui reddidit Actorum c. xi. Deo ita iubenti cauſam aſſignans. *Si ergo eandem*, inquit, *gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* nec tamen ij, quibus reſpondit, Apoſtoli erant. Valuit apud illum morem gerendi ex demiſſione animi profectum ſtudium. Vtrum autem Apoſtoli, & ſui temporis Clerici vota hæc tria, quæ ſubſtantialia dicuntur emiſerint peculiari capite diſceptabimus.

Nunc expediamus aliam quæſtionem: *An Chriſtus Dominus*, hanc rationem viuendi expreſſerit, eamque exemplo etiam vltra diſciplinam confirmauerit? Hac in re mira eſt, & notatu digna Ioannis Gerſonis Cancellarij Pariſienſis ſententia in Alphabetto 22. litt. N. *Apoſtoli fuerunt Canonici Regulares ſub Abbate Chriſto*, quæ à pleriſque celebratur, & à nonnullis taxatur. Cæterùm quatenus facit Abbatem Chriſtum, quaſi Regularis fuerit, id quidem eſt ineptum, quatenus vero inducit Chriſtum, vti magiſtrum ſuperiorem regulas dantem & normas viuendi Apoſtolis, id quidem caret reprehenſione, & hoc in ſenſu accipiendum eſſe Gerſonem autumo, & in rem meam verto. Aſſeroque Chriſtum Dominum Canonici Regularis perſonam egiſſe; Ei citra ablegationem, & votum, & regulam; quorum Chriſtus Deus, & Summus Legiſlator capax non erat. Exempli cauſa fecit, vt doceret quid, & quomodo faciendum eſſet. Quemadmodum dixit cum diſcipulorum pedes lauit. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* Ioan. 13. Hoc autem mihi vindico proprium: probare Chriſtum egiſſe in Euangelio Canonici Regularis perſonam. Percurramus hiſtoriam Euangeliſtarũ. Incipiamus ab initio Lucæ c 2. quod ſupra iecimus. Puer duodecim annorum Ieſus quoddam quaſi tyrociniũ poſuit cum ſe ſubduxit è manibus Parentũ, & manſiſſet ab illis ſeparatus triduum in Hieruſalem, vt impleret, quod poſteà docturus erat. *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem*. Matth. 19. & *Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum*. Matth. 10. Audiamus Lucam. *Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem*. Ætas tyronem, at locus Clericum notat: Hieroſolymis, ciuitate Sancta, & ibi *in Templo* Clericorum ſede cum Doctoribus, & Sacris hominibus, ceu ab iis imbuendus doctrina, & præceptis eccleſiaſticis, inſtar

Digitized by Google

ſtar diſcipuli, interrogando, non ſibi arrogando ſcientiam, & audiendo pro ætate, non docendo, quod tamen poterat, vltra ætatem; profeſſus Clericum quaſi in ſortem Domini tranſiſſet, dum quærenti de abſentia piæ Matri reſpondit: oportere ſe eſſe in domo Patris ſui, & ſacrorum exercitio occupari. *Neſciebatis quia in eis, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Eo ſe ſegregatum ab humanis, addictumque Diuinis, declarauit. Hæc autem ſunt prima, & germana lineamenta Canonicorum Regularium, quæ tum duxit: inducturus poſteà integro, & robuſto penicillo colores, & abſolutā manu vltima imaginem perfecturus: quemadmodum poſteà decurſu temporis egit, incipiens à vita contemplatiua in deſerto ſolitarius, ac ſæpè vacans orationi, & formam præſcribens orandi apud Matth.6.& Lucæ 11. vbi propriam orationem, quam Dominicā vocamus, inſtituit, & tradidit, & vitia perperſè orantium aperit, & corrigit. Matth.14. ad patrandum inſigne miraculum ſuſpicit in cœlum, plane vt oraret Patrem, & precibus quod agitabat animo impetraret. Rurſum c.21. Matth. vindicat Templum à ſordibus nundinarum, & fæcibus mercimoniorum, & tricis quæſtuum, & lucellorum, eijcitque vendentium, & ementium turbam ita tumultuantem ſtudio aſſerendæ orationis: *Domus,* inquit, *mea, domus orationis eſt*. Et mox mentionem inducit Pſalmiſtæ Dauidis cantantis, & vaticinantis futuram in Eccleſia Dei vel balbutientium infantium pſalmodiam, quæ propria Canonicorum eſt, vti ſupra obſeruauimus. Ibidem commēdat virtutē orationis cuius opera cū fide cōiunctæ cūcti mōtes auelli, & tranferri aliò, & in mare iaci poſſe aſſeuerat. Interdum ſuſcepto conſilio querebat ſolitaria, & auia, vt liberius, ac ſecretius vacaret. Ita Marci 1. *Diluculo egreſſus abijt in deſertum locum, ibique orabat*, & apud eundem 16. *Abijt in montem orare*. Quanta eſſet vis orationis expoſuit cum eiecto Diabolo proteruo, & indurato interrogantibus diſcipulis, qui eijcere conantes fruſtrà ſudauerant reſpondit. *Hoc genus non poteſt exire niſi in oratione, & ieiunio*. Marci 9. Quid? Nonne nocturna oratio propria Canonicorum eſt? In ea Chriſtum pernoctantem inducit. Lucas c.6. *Erat*, inquit, *pernoctans in oratione Dei*. Nec ſolus ſemper orabat, ſed ſecum admittebat ad precandum diſcipulos, vt indicat Lucæ c.9. Ita in Horto Gethſemani eoſdem ad orandum, vel dormientes hortabatur. Matth.26. Lucæ 22. Marci 14. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem*. Iterum de nocte Canonica oratio recurrit. Inſignis autem fuit illa oratio cum transfiguratione in Thabore: apud Lucam c.9. *Aſcendit in montem vt oraret: & facta eſt dum oraret ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus, & refulgens*: vt orando tranſierit in immortalem illa gloria orationi attributa, & ibi erat Moyſes cuius olim in monte facies orantis ex Domini conſortio rutilabat. Extaſis illa fuit, qua raptus in ſuperos ſe declarauit; eumque poſt preces Pater teſtatus eſt Filium ſuum dilectiſſimum. Id verò ſingularem doctrinam continet, quòd contemplationem Actioni antepoſuit in Caſtello Marthæ, & Mariæ, cum optimam huic partem aſſignauit Lucę 13. *Maria optimam partem elegit*, & Beatitudini comparauit, *quæ non auferetur ab ea*. Quanta vero neceſſitas, & vtilitas ora-

Digitized by Google

orationis ſit, docuit ipſe cap. 21. Lucæ deſcriptis tentationibus, & calamitatibus nouiſſimorum mundi dierum. *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes*, & quidem ibi inducitur *diebus, docens, & noctibus commorans in monte Oliueti*, haud dubiè orans, vt doctrinæ ſuccederet oratio, & orationi prędicatio, quod tradidit documentum Apoſtoli, vti iam vidimus. Quin ſummoperè ad propriam, & aliorum ſalutem neceſſariam orationem eſſe docuit, quando dixit ad ſuis Lucæ 15. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*. Clauſulam appono, vennuſtam, opinor, & iucundam pro huiuſmodi Clericorum Regularium oratione, ſumptam, ex cap. Matth. 26 vbi commemorat Chriſtum cum myſterium Euchariſtiæ inſtituiſſet, & ſacrificium conuerſo in Corpus Pane, & Vino in Sanguinem confeciſſet, diſcipuloſque diuino illo Pabulo refeciſſet, peractis quæ ad ſacram illam ſynaxim pertinent, quod fieri in Eccleſiis noſtris ſolet in cantum cum Choro Apoſtolorum prorupit, eoque ſolemnia terminauit *Hymno dicto exierunt*, quo quid magis Canonicum eſſe potuit? Natum in rem Clericalem exemplum; præſertim cum ij tunc Sacerdotes fuerint conſecrati: vt illud melos bellè cum Regulari inſtituto concineret & illa vocum harmonia ad ſtatus Religioſi Clericatus vota pertineret. Rectè hic Gerſonem laudes, dum canentem cum Apoſtolis Chriſtum, Actiphonas cum agentem Abbatis præcinentis nomine appellauit.

Hactenus de vita contēplatiua, nūc ad actuoſam ſtylū vertamus. Omnia occupauit Chriſtus quæ fieri mandauit Apoſtolis, & ante exemplo præcepit, quæ verbis erat præcepturus. Niſi quòd multa fecit, & patrauit quæ ipſi facere, & patrare non poterant quale fuit inſtituere Sacramenta, peccata dimittere, Claues dare, Spiritum Sanctum infundere, leges condere Cœli ianuas aperire; autorem ſeſe humanæ ſalutis probare. Cætera munia exercuit, quæ ſuperori capite Apoſtolorum diximus. Frequenti, & aſſiduus, docendo, & prædicando in ſynagogis. Matth. 4. 9. 12. 13. Marci 1. 3. 6. Lucæ 4. 6. Ioan. 18. docebat in Templo Matth. 21. 24. Marci 11. 12. Lucæ 20. Ioan. 7. 18. legebat, & interpretabatur ſcripturas, quas interfuit illa Eſaię apud Luc. c. 4. & altera Matth. 13. & tertia Marci 7. & vna Ezechielis Ioan. 3 & ibi locus Numeri c. 21. Iam verò extra locos ſacros vbique & intra vrbes, in domibus, in circulis, in plateis extra in montibus, in campis, in littoribus, in nauiculis, & vbique percurrens oppida, & in ſtella palam euangelizabat, nullo excepto loco, nulla excepta perſona. Infinitum eſſet iſta indicare: legat qui volet, oculos, vel auidos ſatiabit. Omne genus virtutum prædicando exercuit, itaque non minus præfulgebat exemplo, quàm doctrina, vt vere dixerit Lucas Actorum 1. *Cæpit Ieſus facere, & docere*. Adeo vt ipſemet Chriſtus diſcipulis ſe Ioannis Eccleſiaſten prodiderit, commemoratis operibus, quæ patrabat non concionibus, quibus ſonabat. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*. Oculis perſuaſit, non auribus: vſuram viſus petijt, non auditus: quicquid Apoſtolis præcipiebat id omne præſtabat, vt ideam vitæ perfectæ ſe oſtenderet. Reuocemus ſtylum ad tres capitales palmariſque virtutes: quæ Religioſum Clericum conſtituunt. Incipiamus

mus à Prima ſcilicet Paupertate. Eam Chriſtus profeſſus à natiuitate; natus quippe Pauperimus in Præſepio. Mortuus in Cruce egenus; alieno ſepulcro illatus. Funere precario. Vixit in paupere domo: victitauit ex eleemoſynis ſæpe, quas piæ mulieres vt ſupra diximus, ei erogabant. Interdū abiectus, nudus, ſine tecto, ſine lecto, ſine ſtragulis, ſine puluinari ad caput reclinandum. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos. Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Matth. 8. Lucæ 9. Paupertatem pro Beatitudine reputauit. *Beati pauperes ſpiritu.* Matth. 5. Verum illud item genus Paupertatis obſeruauit Apoſtolorum, atque credentium initio Clericorum, qui in commune priuata quæcunque haberent conferebāt, & ex his eleemoſynas alijs pauperibus erogabant, quemadmodum conſtat, Actorum 4. 6. 24. expreſsè Ioannes cap. 13. *Loculos habebat Iudas, quaſi dixiſſet ei Ieſus, eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis vt aliquid daret.* Viden? perſpicue vtrunque ex communi marſupio viuere eos inter ſe, & ex illo educere ſtipes pauperibus diſtribuendas? germanam ergo agnoſce Canonicam Apoſtolorum formam paupertatis à Chriſto expreſſam. Caſtitatis ideam difficiliùs inuenias quoniam ad virtutis genus cum Chriſto vinatam eſſet, & vitium contrarium alieniſſimum taciturnitate magis, quàm argumentis probatur. Vbi eſt incapacitas vitij, non eſt opus ratione, vel exemplo. Coniecturis vtimur idoneis. Prima loci Ioannis 18. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hominum mos eſt, Peccata huiuſmodi oblectare aliis, quod faciliora ſunt patratu propter humanam fragilitatē, quòd maiorem afferunt ignominiam præſentem Religioſis, & pudicijs, qui ergo Chriſtū nō poterant de vllo peccato, nec de eo quidem poterant arguere. Secunda Lucæ 7. vbi Phariſæus videns Chriſtum Magdalenam ad ſe accedentem recepiſſe, & admiſiſſe ea pietatis, & amoris officia quæ redolebant quidam ſuſpectum dixit: *Hic ſi eſſet Propheta ſciret vtique quæ et qualis eſt mulier, quæ tangit eum.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, Homo hic tam caſtius, & purus, & ab omni ſuſpicione labis alienus innocēter facit existimans mulierem piam, & religioſam eſſe, & Sācto ſpiritu ductam, ea præſtare, quæ ad charitatem pertinent: Si enim ſciret ſecus eſſe, & libidini ſeruire ſolitam cum prorſus arceret, & excluderet. Fallitur igitur opinione non ducitur cupiditate: à qua plurimum abhorret. Tertia, & aptior Ioan. 4. Cum Ieſus ad puteum Sichar cum Samaritana prolixe ſermocinaretur ſolus (abierant quippe diſcipuli) interuenerunt hi, & recognita femina *mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Ex inſolentia orta eſt iuſta admiratio. Nouum viſum eſt ijs, qui Chriſti pudicitiam probè nouerant eum femina ſermonis ſereret. Tam procul erat à conſuetudine feminarum. Quarta nec inepta. Luc. 8. & Marci 5. Mulier quæ ſanguinis fluxum, vt ait Matthæus c. 9. patiebatur in magno confluentis populi audacior periculo facta, eius veſtimenti laciniam, ſiue fimbriam apprehendit, & ſibi applicuit. Simul Chriſtus clamauit *Quis me tetigit?* Nemine reſpondente dixit Petrus. *Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt: & dicis quis me tetigit?* Aliud Chriſtus agebat, ſcilicet docere illum tactum à ſe eſſe alienum, quòd

feminę

feminæ eſſet, quaſi dolens ab ea tangi, ac obid eum reiciens. Nouit Chriſti mentem mulier, & ſenſit in ſe verti tacitam obiurgationē Chriſti, vti notat Euangeliſta *Videns mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam cauſam tetigerit eum, indicauit coram omni populo*. Non eſt commentationi locus: perſpicuus is eſt. Summa eſt mulierē pœnituit facti: Chriſtus omnē ſuſpicionem abſtergere voluit: remque totam ad miraculum vertit, & tactū ſenſuum ad Fidem retulit. *Fides tua te ſaluam fecit*. Vltra coniecturas, palmaris mihi videtur probatio, teſtimonium illud Angeli. Luc. 2. *Quod enim ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei*. Vocabulum *Sanctus* Sanctitas, ſanctitudo in ſacris litteris, & ſcriptis Patrum ſignificat pudicitiam, & virginitatem. Sicut nos paulo poſt ex Auguſtino probabimus: cum agimus de votis Apoſtolis. *Sanctum* agitur illud quod erit & vocabitur *Filius Dei*, Chriſtus eſt puriſſimus Virgo, & Flos, & candor Virginitatis, qui ex Virginalis vteri clauſtro integro illęſo, illibato egreſſus & propria virginitate præditus, & aliena matris imbutus naſcitur. Ex te Virgine Matre, Virgo Filius, cōtracta ex te virtute, & ſibi inhærente vltra ingenitam ſibi Virginitatem, in lucem prodibit Sanctus, & Virgo: ex Sancta, & Virgine oriundus. Iam vero Virtus Obediētię in Chriſto eminuit, & emicuit, iam inde ab ineunte ætate domi obediuit ritè parentibus. *Et erat ſubditus illis* ait Luc. cap. 2. Foris Matri poſtulanti licet ante deſtinatum ſibi tempus à Patre paruit apud Cana Galileæ aquam in Vinum conuertendo; Patrique Æterno ſemper morigerus, & obnoxius. *Fiat*, inquit, *voluntas tua*. Matth. 26. *Non quod ego volo: ſed quod tu*. Marci 14. *Non mea voluntas, ſed tua fiat*. Lucæ 22. & in ipſa oratione relicta in documentum Eccleſiæ poſuit particulam *Fiat voluntas tua*. Commendauit etiam imperantibus, & ſuperioribus demiſſionem quandam proximam obedientiæ *qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator*. Lucæ 22. Apud Matth. c. 2. adhuc ſummiſſiùs. *Qui voluerit inter vos primus eſſe erit veſter ſeruus*: Idque monſtrauit exemplo, cum ſe profeſſus dominum, & Magiſtrum. Ioan. 13. *Sum etenim*, abiectus ad pedes diſcipulorum, eos manibus ſuis lauit & dixit. *Quemadmodum ego vobis feci, ita & vos faciatis*. Quinimo tota illius vita exercitatio obedientiæ fuit. Quid enim aliud voluit ſignificare Paulus cum dixit, *Factus obediens vſque ad mortem* Philippenſ. 2. Adeo vt cum ſapientia Patris eſſet, eiuſque theſauros poſſideret, & Doctorem omnium, & vbiq; agere non dedignaretur ſcholam obedientię ingredi & inter plagas, & tormenta erudiri, vt ait idem Paulus ad Hebræos 5. *Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*. Manent igitur expeditæ quæſtiones initio propoſitæ; & conſtat Apoſtolos Regularem Clericorum vitam, quæ mixta eſt ex Contemplatione & Actione ad propriam, & ad proximorum ſalutem obſeruaſſe: A Chriſto tamen primo in Euangelio, doctrina, informatam, & exemplis ſancitam.

CAPVT

CAPVT V.

Vtrum, Apoſtoli vouerint Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam?

Conſequens eſt ad priores iſta quæſtio. Nam cum ſtatus Religioſus tribus his votis conſtituatur, oportuit, vt ſi Religioſi fuerint Apoſtoli, ea nuncuparint. De hoc tradunt accuratè Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 88. & q. 188. art. 7. & quicunque de ſtatu Religioſo agunt, ac de voto quæſtionem inſtituũt. Do quoſdam. Aluarum Pelagium de Plãctu Eccleſiæ lib. 2. c. 56. Vualdenſem lib. 3. de Sacrament. Clicthouæum de votis Monaſticis lib. 3. c. 9. Nauar. to. 4. de Relig. n. 30. §. ſecundum. Bellarmin. lib. 2. de Monach. Alphonſum à Caſtro verbo *Votum*. Palud. in 4 d. 38. Auguſt. de Ancona de poteſt. Eccleſ. q. 84. a. 3. & q. 91. ar. 3. Hieron. Plati. lib. 2. cap. 20. Pennot. lib. 2. c. 5. & 6. Meleg. de Apoſt. ordine. initio. Pontium de Matrim. l. 7. c. 7. Tambur. 1. diſp. 25. q. 1. n. 38. Bordonum cap. 4. de præced. num. 24.

Perſuaſiſſimum ſemper habui Apoſtolos vota iſta, qui vulgò dicuntur ſubſtantialia emiſiſſe. Scio primis illis piiſque temporibus formulas, voti ſimplicis, & ſolemnis minus innotuiſſe, nec diſtinctè apparuiſſe: verum illud conſtare video ſemper propoſitum firmum ac perpetuũ, & irreuocabile interueniſſe: in quo ſumma eſt voti Religioſi. Hanc voti ſtabilem virtutem ſatis declarauit Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 4. cum dixit loquens de Apoſtolis. *Dixerunt illi Potentes. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Hoc votum Potentiſſimi vouerant.* Nam cur *Potentes,* et *Potentiſſimos* vocat, cùm vouerunt, niſi quod ardua res erat, et Heroica: propter illã firmã conſtantẽq; voluntatẽ relinquẽdi omnia. Secus diceret ſi reuocabilis eſſet et temporaria eſſet. Ardua res erat, & ſummæ virtutis, ac potentiæ ſuſcipere votum æternitati par: nullo vnquam tempore remittendum. Exeruerant totas vires illi potentes virtutis, & gratiæ, vt poſſent vouere: ſeque vouendo Potentiſſimos probauerunt. Dum ſeſe vinculo illo fortiſſimo, ac indiſſolubili ligarũt heroicæ virtutis ſpecimen præbuerunt. Giganteæ illud opus virtutis fuit, propterea ſic Apoſtolos Auguſtinus vocauit, vt Gigãtes intelligeret qui c. 6. Geneſ. dicuntur *Potentes à ſæculo viri famoſi*. Imò inter Gigantes *Maximi, Potentiſſimi*. Probemus hæc vota. Primò generatim. Matth. 19. ait Petrus ad Ieſum, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. De omnibus hoc dicitur, quæ ad perfectã renuntiationem pertinent: & ad vota omnia ſe extendunt. Videamus. An iſta renunciatio ſit perpetua, & irreuocabilis: & vim habeat voti ſolemnis? Apparet ex reſponſione Chriſti. *Centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis*. Expendo *vitam æternam*. Hoc præmium indicat pretium meriti. Reſpondet *æterna vita* voto æterno ex intentione perpetua, conſtantique vouentis. Illa voluntas firma erat, non temporaria, & mobilis, ſed immobilis, & par æternitati, virtute propoſiti irreuocabilis, cui iuſtum præmium deberetur *vita æterna* vt meritum æternum declaret: quemadmodum cum Peccatum mortale committitur, æternum ſupplicium inuenitur, qua illa voluntas peccandi æquipollet æternitati, quòd eius naturæ eſt, vt ſi poſſet æternùm

durare

durare, id peccandi Peccator elegiſſet. vnde æterna iure pæna punitur: ita & vouentis conſtanter, ac perpetuò voluntas, habet vim quandam incluſam durationis æternæ, quæ æternitati æquiparetur. Hinc ſumitur prima probatio. Secunda eſto ex verbis Chriſti. Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt Regno* Dei. Loquitur ad eum qui ſe ſequi volebat incõſtanti, & mobili voluntate. Dixerat: *Sequar te.* Et poſteà titubauit. Idcircò improbauit Dominus propoſitum, ea ratione ſumpta ab inconſtantia, & mobilitate propoſiti, ducta ab Aratore ſimilitudine, qui arãdo tendit vlterius, nec reſpicit, quaſi progreſſus pęniteat. Inutilem pronuntiauit eum, qui retro redeat voto interrupto, quale eſt mobile, ac non perpetuum, quod mutari, & ſolui põt, nec fas de voto miſſo triſtari. Non debet reſpicere qui vouit, quaſi pœnitens facti, imo ne recordari quidẽ, ſicuti fecit Paulus voti perpetui reus. Philipp. 3. *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad priora excendens me ipſum:* nitens ire vltra æternitatem intuendo, non poſt tergum reſpiciendo. Documentum eſto Vxor Loth, quæ ſuæ pœnas murabilitatis dedit cum iuſsa rectà ire, & ultra progredi retro reſpexit, & ſubito illo reſpectu vitam, & naturam perdidit, & ſalita ſale ſapuit æternitatem incorruptam: ſed ſero ſapuit poſt mortem, quod viua diſipuit. Nos ſua memoria progredi & vltra pergere ſapiamus. Maneat illa *Figmentum* & Fabula viatorum, ſtatua ſtataria, & perpetuas luat pœnas, memoria incredibilis, quia nemo crederet ſtantem, qui ex inconſtanti factam videret. Tertiam prębet phraſis illa Chriſti *Tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16. Marci 8. Luc. 9. Quare ſequentibus ſe Crucem aſſignat? ſcilicet? quia Crucifigendus deuotus eſt Morti, mortem deuorat; & de reditu ad vitam non agitat. Portat Crucem vti moriturus, & vſq; ad mortem in ea perſeueraturus. Sequitur Chriſtum cum propoſito moriendi in ſuo propoſito ſequendi. Perinde eſt ſequi, ac perſeuerare, ac mori. Ac vt omnis metus, & ſuſpicio abijciendi Crucem præcideretur, expoſuit mentẽ Chriſti Paulus ad Galat. 5. *Carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Afflixis, & quidẽ clauis, Cruci nulla eſt ſperanda liberatio. Ibi perſiſtendum, ibi moriendum. Hæc vniuerſi de voto. Nunc ad ſingula. Quoad Paupertatem. Chriſtus Dominus votum indixit, cùm dixit *Vendite:* non ſolum *Relinquite;* quippe qui vendit commutat rem pretio, vt eam amittat, & pecuniam lucretur. Priuatus ergo remanet. Rurſus cùm dat pecuniam acceptam Pauperibus caret pretio, & manet Pauper perpetuo, & ſine vlla ſpe habendi. Idque ſignificauit Petrus Actor. 3. cùm ad claudum *Argentum*, inquit, *& aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do.* Nota: non habeo argentum tantùm habeo ſpiritum, & virtutem ſanandi; vt ſe Pauperem ſpiritus ſignificaret. Spiritus loco diuitiarum fuit: eo vigebant Apoſtoli, & viuebant. Talis erat prima illa diſcipulorum Paupertas vendentium ſua, et ponentium pretium ad pedes Apoſtolorum, vt dominium in commune tranſiret, ac nihil poſteà poſſent repetere. Vim habet maximam ad adſtruendum Paupertatis votum locus Matth. 19. Dixit Chriſtus adoleſcenti auido perfectionis. *Vade, vende omnia. Da pauperibus, &c. At ille*

abijt

abijt triſtis. Quare? Scilicet quia ſenſit Chriſtum loqui de perpetua ſpoliatione bonorum, quæ multa poſſidebat. Hinc hæ lacrymæ. Nam ſi uideret ſpem aliquam repetendi, quæ reliquerat ſibi adhuc ſupereſſe fortaſſis acquieſceret: uidit rem deploratam: propterea plorauit. Aliud mihi argumentum eſt in Actib. Apoſtolorum nixum illis uerbis Petri ad Ananiam *fraudantem de pretio agri* c.5. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua poteſtate? quare feciſti rem hanc? Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Igitur interuenerat propoſitum carendi omnino facultatibus voto expreſſum coram Deo: hinc mendacium in Deum ex violatione promiſſi. Particula *manens tibi manebat* manifeſtè continet, & monſtrat uinculum addictum ſimplici promiſſioni, quæ ſtare poterat cum retentione dominij facultatum, quæ adhuc erant in poteſtate, in qua eſſe deſierunt adiuncto ſolemni, ac irreuocabili propoſito relinquendi. Propterea tam acerbas dedit Ananias pœnas delicti. Reus mortis. Reus uoti. Huiuſmodi rationes mihi perſuadent Apoſtolos ſolemne, quod hodie appellant, uotum Paupertatis nuncupaſſe. Ire pergo ulterius, ac idem oſtendo de caſtitate. Solidum fundamentum præbet textus Matth. c. 19. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cęlorum*. Hic modus loquendi indicat eos, qui Caſtitatem perpetuam, & conſtantem uouent. Patet, quia comparantur animo, ac inſtituto Eunuchis, qui omninò sũt incapaces, & inhabiles ad coitum: tales ſe cõſtituunt Caſti, qui ſponte ſua ſe priuant poteſtate coeundi, non ſolum expertes, ſed & iam ineptos ſe reddendo ad concubitum quaſi Eunuchi mentis, quibus ſit adynaton concũbere, ſicut Eunuchis carne, adempta ſibi ferro facultate. Quare ij quos legimus in ueterum hiſtoriarum monumentis voluiſſe illibatè perpetuo, & pudicè uiuere uirilia ſibi amputando, ut caſtitas in caſtrationem uerteret, qualis fuit Origenes, & alii firmum propoſitum habuerunt: ineptè tamen, & prauè fecerunt. Improbo delictum. Sed ex eo tamen ſumo quod meum eſt, fuiſſe tunc uotum perpetuæ caſtitatis, ſimile noſtro ſolemni apud eos qui exectis uirilibus ſe caſtrabant, ac illi caſtrationi irrationabili reſpondere uoluntatem, & propoſitum cõtinẽdi ſeſe à coeundo eſſe, ut quod illa corporalis exectio efficiebat deformando corpus, id præſtet formando animum ſpiritualis uoluntas eum Diuina gratia; & utrique recto, ac Euangelico uerbo *Eunuchi* uocentur: illi, quia illato ſibi uulnere ui inhabiles ad coitum fiunt, hi quia ſponte ſua citra vllam violentiam ſolo animi pio propoſito totam ſibi adimunt vſus venerei facultatem; illi ſe reddunt impotentes, ac eo peccant: hi potentes, vt ait Auguſtinus, per gratiam euadunt, eoque maxime merentur.

Addo paradigma ex Matthęo c.25. ubi proponit ſtatum Virginum compoſitum ex Fatuis, & Prudentibus. Sic hic inuenio Virginitatis perpetuæ Sanctimonialium noſtrarum, Virginitatis argumentũ. Excluſis alijs, quæ omnino Laicæ, & imperfectæ erant, carebant quippe oleo charitatis, & abundabant numis ad emendum in foro, & vagabantur per totum inter uendentes: *ite ad vendentes*, quæ ſunt à Sanctimonialium inſtitutis aliena. Sequamur alias. Erant ſponſæ Chriſti, & nuptias ambiebant Agni

Virginalis, ad quas paratæ veniebant. Commodùm aduenerunt, & *intrauerunt cum eo ad nuptias*: & ſtatim *Clauſa eſt Ianua* ſine vlla exeundi, ac redeundi facultate: exitu præcluſo,& præciſo: quod ſchema eſt uoti perpetuæ Caſtitatis intra Monaſterij clauſtra,vnde nulla redeundi poteſtas eſſet. Clauditur Ianua ne pateat exitus in poſterum omni ſpe preciſa, omni occaſione ſublata.

Adijcio momentum apud Lucam. Primùm quòd uocabulum hoc *Æternum* inuenitur in Euangelio,eſt Lucę 3. poſtea ſæpe occurrit. Animaduerto tunc dici de Filio Dei Incarnato *Regnabit in domo Iacob in æternum*:& ſequitur *Regni eius non erit finis*, quæ paraphraſis eſt æternitatis.Haud temerè ſcriptum iudico, imo uti par eſt myſticè. Quare? & quorſum? Ibi ante narrauit Euangeliſta ſalutatam Mariam Virginem ab Angelo Gabriele,ad quem *miſſus à Deo*, uenerat Legatus. Hic ergo uoci *Virginem* reſpondit vox *Æternum*. quia conſtat Mariam Virginem primam fuiſſe autorem uoti perpetuæ Virginitatis eiuſque ſignum extuliſſe. Propterea prouidit Deus, vt illa perpetuitas uoti inferret æternitatem Regni, & cum primum ſonuit uotum ſolemne Virginis Matris Dei futuræ accineret *Æternitas* Filij: vt harmonia mutuæ perpetuitatis exiſteret. Æternum Regnum Æternæ Virginitati ſuauiter reſponderet. Tale igitur votum Apoſtoli emiſerunt, illi *Potentiſſimi* apud Auguſtinum, qui conſtanti, ac irreuocabili voto Æternitatem æquiparare potuerunt.

Ad Obedientiam tranſeo. Fuiſſe perpetuam, verba Euangelij ſatis declarant Matth. 16. Lucæ 9. Marci 8. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*. *Abnegare ſeipſum* propriè quadrat in obedientiam, per quam homo ſemetipſum relinquit, & tranſit in alterius poteſtatem, quod minime fit per caſtitatem, nec per paupertatẽ: per neutram quippe amittit dominium ſui: nec ſemeipſum negat. Iuuat vox *Si quis vult*, quæ ferit voluntatem dominam, in qua eſt dominium animæ. Hanc ergo abijcit propriam qui ſe ſubijcit alienæ. Ea virtute ſuperbia, cui ſe opponit obedientia frenatur, & coercetur: eſt enim ſuperborum iuſtum ſupplicium. Apparet in Eua Geneſ. 3. quæ cum appetijſſet dominatum maius humano nimis credula verbis ſerpentis *Eritis ſicut Dij*,cecidit in ſeruitutem,redacta ad obedientiam hominis *ſub viri poteſtate eris*: qua nihil moleſtius eſt ſuperbo imperare cupienti. Non eſt quippe iuris ſui,qui in alterius eſt poteſtate. Ita ſonant verba Chriſti *Abneget ſemetipſum* hoc eſt pareat, & obediet alteri, amittat ſui dominium, & in alterum transferat,& extra ſe fiat in ius alterius tranſeundo. Huiuſmodi obedientia Crux ei eſt perpetua, in qua morietur, fixus clauo trabali quem non poſſit excutere. Imitatus Chriſtum *Factus obediens vſque ad mortem*. Parebit dum erit, erit autem dum viuit. Nec ante mortem deſinet obedire, cùm perpetuum votum ſit. Itaque Chriſtus obediens vſque ad mortem, non niſi poſt mortem reſumpſit poteſtatem. *Data eſt mihi omnis poteſtas*. Matth. cap. vlt. Hoc obedientiæ arctiſſimum vinculum expreſſit Chriſtus cap. vlt. Ioan. cum dixit ad Petrum *Alius te cinget, & ducet quò tu non vis*. Scilicet ad mortem; eo vſque duceris tu, & obedientia tua: nec enim Petrus non eſt mortuus obediens, cum Chriſtus ei

apparuerit,

apparuerit, & meditanti exitū Roma mortē opperiri iuſſerit, ut moreretur obediēs uni Chriſto, cui ſoli parere totius Eccleſię caput & princeps debuiſſet, vt Martyris conſtantiæ obedientiæ perſeuerantiam copularet.

Igitur omnia vota ſubſtātialia, quibus Religio utitur, & ex quibus profeſſio Religioſa conſtituitur Apoſtoli emiſerunt. Idque demum hac ratione confirmatur. Perfectiſſima forma uiuendi debet attribui Apoſtolis: ea uerò eſt Religioſa, quæ tribus huiuſmodi uotis continetur; ergo ea eſt Apoſtolis tribuenda. Aduerte autem, mi lector, loqui me de forma viuendi, non autem de ſtatus perfectione, ſcio enim perfectiorem eſſe ſtatum Epiſcoporum, quàm Religioſorum, ne mihi errare cum Cellotio initio in Gallia, vbi ego tū eram Pariſijs, præferre conāte ſtatū Religioſum omnibus ſtatibus Reip. Chriſtianæ, contingat. Nam cùm Apoſtoli eſſent ordinis Epiſcopalis omnem gradum perfectionis comprehendebant, ac omnes alios & dignitate ſtatus, & perfectione vitæ, ac virtuti, & gratiæ antecellebant. Quare optimè Doctor Angelicus 2.2.q.88.ar 4. ad 3. docet Apoſtolos voniſſe omnia, quæ ad perfectiſſimæ uitæ ordinem pertinerent. Notat uero Aluarus Pelagius lib de planctu Eccleſiæ c.56. Si Apoſtoli hac forma uouendi caruiſſent, multo minus fore perfectos, quàm qui poſtea ſunt eos ſolemnibus obſtricti uotis Religioſi conſecuti. Nouiſſimè confirmanda hæc doctrina eſt eo, quod Patres dicere ſolēt: Apoſtolos non ſolum quæ habebant, & habere poterāt, ſed etiam ipſàmmet habendi uoluntatem reliquiſſe. Fuerunt itaque illi in eo perfectionis faſtigio, quò nihil eſſe poſſit altius, conſtituti.

COLLATIO NONA
DIFFERENTIA II.
De continuatione, & amplificatione Inſtituti Regularis.

CAPVT I.
Vtrum vita Regularis Canonica fuerit communiter à priſcis Chriſtianis ſuſcepta, & ſeruata? quæſtiones duæ excitantur.

APtæ opinor hę ſunt, & ſcitu dignæ. Prima, quam a nemine accepi, nec hactenus à quo quā excitari, & quæ mea eſt tenuitas tractari vidi. Vtrū eius temporis idest primitiuę Eccleſiæ Fideles Chriſtiani, omnia ſua bona & facultates reliquerent, & venderent, ac pretium ad pedes Apoſtolorum ponerent, & in communi viuerent? An paucorum id tantùm, & perfectorum eſſet? Aliis manentibus in ſua poſſeſſione, vti ante conuerſionem erant? Rationem dubitandi facit ille textus c.2. Actorum. *Multa prodigia, & per Apoſtolos in Hieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis. Omnes etiam qui credebant erant pariter, & habebant omnia communia. Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat.* Iterum cap. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia;* & mox *Neo quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis prout cuique opus erat.* Hæc ſuadent omnes initiatos myſterijs Chriſtianis renuntiaſſe proprijs bonis, eaq; vendidiſſe, & pretium in commune contuliſſe. Contrà eſt tamen, quod hæc Hieroſolymis ſolum facta narrantur; non autem in alijs ſiue Ciuitatibus Iudææ, ſiue aliarum Regionum, vbi nihil ſimile legitur cōtigiſſe. Quare proprium illud fuiſſe videtur à primis illis Hieroſolymitanis ad fidem conuerſis. Ita ego intenſiſſime euoluens Acta Apoſtolorum comperi. Verum cum hoc ſit argumentum à ſilētio, quod negatiuum appellatur, haud multum videtur vrgere. Rem igitur firmo coniecturis grauibus & idoneis. Prima ſit ex cap. 5. Act. Cum Ananias

Ananias eiuſdẽ propoſiti eſſet Chriſtiani, & Apoſtolici, ac ſua & vxoris bona vendidiſſet, & pretium attuliſſet, ſubtraxit de pretio partem, & retinuit conſcia vxore, quæ Ananiæ, & in voto prius, & poſtea in violatione voti conſenſerat. Cui Ananiæ exprobrans delictum Petrus ait: *Nonne manens* (Prædiũ) *& venundatum in tua erat poteſtate?* Quæ verba perſpicuè indicant liberam eſſe cuiquam Chriſtiano bona, & facultates ſuas retinere, ſpectata obſeruatione communi legis gratiæ citra aliam voti ſponſionem, eamque liberam eſſe vouentibus cum vouebant, ac neminem ad renunciationem obligari. *Manens tibi manebat*. Erat in eodem ſtatu poſt acceptam Fidem *quo erat ante fidem*, id ſonat *Manens manebat*: deſijt quippe manere, poſtquam votũ emiſit, de relinquendo, ac vendendo. Nec culpa fuit in retinendis quæ poſſidebat ante votum, ſed in ſubtrahendis poſt votum. Fuit peccatum contra Religionem & fidelitatem promiſſi ſacrilegium planè horribile, ac deteſtabile: non autem, aut auaritiæ, aut retentionis contra paupertatem, ad quam ex lege communi Chriſtianæ Fidei non tenebatur. Mẽtitus es Deo: dum non reddidiſti quod dediſti voto. Nõ potuit apud te manere ſicut ante policitationem manebat; quia tranſierat ad Deum cui vouiſti. Secunda coniectura ab alio exemplo cap. 8. Simon Magus credidit *in Chriſtum & baptizatus eſt, & adhærebat Philippo in Samaria*. Hic tamen minime inſtitutum illud ſuſcepit: Nihil de ſuis bonis, aut facultatibus vendidit: idque liquet ex eo quod poſtea videns ſigna, & virtutes Apoſtolorum qui venerãt in Samariam, erant autem Petrus, & Ioannes, voluit ea emere proprijs pecunijs. *Obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc poteſtatem*. Quod manifeſtum eſt argumentum apud eum iam Chriſtianum pecunias mãſiſſe. Non eſt reprehenſus à Petro propter diuitias quas habebat, ſed propter peccatum Simoniæ quod patrabat volens *Donum Dei poſſidere*. Itaq; no propterea quod vtebatur numis quod habebat, ſed quod iis abutebatur emendi ſpiritualia taxabatur. Tertia cap. 9. ad fin. Tabita Chriſtiana Ioppe cum *diſcipula* ibi dicatur eleemoſynas traditur *feciſſe tunicas, & veſtes, egenis viduis donaſſe*. Certè de ſuo. Etenim ſi omnia vendidiſſet, & in cõmune contuliſſet, non haberet vnde eleemoſynas priuatas daret. Retinuerat igitur Chriſtiana, imo & diſcipula quæ antea poſſidebat, nec id cum Fide Chriſti pugnabat. Quartam eiuſdemmodi ſuppeditat caput xi Antiochiæ, vbi primum appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani ac cum iis eo nomine appellantur. *Prout quiſque habebat* (verba ſunt textus) *propoſuerunt in miniſterium mittere laborantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ, & Sauli:* ideſt eleemoſynas ſolitas mitti Hieroſolymam ad alendos pauperes ibi conſtitutos ab aliis aliarum nationum Chriſtianis, tanquam ad priores, & primæuos Fidelis: quod ex aliis locis patet. Ecce autem huiuſmodi eleemoſynæ mittuntur ab iis qui bona poſſidebant, & facultates retinebãt, quod illa particula ſignificat *Prout quiſque habebat*, quæ nulla ratione poteſt aliter intelligi, aut explicari. Confirmatur illo teſtimonio c. 24. *Poſt annos plures eleemoſynas faciens in gentem meam veni*. Scilicet Hieroſolymã, quò portauit collectas alibi, & aliunde ſtipes, vt eas in pauperes

peres collocaret.

Ineſt ad idem probandum pondus in uerbis Pauli Actor. 20. *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ*. Quæ præcipuè ſignificant illos, quorum opes & facultates reiecit, eas omnino habuiſſe: nam ſi eſsent communes ſecus diceret Paulus excluſa proprietate *Aurum & veſtes vllius* addicens uni, nec diceret ſe *non concupiuiſſe*, quæ indicat fuiſſe illa aliena, non communia; quæ ſi erant communia Paulus non concupiſceret, quaſi id inhoneſtum eſſet, ſed diceret aliis ſe abſtinuiſse. Igitur dum negat appetitum proprium, affirmat res eſse à ſe alienas; & in aliena poteſtate. His in utramque partem diſputatis exiſtimo primò illos Fideles à Petro initio Act. 2. qui fuerunt *tria millia*, & c. 4. quinque millia ardore Fidei, & uirtute Spiritus Sancti inflammatos omnes illud genus Paupertatis amplexatos ſua omnia uendidiſse, & adducto ad pedes Apoſtolorum pretio in commune redegiſse, uoto inſuper nuncupato. Cæteros autem propagata iam Eccleſia, & abundante numero Fidelium, & nimiū creſcente Eccleſiæ gloria, eam conſuetudinem omiſiſſe; idque mihi uideor colligere ex cap. 5. Act. vbi ſic. *Magis autem augebatur credentium in domino multitudo*: & ſtatim *Concurrebat autem multitudo vicinarum ciuitatum*, ubi nulla fit mentio ſimilis ſpoliationis, & uenditionis bonorum, ſicuti antea in duobus, quæ laudaui teſtimoniis: quaſi ad alios illa perfectio non tranſiſset. Hinc ſilentium; quod non eſſet, ſi idem inſtitutum eſset. Loquax ſilentium efficio ijs verbis productis. *Concurrebat multitudo vicinarum ciuitatum*, quæ ſequuntur illa priora. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo*; quæ ad Hieroſolymitanam Vrbem pertinent, ubi pariter ſiletur de illo inſtituto Paupertatis: quod eadem ratio habenda ſit de illis adauctis Hieroſolymis ad Fideles priores, quæ de Fidelibus aliarum ciuitatum habetur: ut pari æſtimatione ſint metiendi. Cum autem de ſimili aliorum extra Hieruſalem propoſito nihil prorſus ſcriptū in Actis Apoſtolorum inueniatur, ſignū eſt propagata iā Fide, & multiplicatā, Fidelibus illud propoſitum Hieroſolymis cōmune eſse deſiiſse. Equidem adduci non poſsum ut credam infinitam populi diuerſi genijs ac indolis illum perfectionis gradum, aut anhelaſſe, aut tenuiſſe: cum præſertim haud ſim ignarus quantum nouus ardor in armis Fidei exercendis, & præ dulus amor primò in certamine poſſet. Refrixit ergo ille paulatim, & in multitudine oppreſsus, vel ipſa turba premente, interijt, & ad paucos rediit: quales fuerunt electi ab Apoſtolis Clerici, & miniſtri Eccleſiæ, tum conſeruandæ, tum gubernandę, tum propagandæ, quorum erat unus Barnabas cap. 4. & ſeptem Diaconi c. 6. Act. Hieroſolymis, quibus Apoſtoli manus impoſuerunt: & fortaſſe ijs, quæ eodem cap. nomine *diſcipuli*, & cap. xi. *Fratres* appellantur quibus una cum Apoſtolis congregatis Petrus rationem redidit ſuæ ad gētes primæ conuerſionis, & baptizato Cornelio prędicationis. Nec non alijs quos Herodes c. 12. afflixit cum Iacobum obtruncauit, & *Petrum apprehendit, & miſit in Carcerem*: Vox enim *quoſdam de Eccleſia* ſonat Clericos, & miniſtros ſacros. Sed illi eminent, de quibus

bus Lucas cap. 13. *Erant autem in Eccleſia quæ erant Antiochiæ Prophetæ, & Doctores:* in quibus erat *Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, & Saulus*. En imago Monaſterij Regularium Canonicorum; Audi *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus Sanctus. Segregate mihi.* Ex veſtra Religioſa *communitate* domeſtica *Saulum, & Barnabã in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Ad Euangelizandum cæteris in Monaſterio operam cultui diuino more Clericorum dantibus: vbi nutriebantur, & inſtituebantur ad prædicandum Euangelium. Alia eſt ibidem, ideſt, Antiochiæ, vbi primum appellati ſunt *Diſcipuli Chriſtiani* effigies Monaſtici Canonicorum Ordinis, c. 15. cum præclaro ſimulacro eiuſdem profeſſionis Hieroſolymis poſita aptè coniuncta. Inueniuntur in hac *Apoſtoli, & præsbyteri, & ſeniores* ſcilicet ſelecti ex numero, & turba *cæterorum*, quos conſultum ſuper quæſtione, & obſeruatione Legaliũ *Paulus, & Barnabas, & quidam alij alijs* Antiochenæ nomine Eccleſiæ, veniebant. In illa verò hoc eſt ipſamet Antiochena.. *Demorabantur Paulus & Barnabas docentes, et Euãgelizantes cum alijs pluribus verbum Domini*. Hi erant de grege, de ordine Regulariũ Clericorum. Ideo omnes ſegregati, quaſi ſorte delecti ad Religioſam vitam coniunctam cum miniſterio prędicandi. Verùm obſeruanda eſt illa particula: poſt nominatos *Paulum, & Barnabã, alij ex alijs*, ad diſcrimen manifeſtum Laicorum, qui ſocii ſimul cum ſacris, & Clericis veniebant. Quid enim ſibi vult *alij ex alijs* niſi alios alterius Ordinis, ac diuerſę profeſſionis à Clericali Canonica Regulari, cuius erant ambo *Paulus, & Barnabas*? quod legenti conſtabit, dummodo legendo vigilet, & vigilando legat.

CAPVT II.

Vtri fuerunt priores tempore, Canonici Regulares? An ſeculares?

DEciſa prima quæſtione venio ad ſecundam. Vtrum fuerint priores in Eccleſia, Clerici ne Regulares? An ſeculares? minimè Religioſi? Ratio dubitandi eſt præcedentia quam habent in ſolemnijs, & ſupplicationibus & Concilijs, aliiſque conſeſſibus Eccleſiaſticis Clerici Seculares qui digniorem obtinent locũ, quod argumentum eſt antiquitatis, quo ſolo nomine videtur poſſe Regularibus anteſtare. Hæc communis eſt, ac celebris. Auctores infra producam. Geram in ea me tamen more ſingulari. Perlectis diligentiſſimè Actis Apoſtoloru primi, & ſoli occurrunt Clerici Regulares, quales fuerũt ipſi Apoſtoli, & diſcipuli ab eis inſtituti. Nulli alii præter hos reperiuntur: ii ſoli occupant librum, adeo vt ne Monachus quidem ibi appareat. Nuſquam non Clerici inueniuntur, attendentes contemplatiuæ & actuoſæ vitę partim in domo orantes, & pſallentes: partim in Eccleſijs ſacris operantes: partim ibi, & intra domos ſacramenta Baptiſmi, & Euchariſtiæ miniſtrantes; partim in ſynagogis, & templis, & foris, & circulis & compitis prædicantes, ſine reditibus, ſine facultatibus, ſeruata continentia, & obedientia cuſtodita: quam erga Apoſtolos, & Seniores, ac Presbyteros profitebantur; cuius egregia, & perſpicua habemus exempla. Actor. 6. in ſeptem Dia-

Digitized by Google

Diaconis,& xi.in Bernaba ſolo,& 13. in Barnaba & Saulo ſimul & c.15 in eiſdem,& Iuda, & Sila ; Ac eſt illuſtre documētum in fine capitis, cuius hæc eſt clauſula, *Perambulabat Paulus Syriam, & Bitiniam confirmans Eccleſias præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*. Hinc quis de Regula dubitet ? Hæc præcepta inſtar illius erant,ab ipſo Summo Legislatore Chriſto data:& ab Apoſtolis accepta & diſcipulis eius tradita: nec nomen Regulæ deeſt ; etenim Paulus eam exprimit Philipp. 3. *Idem ſapiamus & in eadem permaneamus Regula*. Et Galat. 6. *quicunque hanc Regulam ſecuti fuerint*. Hanc nomine *Formæ* ſuperiori ad Philip. capite appellauit. *Imitatores mei eſtote Fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant ſicut habetis formam noſtram*. Qua in Regula,& Forma contineri caſtitatis uotum ex eodem Paulo 1. Corinth. c. 7. liquet. Cum enim coniugatis Fidelibus laicis uſum conceſſiſſet *Volo*, inquit, *omnes vos eſſe ſicut me ipſum*, ideſt Virgines & continentes: quod non præcipit omnibus, ſed conſulit, & optat, & liberum cum gratia Dei, cuius ea eſt profeſſio, donum relinquit. *Sed vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius vero ſic. Dico autem non nuptis, & viduis. Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicut & ego*. Itaque ex votis, & vouentibus conſtat eoſdem Clericos, & Eccleſiaſticos Actorum omnes fuiſſe Regulares: non autem ſeculares, quod eſt ſanè mirabile. Inuenimus in eo libro vmbram Petri: non reperimus autem vmbram ſimplicis Clerici, nec veſtigium Monachi ſimplicis, & in tanta rerum copia, qua cernitur Apoſtolica vmbra, ne ſcintilla quidem puri Clericatus deprehenditur. Quare primi, ac ſoli Canonici Regulares initio Eccleſiæ uiguerunt: à quorum perfectione cum proceſſu temporis nonnulli recedere cepiſſent ſeculares deuenerūt: ſed frigeſcente illo ardore animi, & laxante ſe neruo induſtriæ vota neglexerunt, & regularē obſeruantiam deſeruerunt. Quæ certè ſentētia tam eſt vera quoad primum de prima Regularium Canonicorum profeſſione, vt mirer fuiſſe, qui dicere auſi ſint Clericos ſeculares fuiſſe primos, & antiquiores Regularibus in Eccleſia. Nullum quippe locum habent, vti proximè uidimus in Actibus, nec in epiſtolis Pauli, vbi pedem ponant. Inter quos doleo eſſe Azoriū, virum eruditum tom. 1. inſtitut. moral. lib. 12 cap. 2. q 2. Cui tamen oppono autorem grauem & doctum eiuſdem Societatis. Hieronymum Plati in ſuo inſigni opere de Bono ſtatus Religioſi lib. 2. c. 23. Agè uero confirmemus hanc ſententiam irrefragabili auctoritate Pontificum Romanorum. Seligam expreſſa teſtimonia ex ipſiſmet fontibus hauſta. Eugenius IV. in Bulla, quæ incipit *Cum ad Sanctiſſimam* loquens de Canonicis Regularibus Lateranenſibus, quos reſtituere poſtliminio dimiſſis ſecularibus, quos introduxerat Bonifacius VIII. cogitabat, ſic ait, *Qui vitam Religioſā ducerent, & ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctam inſtitutionem ſeruarent, quos Canonicos Regulares appellamus, quid ſacrum inter Clericos, & miniſtros Chriſti viuendi modum in ſacra Baſilica inſtituerunt, firmauerunt, crexerunt, & perpetuò deputauerunt, vt his primæ in terris Eccleſiæ, & matris Sanctorum Apoſtolorum prouidentia curam gererent, qui primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum*

corum normam traditionis , & inſtituti ſectantur. Viden uti in ipſamet reſtitutione collatis inter ſe Canonicis ſecularibus poſſidentibus , & Regularibus reſtituendis, primas dat antiquitatis , & virtutis Regularibus ?

Sixtus IV. hanc prerogatiuã agnouit in magno illo priuilegio conceſſo Canonicis Lateranenſibus ſcilicet fruẽdi omnibus titulis, & gratiis quibus antequam ex illo Patriarchio excederent gaudebant . Quod ſic incipit *Dudum ad Vniuerſos Ordines Regulares . Ad illum,* ait, *præcipuè Canonicorum Regularium Congregationis Ordinem S. Auguſtini eò libentiùs noſtræ mentis oculis cõuertimus, quo ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ Sanctæ inſtitutione , ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normis, traditionibuſque fundatus , & Sacris inſtitutis, ac diuinis regulis , eloquijſque præmunitus exiſtit, ab eiuſque primæua fundatione varijs virtutum meritis ſemper reſplenduit*. Diſertè eos vocat primos naſcentis Eccleſiæ, ac Chriſtianæ Religionis Clericos, & meminit Inſtituti, ac normæ Religioſæ initio ab Apoſtolis prçeptione, ac exemplo acceptæ , poſtea ab Auguſtino ſcriptæ, ac præſcriptæ, quo eiuſdem eſſe Ordinis declarauit.

Pius V. in ſua Bulla celebri edita ſuper præcedentia, quam ambibant Canonici Lateranenſes ſuper omnes Monachos, imo & Clericos ſeculares, quæ incipit *Cùm ex ordinũ*. Sic ait inter cętera vti *Cùm itaq; ſic accepimus, dilecti filij Canonici regulares Congregationis Lateranenſis , qui ab Apoſtolis originem traxerunt, quique ab eodẽ Auguſtino Reformatore iterum per Reformationis viam mundo geniti merito prætendere poſſunt ſe omnes alias perſonas Eccleſiaſticas tam ſeculares , quam regulares in Proceſſionibus , & alijs actibus publicis præcedere debere : cùm tamen non liceat membra à capite ſeparare , &c.* Nota illam uocem *Meritò* , quæ ius ijs præcedentiæ attribuit propter antiquitatem, & obſerua illam rationem cur de facto non præcedant *Cum tamen non liceat membra à capite ſeparare,* quæ confirmant ius: quia tamen, inquit, Clerici ſeculares ſunt ſub Epiſcopo, & cum illo unum corpus tanquam cum capite membra efficiunt incongruum eſt , & ſcandalis obnoxium auellere eos ab Epiſcopo, & loco proximo emouere : ac introducere Regulares, qui ſunt exẽpti , & ſub alio capite conſiſtunt . Quaſi dicat : ſi Canonici Regulares fuiſſent ſubditi , ac membra Epiſcopi præcederent omnino Clericos ſeculares propter antiquitatem . Verùm cum ſint ab eo ſeparati , non præcedere ſeculares, qui vnum corpus cum Epiſcopo conſtituunt. Rectè quidem Pius Sanctiſſimus , & iuſtiſſimus: aſſeruit quod erat iuris, reiecit quod erat factio ob aliã rationem , quæ reiectio tamen, ſicut exceptio, iuris regulam confirmabat . Animaduerte autem lector Pium V. obiectionem à me initio contra antiquitatem Canonicorum Regularium poſitam ſoluiſſe : retenta antiquitate ſublata ex alio capite præcedentia : manente re integra antiquitatis. Eſtque ratio incluſa in Decreto . cap. *Non liceat*. init. de præſcript. *Membra ſequuntur caput*. Audiamus nunc aliorum autorum teſtimonia . Ioannes de Nigra Valle grauis Autor Bibliothec. Apoſtol. lib. 13. c. 18. *Canonicis,* inquit, *Regularibus in primitiua Eccleſia Clericorum nomen ab Apoſtolis inditum fuit, eo quod perrenorum renunciationem Eccleſiaſticorum aſſumptionem*

in ſortem Domini fuerunt aſſumpti; ideoq; ipſi Clerici regulares Canonici, dicuntur Clerici primitiuæ Eccleſiæ; Clerici verò, vel Canonici ſeculares dicuntur quidem Clerici; ſed deriuatiuè, quia ab ipſis primis Clericis regulariter viuentibus originem traxerunt. eadem uoce *deriuatiuè* vtitur Auguſt. Ticinenſ. in Propug. 3. p. c. 1. Volaterranus lib. 21. Antropol. *Ordo Canonicus ab Auguſtino non tam inſtitutus, quàm renouatus de Apoſtolis in monte Sion exordium accepit, qui poſt aſcenſionem, vt ait D. Thomas 2.2.q.88. de vitæ genere deliberantes communia inter ſe omnia, ac tria vota coram Deo ſtatuere, qui ritus à ſucceſſoribus clericis quidem, diligentiſſime ſeruatus, fideque poſtea deferueſcente deſitus, nunc quoq; in Eccleſijs amplius quadraginta perſeuerat.* Attende *omnes* fuiſſe Regulares; rurſum expende *Poſtea deferueſcente Fide deſitus*, eos ab illo primo inſtituto per imbecillitatem deflexiſſe, & ad laicalem ſtatum deuenisſe.

Abbas Panormitanus in c. *Deus*. de uita, & honeſt. Cleric. *Cùm multis,* inquit, *Clericorum ſtatus ſit relaxatus, & ſub illa diſtrictione, ſub qua erant Apoſtoli, & Apoſtolici viri nollent viuere, facta eſt diſtinctio ſecularium à Regularibus Clericis, quorum obſeruantia ſucceſſiuè viget in Regularibus Canonicis, qui & Clerici Regulares ſunt: nam alij ſeculares dicti ſunt, quia voluerunt habere proprium, & ſe exhibere ad ritum ſecularium hominũ.*

Adde eiuſdem verba in c. *Licet*. de Officio Ordin. *Nota* Gloſſam. *Quare qui non ſunt alicuius Religionis dicũtur Clerici ſeculares: participant enim Religioſis, & in hoc appellantur Clerici. Item participant de Laicis, & hoc reſpectu appellantur ſeculares.* Degenerarunt ergo à primis Regularibus deſerta Religioſa profeſſione: non amiſerunt tamen nomẽ Clericorum, quia deuouerunt ſe Clero, & miniſterio Eccleſiaſtico, quod dixerat gloſſa laudata ab Abbate, *Propterea vocantur Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Dominus ſors illorum eſt.* Accedit Speculator in ſuo Rationali diuin. offic. lib. 6. Rubr. *de ſeptem diebus* poſt Paſcha. *Habet Regulares,* inquit, *& alios Clericos qui vſurpato nomine ſeculares dicuntur, nulla debet eſſe quoad hoc differentia: nam & ipſi magna ex parte antiquitus Regulares fuerunt. Rectè antiquitus* cũ omnes Clerici erant Religioſi, atque adeo Canonici Regulares. Debent igitur his quicquid ſeruant, & rei & nominis. De quo aptè, & acutè Baſilius Serenius in ſuo vel Conſilio, vel Reſponſo, vel compendio Priuileg. Congregat. Saluatoris Lateranenſis Reſol. 1. §. 13. *Dicti ſunt Clerici Regulares ad differentiam ſecularium.* Et Reſolut. 9. §. 8. Clericorum Regularium ſiue Canonicorum nomen, & ſtatum. Primum Analogatum vocat, quo item vocabulo eodem uſus, & delectatus eſt Bordonus libello de Præcedent. c. 4 n. 31.

Dominicus Soto grauis autor Dominicanus lib. 10. de iuſt. & iure. q. 4 art. 3. not. 1. *Naſcens Eccleſia cœpit in communi viuere: in quo vitæ inſtituto non nihil temporis adoleuit: ille enim erat decentiſſimus eorum ſtatus, ſi perdurare poſſet: vt patet ex canone Clementis. Dilectiſſimis*, & Canone Vrbani. *Videntes*, & Canone *Scimus*, & multis aliis 12. q. 1. *nam cum paucitas tunc exiſteret Clericorum & Ecciarum, poterant ſic commodè viuere. Imo & in multis Cathedralibus etiam nunc ſpecimen aliquod eiuſdem vitæ com-*

Digitized by Google

communis retinetur. Optimè quidem; nam & omnes tunc Clericos Regulares ponit, eumque ſtatum congruẽtem Eccleſiæ eſſe affirmat: perfectionem illius difficilem fore animaduertit, ex metu ne non diù duraret: propterea paucorum dicit, quòd turba illius capax non erat, ſed pars electa à Deo in ſortem reſeruata, cui ſatis eſſet ad uictum quæ de communibus facultatibus diuidebantur pro rata, ſiue quot à Clericali. Demum remanſiſſe in Eccleſia eius imaginem perfectionis in tanta multitudine Clericorum animaduertit. Non ergo omnium erat illud inſtitutum Regulare, ſed Clericorum, qui omnes tunc diſcipuli Apoſtolorum erant, atque adeo Religioſi, non laici, neque ſeculares. Patet ex c. *Dilectiſſimis*. 12. q. 2. *Communes vita fratres* (textus eſt Clementis 1. Epiſt. 1. ad Iacobum fratrem Domini) *omnibus neceſſaria eſt, & maximè ijs, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt & vitam Apoſtolorum, eorum qui diſcipulorum imitari volunt*. Et ſubiungit. *Vnde conſilium dantes veſtram prudentiam hortamur, vt ab Apoſtolicis regulis non recedatis*. Hærebant igitur, nec dum receſſerant, quemadmodum poſteriores fecerunt; qui à primo feruore Charitatis ad moderatius, & laxius, quæ hominum eſt fragilitas, vitę genus defecerunt. Quo vero tempore deſciſcere cæperint ab inſtituto poſteà inquiremus. Nunc quam tradimus de antiquitate ſententiã Canonicorũ Regulariũ quorundam autorũ calculis confirmemus. Tradit eam Pennottus ſcripto magni nominis in ſua Hiſtor. Tripart. lib. 2. cap. 4. 5. & 6. Bordonus tract. de iure præc. c. 4. an. 31. ad finem. Melegarius de Apoſtolicis, Canonicorum Ord. inſtitutis initio oper. Auguſtinus Ticinenſis in Propugnaculo p. 2. c. vnico, & 3. p. c. 1. & 4. p. c. 2. 3. 4. Zaccharias Ferrer. in ſua allegat. pro vero habitu Canonic. Regular. Probat. 1. & 2. Hieronymus Mentuatus Allegat. pro Canonico habitu Regular. Duo item Cardinales Michael Saracenus tit. S. Anaſtaſiæ, & Bernardinus Scotus tit. S. Matthæi in Relatione cauſæ Canonicorum Regularium. Cardin. Cicada titulo S. Clementis in ſua item erudita Relatione. Baſilius Serenius de Priuileg. Canonicor. Regular. Reſol. 1. §. 13. & in Refutatione Ilicetana initio. ante querimonias. Politiſſimus ſcriptor de Bono ſtatus Religioſi. Hieronymus Plati lib. 2. cap. 23. Cæterùm à quæſtione de præcedentia calamum prorſus abſtineo: quam ſcio inter duos grauiſſimos, & Palmares Ordines Canonicorum Regularium, & Benedictinorum diù, & acriter agitatam, cum non ſit meum, niſi quod aſſumpſi de antiquitate illorum ſcribere præ Clericis ſecularibus, & rationem obiter afferre, cur Clerici ſeculares primam habeant præcedentiã à ſummis Pontificibus adductam, & approbatam. Qui velit eam de præcedentia quæſtionẽ nitidè ac copioſè tractatam videre, legat idoneum Authorẽ Franciſcum Bordonum libello ſpeciali de *Iure præcedentiæ Canonicorum Regularium Lateranenſium*. Id conſequens ex noſtra doctrina eſt: Canonicis Regularibus, quibus iure antiquitatis ſpectato ſeculares Clerici cedere debuerint, omnes penitus Ordines Monachorum multo iuſtius cedere debuiſſe; idque jam non modo in rem, vt aiunt, iudicatam, ſed in vſum etiam praximque veniſſe.

Ffff 2 CAPVT

CAPVT III.

An, & quomodo Monachi à Canonicis Regularibus deſcenderint? Et Clerici defecerint?

Cum perſpicuè demonſtratum ſit, Primum Ordinem Religioſum in Eccleſia Dei inſtitutum, & fundatum à Chriſto, & Apoſtolis fuiſſe Canonicorum Regularium, eumque ex vita contemplatiua, & actuoſa compoſitum vtrunque munus Monachi, & Clerici prout diſtinguuntur, & ſumuntur arctiùs, comprehendiſſe, ſupereſt ſcire. An, & quomodo propriè ſùmpti, prout vel in ſolitudine diuerſi, vel in Cœnobiis coniuncti, à Clericis Regularibus emanauerint? Duæ ſunt partes Clericalis Religioſæ vitæ; Contemplatio, & actio: illa prima Monachi eſt propria, hæc ſecunda Clerici. Ita S. Ambr. eleganter epiſt. 82. vbi vtranque proponens, & diſtinguens, ita tamen, & præciſè ſumat, quatenus ſolitudo Monachi opponitur publicę Clerici actioni. Primò igitur conſtat Canonicum Regularem, vtranque profeſſum; quod hactenus monſtrauimus. Deinde Monachos inuenimus, qui ſolitudinis amantes ſanctæ contemplationis otio dediti, eoque cum Maria contenti foras prodire Clericorum more noluerunt. *Columnæ ad feneſtras ſuas* poſthabito illo voto *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo?* vnam ſibi partem elegerunt: aliam verò Marthæ reliquerũt; ſilentium, & ſolitudinem, & planctum, prædicationi, frequentiæ, & choro Eccleſiaſtico prætulerunt. Manauit hinc illud celebre dictum *Monachi officium eſt plangentis, Clerici verò docentis*, c. *Hinc eſt*. c. *Monachus*. c. *Alia cauſa*. 16. q. 1. Ab officijs Eccleſiaſticis remouerunt ſeſe, & intra ſepta Monaſterij Deo vacabant more laicali. Vnde ex propria inſtitutione Laici, & erant; & vocabantur. c. de Epiſc. & Cleric. lege ordinaria. c. *generaliter* 16. q. 1. nec poterant de iure clericari, vt obſeruat *Præpoſitus* in c. *Priſcis*, & in c. *Requiſitus* 5. q. 7. niſi cauſa neceſſitatis. eod. c. & c. *Moderamine*, & c. *ex authentica* 16. q. 1. Itaque imperfectior eſt Monachus quàm Clericus Regularis vtpote qui dimidium præſtat, non totum. Sponſa quidẽ Chriſti eſt Monachalis anima, ad quam ſponſus tamen dicit in ſuis Cantic. *vulneraſti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Præbet dimidium, aufert totũ. Perfectionẽ Clerici Regularis non æquat. Vnde in prouebiũ abijt. *Optimus Monachus vix facit bonũ Clericũ*, c. *legitur* 16. q. 2. iuncto textu eximio ſumpto ex verbis S. Hieron. ad Ruffum. *Sic viue in monaſterio, vt Clericus eſſe mereare*, c. *Sic viue* 16. q. 1. quin & ipſi Monachi, etiam Cęnobitæ ei vitæ renuntiabant, & ordinari metuebant ex inſtituto, & religione, quamquam ad id inuitarentur, & ſi aliquos ordinari opus erat non niſi coacti, & repugnantes veniebant: quẽadmodum in libro vitas Patrũ paſſim ſcribitur. Laudanda ſanę virtus humilitatis, quę placet: nec improbo virtutẽ, ingero differentiã inſtituti. Legat qui volet acta illorũ Patrũ, ac imprimis Pachomij Synchroni, Magni Athanaſij, à quo, cum luſtrandi Monaſterium cauſa veniſſet, agnoſci vetuit, ne fortè agnitus Clericus fieret. At perfectio erat, Sanè. Sed Clericalis, non Monachalis. Igitur in Clerico Regulari erat integra ex vtroque inſtituto perfectio: atque adeo præſtantior,

&

& excellentior. Quemadmodum obſeruat Hieronymus Plati lib.2.c.23. *Facile*, inquit, *cognoſci poteſt quam laudabile, & expetendum eſſe oporteat Clericorum Regularium inſtitutum, in quo duo tam præclara, tamque vtilia inſtituta confluunt*: & collatione facta ſingulorum, ſcilicet contemplandi, & operandi concludit. *Quare cum vtraque ratio tam eximia bona habeat, quibus altera caret, quæ erit illa vita, in qua ſic permiſceantur ambæ vt vtriuſque bonis perficiatur, & vnà cum ſuo profectu, quod faciunt Monachi, aliorum quoque profectus curetur, quod proprium eſt Cleri?* Ita Patres docent. Quorum Baſilius in Regulis: *Monachalis* ſiue *ſegregata*, vt ait, *vita non eſt præferenda communi, quòd ea ſuorum tantùm honorum propoſitam procurationem habeat. Hoc autem charitati aduerſatur, quæ non quærit, quæ ſua ſunt: quam perfectè obſeruaſſe Apoſtolum videmus, qui non ſuam ipſius utilitatem quæreret, ſed multorum, ut ſalui fierent*. S.Leo ſerm.de S.Laurent. *Nullus bonus ſibi ſoli bonus eſt, nec cuiuſquam ſapientis ſibi tantùm amica eſt ſapientia: & hæc uerarum natura uirtutum eſt, ut multos à tenebroſo abducant errore*, quæ pars eſt officij Clericalis. Vnde Auguſtinus cum laudaret magnopere vitam ſolitariam anachoretarũ lib.de morib.Eccleſ.c.31. addidit videri quibuſdam nimis eam deſeruiſſe res humanas, quippe quæ nihil opis, aut laboris conferat in proximos. Euſebius Vercellenſis apud Ambroſium Epiſt. 52. ad Vercell. propterea commendatur, quòd ſuos Clericos ita inſtitueret, vt ab eis exigeret duo hęc, & *monaſterij continentiam, & diſciplinam Eccleſiæ*. Huiuſmodi fuerunt in Africa Clerici Auguſtini, qui profitebantur *Sanctitatem, & Clerum*. Cõſtat ex ſermon. 1. de vita Cleric. Sanctitatem Monaſticam, doctrinam clericalem. Animaduerterunt hoc poſtea Monachi, & Clericatum adſciſcere, & adiungere ſibi voluerunt. Sed tamen ijs Clericatus ex inſtitutione non cõuenit, prout conuenit Canonicis ſecularibus vti notat S.Th.2.2.q.189. quod autem puri Monachi hanc perfectam viuendi, more Clericorum, vitam recognouerint eamq; ſtudio perfruendi, & re, & exiſtimatione ambierint, teſtis eſt Hieronymus in lib. de viris illuſtribus in Philone. *Philo Iudæus*, inquit, *natione Alexandrinus de genere Sacerdotũ idcirco à nobis inter Eccleſiaſticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriã ſcribens Eccleſia in noſtrorum laude verſatus eſt, non ſolum eos ibi, ſed in multis quoq; prouincijs eſſe memorãs, & habitacula eorum dicens Monaſteria, ex quo apparet talem primò credẽtiũ fuiſſe Eccleſiã, quales nunc Monachi eſſe nitũtur, & cupiũt*. Nota *nunc nituntur, & cupiunt*, quaſi antea non eſſent, aut vellent imitari, & ſimiles ijs videri, qui tunc erant. Erant autem vti notum eſt, & patebit poſtea, Canonici Regulares à Chriſto, & Apoſtolis inſtituti.

His, & quidem aptè in rem præmiſſis ad quæſtionem accedimus. Vnde ceperit iſta Monachorum à Clericatu defectio, ac deductio? duæ mihi eius occaſiones, ni cauſas mauis dicere fuiſſe videntur. Prima nimia multitudo Fidelium ad Chriſtum aggregata, quæ non poterat ſolum Clericatum profiteri: & immanitas perſecutorum, quæ præcipue ſæuiebat in Clericos, nec patiebatur eorum vitæ ſtatum, qui bonis renuntiarent, & donarent Eccleſiæ, & Chriſtianis Sacramenta

cramenta

Digitized by Google

cramenta miniſtrarent, & gentiles prædicatione conuerterent. Primam oſtendo. Creſcente numero fidelium non poterant omnes ſtudioſi perfectionis illam formam profiteri, cum multi eſſent Laici, & idiotæ & maiorem partem coniugati, vnde nec poterant, nec volebant illud Clericale inſtitutum profiteri: cum autem vellent ſanctè ac perfectè viuere ſequendo Chriſtum, amplexi ſunt eam vitæ Clericalis partem, quæ propriæ ſaluti attendebat, & contemplationi vacabat, relicta altera parte doctrinæ, quam vel præſtare per ignorantiam non poterant, vel per genium amplecti nolebant. Itaque renuntiantes bonis, & in pauperes pretio erogato publico abſtinuerunt, & vel ad eremum ſeceſſerunt, vel in cœnobia ſeſe, ac aſceteria incluſerunt. Neceſſitas plurium Clericorum nulla erat, abundante numero in tanta multitudine Chriſtianorum in dies creſcentium: nec illa conſuetudo vendendi bona, & facultates, & pretium in commune conferendi ſeruari à coniugatis poterat, nec congruebat cùm liberi, & ſerui alendi eſſent, & familia ſuſtentanda. Quare liberum erat cuiuſlibet religioſæ vitæ genus amplecti, & ſectari; cùm præſertim fęminæ, quæ omnino incapaces ordinis & inſtituti Clericalis eſſent, ſummo ſtudio perfectionis tenerentur, & Religioſum ſtatum ardenter expeterent. Nec exempla deſunt præclara huiuſce fęminarum profeſſionis. Martha & Magdalena in Gallia vtrunq; & Anachoretarum, & Cœnobitarum inſtitutum arripuerunt. Magdalena in loco inacceſſo vaſtę ſolitudinis ſolis Angelis cognita ſe abdidit: Martha in vrbe Monaſterium cōdidit, & cum Virginibus Religioſam vitam duxit. Imo & accepimus à Matthæo Æthiopum Regis filiam Iphigeniam Hirtaci ſucceſſoris proci votis ereptam, & Chriſto conſecratam fuiſſe. A Paulo Teclam iiſdem ſacris initiatam Virginitatem coluiſſe, & à Clemente Romæ Flauiam Domitillam Florentem copiis & ornamētis Virginem à nuptiis, quas multi ambiebant ad Cœleſtis ſponſi thalamum abductam, Chriſto, & virginitatem, & vitam deuouiſſe. Et quidem. Philo de fęminis Chriſtianis id ipſum memoriæ tradit. *Mulieres quoque reperiuntur quarum pleraque grandæuæ Virgines caſtitatem, non neceſſitate, ſicut quidam Sacerdotes apud gentes, magis quàm ſua ſponte propter Zelum, ac ſtudium ſapientiæ cuſtodiant, cuius commercium ſtudioſè colentes corporum voluptates aſpernantur, cum immortales potius liberos, quos ſolus amans Dei animus ex ſe gignere poteſt, quàm mortales habere cupiunt.* Itaque vt ſexus vtriuſq; mentionem faciamus, pergo ſequentia memorare. *Quid opus eſt iſtis adijcere, quomodo in vnum congregati, ſeparatimque viri, ac ſeparatim mulieres conuerſati ſint, & quæ illis exercitia fuerint, quæ adhuc apud nos durant, & præcipuè circa ſalutaris paſſionis feſtum diem, in ieiunijs & uigilijs nocturnis, diuinorumque ſermonum lectione exercere conſueuimus.* Ibi autem diſtinguit, vt hoc obiter dicam Clericale munus ab officio Aſcetico: ſicut nobis ex hoc loco Philonis refert Euſebius, qui locum Philonis tranſcribit. *Præterea,* inquit, *ſcribit Philo, quo pacto præſideant inter eos quibus Eccleſiaſticè commiſſa ſunt miniſteria.* Ita lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 17. En vides Clericos iis ſacra adminiſtrantes, & miniſteria Eccleſiæ obeuntes cum dignitate tamē, & præſtātia perfectiori ſtatui

ſtatuī congruente. Hactenus de prima cauſa; ſequitur ſecunda Orta ex immanitate tyrannorum Chriſtianos perſequentium. Sæuiebant hi præcipuè in Epiſcopos, & Clericos. Audiamus S. Leonem Papam ſerm. in Natali S. Laurentij *Cum furor*, inquit, *gentilium poteſtatum in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret: ac præcipuè eos, qui ordinis erant Sacerdotalis impeteret*, proptereà minui ille ordo cæpit alijs occiſis; alijs deterritis, ac minus ad ſuſcipiendum illud cum tanto periculo inſtitutum alacribus, atque adeo loca tuta, & auia quærentibus, vbi tranquillam, & ſanctam vitam degerent: quæ cauſa traditur à S. Hieronymo in vita S. Pauli Primi Eremitæ; *Dum*, inquit, *perſecutionis detonaret procella* (quam ita deſcripſerat) Paulus *in Villam remotiorem, & ſecretiorem receſſit*: & iterum timens ne ita quoque à marito ſororis proderetur, & tortoribus traderetur *ad montium deſerta confugit, dum perſecutionis finem præſtolaretur, neceſſitatem in voluntatem vertit*. Agnoſce qui legis in Paulo Fidelium ad eremum conuolantium ſpirãtem cauſam fugiendi imaginem, & in ſororis marito ſæuitiam, & auaritiam perſequentium. Hi propter duas potiſſimum cauſas vexabant Epiſcopos, & Clericos, tum quia hi erant inſtrũctores, & Doctores cæterorum, & iurati Idolorum hoſtes: tum quia erant collectores, & adminiſtratores bonorum Chriſtianorum, quibus partim victitabant partim pauperes alebant, quorum quia ingens copia erat, & credebatur, Theſauros Eccleſiæ appellari audiebant: igitur odio Chriſti, & cupiditate pecuniæ in ordinem Apoſtolicum, & Canonicum ſæuiebant; quemadmodum apparet in Laurentio, altero Stephano Fide, & Charitate, *qui non ſolum* (vt ait idem Leo) *miniſterio Sacramentorum ſed etiam diſpenſationi Eccleſiaſticæ diſciplinæ præeminebat*. *Armatur gemma face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus, auaritiæ vt rapiat aurum; impietate vt auferat Chriſtum*: Multos reperimus in monumentis Eccleſiaſticis Pontifices, multos Epiſcopos, multos Clericos alios ob hãc, alios ob alteram cauſam in vincula coniectos, acerbiſſimè tortos, crudeliſſimè interfectos, quos non oportet numerare. Nõ paucos item legimus fugientes ſibi conſulentes in tenebras, in latibula, in cauernas, in gurguſtia ſeſe conijcientes: ad quos Pauli ad Hebr. 11. Eccleſia conuertit Epiſt. *Egentes*, ait, *anguſtiati afflicti. Circuierũt in melotis, in pellibus Caprinis, quibus dignus nõ erat mundus, in ſolitudinibus, in montibus, & ſpelũcis, & in cauernis terræ*, qualis fuit Vrbanus, Caius Romæ, & Apollinaris Rauennæ, Blaſius Sebaſte, Maximus Epiſcopus, & Felix itẽ Presbyter Nolę: qui tamẽ laudantur, & meritò: licebat enim virę priuatæ proſpicere, vt publicę conſulerent. Quod quidẽ multò illis liberius erat, qui nõdum in Clerum aſſumpti nullo Religionis vinculo tenebantur. Hinc initia Monachatus iuſta quidẽ, & idonea, & antiqua. Ex hac fuga, exilioque voluntario cæperunt frequentari ſolitudines, coli eremi, habitari deſerta, adiri auia, abdita pandi, abſtruſa indagari, aſpera molliri, ardua ſuperari, inacceſſa attingi, confragoſa frangi, profunda penetrari, verrucoſa leniri, ſenticoſa expediri, ſyluoſa inueſtigari, nemoroſa explicari, pręrupta æquari, ſumma deprimi, ima eleuari, ſcabra poliri, præcipitia complanari, ſaxa perforari, rupes exdorſuari,

cautes

Digitized by Google

cramenta miniſtrarent, & gentiles prædicatione conuerterent. Primam oſtendo. Creſcente numero fidelium non poterant omnes ſtudioſi perfectionis illam formam profiteri, cum multi eſſent Laici, & idiotæ & maiorem partem coniugati, vnde nec poterant, nec volebant illud Clericale inſtitutum profiteri: cum autem vellent ſanctè ac perfectè viuere ſequendo Chriſtum, amplexi ſunt eam vitæ Clericalis partem, quæ propriæ ſaluti attendebat, & contemplationi vacabat, relicta altera parte doctrinæ, quam vel præſtare per ignorantiam non poterant, vel per genium amplecti nolebant. Itaque renuntiantes bonis, & in pauperes pretio erogato publico abſtinuerunt, & vel ad eremum ſeceſſerunt, vel in cœnobia ſeſe, ac aſceteria incluſerunt. Neceſſitas plurium Clericorum nulla erat, abundante numero in tanta multitudine Chriſtianorum in dies creſcentium: nec illa conſuetudo vendendi bona, & facultates, & pretium in commune conferendi ſeruari à coniugatis poterat, nec congruebat cùm liberi, & ſerui alendi eſſent, & familia ſuſtentanda. Quare liberum erat cuiuſlibet religioſæ vitæ genus amplecti, & ſectari; cùm præſertim fęminæ, quæ omnino incapaces ordinis & inſtituti Clericalis eſſent, ſummo ſtudio perfectionis tenerentur, & Religioſum ſtatum ardenter expeterent. Nec exempla deſunt præclara huiuſce fęminarum profeſſionis. Martha & Magdalena in Gallia vtrunq; & Anachoretarum, & Cœnobitarum inſtitutum arripuerunt. Magdalena in loco inacceſſo vaſtę ſolitudinis ſolis Angelis cognita ſe abdidit: Martha in vrbe Monaſterium cōdidit, & cum Virginibus Religioſam vitam duxit. Imo & accepimus à Matthæo Æthiopum Regis filiam Iphigeniam Hirtaci ſucceſſoris proci votis ereptam, & Chriſto conſecratam fuiſſe. A Paulo Teclam iiſdem ſacris initiatam Virginitatem coluiſſe, & à Clemente Romæ Flauiam Domitillam Florentem copiis & ornamētis Virginem à nuptiis, quas multi ambiebant ad Cœleſtis ſponſi thalamum abductam, Chriſto, & virginitatem, & vitam deuouiſſe. Et quidem. Philo de fęminis Chriſtianis id ipſum memoriæ tradit. *Mulieres quoque reperiuntur quarum pleraque grandæuæ Virgines caſtitatem, non neceſſitate, ſicut quidam Sacerdotes apud gentes, magis quàm ſua ſponte propter Zelum, ac ſtudium ſapientiæ cuſtodiant, cuius commercium ſtudioſè colentes corporum voluptates aſpernantur, cum immortales potius liberos, quos ſolus amans Dei animus ex ſe gignere poteſt, quàm mortales habere cupiunt.* Itaque vt ſexus vtriuſq; mentionem faciamus, pergo ſequentia memorare. *Quid opus eſt iſtis adijcere, quomodo in vnum congregati, ſeparatimque viri, ac ſeparatim mulieres conuerſati ſint, & quæ illis exercitia fuerint, quæ adhuc apud nos durant, & præcipuè circa ſalutaris paſſionis feſtum diem, in ieiunijs & uigilijs nocturnis, diuinorumque ſermonum lectione exercere conſueuimus.* Ibi autem diſtinguit, vt hoc obiter dicam Clericale munus ab officio Aſcetico: ſicut nobis ex hoc loco Philonis refert Euſebius, qui locum Philonis tranſcribit. *Præterea,* inquit, *ſcribit Philo, quo pacto præſideant inter eos quibus Eccleſiaſticè commiſſa ſunt miniſteria.* Ita lib. 2. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 17. En vides Clericos iis ſacra adminiſtrantes, & miniſteria Eccleſiæ obeuntes cum dignitate tamē, & præſtātia perfectiori ſtatui

ſtatui congruente. Hactenus de prima cauſa, ſequitur ſecunda Orta ex immanitate tyrannorum Chriſtianos perſequentium. Sæuiebant hi præcipuè in Epiſcopos,& Clericos. Audiamus S.Leonem Papam ſerm.in Natali S.Laurentij *Cum furor*, inquit, *gentilium poteſtatum in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret: ac præcipuè eos, qui ordinis erant Sacerdotalis impeteret*, propterea minui ille ordo cæpit alijs occiſis; alijs deterritis, ac minus ad ſuſcipiendum illud cum tanto periculo inſtitutum alacribus, atque adeo loca tuta,& auia quærentibus,vbi tranquillam,& ſanctam vitam degerent: quæ cauſa traditur à S. Hieronymo in vita S. Pauli Primi Eremitæ: *Dum*, inquit, *perſecutionis detonaret procella* (quam ita deſcripſerat) Paulus *in Villam remotiorem, & ſecretiorem receſſit*: & iterum timens ne ita quoque à marito ſororis proderetur,& tortoribus traderetur *ad montium deſerta confugit, dum perſecutionis finem præſtolaretur, neceſſitatem in voluntatem vertit*. Agnoſce qui legis in Paulo Fidelium ad eremum conuolantium ſpirãtem cauſam fugiendi imaginem, & in ſororis marito ſæuitiam,& auaritiam perſequentium. Hi propter duas potiſſimum cauſas vexabant Epiſcopos, & Clericos, tum quia hi erant inſtructores,& Doctores cæterorum,& iurati Idolorum hoſtes: tum quia erant collectores,& adminiſtratores bonorum Chriſtianorum, quibus partim victitabant partim pauperes alebant, quorum quia ingens copia erat, & credebatur, Theſauros Eccleſiæ appellari audiebant: igitur odio Chriſti, &cupiditate pecuniæ in ordinem Apoſtolicum, & Canonicum ſæuiebant;quemadmodum apparet in Laurentio,altero Stephano Fide, & Charitate, *qui non ſolum* (vt ait idem Leo) *miniſterio Sacramentorum ſed etiam diſpenſationi Eccleſiaſticæ diſciplinæ præeminebat. Armatur gemma face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus, auaritiæ vt rapiat aurum; impietate vt auferat Chriſtum*: Multos reperimus in monumentis Eccleſiaſticis Pontifices, multos Epiſcopos, multos Clericos alios ob hãc, alios ob alteram cauſam in vincula coniectos, acerbiſſimè tortos,crudeliſſimè interfectos, quos non oportet numerare. Nõ paucos item legimus fugientes ſibi conſulentes in tenebras,in latibula, in cauernas, in gurguſtia ſeſe conijcientes: ad quos Pauli ad Hebr. 11. Eccleſia conuertit Epiſt. *Egentes*,ait, *anguſtiati afflicti. Circuierũt in melotis, in pellibus Caprinis, quibus dignus nõ erat mundus,in ſolitudinibus, in montibus,& ſpelũcis,& in cauernis terræ*, qualis fuit Vrbanus, Caius Romæ, & Apollinaris Rauennæ, Blaſius Sebaſte, Maximus Epiſcopus, & Felix itẽ Presbyter Nolę: qui tamẽ laudantur,& meritò:licebat enim vitę priuatæ proſpicere, vt publicę conſulerent. Quod quidẽ multò illis liberius erat, qui nõdum in Clerum aſſumpti nullo Religionis vinculo tenebantur. Hinc initia Monachatus iuſta quidẽ, & idonea,& antiqua.Ex hac fuga,exilioque voluntario cæperunt frequentari ſolitudines, coli eremi, habitari deſerta, adiri auia, abdita pandi, abſtruſa indagari, aſpera molliri, ardua ſuperari,inacceſſa attingi, confragoſa frangi,profunda penetrari,verrucoſa leniri, ſentícoſa expediri, ſyluoſa inueſtigari,nemoroſa explicari, pręrupta æquari, ſumma deprimi, ima eleuari, ſcabra poliri, præcipitia complanari,ſaxa perforari, rupes exdorſuari,

cautes

Digitized by Google

cautes exenterari, cauerne viſcerari, antra aperiri, ſpeluncæ fabricari, latibula indicari, gurguſtia proferri, anfractus extricari, ferarum, & ſerpentũ receptacula domicilijs ciuium, & palatiis Principum anteponi.

Ex hoc exitu Monachorum de medio Clericorum Regularium colligẽdum, quàm nobilis ille fuerit, cum qui ex illis exierunt, tàm Sancti, & perfecti euaſerint. Nec mirum, cùm Clericorum plurimi & glorioſi Martyres, quales Apoſtoli, diſcipulique, extiterunt, & poſt illos Laurentius, Vincentiusque, ac plerią; alij floruerunt, ex ea gente, tamque præſtantes Monachorum familias emanaſſe. Itaque illi Pauli, Antonii, Hilariones, Macarij, Paphnutii, Onuphrii, Pambi, Ammones, Anubes, Simeones, Pachomii, Paſthumii, Theodoſii cum cæteris Eremicolis, qui in cęli confinio Angelis, quàm hominibus timidiores in terris vixerunt Regulares ſunt Canonicos conſecuti. Quo autem tempore exierint ex cauſis palam fit. Certè Alexandriæ paulo poſt, alibi ſeriùs cæperunt. Id animaduerto: Hieroſolymis quo in loco, & iſti fuerant, & plurimum valebant, Clerici, pauciores, Monachos fuiſſe, Neque vero quicquam meæ detraho profeſſioni, quæ ex vtroque munere coaleſcit: ita Deo Sãctiſſimo P. Franciſco reuelanti, ac ordinanti, vt vita vtriuſque formam amplecteretur, ac proinde Canonicos Regulares primitiuæ Eccleſiæ imitaretur, quod item alij Mendicantes, imo & penè omnes Religioſi pręſtiterunt, qui compoſitam ex contemplatione, & actione viuendi formã profitentur vt omnes ad ſuum, vnde illi primi Monachi deflexerant, fontem redierint, vt nihil ab eo primęuo Apoſtolorum inſtituto diſcreparent, & in eis impleatur illud Sapientis proloquium. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur:* Quod non omittemus poſteà retractare.

Expedita quæſtione de Monachatu, ſequitur altera de Clericatu ſimplici, ſiue ſeculari: vnde, & quomodo traxerit originẽ? Recolamus quæ proximè diximus: in primitiua Eccleſia nullos fuiſſe Clericos, ſiue Canonicos ſimplices, ſeu ſeculares, Abb. Panormitano autore in c. *Epiſcopus* de Præb. & Card. Alexand. in c. *Sicut* 44. diſt. Habetur c. *volo*, & c. *non dicatis*, 13. q. 1. & tradit Vrbanus Papa c. *videntes*, ib. & c. *præter hæc* 32. diſt. Hoc animaduerſo inquiramus cauſam, & tempus defectionis Clericorum ſecularium ab illa perfectione Regularium. Communis ſententia eſt eos per deſidiam, & negligentiam à primæuo illo feruore ſpiritus deſciuiſſe, & paulatim titillante cupidine, & cupiditate laxioris vitæ ad ſecularem ſtatum deueniſſe, & omnino à prioribus degeneraſſe. Ita Zaccharias Ferrerius in ſua Allegat. de Habitu Cleric. Regul. *deficiente*, inquit, *feruore priſtino ſuperuenerunt Clerici ſeculares, & creuerunt.* Cardinalis item Ioannes Baptiſta Cicada in Allegat. pro Canonicis Regular. Lateranenſ. aduerſ. Monachos Caſsinenſ. n. 14. *Clerici*, ait, *omnes originaliter viuebant ſecundum vitam regularem, & cum inciperent vitam huiuſmodi relaxare, inſtituti ſunt Canonici Regulares*. Franciſcus Bordonus libell. de iure præced. c. 4. nu. 36. *Clerici ſeculares à Regularibus per relaxationem iuris communis, & cupiditatẽ habendi proprium in particulari deſcenderunt*. Quod ſæpè repetit Gabriel

Pennottus

Digitized by Google

Pamnottus in hiſt. Tripart. lib.2.c.6. poſt longam cum Azorio diſceptationem: *Conſequens*,inquit,*eſt Canonicos Seculares ex Regularibus exortos per relaxationẽ*. Rurſum *Canonici ſeculares tunc vocari cœperunt, quando vitę communis inſtitutum abiecerunt, & propria habere voluerunt*. Eandem ſententiã tenet Medina grauis Theologus lib 5.de continen. c.2. Sed nemo melius de ſtatu Religioſo ſcripſit,quã Hieronymus Plati lib.2.c.23.qui hanc propriè noſtram quæſtionem agitat de cauſis,& occaſione. Produco verba. *Huius laxitatis* (ſic vocat) *duas opinor fuiſſe cauſas: primam multiplicationem ipſam Clericorum, quoniam cùm ita creuiſſet populus Chriſtianus, vt à paucis adminiſtrari non poſſet, & ad ipſius Eccleſiæ ſplendorem facere videretur, vt plures iam miniſtros haberet, non ita potuit in tanto numero ille perfectionis ardor conſeruari. Altera fuit cauſa quoniam, quò longiùs tempora à primo illo ſtatu procedebant, eò magis, & Dei charitas in hominibus refrigeſcebat, & abundabat amor ſui, ſuorumque commodorum. Quare cùm difficile iam eſſet Clericorum vulgus in tãta rerum abdicatione retineri, manſit, tamen hoc ſtudium, in quibuſdam, quibus maior animus, maiorque inerat feruor, qui ita clericalia munera obirent, & ſimul religioſa etiam munera, illamque exactam diſciplinam non omitterent*. Laudo iudicium tanti viri. Eſt mihi tamen quod opponam, non laxitati, quam non inficior, ſed cauſis. Primæ quod multiplicatio clericorum neceſſaria erat & iuſta pro multitudine Chriſtianorũ, ac ex proportione numeri ad numerum non deducitur cauſa defectionis à primo inſtituto, nec enim numerus erat, aut nimius, vnde deſidia, aut ſuperuacaneus, vnde otium, & incuria oriretur. Addo illam multiplicationem Fidelium profuiſſe, ad vitam monaſticam, quæ multò erat ſtrictior, & ſeuerior inſtituendam. Si ergo laici & ſeculares homines non ſunt ea multiplicatione abuſi, quomodo credemus,eadem compulſos ne viros perfectos, ac religioſos à primis ſuis parentibus degeneraſſe? Itaque ſeculares in tanto numero meliores effecti ſunt, & Regulares, hi vero deteriores & ſeculares redditi? Id mihi haud facile creditu eſt. Deinde alia cauſa eadem ratione infringitur. Etenim eodem ferme tempore Monachi incepiſſe videntur, & tamen cum tempore proceſſiſſent non ſunt propterea relaxati. Conſtat quippe ducenteſimo, & trecenteſimo poſt Chriſtum anno Monachorum tum Anachoretarum, tum Cœnobitarum ſtudia floruiſſe: cum multò anteà relaxati, & ſeculares Clerici à diſciplina regulari deflexiſſent. Quid hac de re ſentiam, meo, ideſt candido more exponam. Occaſionem puto perſecutionum tyrannorum fuiſſe, qui cum præcipuè Clericos infectarentur & vexarent, eoſque propter bona,& facultates Chriſtianorum, quas adminiſtrabant vehementius affligerent, non poterant tuto in Eccleſijs eſſe,& cogebantur peregrinari & mendicare,& fortuito victu,& vndequaque comparato viuere cùmque à Chriſtianis iuuari non poſſent: quia eorum bona proſcribebantur,& publicabantur, nec ſtipendia pro ſacris obeundis ſuppeterent, viuere de proprio cœperunt: neceſſitate potius, quàm voluntate: vt inuito,& coacti à regulari diſciplina primùm deſciuerint. Poſteà verò cum Pax Eccleſiæ reddita eſſet, & Conſtantino autore

Digitized by Google

res Eccleſiaſtica augeretur, ditaretur, & abundaret, & templa, & Sacra frequentari, & Eccleſiæ poſſeſſiones, & bona, & facultates habere cæpiſſent: & magno Clericorum numero ad obeunda Sacra opus eſſet, & imminutus numerus Canonicorum Regularium reperiretur, vt eorum locum intrarunt ij, qui ſeculares euaſerant, & alij, qui dulcedine poſſidendi, & habendi bona capiebantur, & votum paupertatis, & communem ſiue proprio viuendi modum neglexerunt. Succedente neceſſitati voluptate, non ea tamen ſuſcepto conſilio quæſita, ſed rerum ſtatum conſequente. Ita ſatisfit quæſtioni, & conſulitur honori, & decoro Clerici Ordinis ſecularis. Nec mihi hoc placitum temere, aſſumo. Nam video Clericos huiuſmodi ſeculares, ac minimè Religioſos, nec votis aſtrictos inſignes ſanctitate morum, & florentes Chriſtianæ Sapientiæ doctrinis extitiſſe, vt ſuſpicandum non ſit eos quicquam à virtutis, & perfectionis ſtudiis declinaſſe; cuiuſmodi ſunt Gregorius Thaumaturgus, Nicolaus, Athanaſius, Epiphanius, Ioannes Eleemoſinarius, Hilarius, Ambroſius, quibus paucos pares ea tulit ætas. Ex quo deducitur eum ſtatum Clericorum ſecularium, & citò in Eccleſia, & perſecutionum tempore inchoatum propter iuſtā cauſam fuiſse, non autē propter deſidiam, aut cupiditatem, à quibus ſummi illi Antiſtitis abfuerunt; quod ſi aliqua ex parte deprauatum & deformatum decurſu temporis reperitur, ea hominum culpa, non vitium ſtatus extitit. Accedit quod illa diſciplina Regularis erat voluntaria eligentibus, ad quam nemo lege aliqua amplectendam tenebatur, vt patet ex dicto Petri ad Ananiam Actor. 6. & nos ſuprà obſeruauimus; & quamquā profeſſis illud inſtitutum non liceret ab eo recedere ſine Apoſtaſie, non legimus tamen primos Clericos Regulares ab eo Apoſtataſſe, ſed illos liberè, ac licitè ab eo abſtinuiſſe: & in ſuo ſeculari ſine vllo voto permanſiſſe. Sacra quidem tractaſſe, & Sacros Ordines ſuſcepiſſe, non tamen ſua bona dimiſiſſe, ſed retinuiſſe citra votum paupertatis, ad quod emittēdum minimè tenebantur. Non ergo ab vllis, aut apoſtatis, aut ſceleratis, aut prauis, aut ſuſpectis hominibus initiū habuit ordo ſecularium Clericorum, ſed à uiris cautis, & prudentibus, qui perſpecto ſtatu præsētis ſuo tempore Eccleſiæ, conſultius duxerunt omittere eam formam renuntiandi proprijs facultatibus, quàm eam retinēdi: imo fortaſſis, vt eā retinere, ac ſeruare vellēt vtilius putarunt eā relinquere, & amplecti aliam faciliorem, & opportuniorem tempore decreuerunt, quare aut nullatenus in eo peccarunt, aut in eo plurimum meruerunt. Tandem hi Clerici non ſe penitus à Religioſa diſciplina ſepararunt, ſolùm ab illa forma Paupertatis receſſerunt, quæ non videbatur temporibus congruere; Caſtitatem retinuerunt, & obedientiam Epiſcopis præſtiterunt, & ad illos ſe aggregarunt, & in vno corpore ſimul cum capite permanſerunt: & ſimul cum Sanctiſſimis Epiſcopis concorditer, amanterque vixerunt. Vno illo dempto more renuntiandi bonis, & abdicandi proprium, & ius in commune transferendi: qui modus viuendi poſtea tam inualuit in Eccleſia, vt maior pars Cleri illum ſit amplexus, & cum ſuis Paſtoribus obſeruauerit. Quo vero tēpore initium habuerit illa diſceſſio incertū opinor, eſt. Ego exiſtimo non multo poſt

in-

inchoatas perſecutiones ab Imperatoribus turbantes Eccleſiam cæpiſſe: quemadmodum enim nauis tempeſtate iactata ſæuientibus ventis, cõmotis fluctibus, furentibus procellis cõcuritur, eliditur, opprimitur, & à recto curſu detorquertur, ac merciũ iacturam facit, & ſæpè malos, vel arma omnia, interdum & clauum amittit, nec ſe per turbines regere poteſt, ita opinor Eccleſiæ Catholicæ nauis, quæ ad portum perfectionis velificabat, intercurrẽti illo perſecutionum turbine non potuit nõ aliquantulum ab inſtituto curſu deflectere, & iacturam aliquorum bonorum, ac mercium ſpiritualium facere: citra culpam deſidiãq; ac negligentiã nauiculariorum, & vectorum. Ac ita volo intelligi quæ à me sũt dicta ſuperius, cùm viſus ſum hac in re Clericos criminari. Itaque effectum, ac euentum noto, cauſas non improbo. Laudare non poſſum: vituperare non audeo. Magna vis eſt neceſſitatis, ei parcendum, & iis indulgendum, & condonandum.

CAPVT IV.

De initio, & progreſſu Canonicorum Regularium Ordinis in Oriente.

AB Hieroſolymis vbi natales habuit Alexandriam, Marco duce, ac ducente profectus magno ibi cum profectu domicilium poſuit. Philo, ac Euſebius, & Hieronymus ex Philone tradunt Alexandrinam Eccleſiam inſtitutum Hieroſolymitanæ ſuſcepiſſe, ac ſeruaſſe: vt qui alteram videret alterius imaginẽ iiſdem coloribus expreſſam aſpiceret: verba Philonis exſcribit Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccle. cap. 17. ac ex Euſebio tranſtulit Hieronymus Plati 12. lib. 2. c. 21. S. vero Hieronymus lib. de ſcriptor. Eccleſiaſt. confirmat Philonis ſententiam quæ cõmunis habetur, & lib. de vir. illuſtr. in Philone, & in vita Marci recepta, & repræſentata in Breuiario Romano. Nec obiici poteſt Philonẽ de Monachis agere: etenim Euſebius disertè ponit: *qui nunc in Eccleſijs, vel Monaſterijs degunt*, & Hieronymus expreſsè dicit: *talem initio fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt*; vnde patet de Clericis, qui tunc ſoli antequam monachi naſcerẽtur, erant Regulares loqui, quos poſteà exorti conati ſunt imitari: quod item ſignificauit Euſebius, cum dixit, Philonem deſcripſiſſe vitam illorum eius temporis Alexandrini hominum, omnino ſimiles illis, qui ſuo, ideſt Euſebii tempore, in Eccleſijs, & Monaſterijs ſine proprio & re communi, cum cæteris Religioſis inſtitutis, & moribus viuebant; idque confirmat c. *Clericus* 12. q. 1. qui Canon eſt Hieronym. Epiſt. 2. ad Nepotianum. Iuuat c. *Cum beatiſſimus* 24. qu. 1. ex Leone 1. epiſt. 79. ad Dioſcorum. Calculum addit Papa Eugen iv. in Bull. reditus poſtliminij Clericorum Regularium ad Baſilicam Lateranenſem, vbi ſic: *Huius profecto ordinis, & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos primus in Alexandrina Eccleſia Marcus Petri diſcipulus fuit inſtitutor, & rector*. Hoc Eugenii teſtimonium oraculum eſt, cui fides prorſus habenda, eoque contenti duo Cardinales Ioannes Michael Saracenus, ac Bernardinus Scotus in ſuis doctiſſimis relationibus pro cauſa Canonicorum Regular. coram Summo Pontifice, cæteris argumentis abſtinuerunt: ac eo præcipuè rem confirmant Pennot. lib. 2. cap. 4. Melegar. lib. ſuo initio oper. pag. 2. Bordon. lib.

Digitized by Google

de præced.c.4. Et quoniam in Oriente principium habuit Regularium Clericorum ordo, eius per Orientales Eccleſias florentes propagines numeremus. Ac primùm generalem in Oriente fuiſſe illam vitæ inſtitutionem apparet ex Concilio Niceno Anno Chriſti 325. celebrato: nam in eo Cano. 16. prohibetur Clericis in Eccleſia conſtitutis ſacra operantibus, & res Eccleſiaſticas adminiſtrantibus, & abſentia diſceſſio à ſuis Eccleſiis, & ſi qui diſceſſerint, iis ne liceat aditus in alias in pœnam delicti, idque habetur c. *ſi quis vero*. q.1. deinde Canone 17. cauetur, ne iidem quæſtuarias profiteantur artes, & negotiandi modos euitẽt: & ab vſurarum pactione, & exactione abſtineant. Refertur c. *quoniã multi* 47. diſt. Hoc ipſum vetatur Canone 15. ex Arabicis: quod ſit maximè à Regulari homine alienum. Redeo in oppidum vicinum Alexãdriæ; vocat me Eccleſiaſticus conuentus in domo Epiſcopi Heleni præcẽtione Theodoro presbytero, ſequente choro Clericorũ, & Fidelium pſalmos cantantium, qui de more ibi die, noctuque audiri ſolebant, quo inuitata Eugenia Chriſto ſeſe mutato muliebri in virilẽ habitu, quòd nulli eò fęminæ licebat accedere, cũ ſuis ſociis Eunuchis Protho, & Hiacyntho conſecrauit; Commodo Imperatore, non longè ab Apoſtolorum temporibus, quemadmodum in eius latè vita narratur, & in vitis Patrum continetur.

Rhinocururæ, Ciuitas eſt Regionis Caſſiotidis inter Palæſtinam, & Ægyptum ſita iuxta Epiphanium in Panario, auctore Nicephoro Caliſto lib. 2. c. 36. fuerunt Clerici Regulares, qui eodem domicilio, eodem inſtituto vita Apoſtolica vtebantur: omnia habebant ſine proprio communia.

Similes eos fuiſſe exiſtimo, quos in Ciuitate Oxyrincho tota in Religionẽ verſa propter incolarum ſanctitatẽ vidiſse ſe cõmemorat in ſua peregrinatione Hieronymus. Nec aliud mihi videntur inſtitutum profeſſi illi Clerici, quibus cum viuebat Sanctiſſimus ille Epiſcopus, à quo fuit initiatus presbyter S. Abrahamus, inſignis Anachoreta, quorum miniſterio, in conuerſione Gentilium vtebatur, quibus Abrahamus adſcitus, vicum eorum integrum ab eſt à cultu idolorum ad Chriſti fidem traduxit: docens id munus ad Clericos pertinere. Sic tradit eodem lib. & parte Hieronymus.

Eccleſiam Alexandrinam fontem poſt Hieroſolymitanam Regulam S. inſtituti Anianus primum, mox Athanaſius in ſuo illo primo, quem ſub Marco habuit ſtatu conſeruarunt: Primo id attribuit Auguſtinus Ticinenſis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus lib. 2. elucid. Secundo idem adſcribit inſignis Annalium ſcriptor Baronius Anno 324. num. 21. & ſequenti.

Eodem ſtudio paulò poſt Athanaſium, Baſilius Canonicos in Monaſterijs, ad quos ſcribit Regulariter viuentes. ſuis conſtitutionibus, in propoſito ſtabiliuit, ſuis præceptis informauit, ſuis normis inſtruxit, & legibus in officio continuit. Quod probat clariſſimus Ioannes de Nigraualle in ſuo Chronic. Epilogo 13. c. 18.

Orientis propriam hanc geminam fuiſse, ibi natam, ibi adultam, vbi Eccleſiæ primum irrorauit Aurora teſtatur communis traditio, quæ documento per manus accepto docuit, inde ad Occidente magno animorum

quæſtu

Digitized by Google

quæſtu delatam. Inſtitores recenſentur Euſebius Vercellenſis, apud Ambroſium ſerm. 69. de natali ipſius quem narrat ab exilio reuerſum noua epulentum margarita patriam locupletaſſe, quam exul Diuino beneficio inuenerat. Hilarius Pictauienſis, qui poſtquam diù ſtrenuè pro Catholica fide in Oriente dimicauit, hac quaſi rude donatus, rudimentum Clericatis inſtituti poſuit Pictauii, & Tyrocinium cæleſtis militiæ aperuit, è quo doctus Magiſter exiit Martinus Turonenſis Epiſcopus, à quo duce ea Eccleſia Choros caſtrorum Regularium duxit, & Martinum anteà militum ſibi imperantem Imperatorem declarauit. De Hilario commemorat proximè adductus Hieronymus Romanus lib. 6. de Repub. Chriſtiana c. 4. & 26. quem ſequitur Emmanuel Rodericus tom. 1. quæſt. Reg. q. 3. a. 1. De Martino narrat Card. Baronius tom. 3. Anno 328. num. 22. Piaculum eſſet omittere teſtimoniũ mellitum Ambroſij ſerm. 69. de natali B. Euſebij. *vt cætera taceam, illud quàm mirabile eſt, quod in hac ſecunda Eccleſia eoſdem Monachos inſtituit quos Clericos, atque in iiſdem penetralibus ſacerdotalia officia contineri, quibus & ſingularis caſtimonia conſeruaret, vt eſſet in ipſis viris contemptus rerum, & accuratio Leuitarum, vt ſi videris monaſterij lectulos inſtar Orientalis propoſiti iudices: ſi deuotiones Cleri perſpexeris Angelici ordinis obſeruatione gaudeas.* Hoc penicillo Canonicos Regulares delineàuit Ambroſius. Addo alia lineamenta eiuſdem ex epiſtol. 82. ad Vercellenſem Eccleſ. quę Orientis cunabula repræſentent. *Quòd ſi in alijs Eccleſijs tanta ſuppetit ordinandi ſacerdotij conſideratio, quanta cura expetitur in Vercellenſi Eccleſia, vbi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo, Monaſterij continentia, & diſciplina Eccleſiæ? Hæc enim primus in Occidentis partibus diuerſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret ieiunij ſobrietate.* Fuiſſe verò huiuſmodi inſtitutum illud, de quo agimus à Marco traditum, & in Alexandrina Eccleſia celebratum, conſtat ex ſubiecta hic particula ſacri Elogij, quo Vercellenſes ornant pſallentes S. Gaudentium Canonicum ſuum, diſcipulum S. Euſebij Nouarienſem poſtea Epiſcopum. *Poſitus in iuuentute B. Gaudentius ſtudiosè rectam ſecutus eſt Canonicæ vitæ normam. Boni Sacerdotes veteres ſeruentes Verbum Domini renuntiabant ijs, quæ poſſidebant, abnegabant ſemetipſos, quod quidem præceptum eſt.* Sic tradit Carolus Epiſcopus in ſua Nouaria lib. 2. & ibi monet ſe de norma ab Apoſtolis ſeruata, & tradita poſteris Canonicis Regularibus, loqui, quam non omnes, tunc obſeruabant, quamque S. Ambroſius coniunctionem officiorum cum Monaſticis inſtitutis appellat. Refert hoc Ambroſio teſtimonium Hieronymus Plati lib. 2. de ſtatu Relig. c. 23. animaduertens, quod ego obſeruaram: eum non primum eius inſtituti authorem fuiſſe, ſed in Occidentem ab Oriente illud tranſtuliſſe; quin & Gaudentius ipſe factus Nouarienſis Epiſcopus idem inſtitutum in ſuam Eccleſiam introduxit, teſte Philippo Nouar. in ſuo Chron. lib. 3. c. 23.

Aliam Eccleſiam Babylonenſem adducit Auguſtinus Ticinenſis lib. 2. Dilucidariæ Chriſtian. Relig. in qua & olim viguit, & ſuo adhuc tempore vigebat, illa forma vitæ Apoſtolicæ,

quam

quam vrbem ille diuerſam eſſe dicit ab illa Babylone in Aſſyria celeberrima, in Ægypto conſtitutam ab eodem S. Aniano fundatam. Ego non dubito, quin olim in vtraque Babylonia Clerici Regulares extiterint, qui nouerim ex hiſtoriis Patrum Societatis Ieſu Eccleſiam Æthiopiæ viuendi ſimiles Regulas à Patriarcha Alexandrino accipere ſolitam, & quamquã ſchiſmaticam primæuum illud genus vitæ ad ſpeciem quandam Religionis retinuiſse. Qua de re certo conſtaret certius, ſi quæ eruditiſſimè ac latiniſſimè Alphonſus Mẽdozzius Ieſuitarum ad Æthiopes miſſus Patriarcha ſcripſit, lucem vidiſſent. Noui Conimbricæ virum omnis litteratæ genere excellentem, ac doleo tantum opus manuſcriptum iacere in tenebris tineis, & blatris obnoxium, cum ſit luce & immortalitate digniſſimũ. Vnde non miror Zachariam Ferrerium Theologiæ & iuriſprudentiæ doctrinis clarum in libello de Habitu Canonico, quem apud me habeo, verè ac pro ſua eruditione ſcripſiſſe *Apud Indos maiorem partem Eccleſiarum Cathedralium à Canonicis Regularibus gubernari: ibique adhuc vigere illum cultum Regularem, qui fuit in primitiua Eccleſia.* Quod ſe acceptaſse teſtatur ab iis qui inde veniebant, quę vti veriſimilia recipio. Illam tamen, quam addit, particulam non admitto. *Dicitur quod omnes illi Clerici profitentur inſtituta Clericorum ſecundum Regulam B. Auguſtini*. Nam illi ſunt à capite Romani Pontificis, ceu ſchiſmatici, ſeparati, & vxores ducunt quę quidem ſtare cum Regula Auguſtini non poſſunt; præſertim in Eccleſia Orientali, etiam Græca minus recipiente diſciplinam Patrum Latinorum. Homines tamen commercii potius cauſa, & peregrinationis eò venient cum in eas Eccleſias incidiſſent, & morem illum pſallendi, & ſacra obeũdi vidiſſent, ſpecie quadam Religionis ducti veros eſſe Canonicos S. Auguſt. ſubiectos regulæ exiſtimarunt: cum idipſum habitus præſeferrent: quemadmodum nonnullis noſtris Catholicis contingit, cum in Eccleſias Lutheranorũ ingrediũtur, & Epiſcoporum, ac Cleri ornamẽta, quæ Catholicam maieſtatem adumbrant attoniti intuentur.

Fateor tamen diſcrepare hanc narrationem Ferrerij, ab his quæ narrãt Patres Ieſuitæ, ex quo abhinc annos fermè centum, ac eò amplius, Patriarchæ ad Æthiopes à Romanis Põtificibus mitti cæperũt, ſcribũt enim in ſuis litteris annuis, quarum indubitata eſt fides, eos *Fratres* eſse de numero Religioſorum, tacito nomine *Clericorum*, & inſtituto Apoſtolico prætermiſso nullo, veſtigio Canonicatus commemorato. Sed hoc non obſtat, quo minus fuerint olim Clerici, & mixti cum Clericis Monachis, quemadmodum & apud nos conſtat aliquando ſolos Clericos, interdum mixtos cum iis fratres, demum etiam Laicos in eadem Eccleſia ſimul canere conſueuiſse. Qua de re, ſuo in loco tractabimus.

CAPVT V.

De Amplificatione, & propagatione eiuſdem Ordinis per Occidentem.

REdeo in viam. Totus Oriens hunc Ordinem recepit & celebrauit, vt Corpus illarum Eccleſiarũ ſuo Capiti Hieroſolymitano cohæreret. Gradum facio ad Occidentem.

cidentem. Incipiamus ab Vrbe Roma. Supparem eam Hieroſolymæ reperio, & ab alio Petri diſcipulo, ne quid cedat Alexandriæ, Apoſtolico inſtituto formatam. Extat illuſtre teſtimonium Clementis Primi expreſſum c. *dilectiſſimi*. 12. q. 1. in Epiſtola ad Clerum Hieroſolymitanum, in qua ille ait, *communem vitam omnibus neceſſariam eſſe, & ijs maximè, qui Deo militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumq; diſcipulorũ imitari*. Hoc vtitur autem inſignis autor Plati de bono ſtat. Relig. lib. 2. c. 28. Huic ſuffragatur alterum Vrbani Papæ I. qui floruit anno 224. relatum c. *Scimus*, 12. qu. 1. in Epiſt. *Ad omnes Epiſcopos*, vbi *Quicumq; veſtrum*, inquit, *communem vitam ſuſceptam habet, & vouit nihil ſe proprium habere; videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat: Sed hoc quod Domino pollicitus eſt diligenter cuſtodiat*, quemadmodum obſeruat Bordonus libello de præced. c. 4. nu. 34. Hæc ſumma eſt vitæ Canonicorum Regularium, quam quod eſt maximè notandum, ſupponit vniuerſim in Clero vigere, cùm ad omnes Epiſcopos loquatur, quaſi eandem profitentes. Hoc adducit ad probandam viuendi formulam idem Plati eodem c. 23. lib. 2. Ego ad meum inſtitutum traho, non coactum, ſed vocatum: non inuitum, ſed inuictum. Tertium ſuggerit Gregorius Magnus in Reſponſ. ad quæſtiones Auguſtini Anglorum Epiſcopi eandem rẽ continens quæ trãſierunt in tex. c. *Quia tua fraternitas*, 12. q. 1. hoc modo, *Quia tua fraternitas Monaſterij regulis erudita ſeorſum non debet fieri à Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, quæ autore Deo nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere conuerſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex ijs quæ poſſidebat ſuum eſſe dicebat, ſed erant ijs omnia communia*. Neque hoc latuit Platum citat. locum reſponſ. c. 1. & 2. Vidit omnia iſta Pennottus vir in omnium Pennatorum oculatiſſimus. Gelaſium, & alios ſuis locis reſeruo. Hęc ſint ſatis ad mõſtrandum Romæ Canonicorum Regularium ſtatum, & approbatũ, & confirmatum, & celebratum, & aliis Eccleſiæ commendatum; quòd ſi commendatum, certè ab iis qui commendabant vſurpatum & vſitatum.

De Romanæ Vrbis Eccleſijs, quæ à principio cum Catholica fide Apoſtolorum inſtitutum ſuſceperunt, ac ſeruarunt, infinitum eſſet dicere. Sufficit hoc argumentum. Summos Pontifices, tum hos antiquiſſimos, tum alios conſequẽtes illud amplexos fuiſſe. Geſta Eccleſiaſtica paſſim exempla proferunt illius paupertatis Apoſtolicæ quæ poſſeſſores ſpoliabat omnibus bonis, & facultatibus, non modo in communi collatis ad ſacra obeunda miniſteria, & victum obeuntium Clericorum, ſed etiam in pauperes collocatis, & inter illis diſtributis, quod ſupra in Laurentio memorauimus. Quare mihi perſuaſum et in Vaticano apud S. Petrum ſanctiſſ. cum ſuo Clero religiosè vixiſſe Pontifices, & Apoſtolicã Cathedram cum Regularium Canonicorum choro coniunxiſſe. Itaque illos Linos, & Cletos, Clementes, Anacletos, Euariſtos, Alexandros, Sixtos, Teleſphoros, Higinos, Pios, Anicetos, Sotheros, Eleutherios, Caliſtos, Vrbanos, alioſque ante Syluestrum, quatenus per Tyrannos licuit, illam vitæ formam arbitror tenuiſſe, & cum ſuis adminiſtris vnum Collegium ſimile

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolico conſtituiſſe: cuius rei non pauca in eorundem geſtis indicia ſunt; ac illud imprimis, quod Eccleſiæ Hieroſolymitanę more Diaconos habebant deſtinatos, qui bona, opes, facultates vndecunque Eccleſiæ colligerent, & cuſtodirent, & in vſum communem Cleri, & vtilitatem pauperum adminiſtrarent. Hinc illa ſacrorum cura, hinc illæ Eccleſiaſticæ ſunctiones, hinc diſtributio munerum, hinc leges vetãtes ea, quæ minus decere ſacra, & ritus & cæremonias Eccleſiaſticas viderentur. Scilicet ne qua mulier *niſi velato capite Eccleſiam introiret*, quod cauit *Linus*: *nec Clerici comam alerent, nec barbam nutrirent*: quod iuſſit Anacletus. *Ne ſacræ Virgines ſacra vaſa, aut pallas attingerent, neve thuris miniſterio in Eccleſia vterentur*: quod Sixtus, & Sother decreuerunt, vt tam maiores, quam minores Clerici cum ſuis Præpoſitis, Presbyteri apud ſuos titulo habitarent, vt populis ad miniſtranda fidelibus ſacramenta præſto eſſent.

Afferamus propiora, & quæ rem contineant. Primo Sixti dictum ad Laurentium in Actis Eccleſiaſt. *Si quid in theſauris habes pauperibus diſtribue*: ex Apoſtolica diſciplina depromptum. En caput loquitur. Cerne membra capitis Apoſtolici: *Eodem die*, inquit Breuiarium Romanũ, *interfectus eſt Laurẽtius cum Feliciſſimo, & Agapito Diaconis. Ianuario, Magno, Vincentio, & Stephano Subdiaconis*, eiuſdem, opinor, inſtituti: Rurſum lec. 4. 2. Noctur. *Inimicus poſtulat ſibi ab immaculato ſacrarij præſule opes Eccleſiaſticas quibus auidiſſimus inhiabat inferri*: Hoc ad munus pertinet Clericorum. *Theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi*. Confirmat alterum officium miniſtrandi ſacris, & adminiſtrandi ſacramenta. *Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras, & cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*. Hac ſpecie capior inſtituti Clericalis. Nec minus illa, quam exhibent verba Breuiarij in vita Zephyrini: *Sanciuit vt qui ordinandi eſſent docti, atque ſpectatæ vitæ homines deligerentur*. Planè Religioſæ, & communis. Hanc ſapit illa ſententia ibid. *Decreuit vt rem diuinam faciẽti Epiſcopo, Sacerdotes omnes adſtarent*: quod in vnum corpus coaleſcerent. Simile quiddam Euariſtus decreuerat. *Ordinauit, vt ſeptem Diaconi Epiſcopum cuſtodirent, dum Euangelicæ prædicationis officio fungeretur*. Cuſtodire familiarium eſt, & contubernalium. Stephanus Pontifex egregium Apoſtolicis, & Regularis, & Canonici muneris ſpecimen præbet. *Ad ſuos*, loquitur Eccleſia in Breuiario, *Ad ſuos reuertitur quos præceptis inſtitutos ſacramenta corporis Chriſti communicauit*. Mox ſuperueniunt Clerici, & funeris ac ſepulturæ, officium peragunt *Corpus eius à Clericis ſepultum eſt*. Sublatus ab hoſtibus, elatus à Filiis, quorum Pater erat, & Paſtor. Ex Apoſtolico inſtituto manarunt illi ſeptem Diaconi electi à Fabiano, *qui diſtributis inter ſe regionibus Vrbis pauperum curam haberent*. Certè memoriam refricant illorum ſeptem, quos Apoſtoli Act 6. Hieroſolymis ad idem officium pietatis præſtandum ſtatuerunt. Nec alii diſſonant, creati ad res Martyrum colligendas *Notarij Subdiaconi*, quos numerus ſacer conſecratos Deo ſignificat. Tandem illa concludo particula ex vita Vrbani. *Hic. de bonis Eccleſiæ attributis ſcripſit his verbis. Ipſæ res Fidelium, quæ Domino offeruntur*

runtur non debent in alios vſus, quàm Eccleſiaſticos, & Chriſtianorum fratrum vel indigentiam conuerti, quia tota ſunt Fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum. Ecce Apoſtolicæ inſtitutionis adumbrata imago, in qua ſpirat primæua conſecratio Clericorum, & Chriſtianorum, ſua bona in commune conferentium. Quæ omnia argumenta Vitæ Canonicæ ſiue Regularis: etiã ante Syluestrum, & Lateranensẽ Baſilicam ſpecimen præbent, à quo tempore video quamplurimos Regulares Canonicos ad ſe trahere incipere eius Eccleſiæ adminiſtrationem, ad Conſtantini nomen intentos, cùm multo altius ſit redeundum. Equidem fateor Baſilicam Lateranenſem ab initio Canonicis Regularibus inſtituti Apoſtolici profeſſoribus commiſſam, & commendatam, quod meridiana luce clarius liquet. Ac multò ante Romæ eum ordinem floruiſſe non minus perſpicuum eſſe exiſtimo. Tranſlati ergo ſunt ad eam Baſilicam iam adulti, non in ea nati: Eam veluti ſacram quandam coloniam fundarunt, non patriam habuerunt. Plus largior Canonicis Regularibus, quàm ii aſſumunt. Contenti ſe Lateranenſes eſſe aliam non quærunt originem; ego dixerim ante Lateranum ipſum, & Lateranenſem Eccleſiam, Canonicos eos iam fuiſse. Laterones ſe Cõſtantini ſatis ſibi eſse videtur, mihi parum, qui exiſtimo eos Petri Laterones trecentis, eoque amplius annos prius extitiſſe, & ab eius latere è Vaticano auulſos ad Conſtantini Baſilicam tranſiiſſe: *In ſyluam* vt ait Paræmia ab Hieronymo celebrata ligna ferrem, ſi probare pergerem, Lateranenſem Baſilicam domicilium Canonicorum Regularium fuiſſe, eoq; nomine illos propterea appellari. Legat qui volet ſcriptores, qui de ea re ex inſtituto, ac opera dedita tractarunt, quales ſunt omnes penè Lateranẽſiũ rerum ſcriptores, & ipſimet Lateranenſes Canonici, & quicunque de præcedentia ordinũ in occurrentibus locis diſserunt; quorum ingens copia eſt. Imo & aduerſarij tum Canonici ſeculares, tum præcipuè Monachi Caſſinenſes de eodem iure litigantes ijs adſtipulanter, dum negare non audent antiquitatem temporis, nec prærogatiuam loci, ſed ſolùm excipiunt confirmationem inſtituti, quam ſui Ordinis confirmatione recentiorem eſse affirmant. Profero nihilominus aliquos idoneos ſcriptores, qui laudãt Bullas, indulta, priuilegia Pontificũ, vnde apparet ea veritas ſacra & indubitata autoritate confirmata. Eſt imprimis omnium hac de controuerſia, quam præ manibus habemus Princeps autor Gabriel Pennotus lib. 2. c. 4. & 11. 14. 15. 71. lib. 3. per multa capita ab initio. Ioãnes Baptiſta Melegarius inſtituti Canonici libro erudito, à principio vſque ad folium 65. Auguſtin. Ticinenſ. in Propugna c. 4. p. c. 1. 7. 8. 10. 14. Hi ſunt domeſtici. Externi ſunt Zacharias Ferrer. in ſuis Allegation. ad Leonem X. nu. 23. 29. Cardinalis Ioannes Michael Saracenus in ſua relatione, & Cardinalis Bernardinus Scotus in ſua: quibus adde grauiſſimum Ioan. Baptiſtam Cicadam Card. in ſpeciali propria, & docta Relatione. Bordonus accuratè hanc doctrinam tradit lib. de præcedent. cap. 2. n. 39. c. 4. à n. 1. ad 25. & nu. 37. ad 43. cap. 5. n. 7. à nu. 4. per totum. Præterea integro libello de Iuribus Parochial. innatis Canonicis Lateranenſibus. Fundamenta adducunt plurima, ſed palmare eſt Bulla Eugenij iv. *Cùm ad*

Digitized by Google

ſanctiſſima, vt habet Pennotus. lib.2. c.4.n.2. ſiue *Cum ad ſacratiſſimam* vti ponit Bordonus de Iur. Patriarchal. arg.1.nu. 10. à quo Pontifice reſtituti ſunt Canonici Lateranenſes Regulares ad eandem Baſilicam, vnde eos eiecerat Bonifacius VIII. Quæ Bulla edita eſt conſultò, & dedita opera, inſpectis omnibus antiquis monumẽtis, & exploratis, & recognitis Eccleſiaſticis tabulis, & excuſſis pluteis, & apertis loculamentis Bibliothecarum, ne quid temerè fieret contra edictum doct.ſſimi viri, qualis fuit Bonifacius VIII. Delibo nonnullas particulas Bullæ. Loquitur de Lateranenſi Eccleſia: *Cum ad ſanctiſſimam, & venerandam Lateranenſem Baſilicam dirigimus oculos mentis noſtræ:* &. numerat priuilegia ei ab antiquis Pontificibus conceſſa: *Decorarunt*, inquit, *titulis, dignitatum diuinam in terris familiam, qui vitam religioſã ducerent, & ad exemplum naſcẽtis Eccleſiæ ſanctam institutionem ſeruarent, quos Canonicos regulares appellemus, qui ſacrum inter Clericos, & Miniſtros, Chriſti illum viuendi modum in ſacra Baſilica inſtituerunt, firmauerunt, & erexerunt*, & mox *perpetuò reputauerunt, vt hi primæ in terris Eccleſiæ, & Matris ſanctorum Apoſtolica proculentia curam gererent, qui primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normam traditionis, & inſtituta ſectantur*. Pergit, & in rem aptè. *Huius profectò ſacri ordinis, & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos primùm in Alexandrina Eccleſia Marcus Petri diſcipulus fuit inſtitutor, & conditor ac glorioſus Auguſtinus diuinis regulis illud decorauit; & S. memoriæ Vrbanus Martyr, & Summus Pontifex generalis decreti Ordine reformauit, & B. Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo uelut plantationem ſacrum in commiſſo ſibi populo præcepit inſtitui; & in Occidentis finibus ampliauit*. Tandem. *Hi ſunt profectò qui ſanctorum Patrum vitam probabilem imitantur, & Apoſtolorum inſtituta inſtinctu Spiritus Sancti renouant, qui ad exemplum illorum credentium conuenerunt in vnum quibus erat cor vnum, & anima vna, qui paſtoribus ſuis iuxta Eccleſiaſticas, & Apoſtolicas traditiones obediunt; ſicque hæc ſancta, & placens Deo inſtitutio antiquitus & ab ipſis ſuis primordijs obſeruata extitit, & ſacram Baſilicam per dicti Ordinis Clericos per longa tempora ſanctè, & ſaluhriter gubernatam fuiſſe certiſſima ſcientia, & veritate cõperimus, & hoc euid ntiſſimè teſtantur innumerabilia documenta.* Nec omittendum quod ſequitur cum multum faciat ad iuſtitiã cauſæ. *Cùm autem hoc pium opus, & ſalutare inſtitutum mundo in maligno poſita ex antiqua hoſtis inuidia fuerit perturbatum & perfelicius recordationis Bonifacium Octauum prædeceſſorem noſtrum quadam illius temporis malitia conſideratione immutatum, &c.* Tam eſt irrefragabile hoc teſtimonium Eugenij, vt aduerſarij vim eius ferre non valentes conentur elidere, dicentes illam Bullam fuiſſe, aut per preces importunas elicitam, aut aſtu obtentam; nec dubitant extortam appellare; quaſi non fuerit ſpontanea, & motu proprio concepta. contra quàm eiuſdem tenor ſonat, ac teſtatur. Equidem eorum ego opinationem referto producto loco integerrimi, & ſolidiſſimi ſcriptoris; quo nemo fuit diligentior, accuratior, eruditior, fundatior, Onuphriii Panuinii, qui Bullam Eugenii iv. probat, & adducit lib. de ſeptem verbis Eccle-

ſijs

ſiis agens de Lateranenſi pag. 132. ibique eandem Eugenij iv. doctrinam amplecti videtur, & tradere, vti obſeruat Melegarius proximè laudatus, & Pennottus ante illum, quem nihil quod in rem facit, penitus fugit. Bordonus teſtis vir incorruptus aſcĕtitur, & Ferrerius doctiſſimus confirmat, quin, & hic citat aliam Bullam ſimilem huic Eugenianæ antiquiorem, Papæ Innocentii ſecundi, quæ *Canonicos*, inquit, *Regulares in dicta Eccleſia Lateranenſi viguiſſe teſtatur*, ita in Alleg. n. 20. Mihi aliud diploma occurrit, ſcilicet Sixti iv. cuius inſigne ſtudium fuit erga Canonicos Lateranenſes, de quibus poſtliminiò reducendis in Lateranum ſeriò agitauit, nec tamen per iniuriam temporum potuit obtinere. Aliam igitur iiſdem aſſignans Eccleſiam omnibus titulis, & indultis, quibus antea fruebantur decorauit, vt nihil præter locum deeſſet. Incipit hoc diploma *Dudum ad vniuerſos Regulares Ordines*. Inſero inſignem particulam: *Ad illum præcipuè Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis Ordinis S. Auguſtini eò libentius noſtræ mentis oculos conuertimus, quò Ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ ſancta inſtitutione, ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum norma traditionibus fundatus, & ſacris inſtitutis, ac diuinis regulis, eloquijſque præmunitus exiſtit, ab eiuſque primæua fundatione varijs virtutum meritis ſemper reſplenduit*. Hæc Bulla magnam vim habet ad ſtabiliendam illam priorem Eugenii iv. videtur enim eam præſentem habuiſſe Sixtus iv. cùm plura ex eadem exſcribat. Dixerat Eugenius: *Cùm ad ſanctiſſimā Baſilicam Lateranenſem dirigimus oculos mētis noſtræ*. Dicit Sixtus *ad iſtū Lateranenſem Ordinem eò libentius oculos noſtræ mentis conuertimus*. Dixerat Eugenius *ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctā inſtitutionem ſeruarent*. Dicit Sixtus. *Ordo ipſe in naſcentis Eccleſiæ ſancta inſtitutione fundatus*. Dixerat Eugenius: *Primorum Chriſtianæ Religionis normam ſectantur*. Dicit Sixtus: *Primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum norma*. Dixerat Eugenius. *Auguſtini diuinis regulis decoratus*. Dicit Sixtus: *Diuinis regulis præmunitus*. Qui hæc notet, ſeligat, ac inter ſe conferat, is comperi & Sixtum iv. ſenſum & verba Eugenij iv. excribere, ac reddere, ac repræſentare voluiſſe. Neceſſe igitur eſt vt qui vnum neget, vtrumque negare compellatur. Satis me feciſſe puto remouendo ſuſpicionem. Cęterum hi Canonici Lateranenſes non aliunde venerunt Romam ſub Conſtantino, ſed ex iis qui erāt in Vrbe ſumpti ſunt ad Baſilicam inhabitandam, & gubernandam: quinimo eſt verum Petrū, & ſequentes ad Syluestrum vſque Pontifices illud inſtitutum Apoſtolicū ſeruaſſe, & retinuiſſe & omnes antiquas Eccleſias curæ Canonicorum Regularium, fideique commiſſas fuiſſe exiſtimandum: quemadmodum deducit Ferrerius in ſuo libro de Habitu Canonicorum ad Leonem X. inter quas nominat S. Crucis in Hieruſalem: S. Mariæ Nouæ: Sanctorum Apoſtolorum: Sanctæ Cæciliæ: S. Sabinæ: S. Stephani in Monte Cælio: S. Ioannis, & Pauli. S. Petri ad Vincula; & alias eiuſmodi, quæ à primæua illa ſua antea Monachatum introductum origine, ad illum Apoſtolicum Ordinem pertinebant. Vnde miror tantum laborare, ac inſudare pro Canonici Lateranenſi Eccleſia aſtruenda ſcriptores Ordinis,

cùm aliæ multò antiquiores eiuſdem fuerint inſtituti : quarum ego primam dixerim Vaticanam; in qua Petrus cum ſuis Clericis Euangelicæ vitæ formam tenuit, ac docuit. Ac miror magis eos tantum operæ, ac tẽporis inſumere, in probando exemplis recentioribus Euſebij Vercellẽſis, & Hilarij, eum Ordinem ab Oriente manaſſe, cùm in ipſomet Occidentis Eccleſiæ corde, ideſt Romæ, ille iam habitaret, & viueret. Et verò mihi hæc altiùs, & penitiùs inſpicienti probabile videtur Ordinem iſtum Clericorum Regularium Euangelicum, ab Apoſtolis inſtitutum, ſeruatũque, ab ipſiſmet Apoſtolis, cùm ſortiti ſunt Prouincias, cum Prædicatione Euangelij per vniuerſum Orbem propagatum: ut ſinguli in ſuis Prouincijs plantarent, & Fidem Chriſti, & Religionem, quæ neceſſaria ad Fidem tuendam, & præſtandam eſſent Fidelibus adminiſtraret. Nam Apoſtoli qui Cœlorum inſtar enarrabant gloriam Dei Stellarum, & Planetarum miniſterio utebantur. Docebant igitur ij, & docendo ciebant orbes ad bona opera exercenda, ſacramenta recipienda, mores corrigendos, ad idque miniſtros idoneos adhibebant, quos & viuendi ratio, & diſciplinæ inſtitutio commendarent, cuiuſmodi erant Clerici Regulares. Itaque ubique gentium illud inſtitutum viguit, & cum Prædicatione Euangelica floruit. Quid ergo Orientem adſpicimus, & ab Oriente ortum ſperamus: *Cùm in omnem terrã exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*? Notandus ille motus erat; vbique erat principum; æqualiter incipiebat, & quocunque ibat, ſecum, illa inſtituta vitæ circumferebat. Non erat expectandum, dum ab aliquo Orientis puncto motum inchoaret. *Spiritus vbi vult ſpirat*. Rotas mouebant, ſed erat *Rota in medio rotæ*, quæ in orbem cunctas alias rapiebat. Momento circuibant, & circulum efficiebant. Intueamur harum Rotarum Orbitasq; eaſq; acuratè obſeruemus. Comperiemus ferri Cœlos Apoſtolicos, & cum ijs Canonica lumina circunferri. Mouetur Petrus Romam, & ſecum Clementem, Linum, & Cletum Clericos ciebit, Iacobus profiſcitur in Hiſpaniam: ſequuntur eum ſeptem ſocij inſtar Planetarum, Calocerus, Baſilius, Pius, Theodorus, Athanaſius, Maximus. Peragrat Europeæ Scythiæ regiones Andreas, ibi euerſis idolorum Fanis excitat templa, erigit altaria, fundat Eccleſias, Clerici comitantur, ſacros hymnos reſonantes, Eccleſiaſticos ritus obſeruantes, & Diuina ſacramenta fidelibus adminiſtrantes. Percurrit vniuerſam Aſiam Ioannes, inſtituit ſeptem monumenta Eccleſiarum, ſuis ea inſtructa Epiſcopis, & Clericis adiutoribus referta apparent. Peruagatur totam Indiam Orientalem Thomas, & vbi conſiſtit, relinquit expreſſa huius Euangelicæ diſciplinæ veſtigia. Penetrat Ægyptum Matthæus, & amotis fictorum numinum monſtris Clericales Religioſorum virorum choros introducit. Philippum rapuit ardor in Scythiam, eam ille diuini Solis radijs accendit, & diſcipulorum ſuorum exemplis, ac diſciplinis, ceu radijs, in Fide ſuſcepta confirmauit. Bartholomæo luſtrandæ obtigerunt Lycaonia, Cappadocia, & Armenia, quas ille non ſolum doctrina, ſed etiam normis vitæ Euangelicæ in ſuis expreſſis Clericis illuſtrauit. Simon prius ſolus in Ægyptum iter ſuſcepit: Thadæus

dæus

Digitized by Google

dæus item ſolus in Meſopotamiam contendit: poſteà ſimul Babyloniam ſeſe contulerunt; ac omnino conſtat eos poſtquam non pauca cibique huius inſtituti reliquerunt veſtigia, in Regia Vrbe Monaſterium Regularium Clericorum erexiſſe; quod eò creditu eſt facilius, quod illi Regem ipſum Babyloniæ cum aulicis, & plurimis ciuium primoribus baptizarũt. Certè in ſcriptis eorum vitæ monumentis Diaconorum, & Presbyterorum ab ijs initiatorum fit mentio. Matthæum ſors ſua nõ fefellit, ſeu ille ſortem; poſtquam in Iudæa, & Palæſtina prædicauit, in Macedoniam abijt, inde longiſſima ſuſcepta in Æthiopiam peregrinatione, cùm eas barbaras gentes aqua luſtrali dealbaſſet, & Fidei Chriſtianæ doctrina imbuiſſet, eos inſtituit miniſtros, qui & ſuum inſtitutum amplecterentur, & poſteris illud traderent obſeruandum. Nec ſecus tu de Diſcipulis 70. iudicaueris. Quocunque ierunt, eo & ſecum Clericalem Ordinem intulerunt: quos inter præcipuus fuit Marcus, qui, & Alexandriæ, vti omnes narrant, illud Apoſtolicæ vitæ genus exercuit, & Aquileiæ, ſicuti Venetorum traditio eſt, ab Vtinenſibus ſcriptoribus multis, & priſcis monumentis probata idem inſtitutum coluit, & S. Hermagoræ ſucceſſori colendum reliquit. Eum ſecutus Apollinaris, & ipſe B. Petri diſcipulus, à quo Eccleſia Rauennas ad eandem viuendi formulã redacta eſt, quemadmodum eius Acta teſtantur. Lazarus, & Maximinus, & Ruffus ex Chriſti, & Apoſtolorum contubernio Hieroſolymis cum Martha, & Magdalena, & Marcella eiecti, in Gallia, in quam diuina regente Prouidentia appulerunt, Eccleſias Maſſiliæ, Aquis Sextiis, Auenione Epiſcopales iiſdem normis inſtructas erexerunt. Eà fama fuit multorum ſcriptorum calculis confirmata. Hiſpaniæ Eccleſias aliquantò antiquiores exiſtimo, cùm à S. Iacobo, vti ſuperius indicauimus, ante ſortitionem Prouinciarum ſecundam fuerint fundatæ, quemadmodum olim libro de Aduẽtu S. Iacobi in Hiſpaniam diximus, ac non niſi ad amuſſim Apoſtolicã formatæ. Quales imprimis extiterunt duæ, altera in citeriore, quæ eſt Cæſarauguſtæ, vulgo S. Maria del Pilar, altera in vlteriore, quæ eſt Boracharæ Auguſtæ in Luſitania erecta: ambæ Canonicis inſtitutis imbutæ; quamuis enim Apoſtolus paucos in ea Prouincia diſcipulos habuerit, non defuerunt, qui ad opus inchoandum ſatis eſſent, quorum cum nonnulli Romam venirent poſteà conſultum Petrum, ij partim initiandi, partim initiati, alios, ſocios, & miniſtros ſecum in Hiſpaniam duxerunt, vt inchoatas ibi principales Eccleſias ſtabilirent, & nouas ex integro ædificarent. Et quidem quòd attinet Cæſarauguſtanam præter conſtantem, cuius ſumma eſt autoritas, traditionem, irrefragabile illius teſtimoniũ eſt in Publica ſententia lata ſuper controuerſia de præcedentia Anno 1605. in cuius tenore hæc quæ adducimus continentur. Omitto autores quòd infinitum eſſet, recenſere. Quo ad Bracharenſẽ, quæ Primas Hiſpaniæ dicitur, ea quoque Traditione firmatur, cui nobile ſuffragium addidit Rodericus à Cugna inſignis, & illuſtris author eiuſdem Eccleſiæ Antiſtes tota Europa notiſſimus, præter alios eiuſdem gentis Chronologos.

S. Mauritius S. Petri diſcipulus in

Germaniam Canonicorum Regularium Ordinem cum eò prædicandi Euangelij cauſa miſſus eſſet, inuexit. inſignior Eccleſia Coloniæ erecta, in qua cæleſtis illa diſciplina cæpit, & incorrupta durauit annos plurimos, imò & per nonnulla ſecula ſeries Epiſcoporum deſcripta extat, vſq; ad Philippum quadrageſimum quartum Epiſcopum. Tam tenax illa eius, quod ſemel accepit, inſtituti fuit Ioanne Molano graui authore lib. 1. de Canon. c. 14. viro interdum minus Regularibus ęquo, vt ei ſit, cùm laudat, fidentiùs credendum. Itaque in toto penè Occidēte Ordo iſte floruit: non aliunde inſitius, ſed in ſolo natiuo ortus, & ibi adultus, & propagatus. Magiſtris quidem, & cultoribus peregrinis, quales erant Apoſtoli, & Diſcipuli, qui plantauerunt, & rigauerunt germina, non autem aliena plantaria inſeruerunt. Quare eadem ratione, qua Oriens accepit inſtituta Canonica, eadem omnino & Occidens, imo & ſimul, & fortaſſe prius accepit; non oportebat igitur riuos deducere ab Euſebio Vercellenſi, & Hilario Pictauienſi; ſed originem ſcrutari, & ſcaturigines obſeruare, ac in fontes digitum intendere.

CAPVT VI.

Vtrum Canonici Regulares Auguſtiniani fuerint eiuſdem inſtituti cum ijs, qui fuerunt temporibus Apoſtolorum?

SOlem de mundo tollere conantur, qui negare manifeſtum hoc veritatis lumen contendunt. Sed nihil tam eſt perſpicuum, quod nube aliqua indicta non obſcuretur. Ambitio, & liuore effluit, vt lux meridiana clarior infuſo caliginis fumo inuoluta, obtenebreſceret Orto ſuper loco digniori diſſidio, Clerici ſeculares, & Monachi, vt Canonicorum Regularium primæuam in Eccleſia originem antiquarent, negarunt; Clerici Apoſtolos regularem vitam tenuiſſe; Monachi Auguſtinum eorum autorem, inſtitutoremve fuiſſe, vt primum ſibi locum pararent. Ad id varia excogitarunt, vti eſt acuta ambitio, argumenta; quibus acceſſerunt æmuli tanti Ordinis, quem ſuis officere luminibus videbant. Primæ pro ſecularibus ſententiæ adſtipulatus, pro ſuo in Religiones odio, fuit Eraſmus Roterodamus acer votorum hoſtis, facetus irriſor monaſtici inſtituti, in Cenſura Regulę Auguſtini quem inficiatur, vota, quæ Religionis ſunt anima, emiſiſſe, idque vt efficacius probet, aufert de medio vouendi Apoſtolicum inſtitutum. Hoc Eraſmi placitum arriſit Luthero, & Caluino, & Nouatoribus, quod antea ſuboluerat Vuicleffo harum deliciarum indagatori. Nempe Canis venaticus Anglicanus, quæ regio ferorum eſt Canum ferax, vti ſemper ſubtilium ingeniorum altrix, eam ſubtilitatem indagauit. Vuicleffum tamen abegit Vualdenſis lib. de Sacrament. tit. 9. & inter alios Aluarus Pelagius de Planctu Eccleſ. lib. 2. c. 56. Eraſmo obſtruxit os Richardus Cenomanus Antidoto, ceu oſſa obiecta, quæ illum deuorata ſoporauit, & ſtrauit, ad eandem regulam Auguſtini. Hoc deterrere debuit ab iſta opinione nonnullos minus cautè ſcribentes, Canonicos illos priſcos nulla nuncupaſse vota: qualis fuit Pamelius in notis ad Epiſt. 66. D. Cypriani, & Azorius tom. 1. inſt. moral lib. 12. c. 21. Sed ſatis hac de re diximus ſupra. Illud nunc

nunc dolemus, quòd viri docti, ac eruditi ſtudio ambitionis abrepti negarent ſint auſi Canonicorū Regularium Ordinem, ne ab Auguſtino quidem,inſtauratum fuiſſe, ſed eo lōgè poſteriorem affirmaſse. Itaque eum,qui eius certus profeſſor, & reformator fuit,contra omniū,& ſuperum, hominumque fidem ignarum prorſus illius extitiſſe: quod poſt illū ducentis prope annis caput in Eccleſia extuliſſe contendunt. Quos inter eſt Antonius Maſſa Galeſius in ſuis Allegation. pro Caſſinenſibus,editis Venetijs Anno 1562. vt ſic liberum, & integrum locum ſacræ,ac illuſtri Benedictinorum Patrum familiæ relinqueret, vbi ea ſola regnaret: & ſola ſpatiaretur arena. Nec minus aberrauit à vero, cùm in iiſdem Alleg. dixit Clericos Auguſtinianos tribus votis minus obligari. In quo etiam peccauit Felinus in c. *quod ſuper his*. de maiorit. & obed. cùm tradidit *Clericos* S. Auguſtini non teneri ex voto; *Sed ex ſtatuto* ſua relinquere. Huic tamen Galeſio omnino ſunt opponendę triū Cardinalium Allegationes Ioannis Cicadæ, Ioannes Michaelis Saraceni, Bernardini Scoti, à quibus illa opinitatio confutatur. In eandem grauem clauam deiicit Zacharias Ferrerius Theologus,ac iuris conſultus inſignis in ſua eruditiſſima pro iure dignitatis Canonicorum Regulariū inter omnes alios ordines Religioſ. Allegatione

Diſiectis contentionum nubeculis demonſtremus huiuſce rei veritatem clariſſima luce authoritatis. Primum S. Auguſtini,cui prorſus habenda eſt fides. Is ergo ex quo Paulum Catechumenus cæpit legere, atq; ſub Ficu illa felici diuino inſtinctu verba illo loco legit *Non in comeſſationibus, &c.* imaginem ſibi vitæ Apoſtolicæ ante oculos propoſuit, ac in eā mentem,cogitationeſque defixit. Renuntiando proprijs facultatibus, eas in commune conferendo, abdicato dominio, paupertatem ſectādo, abſtinendo ab rerum venerearum vſu, caſtitatem obſeruando,abnegando propriam voluntatem; & ex alieno arbitrio viuendo, contemplationi vacando,& ſacris Scriptoribus operā dando, docendo, prædicando, inſtruendo proximos, actiuam in Eccleſia vitam exercendo. Laicus adhuc, & quaſi de lacu fumans Rhetorico vindemiales illas ferias in Rure Caſſinaco Verecundi agēs primum tyrociniū poſuit: rude quidem,& inchoatū ante baptiſmum,ſed iam animo impreſsū,& formatum. Multas cęleſtis huius ignis per ſtricturas Academicarum quæſtionum, & libri de Ordine, ac Beata vita ſcintillas erūpentes aſpicias,quas ego iam inde à puero Conimbricę colligebā,& collectis illuminabar,& cōcepta diuini ardoris flamma accendebar. Legat qui volet c. 2. lib. 1. & c. 20. lib. 3. de Academicis, & lib. 2. de Ordine c. 8. in quo delineatum ſchema videas vitæ Apoſtolicæ, & propoſitum adoleſcentibus virtutis ſtudioſis. Pecunias ibi *venenum* appellat. & ibid. cap. 10. idem genus paupertatis, quod ab initio agitauit animo, expreſſum habemus lib. 7. confeſſ. c. 14. *Vt ſi quid habere poſſemus conferremus in mediū*, & nominat Romanianum municipē ſuū patrē Licentij,copioſiſſimum hominē:cuius opibus res aliorum tenuis magnopere creſceret: vt ſecuriùs in commune poſſent viuere *quòd ampla*, inquit, *res eius multùm cæteris anteibat*. Requiri autem coniunctionem voti Caſtitatis,ſignificat ibi cùm ait illud ſuſceptum diſſiluiſſe inter manus conſiliu,quod coniuges nonulli habebant,

bant, alii optabant habere. Idque confirmat, quod ait poſteà lib. 9. cap. 3. de amico Verecundo, qui cùm maximè vellet cæteris aggregari, non potuit, quod erat maritatus: itaque per vxorem non licuit Verecundo. Auguſtinus verò cũ liber eſſet ab omni labe, ac æſtu libidinis, vtramq; & paupertatem, & caſtitatem amplexabatur. Sic ille lib. 9. cap. 1. *Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque ſcalpendi ſcabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis.* Genus autem Caſtitatis illud erat, quod proprium eſt virginum, & continentium, & excludit caſtitatem coniugalem, vt ibidem ſignificat c. 3. *Tenebatur Verecundus coniuge tanquam compede*, & in fine capitis. *Sic eramus Vecundum conſolantes triſtem, & exhortantes ad fidem gradus ſui* Scilicet coniugalis. Eſt autẽ præclarum teſtimonium de hac connexione votorum Paupertatis, & Caſtitatis lib. 1. ſoliloq. eodem tempore ſcripti cap. 10. *Diuitias nullas cupis?* Reſpondet Anima. *Hoc quidem non nunc primum*. Nam *cum 33. annum agam, 14. ferè ſunt, quo ex iſta cupere deſtiti*, & ſtatim Vnus Ciceronis liber, ideſt, *Hortenſius mihi perſuaſit nullo modo appetendas eſſe diuitias*. Quoad Caſtitatem ibi. *Quid vxor non te delectat? Pulcra, pudica, morigera, litterata, &c.* Reſpondet Anima. *Quantum velis licet eam pingere, atque cumulare bonis omnibus nihil mihi tam fugiendum, quàm concubitum eſſe decerui*. Hanc viuendi rationem, quam Catechumenus Auguſtinus inchoauerat continuauit poſt baptiſmum Mediolani, vt ſcribit li. 9. c. 8. *Simul eramus, ſimul habitabamus in placito ſancto. Quærebamus quisnam locus nos vtilius haberet ſeruientes tibi. Pariter remeabamus in Africam*. Comitemur Auguſtinum, & inſpiciamus, quomodo vixerit in Africa. ſerm. 1. de communi vita Clericorum ſic. *Noſtis*, inquit, *pene omnes nos ſic viuere in domo Epiſcopi, vt quantum poſſumus imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apoſtolorum: Nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia*. Et paulo poſt. *Ecce quomodo viuimus. Nulli liceat in ſocietate noſtra habere aliquid proprium:* & propè finem. *Ecce dico. Audite. Qui ſocietatem communis vitæ iam ſuſceptam, quæ laudatur in Actibus Apoſtolorum, deſerit, à voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit.* Et infra meminit caſtitatis. *Clericus duas res profeſſus eſt Sanctitatem, & Charitatem*, præceſſerat quippe ibi virginis ſanctimonialis votum: vnde immediatè ſubiungit. *Sanctitatem*. Nec omiſſit obedientiam, *Omnes*, inquit, *mihi libenter obediunt*, vt omnia vota conſtarent. Sermone item 2. probat ſe, & ſuam ſocietatem viuere ſecundum inſtituta Apoſtolorum Act. 4. & textum iubet legere, & lectum ab alio relegit ipſe, initio ſermonis, faſſus à ſe ſeruari, & refutans quoſdam negãtes ſeruari, quòd vnus eorum cecidiſſet; nõ enim caſus vnius vitæ rationem vertebat. Quin accepta occaſione confirmat omnes alios ſtare in Regula, vnde ille vnus ceciderat: & ex caſu ſtatum colligit, vnde deiectus; nominatque Patritium, & Valentem: illum nepotem Subdiaconum, hunc Diaconum, & poſteà *Viuunt nobis cum in ſocietate communi*: De quo ſupra lecto loco Actuum Apoſtol. 4. *Erant illis omnia communia. Cum Epiſcopo Auguſtino ſic viuunt, quomodo* ſcriptum eſt in

Actibus

Digitized by Google

Actibus Apoſtolorum. De Auguſtino hactenus.

Poſt Auguſtinum loquantur Summi Pontifices. Audiamus eorum è Cortina per Bullas emiſsa Oracula ſolemni cõcepta, & edita modo, queis nefas ſit refragari. Afferam iuſta, & in rem nata.

Paſchalis II. circa Annum 1099. Papa in ſuis litteris ad Priorem S. Frigidiani celebris in Etruria Canonicorum Monaſterij datis, (de quibus Cæſar Franciottus Congregationis B. Mariæ Lucenſis Regularium in hiſtoria de imagin. & reliquijs ſuæ vrbis) *Vitæ*, inquit, *Regularis propoſitum in primitiua Eccleſia cognoſcitur ab Apoſtolis inſtitutum, quam B. Auguſtinus tam gratanter amplexus eſt, vt eam ſuis Regulis informaret*, quæ certè inſcripta viſuntur in exẽplari peruetuſto virginalibus litteris exarato, quod in Archiuio eiuſdem Monaſterij religioſè admodum cuſtoditur.

Benedictus XII. Anno iuxta 1334. Papa in Generali Bulla de Reformatione ſponte, ac motu proprio concepta, & edita, quæ incipit *Ad decorem Eccleſiæ ſponſæ Dei*. Sic ait. *Inter Religiones alias in agro eiuſdem plantatas Eccleſias, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini à Chriſti glorioſis diſcipulis in primitiua Eccleſia ſacris inſtitutionibus ſtabilitam gerentes præcipuæ charitatis affectum, ac nolentes quæ in eadem religione reformanda cognouimus abſque reformationis remedio præteriri*. Locus vbi publicata, Auenio: tempus, Annus 5. Pontificatus.

Eugenius IV. Anno circiter 1431. Papa in Bulla reſtitutionis iure poſtliminij Ordinis primarij Regularium Canonicorum ad Baſilicam Lateranẽſem, cuius initium eſt: *Cum ad Sanctiſſimam. Prædeceſſores*, inquit, *noſtri ſublimarunt, & decorarunt diuinam in terris familiam Clericorum, qui vitam religioſam ducerent, & ad exemplum naſcentis Eccleſiæ ſanctam inſtitutionem ſeruarent, quos Canonicos Regulares appellamus, vt hi primæ in terris Eccleſię, & Matris ſanctorum Apoſtolica prouidentia curam gererent, qui primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum normam, traditiones, & inſtituta ſectantur. Huius profectò ſacri ordinis, & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos primùm in Eccleſia Alexandrina Marcus Petri diſcipulus fuit inſtitutor, & conditor, & glorioſus* Doctor *Auguſtinus Diuinis ſuis Regulis decorauit*.

Sixtus IV. quintus ab Eugenio Papa in illo inſigni priuilegio quo ablata iura, & honeſtates reddidit Lateranenſibus Canonicis, poſtquam loco Baſilicæ illius à Bonifacio VIII. moti ſunt. Cuius eſt exordium. *Dudum ad vniuerſos Regulares Ordines* diſertè habet. *Ad iſtum præcipuè Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis Ordinẽ S. Auguſtini noſtræ mentis oculos conuertimus, à quo ordo ipſe in naſcẽtis Eccleſiæ ſancta inſtitutione, ac primorum Chriſtianæ Religionis Clericorum norma, traditionibuſque fundatus, & ſacris inſtitutis, ac diuinis regulis, eloquijſque præmunitus exiſtit*.

Pius IV. ad annum 1560. Papa in alio ſpontaneo Motu de præcedentia Canonicorum Lateranenſium præ Monachis Caſſinenſibus. *Fuerunt*, inquit, *& ſunt ipſi Canonici Lateranenſes de illis Clericis à S. Auguſtino, quin imo à Sanctis Apoſtolis inſtitutis*: quò breuiùs, eò clariùs: nec opus eſt pluribus.

Digitized by Google

Pius V. Succeſſor Quarti in alia ſimili Bulla de prima prærogatiua dignitatis collata Canonicis Lateranenſibus inter omnes vniuerſim Ordines Mendicantes, & non Mendicantes. *Cum itaque, ſicut accepimus, Filij vniuerſi Canonici Regulares Congregationis Lateranenſis, qui ab Apoſtolis originem traxerunt, quique ab Auguſtino eorum Reformatore, iterum per reformationem mundo geniti*. Nec verò dubium moueat illa particula, *ſicuti accepimus*, ea quippe continet traditionem à maioribus Eccleſiæ acceptam, non aurium relationem, quæ traditio firmior eſt omni alio teſtimonio; cum veniat per manus, tamq; ſit certa, vt manibus tangatur, & teneatur.

Hæc teſtimonia ſunt conſpicua, & expreſſa; vtrunque enim exhibent connexum, ſcilicet Apoſtolorum inſtitutum, & Auguſtini regulam cum eo coniunctam. Alia hinc emanant conſectanea, & conſentanea eidem Apoſtolicæ Sedis Autoritati. Illa nimirum Bulla, quæ ſupponunt Canonicos Lateranenſes Apoſtolorum vitam fuiſſe profeſſos, eoſdem S. Auguſtini Canonicos appellare, ac eorum monaſteria eidem Ordini aſſignare. Quid enim eſt aliud Canonicos in iis viuentes eſſe de profeſſione Lateranenſium, quàm dicere eos Apoſtolici inſtituti ſectatores eſſe, ac proinde S. Auguſtini Regulam accepiſſe? Cùm præſertim Gelaſius Papa Africanus eum ordinem, vti erat ab Auguſtino ad normas Apoſtolicas redactus, Leone I. Pontifice Romam attulerit, & Canonicos ibi viuentes ad eandem regulam conformauerit. Quod teſtatur magnus ille totius cum inueniſset Chronologiæ Pater, Onuphrius Panuinius in lib. de 7. verbis Eccleſijs ad Eccleſiam Lateranenſem. Produco verba. *Gelaſius Papa circa annum Domini CD. Clericos, qui ab arctiore vitæ inſtituto Canonici, ideſt Regulares vocati ſunt, hi Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ more ſecundum B. Auguſtini regulam in cõmuni viuebant Laterani collocauit, quæ presbyterorũ veterũ tam Cardinaliũ quam non Cardinaliũ loco Baſilicæ Lateranenſis ſpeciatim addicti quotidie deſeruirent*. Hoc autem deſignari in ijs Bullis, quæ poſteriores ſunt, nemo inficiabitur. Cum ergo Pontifices illos Canonicos Ordinis S. Auguſtini vocant, eos Apoſtolorum fuiſse diſciplinis imbutos ſignificant: ac perinde eſse, Apoſtolici & Auguſtini diſcipulos ac Filios eſse; quemadmodum etiam conſtat ex eo quod à Gregorio Papa, haud multo poſt, idem ordo Canonicus aliquantò remiſſiùs viuẽs ad amuſſim Apoſtolicam reducta eſt, *vt talis eſſet tunc, qualis ſub Apoſtolis à Luca, & apud Alexandriam à Philone commemoratur*. Quæ verba ſunt Ioannis Diaconi lib. 2. cap. 12. Premamus hæc. Gelaſius eum ordinem ad inſtitutum Apoſtolicum Auguſtini Regulis munitum conformauit, eundem ad formam Apoſtolorum deſcriptam à Luca in Actis, & Alexandriæ à Philone Gregorius reuocauit, igitur perinde omnino eſt dicere illud inſtitutum Apoſtolorum, & Auguſtini item fuiſſe. Indicemus quæſo aliquas Bullas ex pluribus, in quibus Pontifices Ordinem Canonicorum Lateranenſium Sancti Auguſtini expreſsè nominant. Gregorius IX. in Bulla Priuilegij conceſſi Canonicis Lateranenſibus expedita anno 1227. Pontif. *Ordo Canonicus*, inquit, *qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini regulam ibi noſcitur inſtitutus*. Alexander

IV.

IV. in Bulla ad Eccleſiam Canonicorum S. Mariæ à Portu Rauennæ data Anno Chriſti 1255. idem habet. Bulla Gregorij X. ad Canonicos Frigidianos ijſdemmet verbis Gregorij IX. vtitur Anno Chriſti 1272. ſuo I. Concordat Vrbanus Sextus ad Canonicos Frigidianos. Eſt autem Bulla inſignis Gregorij XII. ſuper Monaſterio Veronenſi Montis Dominici Anno Chriſti 1407. ſuo I. ibi ter ponitur nomen, & Regula Auguſtini anno 1408. anno ſuo 2. Obruam lectorem, ſi ſingulatim enumerem. Muto ſtylum. Legat qui volet Martini V. Anno 1418. ad Canonicos S. Leonardi, & S. Manudi Friſionario. Aliam eiuſdem ad Epiſc. Taruiſinum de Reformat. Monaſterii quadraginta Martyrum eodem anno, & Nicolai V. ſuper Prioratu S. Theodori Ianuenſis Anno 1452. Collect. 3. de Prioratu S. Mariæ de Monte Bello Bononienſi Anno 1455. Pij IV. de Reform. S. Viti Mantuani anno 1459. Pauli 2. de donatione Eccleſiæ S. Mariȩ Gratiarum Rhegienſis Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis Anno 1467. Leonis X. de lite componēda S. Petri in Cœlo Aureo 1517. vbi mirè commendat Auguſtinum. Paulus III. in litter. ſuper præcedentia Anno 1546. Hactenus Romani Pontifices.

Tertiò loco ponitur Eccleſiȩ traditio. In ſacro Breuiario, in feſto S. Auguſtini ſic habetur Lect. 4. *Quo tempore vitam inſtituit Religioſorum: quibus cum victu communi, eodemque cultu vtens eos ad Apoſtolicæ vitæ, doctrinæque diſciplinam diligentiſſimè erudiebat*. Idque ſignificatur in vita S. Vbaldi Epiſcopi Eugubini die 16. Maij: vbi ita *Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini inſtitutum ſuſcipiens illud in Patriam tranſtulit*. Planè Apoſtolorum more viuentium, quod per Regulam, ſuum Auguſtinus fecerat. Concinit hymnus ad veſperas Feſti S. Auguſtini in proprio Breuiario Ordinis approbato à Pio V. per Bullam propriam editam anno 1570. Angelica manu S. Thomæ ſcripto, ante annos quadringentos.

Tu de vita Clericorum
Sanctam ſcribes Regulam
Quam qui amant, & ſequuntur
Viam tenent Regiam.

ideſt *Apoſtolicam*, quæ eſt via Regia à Chriſto, qui eſt via, inuenta trita, & tradita. Cui reſpondet chorus ſequentium in Miſſali eiuſdem Ordinis, quȩ ab eodem Doctore Angelico ſunt ad Harmoniam redacta.

Regularis vitæ normam
Conquadrauit iuxta formam
Cȩtus Apoſtolici.
Suum quippȩ nil habebant
Tanquam ſuum, ſed viuebant
In commune Clerici.

quæ ego memini me recitare cùm fuiſſem Romæ in Eccleſia venerabilium Patrum Eremitarum S. Auguſtini: quorum candorem mirabar, & commendabam, quòd illud pro veris ducent, & in ſacram doctrinam transferrent, contrà quàm nonnulli faciunt; qui hanc harmoniam conantur obſtrependo diſſoluere. Præcinit huic melodio verſuum cȩleſtis illa Antiphona ab eodem Angelico Doctore edita, ac è verbis Poſſidonij in Auguſtini vita vſurpata. *Factus ergo Presbyter monaſterium Clericorum mox inſtituit, & cæpit viuere ſecundum regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*: De quo nos poſteà latiùs agemus. Certè olim exprimebatur: *Monaſterium Clericorum*. Quod ſi ſecus eſſet, non ideo nos falleret

Digitized by Google

ret textus. Cum illud Monaſterium dicatur eſse Apoſtolici inſtituti; quod quid eſt aliud, quàm dicere eſse Clericorum Regularium? Concentum harmoniæ Eccleſiaſticæ confirment viſiones Eccleſiæ cæleſtis: vt viſa etiam fidem indubitatam faciant. S. Norberto Principi initio ſeculari, Præmonſtratēſium poſt Patriarchæ tædio iam rerum humanarum affecto, de mutando vitæ ſtatu ſeriò ac diù agitanti, necdum deliberanti apparuit B. Virgo Maria, eique ſe videndam obtulit, planè ita *ſe matrē confeſſa Dei, qualisque videri Cęlicolis, & quanta ſolet*, quæ ambiguum, & ancipitem ad inſtitutum Apoſtolicum amplectendum, niueo candore Canonicum præſeferente habitu exhibito incitauit, locumque ſimul Monaſterij ædificandi demonſtrauit. Ac vt eadem B. Virgo, quàm ſibi charus Auguſtinus eſſet, oſtenderet, & quàm eius cum Apoſtolicæ vitæ profeſſione regula coniuncta eſſet, ſignificaret, iam de propoſito certum, ſed adhuc de Regula dubium reliquit; vt partiri curas cum Auguſtino videretur. Quare hic ei paulò poſt oranti per ſpeciem auguſtam apparuit: mitratus, lemniſcatus, candidatus, ac prætento manu libro, in quo erat Regula exarata, ad eum. *Quem vides*, inquit, *Norberte, Auguſtinus is ſum, Epiſcopus Hipponenſis: accipe à me regulam tuis rationibus congruentem*. Quo indicauit inſtitutæ iam ab eo vitæ ad Apoſtolorum imitationē Auguſtini Regulam conuenire. Itaque inchoatam à B. Virgine profeſſionem, Auguſtinus abſoluit. Singulari eius Ordinis Præmonſtratenſis prærogatiua, quæ Matrem Dei, & Auguſtinum authores habuit. Quæ retuli habentur in tomo de vita, & morte, & translatione S. Norberti Canonic. Strahouienſib. lib. 1. c. 20. & lib. 4. c. 7. & 8. Quartò aſſeruntur Autores, qui hoc ipſum manifeſtè tradunt. Princeps eſt Poſſidius in Auguſtini vita c. 5. vbi *Factus*, inquit, *Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cæpit ſecundum modum, & regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*. Qua in particula hiſtoriæ poni ſolet vox *Clericorum*, vt ſit Monaſterium *Clericorum*, & Canonicos exprimat. Ac ita legit Sanctus Thomas in Antiphona propria adducta Breuiarij approbati à Pio V. in Bulla, quæ incipit *Licet Eccleſia Dei*, quæ erat in vſu apud plures Eccleſias, quales ſunt Peruſina, & Eugubina in Italia: Cæſarauguſtana, & Valentina in Hiſpania. Eam verò recipiunt multi cum Maurolyco in ſuo Oceano. De quo vide doctiſſimum Pēnotum. Secundus ſit ipſemet Sanct. Thomas qui antiphonę concinnator eſt. Tertius S. Pius V. approbator. Quartus S. Antoninus in ſumma hiſtor. tit. 15. cap. 16. in fine. *Cæpit reflorere Ordo Canonicorum Regularium, primùm ab Apoſtolis, poſtea à S. Auguſtino Epiſcopo, & Doctore eximio regulariter inſtitutus*. Quintus Vincentius Beluacenſis lib. 17. ſpecul. c. 51. *Factus Presbyter ſtatim Monarium Clericorum inſtituit, & cæpit viuere ſecundum regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*, quę eſt ipſa ſententia Poſſidij. Sextus, Iordanus de Saxonia, qui floruit circa annum 1320. lib. 4. in vitas Fratrum c. 14. eadem particula vſurpata *Factus Presbyter Monaſterium Clericorum mox inſtituit*; & quamuis eam regulam ad ſecundum Monaſterium, quod vult poſt primum, ſeu Eremitarum Or-

Ordinis ædificatum, de quo nunc non diſputo, affirmat tamen in eo ſecundo Auguſtinum ſecundum Apoſtolicum inſtitutum vixiſſe illudque ſuis Clericis tradidiſſe: quod in rem noſtram facit mirificè: quibus omnino compertum nullum aliud ante hoc monaſterium ab Auguſtino fuiſſe ædificatum.

Septimus eſt Sigibertus in Chron. Anno 1078. vbi ſic. *Cæpit refloreren in Eccleſia B. Quintini Canonicus Ordo primum ab Apoſtolis, poſtea à B. Auguſtino regulariter inſtitutus.*

Octauus Autor Faſciculi temporum Vuernerus Carthuſianus fol. 54. *Ordo Canonicus cæpit florere in Eccleſia Beluacenſi, qui primo ab Apoſtolis, poſtea ab Auguſtino regulariter eſt inſtitutus.*

Nonus Ioan. Lucidus, lib. 10. de rebus geſt. poſt Chriſti aduentum cap. 7. his verbis. *Rubrica de Ordine Religioſorum teſtatur communem Clericorum Ordinem à B. Petro, & alijs Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, qui deinde ab Auguſtino inſignem & ſingularem regulam accepit.*

Decimus Raphael Volaterranus lib. 2. Anthropol. *Ordo*, inquit, *Canocus ab S. Auguſtino non tam inſtitutus, quam renouatus ab Apoſtolis in Monte Sion exordium accepit.*

Vndecimus Philippus Bergomas in ſupplemento poſtremæ editionis lib. 14. corrigens prius à ſe ſcripta, loquens de Canon. Lateranenſibus, quos agnoſcit Regulares S. Auguſtini. *Sunt ergo*, ait, *iſti Canonici eiuſdem Ordinis cum illis, qui habitu lineo Regulam Auguſtini profitentes, primum ab Apoſtolis in primitiua Eccleſia ſunt inſtituti.*

Duodecimus Onuphrius Panuinius lib. de ſeptem Vrbis Eccleſijs in Eccleſ. Lateran. *Gelaſius*, inquit, *Papa Clericos, qui ab arctiori vitæ inſtituto Canonici Regulares vocati ſunt, hi Apoſtolorũ & primitiuæ Eccleſiæ more ſecundum Auguſtini regulam in communi viuebant, Laterani collocauit.*

Tertiusdecimus Robertus Arboricenſis tomo 2. de tuendo Cœlibatu. *erat*, inquit, *hoc exemplar Canonicorũ, qui triplici voto adſtricti ſe Regulares appellant, quem Ordinem Auguſtinus longo poſt tempore inſtitutum ſe ab Apoſtolico hauſiſſe profitetur.*

Quartus decimus Bellarminus in lib. de Hiſtor. Eccleſiaſt. verbo *Auguſtinus* in Cenſura 10. tomi; vbi ſic improbans ſermones ad fratres in Eremo. *Conſtat ex Poſſidio Auguſtinum poſt baptiſmum in patriam rediſſe ad propriam domum*, & mox. *Deinde factum Presbyterum Hipponenſem monaſterium habuiſſe iuxta ipſam Eccleſiam, ibique cum nonnullis vitam Apoſtolicam duxiſſe, non vtique in eremo, ſed intra vrbem; denique factum Epiſcopum cum Clericis ſuis vitam communem egiſſe: de qua re duo extant ſermones eius de communi vita Clericorum, qui verè ſunt*, ait poſtea, *Auguſtini*. In his vero fatetur Auguſtinus ſe vitæ Apoſtolicæ rationem tenuiſſe.

Quintusdecimus Hieronymus Plati lib. 2. c. 22. hoc modo. *Ex Poſſidonio cognoſci poteſt, qui in uita S. Auguſtini. Cùm hoc factum narret, vt Monaſterio intra Eccleſiam conſtituto vita omnes menſa communibuſque ſumptibus alerentur nihilque cuiquam ſuum eſſet, hoc etiam addit, hanc rationem Sanctis Apoſtolis primum introductam.* Et paulò poſt. *De qua*, inquit, (viuendi ratione) *neminem dubitare, & ideo quin eadem ſit, quàm modò nominaui,*

minaui, Canonicorum Regularium.

Sextus decimus Emmanuel Rodriquez tomo 1. quæſt. Regul. qu. 3. art. 1. vbi ſic ad quæſtionem de origine Ordinis Canon. Regular. ita. *Reſpondeo*, inquit, *dicendo quod Canonici Regulares S. Auguſtini dicti Lateranenſes ab* Apoſtolis *primùm ita narrant hiſtoriæ, traxerunt originem: ſed poſtea à B. Auguſtino talis Congregatio fuit ordinata*.

Quæ ſint ſatis. Nam ſi plura vellem adducere omnia veterum, & recentium ſcrinia compilare, imo & exhaurire opus eſſet. Nimiùm perfrictæ frontis eſſet, hac de re velle dubitare.

COL-

COLLATIO NONA

DIFFERENTIA I.

Super fundatione, vel inſtauratione Ordinis Canonicorum Regularium.

CAPVT I.

Ratio difficultatis affertur, ac expenditur.

SI Ordo Canonicorum Regularium cœpit ab Apoſtolis, & ante Auguſtinum viguit, & perpetuo ductu propagatus eſt, & amplificatus, vt nullo tempore interruptus, nullo loco excluſus fuerit, eumq; Auguſtinus ipſe florentiſſimum inuenerit, & inceperit Vercellis, & Nouariç, & Mediolani non audierit modo, ſed etiam viderit, ac illam vitæ rationem à Sancto Ambroſio, & Simpliciano acceperit, & acceptum in Africā introduxerit, ac ibi eum profeſſus eſt, nihil ea certè præ more potuit, quod ad eius inſtitutionem fundationemque pertineat, imò & ex ijs fit conſequens vt Auguſtinus ſit vnus ex Filiis eius Ordinis, & Frater aliorū Canonicorum, ac inter nepotes numerãdus. Itaque Inſtitutum accepiſſe non dediſſe. Quòd ſi opponas Regulam ab eo eſſe datam, quæ anteà nulla fuiſſet, id non ſatis eſt ad Ordinis fundationem, imò cum ea ſtare nequit, quia iam ſupponebat vitæ inſtitutum, quod regulis muniebat, & ornabat. Vnde ſequitur Auguſtinum non fuiſſe nec fundatorem, nec inſtauratorem, cum ordo ipſe iam amplificatus & florens eſſet, ſed ſolum illuſtratorem extitiſſe. Neque dicendum Regulam defuiſſe illi inſtituto, cùm illud certum, & ordinatum maneret, & in ſuo genere perfectum. Vrgetur fortiori argumento: Religio conſiſtit in profeſſione trium votorum ſubſtantialium, Paupertatis, Caſtitatis, Obedientię; ſed hæc emiſerunt Apoſtoli, & emittebant primæui illi, & ſequentes, & ante Auguſtinum Canonici Regulares; ac ob id Regulares nominabantur; ergo Auguſtinus nihil ſubſtantiale Religioni attribuit, quapropter à titulo Autoris, Fundatoris imo, & Inſtauratoris excluditur. Tantùm ei relinquitur regula accidens votis cōceptis & emiſſis, quod erat ſubſtantię, ac principale. Etenim ante illam Regulam iam erat Religio, & ſecluſa regula ſubſtitit, vbi non fuit cognita, nec ſeruata, & ſub-

ſubſiſteret etiam ſi excluderetur cum eſſet accidens,quod aduenit,& abit ſine ſubiecti eſſentiali mutatione. Dum igitur Familia illa Canonicorum Regularium illam ſuam antiquitatem, inſtitutionem, amplificationem, continuationem; propagationem cum cæteris prerogatiuis à nobis ſupra commemoratis adſtruit, & retinet, Auguſtino locũ adimit Patris,autoris, Fundatoris, Inſtauratoris, & Propagatoris eoque alumno Filio gloriatur, quo nullum tanti Ordinis maius aut eſſe, aut excogitare poteſt ornamentum.

Hoc autem & ego argumento premor, ac torqueor maximè, qui omnia ſum, antè quæ nunc mihi obiicio, confeſſus. Mecum ergo pugnandum eſt,& certandum,& aut ſcripta delenda,aut quę meditor in Auguſtino laudem ſcribere omittenda. Propterea multi ex Canonicis auctoribus Auguſtinum Inſtauratorem Ordinis,& Reformatorem appellant: nonnulli Illuſtratorem, Amplificatorem vocant Patrem, & fundatorem dicere non audent: ne quicquam eo nomine, ſuæ dignitati detrahatur. Qualis eſt Baſilius Serenius acer, & vehemens hac in re ſcriptor & tituli prorſus impatiens,in ſuo Conſilio, ſiue Reſponſione ad nonnulla quæſita; ſiue tractatu de indultis, & priuilegiis, & in Annotatione ad Regul. ſecutus fortaſsè Petrum Bleſenſem ſerm. 30. Ac ne hac in re nimis immoremur: Gabriel Pennottus accuratiſſimus omnium Canonicorum Scriptor, cui paucos pares eo in genere ſcribendi inuenias ductus hiſce quibus ego itẽ ſum vſus argumentis Auguſtinum *Reformatorem & Reparatorem* vocare ſolet, cùm præſertim tradat Canonicos Regulares ab initio ſub Apoſtolis inſtitutionis aliquam Regulam habuiſſe, deductam ex præceptionibus Apoſtolorum in Actis à Luca deſcriptã, vt habet lib.2.c.7. n.2.& habitumque omnibus Canonicis communi poſtea fuit geſtaſſet, vt ait c.8. imo & tonſuræ eodem, quo nunc vtuntur Clerici genere vſos fuiſſe. Itaque non eſt auſus tanti nominis auptor Auguſtinum Patrem & Authorem,Fundatoremque appellare. Aſſentitur diligens eiuſdem Familiæ autor Ioannes Baptiſta Melegarius tract. 3.cùm *Reparatorem, & inſtauratorem* vocat in ipſo ſtatim initio. Antiquior ambobus Auguſtinus Ticinenſis in ſuo Propugnaculo p.4.princ.c.22. *Decoratũ* ab Auguſtino,& p.5.c. in reſp. ad argumẽta *Reformatum* Ordinem affirmat. Quare ij fermè omnes cuiuſcunque conditionis ſint ſcriptores qui huiuſce ſententiæ de antiquitate & amplificatione Ordinis Canonicis authores ſunt, negant Auguſtinum eiuſdem Fundatorem extitiſſe. Legat qui volet. His acceſſit Zaccharias Ferrerius magnus Encomiaſtes Canonicorum Regularium in ſuis Allegationibus probat.2.num.12. vbi Auguſtinum inſtauraſſe Ordinem ait, & eidem par ſtudio, ac eruditione Franciſcus Bordonus libello de Præced.c.7.nu.13. diſertè appellat Auguſtinum eiuſdem Familiæ Filium, & Alumnum,& obiecto ſibi loco Pij V. dicentis in Bulla, quæ incipit *Redemptoris noſtri* eam *Fundatam* à Sancto Auguſtino, reſpondet n.25.non ſenſu proprio locutum, quaſi Fundator eſſet, aut Inſtitutor; ſed *R*eſtaurator,& Reformator, idque ex tenore Bullæ conſtare. Ea potiſſimum phraſi vtuntur huiuſmodi ſcriptores *Ordo Canonicorum Regularium ab Auguſtino eſt Regulariter inſtitutus*: vt ad Regulam

redeat

Digitized by Google

redeat nomenclatura. Ita S. Antoninus, Raphael Volateranus, Vuemerus Carthuſianus, & Vincentius Beluacenſis, Philippus Bergomas, Hieronymus Plati, Emmanuel ſupra laudati.

CAPVT II.

Vtrum Sanctus Auguſtinus eſſe, ac dici propriè Pater, Autor, & Fundator Ordinis Canonicorum Regularium, etiam Lateranenſium poſſit, ac debeat?

SCio quantam mihi excitem pugnam: eam tamen libens fidenſque aggredior aſſuetus pro Auguſtino bellare: cuius amore annis ab hinc 40. magnas cum viris potentiſſimis, & gratioſiſſimis contentiones ſuſcepi: nec deſpero quin ſi minus victor, certè inuictus euadam. Et quo maior ſit exitus expectatio, recipio nihil de mea, quæ communis eſt Canonicorum Lateranenſium ſententia detracturum; ſed omnibus eiuſdem familiæ ornamentis, vndecunque petantur, illibatis, & integris hanc gloriam Patris, Authoris, ac Fundatoris Auguſtino meo eſſe delaturum: vt mihi non modo Clariſſimi Viri Lateranenſes Canonici aſſentiantur, ſed etiam gratulentur: Lectores tantùm attentos beneuoloſque deſidero.

Antequam rem demonſtrare aggrediar, diſtinguendum eſt inter inſtitutum Religioſum, & Ordinem Regularem. Vt Inſtitutum ſit quiddam vniuerſale, eſſentiale, & commune ad omnes ordines Regulares, quaſi genus ad ſpecies contrahentes per proprias differentias: & conſtituentes illud contractum in particularibus formis, ſiue ſpeciebus ordinum; quemadmodum Animal genus contrahitur ad Hominem, Bouem, & Equum per ſpeciales, & proprias differentias. Itaque inſtitutum ſupponitur ante ordines Regulares iam in ſua eſſentia conſtitutum, vti compoſitum ſubſtantiale commune ad omnes Ordines Regulares: illud autem inſtitutum eſt eſſentiale, quod non fit ab Autoribus Ordinum, ſed ſumitur factum à Chriſto, & traditũ Apoſtolis: conſtat quippe ex tribus votis eſſentialibus, eſtque Religioſa profeſſio omnibus ordinibus communis, & neceſſaria, tanquam eſſentialis; quam formam includũt omnes ordines Religioſi, quicunque illi, & quotquot ſint. Nec opus eſt vt Author, Fũdatorue Ordinis Religioſi illud inſtitutum fabricet, vel excogitet ad fundandum & inſtituendum ſuum Ordinem proprium, & ſpecialem, imo eſt impoſſibile id fieri cùm inſtitutum ſit quid diuinum, & à Chriſto inuentum, & traditum. Itaque ſumendum eſt, & accipiendum, & per Regulas, quaſi per differentias contrahendum, & in ſpecialibus formis collocandum. Conuenit itaque omnibus, & in eo cõueniunt omnes Ordines Regulares. Vnde Canonici, & Clerici Regulares Monachi, ſiue Benedictini, ſiue Dominicani, ſiue Franciſcani, & qui ſimilis ſunt inſtituti, eandem trium votorum profeſſionẽ emittunt, in qua ſunt æqualiter Religioſi per acceptionem illius inſtituti à Chriſto per Apoſtolos traditi, non facti à Fundatoribus, qui illud factum ſupponunt, & per additas ab iis regulas, quaſi per adhibitas differentias, illud contrahunt, & ad priuatos & ſpeciales Ordines redigunt, & accommodant, retento eodem eſ-

Digitized by Google

ſentiali, quod ſupponunt diuinitùs factum pro omnibus inſtituto. Itaque non pertinet ad Fundatores Ordinũ inſtitutum condere, imo nec licet, quòd nõ ſit humanæ operis, & induſtriæ, ſed diuinæ poteſtatis, & iuris opus, ſed illud in commune, tanquam eſſentiale accipere, & priuatis, ac propriis aduenientibus regulis à ſe compoſitis trahere, ac deducere, quæ Regulæ adueniant, & accidant inſtituto, non quæ inſunt, nec includantur in inſtituto. Vnum igitur, & idẽ vniuerſim omnium Ordinum, & eſſentiale inſtitutum eſt *Profeſsio* triũ votorum Paupertatis, Caſtitatis, Obedientiæ. In hoc conueniunt quotquot ſunt Ordines Regulares, qui ſine illo inſtituto nequeunt conſiſtere. Hinc manifeſtè colligitur, diuerſitatẽ Ordinum regularium non ab inſtituto, ſed à Regulis, & additis Regulæ omninò eſſe petendam: eoſque authores, inſtitutores, & fundatores eſſe, & dici oportere, qui Regulas ei adhibuerunt: vt cuiuſ; ſit prima, & noua Regula, is Ordinis Religioſi in hac, vel illa ſpecie author, & fundator ſit. Quare ſi mihi ſubtilius iſta tractanda eſſent, non dubitarem dicere inſtitutum Religioſum, imo & Religionem in Eccleſia eſſe vnam: Ordines verò Regulares eſse plures, ac diuerſos; vt ita diſtinguerem exactiùs Religionẽ à regula, & Religioſum ordinẽ ab ordine Regulari. Equidem huiuſce diſcriminis lucem aliquam video in Eccleſiaſticis monumentis, quemadmodum poſtea ſuo loco apparebit.

His animaduerſis ſit Concluſio. S. Auguſtinus fuit author, & Fundadator Ordinis Canonicorum Regularium, etiam Lateranenſium, ſicuti Benedictus Benedictinorum, Dominicus Prædicatorum, Franciſcus Minorum. *Probo* autem concluſionem hoc ſyllogiſmo. Ad fundationem Ordinis Regularis neceſsaria, & ſufficiens eſt Regula modificans, & afficiens, & contrahens ita ad certum Ordinem, commune illud, ac eſsentiale trium votorum ſubſtantialium inſtitutum. Sed S. Auguſtinus tali Regula modificauit, & affecit, & contraxit ad Ordinem Canonicorum Regularium commune illud trium Votorum ſubſtantialium inſtitutum, ergo S. Auguſtinus fuit eius Ordinis author, & Fundator. Maior proximè tradita eſt. Minor eſt in confeſso apud omnes. Conſequentia eſt in forma. Additamentum quod nouum, & inſolens videbitur nonnullis, ſpecialiter probo. S. Benedictus, Dominicus, & Franciſcus non fuerunt, nec eſse potuerũt Authores, & Fundatores inſtituti eſsentialis, & communis profeſſionis trium votorum ſubſtantialium: ſed tantùm Regularum aduenientium, modificantiũ, afficientium acceptum à Chriſto, & Apoſtolis inſtitutum. Atqui; ita ſe geſſit Auguſtinus, ergo is æquè ac illi ſui Ordinis Canonicorum Regularium author, & Fundator extitit.

Maior eſt indubitata; quia inſtitutũ eſsentiale eſt profeſſio votorum trium, quod fuit proprium præceptum Chriſti traditum Apoſtolis, ac eos imitari volentibus, eſtque doctrina Euangelica, quemadmodum ſuperiùs probauimus, prolatis tot locis Euangeliſtarum, in quibus illa inſtitutio continetur: non igitur fuit inuentum hominum, ſed Dei præſcribentis. Ad hanc ideam mentis oculos conuerterũt Patriarchæ illi, & alii ſimiles, & eam ad ſuos quos meditabantur ordines tranſtulerunt, vt ſuis penicillis

nicillis

Digitized by Google

nicillis deſcriberent, & ſuis coloribus adumbrarent, tanquam pictores imaginum, non tanquam authores ideæ, quæ in Monte ſupra montes, ſeu vertice montium Chriſto monſtrata eſt. Ad hanc ſe omnes conformarunt. Quid enim, quæſo, aliud agebat Benedictus, Dominicus, & Franciſcus cùm ſuos Ordines fundarunt, quàm arripere illam ideam Religionis, & exprimere in tabulis Regularum: nemo non volebat eam formam ex Euangelio ſumptam exſcribere, & ad vſus ſui Ordinis transferre. Imo quiſquis propiùs ad primam illam formã Euãgelicam accedere, tẽtabat eã perfectiùs delineare ſatagebat. Ita narrant eorũ geſta: Singulos ad imitandum Chriſti expreſſam in Euangelio vitam, ſeſe accinxiſſe, minus ſolicitos de ijs, quę de ſuo reddebant, quàm de imitatione eorum, quæ expreſſa videbant, ſibique proponebant. Scopus erat *Inſtitutum* accipere, & ſeruare, atque ad id Regulas excogitare, & adhibere. Minor liquet, cùm Auguſtinus ſuſceperit inſtitutum Apoſtolorum & regulas addiderit, quibus illud ad certum ordinem redegit. Vnde conſequens eſt eum eadem prorſus ratione, qua Benedictus, Dominicus, Franciſcus ſuorum ſinguli ordinum fuerunt Auctores, Canonici etiã Ordinis autorem Auguſtinum extitiſſe. Verùm quid excellentiæ, ac præſtantiæ ſupereſt Ordinis Canonici Regularis ſuper cæteros alios Ordines? Reſpondeo, & quidem fidenter, ac verè. Scilicet, primos eos in Eccleſia profeſſores illius inſtituti fuiſſe, illamque primæuam viuendi formulam citra Regulam certam, & conſtantem obſeruaſſe. Antiquiores ſunt ergo omnibus alijs Religione, ac inſtitutione, quippe qui Apoſtolis immediatè ſucceſſerunt in obſeruando Inſtituto Primitiuo, quæ illorum eſt gloria ſingularis. Vtar verò hic aptè, & in rem ea diſtinctione, quam ſuperius inſinuaui. Habuerunt primam Religionem quoad eſſentialem profeſſionem Votorum, quam propriè ſignificat Religio ante omnem formam regularẽ. Hoc ſenſu dixit Benedictus XII. in ſua Bulla *Ad decorem Eccleſiæ, diſcernens ſtatum Religionis, & Regularis obſeruantiæ diſciplinam*: vt inſtitutum ad ſtatum firmum, & ſtabilẽ & ſubſtantialem pertineat, Regula vero ad accidentariam, & temporariam, quæ mutari, & variari poſſet, diſciplinam. Audiamus Papam Gregorium. *Ad Religionem*, inquit, *Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini ab Chriſti glorioſis diſcipulis in primitiua Eccleſia Sacris Inſtitutionibus ſtabilitam.* En quomodo diſtinguit *Religionem*, & *Ordinem* dum Religionem attribuit Apoſtolis, & Ordinem aſſignat Auguſtino, Religionem verò *ſtabilitam* dicit *Inſtitutionibus Apoſtolicis*; non autem Regulis, nec conſtitutionibus, quas ibi reducit ad Reformationem, quæ fit per Regulas, & normas additas inſtituto, quo perſpicuè docuit Canonicos Religioni eſſe primos, & antiquiſſimos Apoſtolorũ imitatores, eaque prærogatiua potitos antiquã veniret in Ordinem S. Auguſtini, qui certè huius erat autor, & fundator, illius verò nec fundator erat, nec autor. Eodemque modo loqui potuit de Religione, & Ordine S. Benedicti, Dominici, & Franciſci quoad diſtinctionem Religionis, & Ordinis, non autem quoad antiquitatem profeſſionis, quæ multò fuit illa Canonicorum poſterior.

Obijcies tamen hinc ſequi: Ordinem illum non eſſe omnium antiquiſſimum, cùm cæperit à tempore Auguſtini, ante quem iam erant alij Ordines Monachorum fundati: qualis fuit S.Pachomii, qui à Cœlo de manu Angeli Regulam accepit, vt habetur in libro vitas Patrum in eius vita; & Ordo S.Baſilij paulò eo recentioris, ſed Auguſtini tamen antiquioris. Dico primò ad obiectionem non ſequi ex eo quòd Ordo ſit recentior Religionem fieri recentiorem, cùm Regula ſit connexa cum inſtituto; hoc autem cùm ſit antiquius, præbet denominationem Regulæ aduenienti, quæ lucratur priuilegium antiquitatis: & concretum quoddam ex inſtituto & regula reſultat, quod non ſinit per coniunctionem amittere quicquam de ſubſtantia. Si Regula ſumeretur ſola in abſtracto, & ſeorſim, noua diceretur, & poſterior; at ſumitur ſimul cum inſtituto, quod afficit, & dicitur Ordo Regularis concretus ex Inſtituto, & Regula: vnde cùm contrahat ille Ordo per Regulam inſtitutum, contrahit, & colligit quicquid eſt in inſtituto, erat autem in inſtituto antiquitas, ergo & hæc in Ordine, qui quædam ſpecies eſt, includitur.

Dico ſecundò. Nihil eſſe timendum Reuerendiſſimis Patribus Canonicis Regularibus, quia Ordini nihil demitur, nec detrahitur per Regulam accedentem, & accidentem, imo additur, & accreſcit ſine iactura, ſine damno, ſine detrimento prioris inſtituti, per quod illud ponitur in Arce dignitatis, cùm ordinetur, & accommodetur per ſummum, ac Principem omnium Doctorum, qualis eſt & habetur Auguſtinus; ex quo Religio ornatur, & illuſtratur maximè, & in primo item loco ſuper omnes alias collocatur.

Dico tertio. Regulam S.Pachomij eſſe totam Aſceticam, & Cœnobiticam: non Apoſtolicam, neque Euangelicam, atque adeo mancam, & imperfectam: quare illa cum Eremitis, illis, & Aſcetis deſijt, nec egreſſa eſt terminos Cœnobitarum. Regula autem S. Baſilij eiuſdem eſt rationis & potius premit, & ſtringit nimiam vitæ Cœnobiticæ, & Aſceticæ auſteritatem, vt notant ſcriptores, quàm noua det præcepta, & inſtitutiones viuendi. Vnde ne vnum quidem verbum de illa fecit Amphilochius tantus author in vita Baſilij. Præterea hæc etiam manſit intra huius terminos incluſa: & vix ad Occidentem peruenit. Angulos quæſierunt illæ, & in vmbra quieuerunt, non in Solē, ac in puluerem prodierunt. At verò Regula Auguſtini tota conſtat diuinis & conſiliis, & inſtitutis, & inſtar Solis ſimul ac apparuit totum mundum claritate compleuit; & ad omnes Catholici Orbis regionis permanauit, & ab vniuerſa Eccleſia recepta eſt: ſimilis Euangelio, cuius doctrinam ſapiebat. Propterea Papæ eam in ſuis Bullis nomine Diuinæ affecerunt, quemadmodum infrà videbimus.

Tandem ſoluo penitus obiectionem dicendo; Regulas illas Pachomij, & Baſilij adueniſſe inſtituto minus nobili, & præſtanti. Vnde minoris ſunt multò, quàm Auguſtini regula æſtimandæ. Nam qui cœlet æs, & argentum, æquare non poterit cælaturam Auri, quod natiuo pretio commendatur, Regulæ ſunt ornatus, & cælaturæ inſtitutionum. Atqui Baſilius, & Pachomius cælarunt eas inſtitutiones, quæ præ Apoſtolicis,

Digitized by Google

cis, & Euangelicis inſtar æris, & argenti ſunt, & habentur. Contrà Auguſtinus cælator fuit Apoſtolici Auri, & quidem puri, & obryzi: ac proinde maioris pretii, & æſtimationis; alioqui pluris fiet lignum antiquum inciſum, quàm aurum, argentumue optimè cælatum. Grauior eſt alia obiectio. Quomodo poterat S. Auguſtinus, ſi fuit Annis trecentis, & eo amplius poſterior, Author, & Fundator eſſe Ordinis Canonicorum Regularium, præcipuè Lateranenſium, qui ante ipſum illam Baſilicam incoluerunt? Non ferent hoc illi Canonici, ſcilicet ratione Ordinis ſua antiquitate, & dignitate priuari, et renaſci ex vi regulæ nouæ, qua liberi erant antea et primogeniti: negabunt eo ſe baptiſmo luſtrari; vt nomine Auguſtini appellentur, idque in Baptiſterio Conſtantini, amittendo gratiam prærogatiuæ, ac primigenituræ, quod eſt contra naturam Baptiſmi conferentis gratiam, non auferentis. Non patientur ſuis primis Authoribus, et Fundatoribus Apoſtolicis ſpoliari: quorũ nomine gloriantur. Occurro huic graui obiectioni duobus modis. Primùm obiiciendo paria. Nam etiam Benedictini, quorum eſſentiale inſtitutum fuit annis fere quingentis antiquius, cùm ab iiſdem Apoſtolis emanauerit, eadem ratione queri poſſunt, & ſuum Authorem Benedictum excludere: nihilominus tamen accipiunt, & fatentur Benedictum eſſe Patrem ſuum, & Fundatorem, idem eſt de Dominico, & Franciſco, qui ad Chriſti Domini, & Apoſtolorum tempora ſua inſtituta referunt. Ferant igitur Venerabiles Canonici Lateranenſes, quamuis priores eſſent inſtituto, quoad ordinem eſſe Auguſtino poſteriores. Secundùm occurro animaduertendo, Canonicos Regulares non habuiſſe certam aliquam & conformem regulam in ſuo ſeruando inſtituto ante S. Auguſtinum. Vnde admittebant mutationes, & varietates pro ratione temporum, & locorum: nec licuit eis per vexationes, & perſecutiones Tyrannorum ſtabilem, & firmum in eo inſtituto modum, moremue ſeruare. Itaque florebant interdum, dum pax erat, marcebant cùm bellum ingruebat; ſtabant cùm Tyrannis locum dabat quieſcendi, & reſpirandi, cedebant & cadebant, cùm ea immaniter ſæuiebat. Multis, & variis tempeſtatibus cum Eccleſia vertebantur, fluctabãt in ſalo, non ſiſtebant in ſolo, in fluido fluctuabant, non in ſolido conſiſtebant. Diuerſæ facies Religionis, diuerſi ſtatus inſtituti erant. Poſtquam Auguſtinus Diuina prouidentia eam Religioné amplexatus eſt, & illud inſtitutũ normis ac regulis uinxit, cępit per illud certam quandam faciem, et formam habere, et in loco ſtabili, firmoque domicilio conſiſtere. Erant quidem ante Auguſtinum multi Cõuentus, et Cætus Canonicorum Regularium, ſed nec inter ſe nexi, neç coniuncti, ſed ſoluti, ac diuiſi, erant ſeorſim ſumpti, membra lacera et ſeparata, quæ in vnum corpus coaleſcere non poterãt vulneribus Tyrannorum mutilata, quæ capite deſtituta multa corpora repræſentabant, aceruus potius fortuitò collectus, & facilè diſſoluendus, ac diſſipandus, propter intercurrẽtes turbines perſecutionũ, quàm coniungendus, & colligendus. Monſtremus exemplis. In Hiſpania inſtituti ſunt à Iacobo Epiſcopi, & Clerici Regulares, vti ſupra diximus, ſed ſtatim ingruente perſecutione interfecti Epiſcopi, & Cætus

Cano-

Canonicis diſſoluti. Itaque neceſſe fuit, vt reliqui Romam ad Petrum confugerint, à quo idem poſteà, & cum alijs miſſi in Hiſpaniam, labentem Religionem inſtaurarent. Alexandriæ vbi mirum in modum initio floruerunt, paſſi ſunt varietates, & mutationes ſæuiente perſecutione Imperatorum, qua vehementer afflicti coacti ſunt illum Apoſtolicum conuentum interrumpere, & interdum diſſipare. Hinc tot fugæ, tot diſceſſiones, & receſſus in remotas eremos, quas Anachoretæ impleuerunt. Quid? Quod Hieroſolymis, vbi fons, & origo fuit, & ante Apoſtolatum diſperſionem ſæpe illa Religio turbata eſt, primum à Iudæis, ſublato Iacobo Apoſtolo, deinde à Romanis, donec gens illa, & Eccleſia, ex toto periit deſolatione per Veſpaſianum illata, quam eſt ruina ſubſecuta. Sic in aliis Orbis partibus, quo Apoſtoli acceſſerunt, parum durauit Religio, imo et Eccleſia odio inimicorum, & & vitio profitentium, quos inuidia obruebat, & crudelitas laniabat. Non poteſt autē Religio niſi coniuncta, & firma, & ad vnum Corpus redacta cōſeruari. Cum ergo ante Auguſtinū, iuſta vnione, & in nexu cōiuncta, nec fuerit, nec eſſe potuerit; poſt ipſum autem nacta ſit Religio ſocietatem firmam, & conſtantem, ab eo tanquam ab vno capite, & fonte cœpit coaleſcere & conſiſtere, & firmum ſtatum Religionis habere.

CAPVT III.

Duobus argumentis euidentibus S. Auguſtinus Author, & Fundator Canonicorum Regularium fuiſſe oſtenditur.

PRimum eſto. Ille eſt Familiæ, & Religionis Author, & Fundator qui eius caput, & fons eſt, eamque vnum, & iuſtum corpus efficit. Is eſt vnus, & ſolus Auguſtinus, ergo ille Author, & Fundator Religioſi Ordinis Canonicorum Regularium. Propoſitio patet, quia Religio, & Familia eſt ſocietas & communitas multorum collecta vinculo vnionis in Corpus ſub vnò capite conſtitutum: alioqui monſtroſum quiddam erit, & Chimœricum. Vt autem illud corpus conſtet vno capite opus eſt: nam ſi plura ſint capita, Hydra fabula erit, non Familia, ac perinde erit atque Acephala, imo, & deterior quòd mōſtroſior. Hoc veriſſimum eſt in Eccleſia Catholica, quia vnum Caput eſt, compoſitum ex multis membris ſub vno tantum Capite Papa, quare qui eo carēt extra Eccleſiam ſunt, vti Hæretici, & Schiſmatici, qui à Capite Pontifice Romano auulſi, à corpore ſunt præci. Loquor autem de Corpore viſibili, quod ab inuiſibili Chriſto pendet, et gubernatur. Vnde Sancti Patres, vt probarent Eccleſiam Chriſti Catholicam eſſe verum et germanum Chriſti corpus ſumebant argumētum à Capite vno, ideſt Romano Pontifice, quo indicato, et perpetua ſucceſſione per ſingulos ducta, et continuata Romanam Eccleſiam Catholicam eſſe concludebant. Hi ſunt Tertullianus, Optatus Mileuſtenus, ac imprimis Auguſtinus epiſt. 105. ad generoſum tom. 2. qua nos de re copioſè aliàs egimus. Hinc eſt quòd Paulus reijciebat *Plures Patres* 1. Corinth. 4. *Sed non multos*, inquit, *Patres*: imo reſpectu ſuorum Neophytorum vnū ſe Patrem conſtituebat. *Per Euangelium ego vos genui*. Sciebat enim vbi multi ſunt Patres, ibi non vnam, nec certam eſſe Familiam. Nunc ad aſſumptionem, quæ latiùs explicanda eſt

eſt. Ante Auguſtinum Familia, ſeu Religio Canonicorum Regularium vno, & certo conſtanti capite caruit. Patet, quia non fuit ſubiecta vni, & certo Capiti. Sin, aſſignetur is: non apparet: nec ſatis eſt dicere, Apoſtolos fuiſſe capita, quia tunc ſequitur multa capita fuiſſe, atque adeo vnum eſſe Corpus non potuiſſe. Recurritur ad Chriſtum. Hic non erat tunc caput viſibile, quemadmodum, nec Eccleſiæ poſt Aſcenſionem in Cęlū: igitur oportet aſſignare Caput viſibile Papæ erga Eccleſiā. Confugient ad Romanū Pōtificē. At is erat caput eorū vti erant Fideles cū cęteris in Corpore Eccleſiæ, non autē vti erant priuati Religioſi: vnde Capita propria non erāt. Alioquin hodie Papæ tollent de medio omnes fundatores Religionum, quia horum etiam caput ſunt: cùm omnes ſint ſubditi Papæ ratione vniuerſalis dominii ſpiritualis. Largior deinde iſtam ſubiectionem erga Papam: nego per eam excludi rationem Patris, & Fundatoris priuati: quemadmodum per Vniuerſale dominium non aufertur dominium particulare; nec Papa quia Vniuerſalis Paſtor eſt, tollit aliorum Epiſcoporum, & Paſtorum Eccleſiarum priuatarum regimina. Igitur à partium enumeratione conſtat nullum Patrem, nec Caput certum eam Religionem ante Auguſtinum habuiſſe. Opponēt nihilominus Lateranenſes Syluestrum Papam cùm Canonicis Regularibus, eam Eccleſiam adminiſtrandam dedit, caput eis, & Patrem dediſſe. Nolo inficiari. Sed quis eſſe fuit? Aſſignetur. Eum noſcamus. Loquatur. Vocem non audimus. Ac vt dederit, quomodo Caput cæterorum, qui iam tum plures erant generalis Pater fuit. Oſtendant vnionem, et nexum cum eo caput: non apparet. Vrgeo. Fuerit iſta inſtitutio; quomodo ea tam hinc diſſiluit? vt in annos prope 200. ſub Leone Magno opus fuerit reformari, & inſtaurari à Gelaſio Afro Auguſtino diſcipulo. Parum illa firma in Laterano ſtetit. Haud dubiò quia capite certo, et generali carebat, qui foueret, qui ſeruaret, qui confirmaret. Expectandus igitur fuit Auguſtinus, à quo illa membra, diſperſa quidem, et diffuſa colligerentur, et per Regulam colligarentur, et nectérentur, et in vnum Corpus redigerentur. Quòd euentus ipſe probauit: nam ab eo tempore Gelaſij continuata ſerie per annos octingentos illa Familia Lateranenſis ſine vlla intentione durauit, et nouas eundo vires acquiſiuit, ac pro vniuerſum Orbem propagata vbiq; floruit, virtute Regulæ S. Auguſtini, quæ tanquam vnione colligauit diſperſa illa, et diſſoluta membra, et ad ſuum Caput reduxit, quemadmodum omnes Scriptores huiuſce Religionis vnanimi conſenſione teſtantur. Satis ſit vnus, qui cæteros inter quaſi Luna inter ſtellas minoris micat, Pennotus, à quo hæc veritas ſæpè, ac dilucidè traditur. Induco illuſtrem maximè locum lib. 2. cap. 14. Fuit ſanè Author, et Fundator ille, qui vnionem, et formam, et caput præbuit, et magnæ inſtar Animæ corpus vbique vaſtum collectis vndecunque partibus, ſiue membris animauit. Ab hoc principium.

Verùm contrà inſurgit quiſpiam acutus. Qui fieri potuit, ut quæ Religio anteceſſit Patrem, et Authorem, eundem illa Parentem, et Fundatorem habeat: Si Auguſtinus poſterior fuit, quomodo fit anterior? gemente

te natura, ordine inuerſo, ac omnino præpoſtero: cùm præſertim ille fuerit Canonicus Regularis, & inſtitutum Apoſtolicum profeſsus. Huic ego accuratè, et opinor, ſcitè, nec ineptè reſpondeo. Duos ſtatus habuit iſta Religio. Primus fuit ante Auguſtinũ: Secundus poſt Auguſtinũ. Primus fuit vagus, et inordinatus, ac obſcurus, et quodammodo confuſus, ſine ordine certo, ſine recto, ac expedito curſu, fortuita, et quaſi tumultuaria dilatatione. Hic anteceſſit Auguſtinum: alterius ipſe author, et Princeps extitit. Erat in eo virtus illa prima, quam accepit, et retinuit, ſed eandem ſic affecit, et ordinauit, vt nouam redderet, et nitidam, atque adeo perfecit, et perficiendo inſtaurauit, vt nouus cõditor videretur. Exemplo et quidem aptiſſimo dictum illuſtro. *Fecit Deus* Geneſ. 1. Lucem primam, ſtatim poſt tenebras: *Facta eſt lux die primo*. Siue ut ait textus, *die vno*. Hæc lux primigenia anteceſſit Solem, qui quarto die conditus eſt, cum *Luna, & Stellis*. *Dies*, inquit, *quartus*. Obtinet tamen Sol principatum lucis, et à quarto die incipit lucere, tempus conficere, noctes, dieſque diſtinguere, et annos ordinare, et exercere luminis principatum. Quid ſibi vult hæc molitio? Deus creauit lucem primæuam primo die ante Solem; & Solem poſt illam die quarto: vbi eſt lux die prima nata ante Solem? extincta ne eſt, an exacta? Nuſquam extat: ſolus Sol apparet, & Princeps lucis habetur, *Luminare Magnum, vt præeſſet diei*. Omnis lux ab eo pendet, ac procedit: primæ nulla ratio habetur: cùm tamen illa luxerit, dies effecerit, noctes diſtinxerit. *Dies vnus, dies ſecundus, dies tertius*. S. Auguſtinus duo hic dicit: Alterum hanc primam lucem, & luxiſſe, & circuiſſe Orbem inſtar Solis ante Solem, & ante ipſum dies, & noctes effeciſſe. Ita lib. de Geneſ. 1. contra Manichæos. cap. 14. Alterum. Solem ex illa extitiſſe: conuerſa in Solem ea, quæ prior quàm Sol extitiſſet. Sic lib. xi. de Ciuit. c. 7. Quare vtendum nobis eſt interpretatione Auguſtini ad illuſtrandum Auguſtinum. Sumamus illas duas ſententias eaſque in vſum noſtrum conuertamus. Sol poſterior fuit, quàm lux illa primæua, imo ex ea luce ortus eſt, & illius, vt ita dicam, filius fuit: nihilominus tamen Pater, & Fons, & Autor totius lucis habetur, ſcilicet, quia lucem illam vagam, & erraticam, gyrantẽ, ſiue norma, ſiue regula ordinauit, & vinxit linea, & zodiaco alligauit, & certa ei ſigna, domicilia que aſſignauit, quæ decurreret cœlo, & perpetuo motu, non erratico, & vago: prætereà lumina minora genuit, iiſque præfuit, more Rectoris, ac Principis, cui obedirent, & lucidam quandam familiam procreauit: tempora diſtinxit, dies & noctes diſcriminauit annos circinato veluti curſu deduxit, & regulari motu deinceps proceſſit, & confuſionem, erroremque vitauit. Propterea ei Principatus datus. Itaque nihil ei detraxit lux antecedens, imo addidit, cum quicquid in ea eſſet lucis accepiſſet, & quicquid accidiſſet erroris, & confuſionis correxiſſet. Perinde fuit ordinare lucem vagantem ſine freno, & lineis habenarũ inſtar moderari, & incertum, & inconſtantem, motum regulare, ac principatum, & primatum lucis obtinere. Haud ſecus accidit Auguſtino. Præceſſerat eum Religioſa illa inſtituti Apoſtolici lux à Chriſto Deo cõdita, ſimilis illi primæuæ quæ illuxit initio Eccleſiæ: per trecentos

annos

annos, ideſt tria integra ſecula: Natus eſt adulto illo ſeculo Auguſtinus, loquor de natiuitate Religioſa, ſucceſſit illi luci primęuæ, clariſſimę quidē, ſed vaganti, ac intermittenti, nulli certo motui curſuiue addicta, nullis lineis, terminiſue caſtigatæ, nullis Regulis ordinatæ: ingreſſus eſt illam lucem, intra illam fuit: ex ea prodijt, imò eam, ceu Sol, ſuſcepit, continuit in officio, vinxit obſequijs, coercuit tricis moderationis, aſtrinxit Regulis præceptorum, diſperſos radios, ac erratica collegit, & in vnum Corpus luminoſum congregauit, ea ratione Author, & Fundator Ordinis extitit, & Solem egit, ac repræſentauit. Hoc ego argumento mihi ſatisfacio; nec erit, opinor, qui improbet; cum & comparatio illuſtris ſit, digna inſtituto Canonico, digna Auguſtino, ac ex ipſiuſmet Auguſtino doctrina deprompta. Nec mihi timendum ab Ampliſſimis Canonicis Lateranenſibus, quibus nihil de primæua luce ad imo, nec minus totum ei dum luxit, relinquo. Tantùm addo Solem, huic luci ſucceſſiſſe, qui ex ea ortus eam in ſe conuertit, & nouis ſplendoribus illuſtrauit, qui in ſuum fontem redeunt, à quo promanarunt. *In hoc Sole poſuit Tabernaculum ſuum*, fixum, & conſtans lux illa vaga, & errabunda citra errorem, nam etiam honeſtè errant Planetæ caſtigata, & ordinata. Hinc cæpit habere ordinem curſus amplificati, propagati, per annos & ſecula perdurare, pergetque in poſterum æternare.

Et quoniam ſumus inter Lateranenſes, quos ego ſingulariter amo, & colo, vt eorum mihi beneuolentiam conciliem, iiſque prorſus ſatisfaciam, & omnem ſuſpicionis vmbram depellam; volo domeſtico altero exemplo ex eadem Lateranenſi Eccleſia ſumpto dicta à me hactenus confirmare. Adſint, precor, venerabiles Canonici Lateranenſes, breuem ab iis vſuram Religioſarum aurium officioſè poſtulo. Audiant quæſo. Niſi hoc exemplo ijs verū eſſe quid de Auguſtino Autore, Parente, Fundatore, adhuc manifeſtiùs, *Patre* ſui Ordinis perſuaſero, quæ maximè horreo in ſcribendo vitia, ineptum me, & temerarium appellent. Eccleſia ipſa Lateranenſis, cùm multò ſit Vaticana S. Petri, & aliis tum eiuſdem vrbis, tum alijs extra Vrbem recentior, ideſt annis trecentis, tamen *Mater*, & *Princeps*, & *Magiſtra* omnium dicitur, & cunctis vniuerſim, & nominatim etiam, quòd notandum eſt, ipſimet Eccleſiæ S. Petri, præponitur, non obſtante eorum venerabili antiquitate cum alijs prærogatiuis, & ornamentis coniuncta. Id breuiter productis idoneis, & autoribus, & monumentis oſtendo. Sic tradunt Ioannes Diaconus, & Canonicus Regularis Eccleſiæ *Lateranenſis*, in libro de ea ſcripto, & Alexandro III. dedicato. Onuphrius Panuinius in lib. de 7. Romanæ Vrbis Eccleſijs: & Cardinalis Cæſar Raſponus in ſuo tomo de Eccleſia Lateranenſi. Monumenta extant multa, & præclara in ipſamet Eccleſia, expreſſa verſibus, quæ à Gabriele Pennotto afferuntur lib. 2. c. 3. à quo eruditè, ac nitidè eiuſdem Eccleſiæ dignitas, & præſtantia probatur. Mihi ſit ſatis exſcribere particulam Decreti ſolemnis facti à Gregorio XI. decidentis litem ortam ſuper præcedētia inter Canonicos S. Petri in Vaticano, & S. Ioannis in Laterano, quę eiuſmodi eſt. *Nos*, inquit, *volentes huic dubio finem imponere*, & *ſuper*

amputare materiam, definimus Sacroſanctam Lateranenſem Eccleſiam perpetuam Sedem noſtram inter omnes alias Vrbis, & Orbis Eccleſias, & Baſilicas, ac etiam ſupra Eccleſiam, & Baſilicam Principis Apoſtolorum de Vrbe ſupremum locum tenere eamque de iure maiorem eſſe omnibus illis Eccleſijs, & Baſilicis ſupradictis, ac ſupra omnes, & ſingulas Eccleſias præfatas, & Baſilicas, Prioritatis, Dignitatis, & Preæminentiæ honori lætari. Ecce Lateranenſis Baſilica recentis poſterior annis, quàm Baſilica Principes Apoſtolorum, & alijs omnibus tantò antiquioribus, non modò dignior, & præeminentior, ſed etiam *Prior* dicitur: nota, *Prioritate*. Quodque attentiùs obſeruandum, affirmat Papa *De iure*. Cui omninò habenda eſt Fides. Rationem, qua ius nitatur ſi quærimus, ea eſt gemina ſuperiori. Ante illud tempus Conſtantini Eccleſia Catholica vexata vbique, & afflicta, vti in bello, requiem, & pacem non habebat, iactabatur, opprimebatur, & caput attollere non poterat obruta pondere miſeriarum: Deſerta, lacerata, incerta vagabatur magis, quàm conſiſtebat: alebat ſuos filios, non lacte, ſed ſanguine: ſilebant doctrinæ, ſtrepebant arma, luctus vbique, vbique pauor, & plurima mortis imago. Vix viuendi, vix reſpirandi ſpatium erat. veniente Conſtantino rerum facies eſt mutata; ceſſarunt bella, quierunt tumultus, perſecutiones deſierunt, pax antea extitit, felicitas adfuit, ſecuritas arriſit, fiducia creuit, doctrina viguit, religio floruit, ſeruitus ab acta, libertas reddita, Sacris ſuus honor, Eccleſijs ſua Sedes, Fidei ſua dignitas reſtituta. Erexit caput Roma, & libera imperium ſuſcepit, ac exercuit animarum. Renouata eſt Eccleſia, & veteri detracta perſona, ſordibus, ac iniurijs deformata, nouam induxit faciem in theatrum, in eam quippe debiti illi tituli, illi honores, illa ornamenta confluxerunt.

Extitit mater aliarum, quod eas alere cæpit lacte fauoris, ditare opibus, locupletare facultatibus, liberare à miſerijs, leges dedit, ſacra reſtituit, diſperſa cōgregauit, lacera collegit, diſiecta compoſuit, confuſa diſtinxit, fluxa continuit, minus compoſita ordinauit. His artibus effecit vt, quæ antea ſeruiebat per iniuriam temporum, deinceps libera imperaſſet. Negaritue quiſquam iure Primatum & principatum meruiſse? Meruit ſanè. Nec temporis præteriti habenda eſt ratio, quamquam prolixi cùm totis illis annis trecentis, in lugubri, humilique loco iacuiſſet: vt potius planxerit quam vixerit. A Lateranenſi Eccleſia vbi reuixit, vbi reſpirauit, vbi abundauit fuma ſuos Natales, & vbi miſera eſſe deſiit, inde vitam inchoet. Verto ſtylum ad Auguſtinum, & applico exemplum. Accidit illi cum Canonicis Lateranenſibus, quod eorum Eccleſiæ cum aliis Eccleſijs; quod illi de Eccleſia ſua ſtatuunt erga Eccleſias antiquioris idē iudicent de Parente ſuo Auguſtino erga Familias vetuſtiores. Fatentur nihil obſtare, quominus Eccleſia ſua, quanquā ętate minor, pręcedat omnes alias ætate grandiores, fateantur nihil obſtare, quod Auguſtinus ſit iunior quo minus præſit antiquioribus. Norint quod Lateranenſis Eccleſia alijs Eccleſijs præſtitit id Auguſtinum alijs ante ſe familijs contuliſſe. Conſentient ſibi, ſi mecū conſentiant. Largior ego libenter quod ſuæ Lateranenſi Eccleſia tribuunt, concedant mihi

mihi quod defero Auguſtino: eadem quippe, qua illi vtuntur ratione ad abſtruendã ſuæ Eccleſiæ ſupra cæteras antiquiores principatum, eadem ego vtor ad affirmandam Auguſtini ſuper cæteras Canonicorum familias dignitatem. Sicuti Eccleſia Lateranenſis Mater, Princeps, Fundatrix omnium Eccleſiarum dicitur, ita & Auguſtinus Pater, Autor, Fundator Canonicorum omnium appelletur.

CAPVT IV.

Eadem veritate Bullis Pontificijs confirmatur.

NIhil mihi antiquius eſſe duxi, ex quo animum ad ſcribendum apuli, quàm ea quæ ſentio, præcipuè, ſi propria ſunt, ita rationibus, & auctoritate ſtabilire, vt nec temerè ſuſcepta, nec audenter prolata videãtur. Cum igitur hæc de Auguſtino Fũdatore, ac Authore Ordinis Canonicorum Regulariũ ſentẽtia meo ſit excogitata marte, è meo penu deprompta, imo vt verius dicam, in ardente amoris mei erga Auguſtinum fornace fabricata, neceſſe erit eam firmiſſimo Pontificum teſtimonio roborare, quod etſi ingentis laboris fuit, leue onus reddidit, idemque me impulit ad aſſerendum affectus. Conſultis igitur Bullis Pontificijs, quæ rem Canonicorum Regularium, aliquo modo continent: tres coniecturas inuenio, quæ ſententiam meam ſuadeant.

Primùm obſeruo. Pontifices abſolutè dicere Ordinem Sancti Auguſtini, cùm de Canonicorum Regulariũ familia loquuntur (quod paſſim occurrit) nulla facta mentione Apoſtolorum. Infinitum eſſet omnes percurrere, ſicut fuit euoluere. Afferam nonnullas, ex quibus appareat phraſis illa communis. Sixtus IV. Bulla quæ incipit *Licet ex debito* initio ſic. *Monaſterio Canonicorum Regularium Congregationis Lateranenſis Ordinis Sancti Auguſtini*. Martinus V. in Bulla. *Dilectis Filijs. Conuentibus Ordinis S. Auguſtini*. Eugenius IV. in Bulla cuius eſt initium *Meditatio cordis noſtri*, ſæpe ponit *Ordinem S. Auguſtini*. Innocentius VIII. in litteris datis ad Procuratorem generalem, qui tunc erat: *Dilecto*, inquit, *Filio Procuratori Generali Congregationis Lateranenſis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini*. Annus eſt 1487. Leo X. litter. *Et ſi de cunctis. Ad Monaſterium Ordinis Sancti Auguſtini*. Producamus antiquiora. Vrbanus VI. Anno 1384. ad *Canonicos Frigidionarios Ordinis Sancti Auguſtini*. Bonifacius IX. ad eoſdem. *Ordinis S. Auguſtini*. Claudo teſtimonio Innocentii II. & perilluſtri in litteris datis ad Priorem, & Canonicos S. Crucis Conimbricẽſis Regulares, & ad Bernardum Epiſcopum, & Alphonſum Principem Portugalliæ, quod eiuſmodi eſt. *Vt Ordo Canonicus, qui ſecundum B. Auguſtini Regulam ibidem cooperante Domino noſcitur inſtitutus*. Anno 1135. quod Monaſterium nulli eſt Religionis ſecundus. Vbi vixit S. Antonius, propè ipſum natus ſum ego, ibi aqua ſum luſtrali reſperſus, & ibi ad pietatem eruditus. Alius mihi de eo dabitur dicendi locus: quanquam me fateor imparem illius encomiis.

Sequuntur aliæ, me authore, maioris ponderis coniecturæ. Inuenio in eiſdem Pontificum litteris nomẽ *Dei* cum *Regula Auguſtini* coniunctum: ceu Auguſtinus non ab homine, nec per hominem ſuam illam Regulam acceperit, ſed à Deo dictante audie-

rit,& ſumpſerit, ac vti Paulus Apoſtolus, non ab aliis Apoſtolis munus Apoſtoli,ſed à Chriſto immediatè accepit, ita & Auguſtinus Legiſlatoris à Deo officium accepiſſe uideatur. Vnde illa Regula Diuina, ſicut proximè indicauimus, & infra latiùs exponemus ab eiſdem Pontificibus nuncupetur. Ero hic aliquantò copioſior. Non ſequor ordinem temporum, ſed vti quęrenti occurrebant ita referam. Alexander III. Anno 1172. ſuo 10. In Priuilegio conceſſo Canonicis Congregationis Sancti Laurentii de Plebe Martyrum ſiue de Vltio in Delphinatu ſic ait; *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam inſtitutus eſſe dignoſcitur*. Gregorius IX. in magno Priuilegio conceſſo Canonicis Lateranenſibus Anno 1227. ſuo I. *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini regulam ibi noſcitur inſtitutus*. Gregorius X. in celebri indulto collato Canonicis Frigidionarijs An. 1272. ſuo 1. *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtinum inſtitutus eſſe dignoſcitur*. Nota vocem *Inſtitutus*, non inſtauratus, nec reformatus. Secus aliquantum, ſed non abre Cęleſtinus III. *Ordo Canonicus, qui ſecundum Dei timorem, & B. Auguſtini Regulam*. Anno 1194. ſuo 4. Simile quoddam habes in litteris Alexandri IV. ad Canonicos Rauennates Anno 1255. *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & Auguſtini Regulam in eadem Eccleſia conſtitutus eſſe dignoſcitur*. Eugenius IV. in Bulla, qua declarat Canonicos Frigidionarios ad Lateranēſes pertinere, & eiuſdem eſſe profeſſionis edita Anno 1426. ſuo 16. in medio ſic *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam ibi noſcitur inſtitutus*. Et infra. *Familiam Dei, qua ſub eadem Regula altiſſimo militantes*. Gregorius VIII. litteris ad Archipresbyterum Bellianum, & Canonicos Regulares: quæ incipiunt *Mouet nos*, datis Anno 1188. ſuo 1. *Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & Beati Auguſtini Regulam, atque inſtitutionem, in eodem loco noſcitur inſtitutus*. Vide antiquitatem formulæ, & obſerua *inſtitutionem: inſtitutus*; Alexander III. diplomate miſſo ad Priorem Monaſterii S. Marci de Riuocello, & *Fratres* ſic vocat *Canonicos* eadem vtitur phraſi. *Ordo Canonicus, qui ſecundū Deum, & B. Auguſtini Regulam in eadem Eccleſia inſtitutus eſſe dignoſcitur*. Annus Chriſti eſt 1256. Pontif. 2. Addo aliam ſimilem clauſulam depromptam ex litteris Anaſtaſii IV. quorum initium eſt: *Dilectis Filijs*. Ioanni Sacroſanctæ Patriarchæ Baſilicæ Saluatoris Domini. *Statuentes vt Ordo Canonicus, qui ſecundum Deum, & B. Auguſtini Regulam ibi noſcitur inſtitutus:* vt formula iſta in ſolemne oraculum tranſierit. Animaduerto tamen, ne quis me reprehendat abuti voce *inſtitutus* tribuendo eam Auguſtino cum ea aſſignanda ſit loco Monaſterij ibi erecto, & inſtituto, vt ipſamet vox ſignificat, me id non latere hominem Latinum, ſed idcirco ad Auguſtinum retuli, quod ſuſpicatus ſum maluiſſe Pontifices eo verbo vti, quod etſi adhęreret loco, poſſet etiam ex obliquo trahi ad inſtitutionem Regulæ, & Authoris, ſcilicet Auguſtini annuendo illum fuiſſe Authorem, & Fundatorem: nam cùm illi poſſent magis propriè, aut æquè ſaltem dicere. *Conſtitutus* quod locum vehit, tamen vſurpare voluerūt verbum *inſtitutus*. Ac ne inanis coniectura ſit, afferre volo

par-

Digitized by Google

particulam litterarum Pontificis Sixti IV. quæ continet, ac exprimit inſtitutionem, & fundationem: eamque perſpicuè Auguſtino attribuit. Igitur hic Pontifex in Bulla, per quam concedit nobiliſſimam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Pace Romanam Canonicis Lateranenſibus exactis Laterano per Bonifacium: præclaram poſuit clauſulam. Adduco totam. *Conſideramus inter alios Religioſos inſtitutionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini fore primariam, & ab ipſo Sanctiſſimo Eccleſiæ Doctore FVNDATAM*. Audis? *Fundatam*: & quod mirè quadrat in rem noſtram loquitur Pontifex de Canonicis Lateranenſibus, qui ſunt, & primates in Eccleſia prima, & Primate Vrbis, & Orbis. Quare coniecturæ in euidens teſtimonium tranſierunt. Extat Annus Expeditionis, Chriſti 1483. Pontificatus 13. dies, Kal. Octob. locus Roma. Do initium. *Sixtus Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei Redemptoris noſtri cuius in Pace*. Quo certo vno vocabulo omnis me autore controuerſia dirimitur. Si enim illa *Fundata*, Auguſtinus eſt illius *Fundator*. Eodē vocabulo vſus eſt Pius 4. in Bulla, quę incipit *Redēptoris noſtri* expreſsè dicēs. *Ab ipſo ſapientiſſimo Doctore FVNDATAM*.

His coniecturis accedit alia meo iudicio probabilis. Multæ Pontificum litteræ ita loquuntur de Ordine Sancti Auguſtini, ac de quocunq; alio inſtituto à S. Benedicto, Dominico, Frãciſco, quaſi nullū ſit appellato diſcrimine inter Fūdatores, & inſtitutiones Ordinum, quos fundauerunt. Itaque perinde duxerunt eſſe illos modos, & rationes fundandi. Reperias ſimpliciter dictos Ordines S. Auguſtini, Sancti Benedicti, & cæterorum quaſi nihil inter eos interſit. Produco aliquot teſtimonia. In litteris Eugenij VI. Bononiæ datis Anno 1436. Pontif. 6. ſuper Prioratu S. Ioannis in Viridaria Ordinis Benedictini transferendo ad Canonicos Regulares S. Auguſtini, ſic Pontifex. *Cupientes in Prioratu S. Ioannis in Viridaria Paduano Ordinis S. Benedicti*. Et mox. *Per Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini*: eodem prorſus modo: & rurſum. *Ordinem S. Benedicti, Ordinem S. Auguſtini*. Eadem phraſi. Haud ſecus in alijs litteris huius Pontificis habetur exemplo ſimili alterius translationis de Ordine S. Benedicti ad Ordinem S. Auguſtini, quæ continebant Monaſterium Feſulanum reformatum iri à Canonicis Regularibus Ordinis S. Auguſtini editis Florentię Ann. Chriſti 1439. ſuo 9. nulla differentia nomenclaturæ, ſed penitus eadem: *Ordinis S. Benedicti: Ordinis S. Auguſtini*. Tertiò idem Eugenius repetit Reformationem aliam Monaſterij Cremonenſis, & retinet modum ſcribendi litteris eodem anno datis Florentię, vbi ponit initio *S. Auguſtini, & S. Benedicti Ordinum*. Vtrumque conectens, ac nexu diuerſitatem excludens. Nec aliter loquitur Paulus II. in Bulla Sacroſanctæ Eccleſiæ Romæ apud S. Marcum Anno 1467. ſui Pontif. 4. in qua *S. Benedicti, & S. Auguſtini Ordinum*. Quid? quod in Bullis ſuper controuerſia de Præcedentia inter hos duos grauiſſimos Ordines ortis, & agitatis à Sede Apoſtolica expeditis eadē ratio ſcribendi ſeruatur. Legat qui volet. Putidum eſſet ac propè ineptum rem hanc inculcare. Tantùm vnum teſtimonium affero, quod aliquid nouitatis exhibeat. Eſt autem in litteris Vrbani III. Priuilegium concedentis Monaſterio S. Iuliani de Monte

Spo-

Spoletano datis Veronæ Anno Dom. 1185. ſuo 1. vbi ſic. *Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum, & B. Benedicti regulam in eodem loco inſtitutus eſſe dignoſcitur.* Communi cum Auguſtino phraſi, cuius ſupra mentionem fecimus, quòd ſit ſpecialis Auguſtini, vt ne qua interſit diſſimilitudo. Ex his conſtat Ordinẽ Canonicorũ Regularium propriè dicendum S. Auguſtini, haud aliter, quàm Ordo Benedictinorũ dicitur S. Benedicti, & conſectaneè S. Dominici, & S. Franciſci, qui ſimpliciter à ſuorum Fundatorum nominibus appellantur. Scio aliquos Romanos Pontifices in ſuis Bullis ſolemnibus nolle hac nomenclatura aſſuere, Auguſtinum quem ſolũmodo Reformatorẽ appellitant: qualis eſt Pius V. Bulla 116. cuius eſt initium *Cum ex Ordinum*, & antè Eugenius IV. in illa celeberrima, & ſæpè à nobis laudata Bulla *Cum ad ſacratiſſimam*. Verum is minimè negant Authorem, & Fundatorem eſſe: quod adducta à me proximè teſtimonia Sixti V. & Pij IV. affirmant: ſed alio nomine item appellant, quod ſumitur ab alio munere Reformandi, quod non excludit *Fundandi* ſpectat quippè ad mores hominum, non autem ad Regulam, nec ad ſtatum, qui à perſonis diſtinguitur. Addo, quouis modo ſumatur Reformatio, nullatenus tollere ſenſum, in quo nos accepimus inſtitutionem, & fundationem: qui optimè cum Reformatione poteſt conſiſtere. Atque, vt nihil ſine exemplo dicamus. Chriſtus & eſt, & dicitur *Lapis Fundamentalis*, & Eccleſiæ *Fundamentum*: & tamen Apoſtoli dicuntur etiã *Fundamenta*, & lapides *Fundamentales* diuerſa ratione. *In Montibus ſanctis*, ideſt Fundamentis Ciuitatis Sanctæ, nempè Eccleſiæ Dei: Sed iſta Fundamenta nobiliùs, & altiùs habent Fundamentum, Ieſum Chriſtum Filium Dei.

CAPVT V.

Excellentia, & præſtantia Regulæ S. Auguſtini multis argumentis oſtenditur.

SVppono nunc id, quod nonnulli in dubium Eraſmo Duce vocarunt, an iſta Regula Auguſtini, ſit pro Clericis facta: cùm Eraſmus odio Religioſæ vitæ dubiũ mouerit, & qui ei adſtipulantur alienæ gloriæ inuideant, cùm appoſitum ſit hactenus obiter, ac ex obliquo referendo Pontificias litteras probatum, & eſſe Regulam Auguſtini, & Clericis traditam de quo iterum poſteà ſuo loco dicemus, ne hic tenorem ſtyli remittamus, & ſerie morum interrumpamus. Ea igitur alio nomine *Speculum* dicitur, quòd omni careat næuo, & luce veritatis infuſa Solem reddat, ac remittat, & ad comendas, & ornandas animas, & penitus perficiendas pertineat. *Diuinam* vocat Eugenius IV. in Bulla *Sanctiſſimam* toties ſupra laudata. Confirmat nomen Sixtus IV. in ſua, quæ incipit: *Dudum ad vniuerſos*. Concinunt voces Pontificum, quas antea audiuimus. *A Deo, & ſecundum Auguſtini Regulam*, nectentes Dei afflatum cum Auguſtini dictis vt à Deo potius ſit accepta, quàm ab Auguſtino edita; & poſt quam ſit accepta, tradita: cum omnes eius particulæ ſonent quiddam celeſte, ac diuinum. Ad eam tanquam ad lineam, Religioſæ vitæ ſpiritualem ſtructuram, conformauit autore Petro Bleſenſi ſerm. 51. *Ordinauit*, inquit, *Regulã Clericorum Canonicè degentium*

lineam

lineam Catholicæ mediocritatis extendens, vt ſapiens Architectus; quæ verba doctiſſimus Vir Iulius Nigronius Comment. in Reg. p. 3. in vſum ſuum ſcitè conuertit propter mirabilem in ea formanda prudentiam, quæ in mediocritate conſiſtit quam præſetulit Auguſtinus, & qui eum S. imitatur Ignatius. Eam tanquam de cœlo lapſam Notbertus de manu Auguſtini accepit, quemadmodum ſuperius commemorauimus: ceu Auguſtini Regula ſeruetur in ſuperis, & apud eos in pretio ſit, & qua hominis inſtituti Angeli coæquantur: *Menſura hominis, quæ eſt Angeli*, ſic vt in manu Ioannis Euangeliſtæ ſit calamus, ſiue Virga ad metiendum, & in manu Auguſtini Regula, ſiue linea ad coæquandum. Nouit hoc myſteriū Vir Angelicus S. Thomas cum de Auguſtino authori Regulę cecinit in hymno ſequenti Epiſtolam *Regularis vitę normam conquadrauit*, quo verbo eam cæleſtem ſignificauit tracto à Ciuitate ſuperna vocabulo *Ciuitas in quadro poſita eſt*. Per eam tanquam viam Regiam itur ad Regnum Cœlorum, vti idem Doctor Angelicus in hymno ad Veſperas modulatur. *Tu de vita Clericorum Sanctam ſcribis Regulam: quam qui amant, & ſequitur viam tenent Regiam. Atq; tuo Sancto ductu redeunt ad Patriā*: quam idcircò arripuerunt, & inierunt, teſte Antonino Florentino 2. par. Summæ Hiſtor. tit. 10. c. 8. §. 3. his verbis: *Ab eo dicitur Ordo Canonicorum Regularium habuiſſe initium, quibus, & Regulam ſcripſit. quam hodie plurimi Religioſi profitentur Prædicatores, Eremitæ, Seruitæ, Canonici Regulares omnes, licet diuerſarum Religionū, & alij*. Cuius modi ſunt S. Hieronymi, S. Baſilij, Armenorum, S. Ambroſij, Cruciferorum, Ieſuitarū, S. Brigittæ, Redemptionis: quibus accedunt omnes Ordines clariſſimi Militares, quæ Eccleſiæ Catholicæ præſidio cùm ſint ac decori ſub ſignis Auguſtini mereri voluerunt: S. Ioannis, ſiue Melitenſis, S. Iacobi Calatraue Alcantaræ in Hiſpania, Ieſu Chriſti, & Auiſij in Luſitania: vt militari more cœlum aggrederentur, & per violentiam illud raperent. Hinc eſt quòd Sacri Canones quorum in Decretis Compilatio eſt, magnam partem ex Auguſtini ſcriptis depromuntur. Seligo, ac produco aliquot, quæ propriè ſumuntur ex Regula Auguſtini, quam nunc ſegetem metimus. c. *Quando neceſſitas*. d. 8. ſumptus eſt ex Regula Auguſt. c. 5. ad finem. cap. *Nec vos iudicetis*, habetur in Regula c. 3. poſt medium c. *Non dicatis* 12. q. 1. inuenitur c. 1. Regulæ initio c. *Nec ſolo* 32. q. 5. deprompta eſt ex Reg. c. 3. cap. *In oratorio* 42. qui ibi citatur poſt cap. *oratorium ex dictis S. Benedicti Abbatis*, repetitur quoad ſenſum in Regula Auguſtini, c. 2. init. Vbi obſeruandum, cùm ſit tam excellens Regula S. Benedicti, ſemel tantùm in Sacro Decreto, ideſt hoc in loco, laudari, & quidem adiuncta Regula Auguſtini, quod ſignum eſt eiuſdem inter cæteras præſtantiæ. Citantur à me autem capita, quòd etſi priſca Regula ea diuiſione caruerit, ab Hugone tamen de S. Victore diſtincta fuit in capita; quod in rem facit; nam ille ſuo tempore Auguſtinus propter ſingularem virtutem, & doctrinam appellari meruit, præter quā quod Canonicus Regularis extitit, & Auguſtini Regulam profeſſus eſt. Rectè igitur Speculator in 2. & 6. part. Rationalis diu. off. dixit. *Regula Auguſtini nihil aliud eſt, quàm totius Euangelicæ, & Apoſtolicæ perfe-*

ctionis

Digitized by Google

ctionis ſpeculum. Quare cùm in Concilio Romano ſub Leone III. celebrato anno 804. preſente Carolo Magno, non minus Sanctitate morum, quàm rerum geſtarum gloria inclyto, de Reformanda vita Clericorũ ſeriò ageretur, confectus ea de rẽ fuit liber quidam quinque capitulorum, in quo exſcripta habetur Regula Auguſtini cum ſermonibus 1. & 2. de communi vita Clericorum: quorum duorum Regula, veluti corollarium eſt, & ſermo tertius dicitur. Idem factum in Concilio Aquenſi, & Moguntino, quæ reformando Clero intentæ totam Regulæ Auguſtini doctrinam in ſuos Canones contulerunt. Equidem legens diligenter, quod ſoleo, & accuratè omnes ferè Regulas Religioſorum ordinum, qui poſt Auguſtinum extiterunt, & conferens cum Regula Auguſtini, comperi omnia, quæ ad perfectionem vitæ Regularis, & animæ profectum pertinent, ab eo eſſe occupata. Cætera quæ Sanctiſſimi Fundatores addiderunt, ea potius ad ritus, & cæremonias, quàm ad virtutes ſpectare, quemadmodum etiam animaduerti Bonifacium VIII. cùm de Reformatione Ordinis Clericorum Regularium cogitaret, velletque eum ad meliorem ſtatum redigere Regulam integram retinuiſſe, & ad illius obſeruantiã exhortatũ cõſtitutiones tantùm adidiſſe, quæ ad Regimen publicum, & collationem munerum, & Capitulorum formulam, & ſtudiorum rationem, & Beneficiorum, ac Redituum adminiſtrationem, quaſi ad politicam gubernationem pertinere comperiuntur. Iuuat ſummatim proponere, quæ latius ibi dicta ſunt: & compendio compendium facere. Primo cap. commendatur Charitas in Deum, & in proximũ: traditur Paupertas Apoſtolica, diſtributio pro ſingulorum neceſſitate præſcribitur: obuiam itur iactantiæ diuitum qui plura contulerunt, & præcipitur moderatio, & demiſſio animi alijs, qui ex paupertate, ad abũdantiam venerunt, Pax, & concordia, & vnanimitas commendatur. Secundo orandi, & pſallendi forma præſcribitur. Ieiunii, & cibi tempora diſtinguuntur. Communis Refectionis ratio Lectione Sacræ conditur: infirmis pro neceſſitate prouidetur. Frugalitas, & temperantia laudatur. In tertio: De habitu corporis, & Animi agitur: Corporis is vt ſit, quin offendat aſpectum videntium: Animi, ne per oculos quicquam laicum ſubrepat, modeſtia commendatur: qui delinquat de illius monitione, & correctione ſtatuitur: ſecundum ſchema Euangelicum, quomodo fiat emendatio, & punitio vſque ad eiectionem eius, qui nolit reſipiſcere exponitur. Quartum rẽ veſtiariã continet. Repoſitorium cõmune, vnde veſtes proferantur, vbi cuſtodiãtur, quò referãtur aſſignatur, mũditiei conſulitur tũ veſtium, tum corporum, & lauacro, & balneo pro neceſſitate lauantium, quod probet Medicus. Ægrotantiũ cura exprimitur. Codicum cuſtodia, & diſtributio opportuna præcipitur. Quinti ea ſumma eſt: Inimicitias arcere, odia, diſſenſiones abigere, conuitia tollere, ſi quæ inciderint, punire iratos, vagantes compeſcere, mutuo ſi qui ſe læſerint ignoſcere, iuxta petitionem orationis Dominicæ debita inuicem dimittere. Qui ſuperiores ſunt monentur, vt lenes ſint in reprehendendo, quòd ſi modum excedant doleant, non idcircò tamen veniam à ſubditis petant, vt conſeruetur autoritas. Sexti, pauca

verba

Digitized by Google

verba ſunt. Res magna, & grauis. Dilectio inter ſe Fratrum non ſopitat carnem, ſed ſpiritum. In ſeptimo Obedientiæ forma proponitur erga ſuperiorem tanquam Patrem, vt ea libens ſit, non coacta, elicita, non extorta. Octauum, & vltimum præſcribit ſuperiori rationem imperandi, charitate nixam, prudentia temperatam, autoritate munitam, à ſuperbia alienam, quæ ſunt illius partes ſubtiliter, & accuratè diſſerit. Summa eſt: vt ſubditi non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia videãtur conſtituta. Hæc eſt Regula Auguſtini omnibus certè numeris abſoluta: & cui nihil detrahi, addiue poſſit. Nec vacat myſterio, quòd ab Hugone in octo capita conſtricta, numerũ Beatitudinum referat, in quibus idea perfectæ vitæ elucet, quam in ſuam Regulam Auguſtinus traduxit, quæ deſcripta latiùs Apoſtolicam viuendi formam exprimit; in ea tu vides ſpirantem Euangelici inſtituti imaginẽ: qua inſtructi Canonici Regulares *Prçcæteris Clericis, & Laicis*: verba ſunt Petri Bleſenſis, addo, & Monachis *tantò differentiùs viuunt, quantò impreſſioribus veſtigijs Apoſtolorum regulis inhæſerunt* eius meminit Bernardus lib. de præcept. & diſpenſat. ante Regulam S. Benedicti, & S. Pachomij.

COLLATIO NONA

DIFFERENTIA II.

De Inſtituto Vitæ Auguſtini. An fuerit Canonicus Regularis?

CAPVT I.

Proponuntur lineamenta vitæ Chriſtianæ S. Auguſtini.

ALtiùs ordiendum. Quatuor impulſus habuit Auguſtinus ad renunciandum rebus humanis, & adhærendum diuinis. Primus à lectione libri *Hortenſij*, autore Tullio, ſiue Philoſophia, cuius ibi depingit imaginem. Interiit autem hic temporum iniuria. In hunc incidit Auguſtinus anno ætatis ſuæ decimo nono. Vnde primum impetum cæpit inquirendi ſapientiam abiecta diuitiarum, & honorum cupiditate, vti ipſe teſtatur lib. 3. confeſſ. c. 4. & lib. de Beata vita initio.

Secundum accepit à lectione librorum Platonicorum, vbi nonnulla reperit de incorporea ſapientia Verbi Dei, in eis adumbrata, quam inquirere diligentius cæpit; quod narrat lib. 7. Confeſſ. cap. 9. Tertium impreſſit lectio Apoſtoli Pauli, vt habet lib. 7. Conf. c. 21. & lib. 2. Academ. quæſt. c. 2. in cuius Epiſtolas incidit, ac eruditis fide oculis Chriſtum ſapientiam Incarnatam, & myſteria ſalutis in ſacris contenta litteris vtriuſque teſtamenti agnouit, quæ quamuis à teneris de Matre Monica acceperat, quia malè cohærebant cùm nugis puerilibus, & vitijs adoleſcentiæ, cito defluxerunt, manente tamen nomine Ieſu Chriſti, quod altè in animum Mater Monica demiſerat, quemadmodum ipſemet commemorat lib. 3. Confeſſ. cap. 4. Quartus prouenit ab inſtitutione, & monitu Ambroſii, cuius meminit lib. 5. cap. 13. & lib. 6. c. 4. Ex eo quippe didicit Catholicæ Eccleſiæ doctrinam; quo hortante deſeruit Manichæos errores, ſeque Catechumenis aggregauit, & de mutanda, abiecta ſecta, in melius vita deliberauit, cùm annum ageret trigeſimũ: ſicuti citatis in locis, & lib. 6. c. 11. continetur. Quintus fuit Simpliciani à quo adducto exemplo Rhetoris Romani celeberrimi Victorini ad Catholicam Fidem conuerſi magnoperè ad eum eſt imitandum inflammatus, vti ſcribit lib. 8. c. 2. & 5. Sextum maiore vi intulit Poſſidonius enarrata vita

Digitized by Google

Magni Antonij , & commemorato euentu duorum iuuenum, qui cum eam legiſſent, cõtinuo relictis opibus, abdicato munere, dimiſſis ſponſis Deo ſeſe in ſolitudine deuouerunt, & ſpõſas ſuo ad Monialium profeſſionem exemplo impulerunt. De quo latè, ac vehementer lib. 8. c. 6. & 8. Septimum & vltimũ immiſit illa vox vnde vnde audita, ſed facta diuinitus, ad Auguſt. nouum Nathanaelẽ ſub ficu proſtratum. *Tolle lege. Tolle lege*. Qua excitus, & monitus aperto Codice Epiſtolarum Pauli in eum locum incidit Roman. 13. *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitijs: non in contentione, & æmulatione; ſed induimini Dominum Ieſũ Chriſtum.* Quem ille cum legiſſet mundo penitus renunciauit, & liber à curis, cupiditatibus, ac illecebris caducæ vitæ totum ſe ad cæleſtia tranſtulit, & Chriſto adhærere decreuit recolens Antonij factum, qui audito loco Euangelij *veni, & ſequere me*, nihil diſtulit quin relictis omnibus Chriſtum ſequeretur. Refert hæc omnia diſtinctè, ac enucleatè lib. 4. c. 12. ſiue vlt.

Hos impulſus ſecutum eſt firmum mutandę vitæ, & profeſſionis propoſitum: ac vt erat mirè prudens Auguſtinus, expectauit occaſionem, non vocauit. Haud multùm aberant vacationes ab ſtudijs, vt aſſolet in Academiis: ſtatuit igitur non abrumpere tempus profeſſionis litterariæ, ſed tandiu morari, donec interuallũ viginti fere dierum exiguo decurſu temporis tolleretur. *Et venit dies*, inquit, li. 9. c. 4. *in quo actu ſolucrer à profeſſione Rhetorica, vnde iã cogitatu ſolutus eram. Et factum eſt. Profectus ſum in villam cum meis omnibus.* (Rus Caſſiſiacum illud fuit) Verecundi Amici prędium, quod Auguſtino commodauit, quod aptum ad prima illa meditamenta virtutis. Seceſſit eò Auguſtinus anno ſuæ ætatis 32. exeunte Auguſto, ſed iam adulto, opinor, menſe, nam vindemiales appellat Ferias, quos menſes ibi exegit ſcilicet ab Auguſto ad Nouembrem: cum tamen ante aditum Scholarum renuntiaſſet cathedræ, ac denuntiaſſet ſcholaſticis, vt ſibi alium Rhetorem prouiderent; idque oportuit fieri menſe Octobri, eaque ſolutus cura rurſus ad ſocios remeauit, vſque ad Aprilem menſem inchoatum, ibi ſe exercuit cum Alipio, Adeodato, Nauigio, Licentio, Trigetio, adiunctis Ruſtico, & Laſtidiano. Quæ autem fuerint illa exercitamenta oportet rimari, vt ex his qualis illa futura eſſet intelligatur ratio viuẽdi ad quam ille ſe cõpararet. Quę hactenus geſta narrauimus ex lib. Confeſſ. 8. cap. 4. 5. 6. depromp ſimus. Reliqua, libri de Academicis tres: duo de Ordine: vnus de Beata vita, duo Soliloquiorum ibi compoſiti ſufficient.

In his apparent lineamenta illa primi inſtituti ab Auguſtino optati, & concepti: quæ ſunt ad formam Apoſtolicam comparata. Nam ibi ſumptus, & victus communis omnium erat: occupatio, magiſterium, & diſciplina; exercitamenta, diſputationes de Sapientia, de Veritate, de Prouidentia, de Ordine rerum, de Vita Beata. Docente Auguſtino, cæteris audientibus ac eo præſide de iis quæ ab eo proponebantur quæſtionibus vltrò citròque in vtranque partem diſceptantibus. Itaque ratio vitæ ſcholaſtica prorſus erat. Hoſpitium in Lyceum, Villa in ſcholam tranſit, & in Rure Verecundi florida Rhetorices licentia vagabatur. Mutata in cæleſtẽ

humana materia Rhetorem diuinum agebat Auguſtinus, & Cathedram retinebat. Nihil de ſtyli elegantia, nihil de nitore phraſis, nihil de granditate dictionis detraxit. Decebat idem, ſed non dicebat idem: diuerſæ res eadem eloquentia exornabantur. Chriſtiana doctrina mellitis verborum floſculis condita tradebatur. Sapiebant iſta Clericatum. Nihil ibi tetricum, nihil auſterum, nihil ſeuerum, nihil aſceticum, & aſperum. Multa ſoluta, & remiſſa intra modeſtiam; interdum innocentes ioci, honeſti riſus, dicta feſtiua, quibus doctrina grauis, & ſeria quibuſdam quaſi ſalibus aſpergebatur. Indico locos lib. 1. cont. Academ. c 5. lib. 2. c. 7. & 13. lib. 3. c. 4. 5. 15. 20. lib. 1. de ordine c. 3. 4. 8. & lib. de vita Beata frequenter. Quinimo & locũ ibi Apollini & Muſis verò Licentio canente fecit. lib. 2. contra Academ c. 4. lib. 3. c. 3. 4. 8. lib. 1. de ord. c. 3. E Fonte Aganippes riui deducti cum lacrymis flentis interdum Auguſti mixti decurrebant lib. 1. de ordine c. 8. Non tu reperias prolixas Aſcetarum orationes, crebras pectoris tũſiones, breues iaculorum inſtar in Cęlum iactas preces inuenies; non occurrunt aſſiduę obſtippi capitis ingeniculationes, non caſtigationes, & macerationes corporis, non chameuniæ, non taciturnitas, non vigiliæ, non inedia. imo nec ieiunium, pauci miſſus, pocula minora tenuia prãdia reficiunt corpora ne graues ſtomachi ſubtilem mẽtis aciem hebetarent lib. 2. contr. Acad. c. 6. lib. 3. c. 4. lib. de Beata vita in Præfatione. Reſonabat tota domus præceptis, & inſtitutis doctrinæ: magiſterium dominabatur: idem erat Magiſter rure qui in vrbe fuerat, mutatis moribus, & in melius conuerſa diſciplina. Quæ ſanè non ad Nitriã, aut Thebaidis ſolitudines, ſed ad Eccleſiarum, & Templorum celebritates ſpectabant: Clericale inter laicas perſonas munus, ac miniſterium referebant. In eo Proſcenio præludebant Actores, ad ea quæ poſteà remoto ſipario ſacra in ſcena acturi erant ſacris myſterijs initiati, & altiùs cothurnati. Hanc rationem viuendi poſtquam Mediolanum redierunt. & ſuſcepto baptiſmo, tum ibi, tum paucos dies Oſtiæ, tum ante mortẽ Matris, tum Romæ; poſteà ea mortua Auguſtino Duce, ac Magiſtro per ſemeſtre ante reditum in Africa tenuerunt. Qualia fuerunt illa Ruis Caſſiaci rudimenta, talis fuit reliquæ vitæ profeſſio, donec ad inſtitutum Canonicum, & Apoſtolicum peruenerunt, quod Auguſtinus ſemper animo agitauerat. Obiiciuntur tamen duo loci. Primus initio lib. 9. Confeſſ. cap. 8. *Qui habitare facis vnanimes in domo, conſociaſti & nobis Enedium, qui cum agens in rebus militaret prius nobis ad te conuerſus eſt, & baptizatus, & relicta militia ſeculari accinctus eſt in tua. Simul oramus, ſimul habitamus in placito Sancto*: quæ continent, & ſonãt Sacrum Religioſi Ordines cõuentum ex dicatis Deo hominibus conflatum. Hic eſt primus. Secundus in eodem capite in curatione funeris Monicæ, vbi Euodio aperto Pſalterio inchoante cantum cæteri reſponderunt, ſcilicet inſtar Chori Fratrum cui ſe poſteà adiunxerunt *Multi Fratres, ac Religioſæ feminæ*, à quibus eſt funus curatum. Quibus verbis haud dubiè Religioſa profeſſio ſignificatur. Non inficior multos his teſtimoniijs ductos exiſtimaſſe Auguſtinum, & ſocios iam tum Vota emiſiſſe, ac Laicum eſse deſiiſse, & ad ſacrum ordinem tranſiiſſe à Clericali

diuer-

Digitized by Google

diuerſum. Reſpondeo debiles has eſſe coniecturas, & vt idoneæ ſint, ac robuſtæ, minimè iis probari Religioſam vitam, diuerſam à Clericali; vtrumque euidenter oſtendo. Nego cætum illum eſſe Religioſum cum votis: & eſſe Laicum ab omni voto ſolutum: hoc argumento. In eo cætu erat Nauigius Frater Auguſtini, homo coniugatus, & Licentius adoleſcēs, qui poſtea cōiugari voluit, ergo non erat ille cætus Religioſorum, ſed Laicorum ſanctè tamen, & piè viuentium: nec illa militia, & placitum ſanctum aliud ſignificat, quàm rationem viuendi ſpiritualem, intra Laicos tamen terminos ſtatum conſtitutam. Aſſumptum de Nauigio patet ex narratione vitæ, ac geſtorum Auguſtini, tum à Poſſidonio, tum à Breuiario Romano tradita, vbi habetur *Sororis, & Fratris Filiæ*, ideſt Nauigii: nec enim alium præter eum fratrem habuiſſe legitur Auguſtinum. Sed euadent dicentes eum tunc mortua iam vxore viduum, ac cęlibem agere. Non contendo eſſe non potuiſſe, ſed qua ad ratione affirmatur, eadem negari poſſe oppono. Ego vt largiar verum id eſſe, non poſſum adduci vt credam Nauigium hominem idiotā, & rudem, ſenſus penitus adipalis, vt apparet ex eius reſpōſionib' in Rure Caſſiſiaco, & vix Auguſtino Fratre dignum illud inſtitutum amplexum fuiſſe. Eſto tamen. Nauigius ſit coniectura ex eo fluctuat, ne ſubſiſtat. Quid reſpondebunt Licentio, de quo manifeſtè conſtat in ſeculo Romæ deditū curis ſecularibus manſiſse: ac ibi petulanter vixiſſe, & vagos concubitus muliercularum exercuiſſe, donec libidinibus ſaturatus de legitima vxore ducenda agitaret, militans Crucis, & ambulans honores, & ambiens Magiſtratus oblitus officij, immemor Auguſtini, contemptor Chriſti, adeo vt de eo ſic ſcribat ad eundem Paulinus Epiſtol. 38. apud Auguſt. tomo 2.

Cum bene ſe tota dominum iactauerit Vrbe
Seruit Dæmonijs, & ſimulat ea colit
Proh dolor! hoc propter remoraris in villet Licenti
Et Regnum Chriſti ſpernis his placeas?

Et idem ad eundem Auguſtinus Epiſtol. 39. cum eo grauiter de Corruptione illa morum expoſtulat, ac inter alia. *Quid æſtuas? Quid fluctuas? Quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & auerſis à nobis?* Nec inficiatur ipſemet Licentius in ſuo Carmine ad Auguſtinum inſerto Epiſtolæ 39. per nonnullos verſus

Erramuſque procul turbata per æquora vitæ
In me ventres agit voluitque cupidinis æſtus
In mare lethiferum.

Et ſupra dixerat.

Et nunc Romulidum Sedes, & inania tecti
Culmina, bacchataſque domos, vanoſq; tumultus
Deſererrem, & totus ſemel in tua corda venirem,
Ni mens coniugio incumbens retineret euntem.

Quod ſanè inuictum argumentum eſt Licentium vota minimè nuncupaſſe, nec Religioſam profeſſionem emiſiſſe, quippe quòd ſi hoc verum eſſet, nūquā Auguſtinus permiſiſſet, eique illud in litteris exprobraſſet ſeuerus autor, & hortator vota obſeruandi, quæ ſemel quilibet ſuſcepiſſet: At de eo, nihil meminit Auguſtinus: quod

quod ſi foret, tacitum non tuliſſet. Probo vlterius. Puer Adeodatus eius profeſſionis vix capax erat per ætatem, necdum enim quintũ decimum annum attigerat. De Trigetio altum ſilentium. Ruſticus & Laſtidianus Auguſtini conſobrini omnium diſciplinarum ignari, imo & vix grammaticę patientes erant, vt ait Auguſtinus lib. de vita Beata c. 1. Regularis vitæ inſtitutionem nõ arriperent, & tamen inter Auguſtini ſocios numerabantur. Supereſt ſolus Alipius ex rurali illo comitatu, qui fortiſſimus domitor corporis ab Auguſtino dicitur lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *vſque ad Italicum ſolum glaciale nudo pede obterendum*, ſed non idcirco erat eo habitu, animi, vt ſeſe Religionis votis obligaret. De quo illud nunc obiter dixerim, longo poſt tempore Religioſam ſub Auguſtino iam Presbytero, imo & fortaſſe Epiſcopo in ſuo Monaſterio Clericorum Regularium profeſſionem emiſiſſe, quemadmodum ſuo loco opportunè oſtendam, idoneo argumento contento in Epiſtola Auguſtini ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopũ, quæ eſt 64. Tene hoc Lector memoriæ infixum: ante iſtã epiſtolam Alipium fuiſſe Laicum, nullis votorũ vinculis obligatũ. Id etiam mihi põdus habere videtur cętũ iſtum Laicum, quem arctum, firmumque putant, tam citò diſſiluiſſe, imo euanuiſſe, vt nuſquam deinceps vllus ex ijs quinq; maioribus eo fuerant, cũ in totis Auguſtini operibus, ſi vnũ excipias Alipiũ, nominetur. Vbi enim aut Trigetius, aut Ruſticus, aut Laſtidianus, aut Nauigius apparent ſcriptionis Auguſtini in gurgite vaſto. De Adeodato minimè miror, *quia citò de terra abſtuliſti vitã eius*, vt ait Auguſtinus, neque de Licentio, quia eum palam deſeruit laboro. Alios quæro, alios deſidero, nec vſpiam inuenio. Abierunt, cùm tamen ſi Fratres eſſent, ac Religioſi vincti perpetuò in ſocietate illa, & habitu, ac beneplacito ſancto cum Auguſtino manere debuiſſent. Certè ne Poſſidius quidem, tam fidelis enarrator geſtorũ Auguſtini, & hanc de ijs fecit mentionem. Nulli ergo erant, quia ille cœtus Amicorum Laicorum erat, & ſponte coibat, & ſponte ſoluebatur. Omnes vti vani aſcetę erant, ita ex oculis ſubitò euanuerunt. Scopæ diſſolutæ. Reſpondeo ſecundò retorquendo locum adductum hoc modo, Auguſtinus hic Oſtiæ, vbi Matri defuncta eſt, eandem prorſus vitæ rationem ſeruauit, quam inſtituerat in rure Caſſiſiaco Catechumenus: igitur Laicus erat ſtatu, quamuis Chriſtianus profeſſione. Aſſumptionem probo: ex textu c. 12. lib. 9. Confeſſ. ibi enim. Auguſtinus *Ego in parte vbi decenter poteram, cum eis, qui me non deſerendum eſſe cenſebant, quod erat tempori congruum, diſputabam*: En iterum Magiſtrum agit, & docet, non dolet, nec plangit, vt aſceta, cuius id officium eſt, non autem erudire, nec diſputare. Dolor hic eruditus refutat contrà ſentientes. Quippe quod ſi ex numero aſcetarum eſſet, ſeceſſũ quereret, & vbi oraret, & retruſus in angulum preces funderet, ſecum habitaret, non foras prodiret, & audientes ex condolentibus faceret, & magiſterium exerceret: *Illis* quidem *ignorantibus, & intentè audientibus, & ſine ſenſu doloris me eſſe arbitrantibus*. Itaque in tanto mœrore ex matris, quam vnicè diligebat, morte concepto non dereliquit doctrinam, cui ſe totum impendebat. Annon hoc Apoſtolicum, & Euangelicum? Imo hic

hic exulto: Auguſtinus ſi tunc erat Religioſus, certè Clericus Regularis erat, cùm exhibeat Munus Clericorum, quorũ erat docere, erudire, veritates aperire, legendo, diſputando, perſuadendo. Addo coniecturam paulò inferius eodem capite fatetur ſe leuãdi doloris gratia ad balneas *lauatum iſſe* & rationem adducit: *Quia Græci* βαλανεῖον *dixerunt, quod anxietatem pellat ex animo*. Sordet iſta lauatio, quia non decet hominem Religioſum Aſceterium olentem, & in lugubri tunc, & ſordibus ſedentem. Turpat vitam candidam, & mores auſteros iſta lauatio. Indigna profectò actio tanto viro niſi laicus, & è vulgo eſſet, & videretur. Ego certè erubeſcerem, nec me tamen puto Auguſtino verecundiorem. Inuerecundum ne dicam, nego, cum ad Balneas ſe contulit, Religioſum Atletam extitiſſe: cum præſertim tyronem ageret, quorum maior eſſe debet, & pudor, & modeſtia. Prauum, & ineptũ poſuit Auguſtinus tyrocinium, ſi à balnearum mollitie doloris ſui remedium quæſiuit, quem decebat authoritas, & aſperitas diſciplinæ, quæ non ferebat remedia delicata. Date locum eundi ad lauacrum balnearum Auguſtino. Dicite Laicum eſſe hominem de futuræ vitæ inſtituto agitantem, ſeque ad illud comparantem. Liberè incedat, quid incitis pudoris compedes ne loco moueatur. Altera pars de militia Euodij commilitonis Auguſtini à militia ſeculari ad ſacram tranſeuntis, non infert Religionem, ſed ſtatum Chriſtiani baptizati ſanctè, & iuſtè viuentis in ſocietate hominum etiam laicorum, qualis multos videmus ſine votis & regulis ſolis Chriſtianis præceptis, & pijs operibus contentos, ac rebus diuinis extra monaſteria vacantes: & contra vitia & tentationes Dæmonum ſtrenuè dimicantes. De qua militia Paulus 2. Corint. 10. *Non ſecundum carnem militamus. Nam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum, &c.* & 1. ad Timoth. 1. *Vt milites bonam militiam habetis fidem, & bonam conſcientiam*, quæ cõmunis omnium bonorũ Chriſtianorũ eſt, *qui* Epheſ. 6. *induitis armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates*, & rurſum ibi: *Accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo: & in omnibus perfecti ſtare.* Scribit autem ad vulgus Epheſiorum Fidelium. Quod autem Auguſtinus ait *Accinctus intra* non eſt habẽdum certum aliquod genus Religionis: cũ Paulus ibidem ſubiungat *ſtate ergo ſuccincti*, &c. extendens ſenſum ad omnes Chriſtianos Epheſios: nihil ergo ex ea particula concluditur. Appendix argumenti de Fratribus conuenientibus cum feminis Religioſis, ad parẽtandum S. Monicæ inanis eſt, & à re aliena. Nam illi Fratres, & feminę erant externi, è ciuitate venientes ad domum Auguſtini, qui ſi erant Religioſæ profeſſionis non erant eius cuius erat Auguſtinus, ſed alterius diuerſæ quod aberrat ſcopo, & rem minimè continet. Debebant probare aduerſarij eos eſſe de numero, & ordine Auguſtini, quod certè eo exemplo non probatur: quid enim attinet illa multitudo Fratrum, & feminarum aliunde venientium ad domeſticam Auguſtini familiam? Præterea, vnde conſtat eos non fuiſſe de Clericis Regularibus, qui iam tum Romæ in Laterano degebant: cùm

Digitized by Google

cùm præſertim ij ſciunt pſallere, & curare funera, quod munus erat proprium Clericorum. At obijcient feminas Religioſas. Nego eas eſſe Sanctimoniales, quas illud miniſterium minus decebat. Quin ſic nolint quieſcere affirmem, eo firmari eas Canonicas eſſe, ac ad eorum Clericorum Ordinem pertinere. Itaque dum inferre volunt in domum Auguſtini Fratres Aſcetas, & Sanctimoniales eiuſdem inſtituti repente illam Clericis Regularibus, & Canonicis impleuerunt. Fuiſſe autem priſcis ijs, & heroicis temporibus Canoniſſas, & Diaconiſſas, & Subdiaconiſſas meridiana luce clarius eſt. Idque nos in noſtro de ſcholis Theologicis opere demonſtrauimus. Interim ambigentes mito ad Fontem eruditionis manantem Gabrielem Pennottum: hauriant de riuis, quos deducit lib. 3. hiſtor. ſuæ Tripart. cap. 49. vbi non ſolum antiquas, ſed etiam multò recentioris memoriæ Canoniſsas inueniet. Delector interdum coniecturis. Do aliquas. Prima ſit. Auguſtinus rediit Romam poſt mortem matris: vt Manichæos confutaret, ac eorum præſtigias doloſq; aperiret: & Catholicæ Eccleſiæ doctrinam moreſq; defenderet, retento ſemper magiſterio palam in ſole, non ſeorſim & in vmbra, more Clericali, non aſcetico, & clanicularìo. Secunda eſto. Auguſtinus in ſua illa Romæ commoratione trimeſtri fortaſſe, vel quadrimeſtri, vt aliàs dicemus, inſtituta ſacra, moreſq; Romanæ Eccleſiæ indagauit, quemadmodum refert in lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, ad idque Vrbis Templa, Sacraria, Monaſteria ſcrutatus eſt, vt omnia exacte noſset, & Manichæis exprobaret, quod ſine magna per Vrbem Romam euagatione fieri non poterat. Hæc autem aliena erat ab homine retruſo, & abdito in clauſtra Aſceterij: non erat igitur ille ex eo genere hominũ à frequentia, & luce vrbana remotorum. Quod aſsumpſi liquet ex cap. 30. vſque ad 34 Tertia huic eſt ſimilis: nam idem argumentum eſt libri de Morib. Manich. qui etſi anteà probè cogniti Auguſtino eſsent, in eos tamen de nouo inquiſiuit, vt nouos eorum fucos detegeret, & collatos cum Catholicę Fidei doctrina refutaret. Deprehendiſse autem multos Romæ in hac Vrbis vltima luſtratione ex c. vltimo eius de moribus Manichæorum libri apparet. Hæ mihi tres ſatis perſuadent Laicum tunc Auguſtinum fuiſſe: ſed ijs iam lineamentis oſtendiſse, qualis poſtea facies futuri eſset, ſi ad Religioſum ſtatum pertranſiſset. Scilicet Canonici Regularis ad ideam vitæ Apoſtolicæ inſtitutum, vt integra imago iuſtis expreſsa coloribus primis lineamentis reſponderet.

CAPVT II.

Antequam veritas ſtatuatur tres difficultates remouentur.

TRes quaſi remoræ curſũ enauigantis à partum veritatis tractationis noſtræ tardant, & detinent. Prima eſt compoſita ex multis locis operum Auguſtini, in quibus videtur expreſsa Religioſæ vitæ profeſſio ſtatim poſt Baptiſmum, & ante reditum in Africam. Palmaris eſt ille lib. 9. Confeſs. c. 10. vbi Mater Monica ad Filium iam iam moritura. *Fili quantum ad me attinet, nulla iã re delector in hac vita? Quid hic faciã adhuc, & cur hic ſim, neſcio, iã conſumpta ſpe huius ſeculi. Vnum erat propter quod in hac vita immorari cupiebam, vt te Chriſtianum Catholicum videre*m

rem prius, quam morerer. Cumulatiùs hoc mihi Deus præſtitit, vt te etiam contempta felicitate terrena ſeruum eius te videam. Quid hic facio? Geminus huic eſt alter lib. 8. cap. vlt. vbi poſt lectionem Epiſtolæ Pauli ad Rom. 13 qua prorſus conuictus eſt, & conuerſus Auguſtinus. *Inde*, inquit, *ad matrem ingredimur, indicamus, gaudet, narramus quemadmodum geſtum ſit, exultat, & triumphat, et benedicit tibi, qui potens es, vltra quàm petimus, aut intelligimus facere, quia tantò amplius ſibi à te cõceſſũ de me videbat, quàm petere ſolebat miſerabilibus eius, flebilibuſque gemitibus. Conuertiſti enim ita me ad te, vt nec vxorem quærerem, nec ſpem aliquam ſeculi huius, ſtans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei reuelaueras. Et conuertiſti luctum eius in gaudium multò vberius, quàm voluerat, & multò charius, atq; caſtius, quàm de nepotibus carnis meæ requirebat*. Similis occurrit in vita Auguſtini ſcripta à Poſſidio cap. 2. in quo ille: *Mox ex intimis*, inquit, *cordis medullis ad Deum conuerſus ſpem omnem, quam habebat in ſeculo dereliquit: iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores ſeculi quærens, ſed ſoli Deo ſeruire in illo, & ex illo puſillo grege eſſe ſtudens, quem Dominus alloquitur dicẽs. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, &c. Et illud, quod iterum dixit Dominus idem vir ſanctus facere cupiens. Si vis eſſe perfectus vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Et erat tunc maior annis triginta ſola ſuperſtite Matre Monica ſibi adhærente, & de ſuſcepto eius propoſito ſeruiendi Deo amplius, quàm de carnis nepotibus exultante*. Iſti tres loci remorã formant, ac efficiunt, ne progredi valeamus. Quare oportet eos protinus remouere: hac ratione. Omnes intelligi debent de propoſito vitæ futuræ, quam Auguſtinus tunc cogitabat. Ita vt animus, & propoſitum prȩſens, res verò abſens, & futura, apprehenſa quidem, & optata eſſet, ſed in poſterum differenda. Non tamen erat illud propoſitum ſolius mentis, ſed ſociatum cum nonnullis indicijs futurȩ vitæ, tanquam datis pignoribus futuri euentus. Vno verbo, *non ibi Profeſſio* emiſſa, ſed emittendæ propoſitum continetur. Nec illæ voces *conſumpta ſpe huius ſeculi*: *contempta felicitate terrena*: *Seruum Dei te videam* Religioſam tunc emiſſam profeſſionem ſignificant. Leues illæ coniecturæ ſunt, quæ leui flatu diſſipantur. Attende lector. Rem acu tanges. Hæc verba in eo ſenſu accipiuntur, quo in 2. & 3. loco, & ab eodem Auguſtino, & Poſſidonio ſumuntur. Sed in 2. & 3. loco non poſſunt accipi de profeſſione iam facta, ſed ſolum de facienda poſteà: ergo de hac, non de illa primus eſt locus intelligendus. Maior conſtat ex textibus. Minor probatur, quia in 2. loco Auguſtinus cùm ea verba dixit, & retulit, erat in ſtatu Catechumeni nondum baptizati: at hic ſtatus nõ erat capax actualis profeſſionis, ergo non continebat factam, ſed ſignificabat futuram. Rotunda ſanè probatio. Quòd autem Auguſtinus tunc eſset ſolùm Catechumenus, non baptizatus conſtat ex hiſtoria, quæ ibi, & c. 10. lib. 9. narratur, ſcilicet conuerſionis Auguſtini ſub Ficu in horto vrbano, quȩ longe anteceſſit ſeceſsum in ius Caſſiſiacum, vbi ſe Auguſtinus exercuit per menſes quinque, & eo ampliùs ante reditum ex eo Mediolanum, vbi fuit

Nnnn bap-

baptizatus. Quid hic Lector. Annuet, & lingua fauebit, & manu, opinor, plaudet. Rem lepidam. Inducere Auguſtinum in ſacram ſcenam prius profitentem] tria vota Religioſa, quàm Fidem Chriſtianam. Qua ratione antè fuit Religioſus profeſsus, quàm Chriſtianus baptizatus. Venio ad Poſſidoniũ. Ne viuam, ſi idẽ non dicit de eodem tempore ante baptiſmum cum adhuc eſset Cathecumenus Auguſtinus, loquitur enim de tempore, in quo degebat in Rure Caſſiſiaco ante baptiſmum, cùm libros de Academicis quæſtionibus, de Ordine, ac Beata vita compoſuit. Patet: quia Poſſidius ponit tempus ætatis Auguſtini annorum paulò plus triginta, cùm ipſi baptizatus fuerit anno trigeſimo tertio. Inuicta certè demonſtratio. Adde illam particulam *adhærente Matre Monica*, quæ illi tunc aderat, & quæ domi opus erant parabat & interdum cum illis Auguſtini diſcipulis Filio inuitante diſputabat.

Secunda difficultas naſcitur ex verbis Poſſidonij in lib. de vita Auguſtini cap. 5. quæ huiuſmodi ſunt. *Factus ergo Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cæpit ſecundum modum, & regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam. Maximè vt nemo quicquam proprium in ea ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia, & diſtribueretur vnicuique, prout cuiq; opus erat: quod iam ipſe prior fecerat dum de trãſmarinis ad ſua remeaſſet*. Quę ſignificare videntur Auguſtinum antequã iſtud Monaſterium ædificaret, & in eo cæpiſſet Apoſtolicè, ac regulariter viuere, eandem vitæ rationem tenuiſſe legitur, & ante ſuum aduentum, imo & profectionem in Africam. Religioſam profeſſionem emiſerat. Nam illud *quod* cadit in totum antecedentem periodum, quæ continet vitam ſimul cum Dei ſeruis inſtitutam ſecundum Apoſtolicam formam, ac imprimis ſecundum modum Paupertatis abdicata proprietate collatis bonis in communi. Ita vt phraſis *cæpit viuere* reſpiciat locum, non tempus, ſcilicet: In eo Monaſterio cæpit *tunc* quod in alio iam antea Monaſterio cæperat. Locus erat nouus, ratio vitæ antiqua. Agnoſco, & accipio verba Poſſidonij; at nego eum quem volunt hi qui obijciunt verborum ſenſum eſſe: nam illa particula *quod ipſe iam prior fecerat*, non refertur ad totũ complexũ, ſcripturæ, ſed ad id quod proximum eſt *Maximè, vt nemo quicquam proprium haberet*. Scilicet: quòd Auguſtinus iam antea ſine proprietate vixiſſet de cõmuni: vt etiam exponit, ac rectè inſignis Hiſtoricus Gabriel Pennotus lib. 1. cap. 9. Quare non colligitur ex eo loco Auguſtinum prius Religioſam, & Regularem duxiſſe vitam, ſed ſolùm ſua bona in communi contuliſſe. Oſtendo id certis argumentis. Primò, quia ſi Auguſtinus fuit prius Regularis, iam tum cæperat: ergo non cæpit tunc, ſed continuauit quod cæperat: At Poſſidonius dicit *tunc cæpiſſe* cum eſſet Hippone: *Cæpit*, inquit, *viuere*. Igitur cæpit tunc de nouo, quod ante non cæperat. At dicis: Cæpit in eo loco *vt cæpit* cadat in locum, non in vitam. Ideſt Cæpit facere id quod fecerat alibi, vt ſi dicas, Sceua Centurio Cæſaris, cæpit militare ſub Cæſare in Italia, quod iam cæperat facere in Gallia. Currit facilè ſenſus, & hæret loco, non militiæ. Reiicio obiectum, quia in exemplo ſumitur ſola militia, nec poteſt ſenſus referri

ferri ad aliud, quàm ad militiam, quæ ſola eſt, & immediata. Ibi vero in ſententia propoſita ſunt duo, & diuerſa, vnum quod prius ponitur Regulariter viuere, alterum renuntiare proprio, & de communi viuere, ad quod immediatè refertur illud: *quod ante iam fecerat*. Cùm præſertim hoc ſecundum ſine primo ſtare poſſit. Quemadmodum ſi dicas Sceua in Italia cæpit Magiſtratum gerere, & militare, quod ipſe prius in Gallia fecerat; nequit hæc particula ad Magiſtratum trahi. Sic: cæpit Auguſtinus viuere Regulariter Hippone, & ſua abdicare, ac de communi viuere, nequit ad prius *illud tranſire*, nec ſenſus poteſt vtrumque complecti: cùm præſertim vox *Maximè* interueniat, quæ trahit ad ſecundam partem de ſola abdicatione proprietatis: Nã cur poſuit illud *Maximè* niſi quia voluit eò referre illud, *quod antea fecerat*. Verum nolunt quieſcere: Faciam vt abſiſtant. Rem pendamus. Illud *quod* non poteſt comprehendere primam partem vitæ profeſſionis Religioſæ; ergo falsò interpretantur. Probo rotundè. Auguſtinus ſolum cæpit abdicare proprietatem, & de communi viuere antequam cæpiſſet viuere Regulariter, ad id ſolum refertur illud *quod*, non vero ad aliud de vita Regulari. Patet aſſumptum ex hiſtoria vitæ Auguſtini multis in locis, ex quibus conſtat eum ſemper agitaſſe de abdicatione proprii, & victu in communi lib. 6. Confeſſ. cap. 14. & ex libris de Academ. de Ordine, & vita beata; quemadmodum ſupra diximus cùm adhuc eſſet dubius de Fide, & Catechumenus iam certus de Fide, ſed minimè baptizatus, & nondum Chriſtianus, ergo ad hoc tantum quod ante fuerat illud *quod* omnino eſt referendum. Niſi forte velint vt iam tum Auguſtinus Regularis eſſet, cum Chriſtianus nondum eſſet, nam ſi vtrumque tam eſt nexum, & coniunctum cum altero, vt ſeparari, & ſeorſim ſtare non poſſint, neceſſe eſt, vt cùm cæpit ſuis renuntiare, & de communibus viuere, cæperit etiam profeſſionem emittere, ac proinde ante baptiſmum Religioſum agere: quo quid abſurdius? Senſus itaque naturalis eſt: *Cæpit viuere ſecundum regulam, & maximè* derelinquendo ſua, quod ante iam fecerat: ideſt, hoc proximum, non illud remotum, & diſtinctum, & perfectum. Quæ eſt alia coniectura. Nam cur poſuit Poſſidonius primo loco quod erat perfectius, ſecundo autẽ quod erat imperfectius, ac difficilius? niſi quod ſignificare voluit, hoc quod erat facilius, & imperfectius, iam ante, cùm adhuc Catechumenus eſſet, feciſſe. Certè, ſi is quẽ obtrudunt ſenſus fuiſset, poneret Poſſidonius vltimo loco quod erat perfectius, vel vtrunque ita copularet, vt vno poſito alterum ſequeretur. Demùm argumentor nobilius. Si ita ſint interpretanda verba, quæ ſignificant cæpiſſe, & inchoaſſe, vt ad locos, vbi fit initium, nõ vero ad res accommodentur, nihil erit certi, nihil indubitati in principiis rerum, & nutabit fides ſcripturarum. Licebit enim negare multa, quorum certa principia ſunt. Pono exempla Euangelij. Legitur de miraculo, quod Chriſtus fecit in nuptijs Cana Galileæ, vbi ponitur *Hoc initium fecit Ieſus in Cana Galileæ*, ſenſus erit. Hoc fuit primum miraculum in eo loco, non alibi. Itaq; fuerunt alia priora, alijs in locis, nam Euãgeliſta loquitur de nouitate loci, non de nouitate miraculi. Quando dixit Euangeliſta de Chriſto *Cæpit*

dicere ad turbas de Ioanne noluit ſignificare dixiſſe, ſed ad turbas eo in loco dicere cæpiſſe, cum iam anteà Ioannem commendaſſet. Rurſum cùm ſcribitur de Petro *Cœpit anathematizare, & iurare* non eſt intelligendum, tunc primo cæpiſſe in domo Caiphæ; non in aliis locis in quibus antea Petrus anathematizaret, & iuraret. Fit quippe reſpectus ad locum, non ad rem, & factum. Verùm opponet garrire, me, & delicias facere: cum vnum tamen aſſumam, & ponam, Poſſidonius aſſerat, & ponat duo, Regularem vitam, & renuntiationem. Annuo, nam id tantum hactenus volebam impugnare rationem nixam loco. Nunc pergo ire vlterius, & reſpondere plenius. Affero aptum *Cœpit Ieſus facere, & docere*, ſenſus erit ſimul vtrunque cæpit: ac eodemmet tẽpore fecit, & docuit, cum tamen Chriſtus prius fecerit, quàm docuerit; & ante nos ſuis exemplis inſtituerit, quàm verbis erudierit. Seruãda eſt igitur diſtinctio rerum, & ſignificatio verbi, ijs accommodanda, vt ſi dicerem: Auguſtinus cæpit Mediolani cæleſtibus myſterijs initiari, & de Diuina ſapientia ſermones cum ſuis ſerere, quod ipſe *prior fecerat*: non debet, nec poteſt, ita connecti, nec copulari, vt ante baptiſmum vtrumque fecerit, ſed ſolum ſermocinari, nempe in rure Caſſiſiaco. Non poteſt igitur particula *quod* vi ſua relatiua extendi ad membrum prorſus diſtinctum, & diuerſum, imo & aduerſum, cum Religioſa profeſſio ſupponat, & includat Baptiſmũ, quẽ nec ſupponit, nec includit renuntiatio, & abiectio bonorũ, vti apparet in multis Philoſophis Ethnicorum, qui ſua omnia bona dimiſerunt: vti Hieronymus adnotauit. Aliud eſt Chriſtũ ſequi, quod fit per vitam Regularem, vt idem ibidem ſcitè animaduertit.

Supereſt tertia deſumpta ex loco Poſſidonii c. 3. *Placuit ei percepta baptiſmi gratia cum alijs ciuibus, & amicis ſuis, Deo pariter ſeruientibus, ad Africam, & propriam domũ, agroſq; remeare: Ad quos veniens, & in quibus conſtitutus fermè triennio, & à ſe iam alienatis curis ſecularibus, cum ijs qui eidem adhærebant Deo viuebat, ieiunijs, orationibus, boniſque operibus, in lege Domini meditans die, ac nocte*. Quid hic agebat Auguſtinus niſi munera Regularium Aſcetarum in Cœnobio poſitorum? En ſolitudo, ac ſeceſſus à frequentia in loco remoto à ciuitate, en contubernium ſociorum rebus diuinis vacantium; En ieiunia, orationes, bona opera, meditationes legis Dei, nocturnæ, ac diurnæ ſeruientium, imo & adhærentium Deo, quod votorum emiſſionem ſonat, nihilq; caducarum, mortaliumque rerum curantium. Certè non potuit Poſſidonius clariorem proponere Religioſæ vitæ in Cœnobiis imaginem: nec nos aptiores ad id inſtitutum exprimendum latiniores, ac exaggeratiores excogitare phraſes. Non igitur expectandum nobis eſt Monaſterium Hipponenſe Clericorum, ſi tale tamen fuit, nec Cenomicorum profeſſio opperienda. Habemus verè Cœnobitam in ſolitudine Auguſtinum. Non dubitarem aſſentiri niſi me multa, & valida argumẽta reuocarent, imo & prohiberent ab aſſenſu. Imprimis deterret me ille locus: *Conterritus peccatis meis, & molle peccatorum, & miſeriæ meæ cogitaueram in corde meo, meditatuſque fugam in ſolitudinem, ſed prohibuiſti me, & confirmaſti me dicens. Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, vt qui*

viuunt

Digitized by Google

viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. Quæ verba ſunt lib. Confeſſ. 10. cap. 43. ad finem. Scio de vita Anachoretica hæc poſſe intelligi, qualem Paulus Thebæus, & Onuphrius, aliique ſolitarij ſunt amplexi: verùm illa comprehendunt vitam etiam cœnobiticam, & ſedentariam in monaſterijs, & cænobijs, qualem inſtituit Antonius, & Pachomius: ac exiſtimo Auguſtinum de vtraque cogitaſſe, & ab vtraque fuiſſe deterritum, idque mihi perſuadet ratio, *vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*, quemadmodum viuebat Paulus, & Apoſtoli ad lucrandos, & ſaluandos alios, docendo prædicando, exhortando in Eccleſiis, in foro, palàm, in media luce; non autem in cellulis, & cubiculis Cœnobitarum, qui ſibi attendentes cæteros non curant, & actuoſam vitam ad omnium procurandam ſalutem negligunt. Vnde citò euanuit illa cogitatio, quæ de peccatis tantùm proprijs deflendis, & vindicandis animo, verſabatur, eaque præteruolare viſa eſt, Deo mentem ad aliud inſtitutum nobilius, & operoſius auocante: cuiuſmodi erat Apoſtolicum, & Clericale, in quo ſuas curas deinceps Auguſtinus, cogitationeſque defixit. Certè qui conferat has facies vitæ Anachoreticæ, & Cœnobiticæ cum illis quæ ſupra lineamenta diximus, comperiet illas duas imagines, hiſce lineis minime reſpondere.

Secundò: animaduerto in hoc ipſo loco vitę rationem Clericalem contineri. Legantur, & expendantur reliqua verba, quæ ſilentio præterita ſunt, ſcilicet in eodem c. 3. de vita Auguſtini, quæ proximè in argumento adduximus. *De ijs quæ ſibi Deus cogitanti, atq; orãti reuelabat, & pręſentes, & abſẽtes ſermonib⁹, ac libris docebat.* Hæc non ſunt propria Cœnobitarũ: & trahunt illa priora, quæ ſunt communia Canonicis, & Cœnobitis, ad inſtitutum Canonicorum, quod complectitur vitam actuoſam, & occupatam in ſalute proximorum. Ex quo patet illum locum nobis fauere, & in rem Clericorum facere. Legenda eſt tota, & coniungenda ſententia, quæ continet genus vtrunque contemplationis, & actionis, & componitur ex moribus, & doctrinis, & vtrumq; teſtimonium, & ex eo ſumptum argumentum conſiderandum. Nec ſatis eſt dicere in Cęnobiis etiam doceri fratres, & libros legi, collationes haberi, & ſacram inſtitutionem frequentari: atque adeo particulam illam *docendi* non eſſe ab eo Cœnobitarum inſtituto alienam: quia iſta quæ hic ponitur doctrina, non erat priuata, & domeſtica intra monaſteria, & pro Aſcetis inſtituta, ſed prodibat foras, & emanabat ad alios extra, & longè diſſitos, cum expreſsè dicatur *Ad abſentes*, & poſtea *libros* cõpoſuit, ac in lucem editos perueniſſe: quod certè non quadrat in Cœnobitas, qui nec prædicabant foris, nec componebant, nec ſcribebant libros, nec in publicum emittebant. Manſit igitur Auguſtinus illo triẽnio in eodem ſtatu vitæ, in quo ſaliàs, & anteà fuerat inchoata Catechumenus in Rure Caſſiſiaco menſes circiter ſeptem, & Romę nonnullos, perfectionis: nec quicquam de vita Cœnobitica, ac ſolitaria, ideſt recluſa in Monaſterijs Cœnobiorum cogitauit. Erat Auguſtinus ex earum genere Columbarum, quæ ſedebant ad feneſtras ſuas promptæ, ac paratæ ad exeundum, et docendum: erat ſimilis columbæ clauſæ quidem in Arca Noe, ſed

emiſſæ

emiſſæ ad portandum ramum oliuæ, vt oleo ſapientiæ libros irrigaret, ac lucubraret, & ita nauigantibus, & naufragantibus ſubueniret. Duo genera fuerunt Cherubinorum: vnum in Tabernaculo Exod. 25. incluſum, ad cuſtodiam Propitiatorij clauſum, & mutuo intuitu contemplationis ſeſe reſpiciens. Hi Cœnobitas figurabant. Diuerſum fuit alterum in Templo Salomonis 3. Reg. 6. collocatum, vbi duo Cherubini ita erant poſiti, vt foras verſi externos aſpicerent, toti intenti ad illos docendos, & erudiendos. Vide quæſo diſcrimen. Illi primi erant ex auro, graues conſiſtebant, affixi loco, interius habitantes, addicti contemplationi: hi ſecundi ex oliua fabricati, ſtudioſi, & litterati, leues, & agiles foras aſpicientes, quò ſuam doctrinam dirigebant, eamque in vſum, actumque reducebant. Horum erat Auguſtinus: totus ex oliua ſpecioſa, quæ in campis naſcitur, & aliis prouenit, & proficit. Primi ergo Cęnobitas, ſecundi Canonicos Regulares ſignificabant.

Prætereà ſatisfacio obiicientibus hoc modo. Si ille triennij ſeceſſus in Monaſterio, & Cœnobio, ac proinde Cęnobitarum fuit, ac in eo Auguſtinus homines regulares inſtituit, ac inter eos vixit regulariter tantùm, minimè præteriret autor diligentiſſimus, & accuratiſſimus Poſſidonius: & iniuriam ei faceret, debitam gloriã ſubtrahendo; imo & falsò poſtea ſcriberet ab eo primũ Monaſterium erectum fuiſſe Hippone Regio, & ibi cæpiſſe viuere ſub Regula Apoſtolica, & Euangelica; cùm iam antea Religiosè, & in Monaſterio vixiſset. Non arbitror eum, qui tam perſpicuè Monaſterium Hipponenſe, & in eo inſtitutionem vitæ Regularis Auguſtini nominauit, ac expreſſit, commiſiſſe vt iſtud prius Monaſterium, & inſtitutum vitæ Catholicæ genus ſilentio præteriret: nec mihi perſuadeo ab eo Tagaſteni patriam Auguſtini tanta gloria fraudatum iri. Adijcio. Si hoc Monaſterium verum fuit, & ibi Religiosè Auguſtinus vixit: quo modo tam citò Auguſtinus illud deſeruit, & diuerſam Religionem amplexus eſt, ſcilicet Canonici Regularis, vocatione ſua prima Cœnobitica derelicta. Inconſtans nimium eſſet ille, & varius; in quem ſi quis eo in deſerto incideret, exprobraret, leuitatem, & illud Ioannes ironicè ingeminaret. *Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Malè profectò audiret Auguſtinus apud Angelum illum Apocalypſis à quo audiret. *Charitatem, amorem, vocationem tuam primam reliquiſti*. Certè ſi tunc vixiſſet Bernardus, alter Auguſtinus, hanc mutationem non probaret, quãdoquidem conſilium quorundam qui ex Cluniacenſi familia laxiori ad arctiorem Ciſtercienſem tranſire volebant improbauit lib. de præcepto, & diſpenſatione non procul à fine: (caret quippe capitulis,) & inter alia *ſuſpectam*, inquit, *habeo leuitatem*. Hactenus de ſolutione difficultatum. Nunc ijs veluti remoris abactis reliquum dicendi curſum proſequamur.

CAPVT III.

S. Auguſtinus Canonici inſtituti Profeſſor, & inſtaurator, imo & Fundator fuiſſe monſtratur.

NOua methodo mihi eſt vtẽdum in hac tractatione. Argumentis abſtinere, ac ſolis teſtimoniis rem

confi-

conficere, quæ fidem oculis faciant, non fucum. Ea exhibeo producta fontibus: in chartam deriuabo: ne quis dum ſectatur riuos deuiet à veritate. Is eſt candor ingenij mei, vt meis dictis nolim haberi fidem, ſed eis quos affero locis, quos cum ego nullo præoccupatus, quod ſoleo, affectu legiſſē, ij me ad verum nec ſenſum vocarunt, traxeruntque antea dubitantem; ac ſpero fore vt eadem ratione lectoribus attentis oculis libero animo legentibus perſuadeant, quod iam mihi perſuaſerunt. Diuidam in tres partes opera, vnde locos eruo. Prima erit vita S. Auguſtini ſcripta à Poſſidonio: Secundà Regula S. Auguſtini. Tertia ſermones duo de vita Clericorum eiuſdem S. Patris: quæ omnia ſunt germana, & propterea fide digna. Loquentur Autores; ego tantum, vbi res poſcet annotatiunculas, ſiue interpretatiunculas adhibebo. Sequar ductum textus: nec ordinem perturbabo, vtar interdum coniecturis, & quæ me mouerint proponam, ſi fortè alios item mouebunt.

§. I.

Ex Poſſidonio. Probatur.

In Præfatione appellat *Auguſtinū Sacerdotem*. *Sacerdotis*, inquit, *optimi Auguſtini:* quo nomine video appellari ab Auguſtino Ambroſium lib. de Beata vita c. vlt. in fine, canente Monica Matre verſum ex hymno Ambroſii decerptum. *Sacerdotis noſtri*, ait Auguſtinus. Conieci vtrunque *Sacerdotē* vocari, quòd neuter ex Ordine Cęnobitico, ſed ex ſtatu Laico ad Epiſcopatum aſſumptus fuerit. Nec enim alius ſtatus interfuit regularis, qui ſi fuiſſet, minimè ſileretur. Lucis coniectura, inquies, ſed nihil tam leue, quod ſuo pondere careat: ac id ego occupaui cum dixi. *Conieci*. Non mouit, quaſi indicando coniecturam eſſe. Adiicio momentum non leue. cap. 1. Poſſidonius loquens de Ambroſio bis eum *Sacerdotem* vocat: *Sacerdos*, inquit, *eximius Ambroſius*: & infra ſui *Sacerdotis Ambroſij*, refer ad *Sacerdotem* noſtrum Auguſtinum. Vtrunque ſic appellat cap. 5. qui non ex cœnobio ad Presbyteratum, nec Epiſcopatū venerat Poſſidonius: ac videtur velle inuere, omnes tres eadem ratione Epiſcopos euaſiſſe. Sin dicas cur tam diſertè, & toties hoc nomine appellarit?

Cap. 4 Auguſtinum *Laicum* vocat, quod vocabulum cadit in tempus antequàm ordinaretur, *cum ſolebat*. Verba ſunt Poſſidonii ab ore Auguſtini accepta, *ab ijs Eccleſijs, quæ non haberent Epiſcopos ſuam abſtinere præſentiam:* atque adeo comprehendit illud tempus, in quo venit Hipponem Regium; venit ergo Laicus, non cœnobita. *Solebat autem Laicus*, inquit Poſſidonius, ne ſcilicet apprehenderetur, & ordinaretur propter inopiam Paſtoris. Tunc autem venit etiam Laicus, quia nihil ſibi timendum putabat ab electione, cùm adeſſet *Epiſcopus* Valerius.

Reiiciet tamen qui legat argumētum, & retorquebit, affirmans eum Cœnobitam fuiſſe: nam ille fuit abreptus, & initiatus, igitur non acceſſit Laicus, ſed dignior, & aptior, vti Cœnobita. Reſpondeo ita veniſſe Laicum, vt iam appareret eum meditari inſtitutum clericale, ac omnibus eius iam propoſitū innotuiſſe per ſigna exercitia doctrinarum, quæ propria Clericalis inſtituti erant; propterea apprehenſus, & electus. Contrà

ſi

ſi foret Cœnobita, cuius ſtatus, & profeſſio ab illis Eccleſiaſticis muneribus alienus, & abhorrens erat; vnde potius arcendus erat, quam inuitandus, quemadmodum ſuo inferiùs loco dicemus. Erat ergo Auguſtinus Laicus; ſed cum quibuſdam lineamẽtis Canonicæ, quod toties commemorauimus, profeſſionis, quæ in vulgus emanabant: propterea eſt apprehenſus, & in Eccleſiam compulſus.

Hic oportet ſiſtere, ac inſpicere cauſas, ob quas Auguſtino iniecta eſt manus, vt vel inuitus initiaretur. Eodem cap. 4. continentur. *Scientes Catholici Sancti Auguſtini propoſitum, & doctrinam manu iniecta eum ad Eccleſiam traxerunt*. Videamus quod eſſet illius *propoſitum*, nempe animum ad ſalutem proximorum propenſum, quem doctrina ſignificabat, & litteris, & libris iam teſtata, quæ propoſito congruebat, non cœnobitico, & recluſo, ſed clericali, & foras errumpenti. Hinc quaſi hominem iuris publici ad ſe pertinere iudicarunt, & quaſi manu conſertum vendicarunt. *Eum ergo tenuerunt, & vt in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt.* Nota: *Ergo*. Propterea quòd videbatur pronus, & aptus ad Clericalia munera, iniecerunt in eum manus. An tute putas, ſi eſſet Cœnobita profeſſus clauſtrum, & ſilentium, eum eſſe apprehenſuros? Male putas rationes, ſi hoc putas. Deinde obſerua: *Vt in talibus conſuetum eſt*, quæ verba non quadrant niſi in Clericos, quos mos eſt eligere, & conſecrare. Abſurdum quippe eſt dicere tales, ideſt Cęnobitas, ſolitos eſſe ordinari. Itaque conſuetudo ordinandi adſtruit ſtatum perſonarum Clericalium. E talibus erat Auguſtinus. Verùm vna mihi occurrit, ne quid diſſimulem, obiectio. Quomodo ſtet hoc propoſitum Auguſtini, hæc mens, hic animus profitendi Eccleſiaſticum Ordinem, ſi ille timebat; & refugiebat conſecrari, ſeque celabat, & ſubducebat, ne initiaretur? imo & tunc cùm fuit arreptus, & initiatus, doluit, & fleuit. Debuerat potius gaudere, quòd voti compos factus eſſet, & quidem honorificè, quòd inuitus cogebatur, non ſe ſponte ingerebat. Alienum hoc erat à propoſito. Accipio obiectum, & ſatisfacio; Nihil hoc de propoſito, mente, animo Auguſtini detrahit. Etenim propoſitum Auguſtini erat iuſtum, & rationabile, ſcilicet recipiendi ſacros Ordines per ordinem, ac paulatim per ſuos gradus more ordinario Sanctæ Eccleſiæ: non autem de repente aſſumi, & extra ordinem, & conſuetudinem ad faſtigium rapi, & tolli. Hic ei modus pro ſua modeſtia diſplicebat. Amabat ordinem. Volebat ire gradatim, & à minoribus ad maiores progredi: & pedetentim incedere, à Subdiaconatu ad Diaconatum: deinde ab hoc ad Presbyteratum aſcendere: Superbum, & inſolens videbatur, ſaltu quòdam ad ſuprema tranſilire. Hoc turbauit mentem, hoc cruciauit animum: cùm præſertim diuinaret ſe rapi ad curam, & regimen Animarum. Addo Poſſidonium querulum de malè interpretãtibus dolorem, & lacrymas Auguſtini: *Cum ille homo Dei maiori conſideratione intelligeret, ac gemeret, quàm multa, & quàm magna ſuæ vitæ pericula de regimine, & gubernatione Eccleſiæ impendere, ac prouenire ſpectaret, atque ideo fleret*. Habeto ſolutionem, Lector quicunque ea obiectione mouebaris. Non de re dolebat Auguſtinus, ſed de modo in-

inſolito, ac violento: nec ſui eum propoſiti pęnituit; ſed aliorum vim reprobauit.

Capite 5. ſequitur. *Factus ergo presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cępit ſecundum modum, & regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*, Fecit quod anteà cogitarat. Peperit fęcunda illa mens, quod iam pridem, ac diù parturiebat *quod votis optarat adeſt*. Nunc vetera illa, quæ tandiù duximus lineamenta, ſuam faciem habent: Canonici Regularis profeſſionem. Ecce Monaſterium: ecce inſtitutum: ecce Regula Apoſtolica coniuncta cum genuina paupertate. *Maximè, vt nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eis eſſent omnia communia*. Solem de mundo tollet, qui hoc teſtimonium ad Cęnobitas detorqueat. Meridies hic eſt impatiens tenebrarum. Multi multis hic perſuadere conantur hoc Monaſterium fuiſſe Clericorum, in quibus nos ſuperius fuimus, qui non paucis, nec contemnendis id argumẽtis probauimus. Sed nunc abſtinemus, & nouis non agemus: vna ratione contenti. Qui, & quorſum Auguſtinus Presbyter ædificaret Monaſterium, in quo ipſe profiteretur, & viueret Clericali inſtituto pro Aſcetis, & Cœnobitis? Hactenus nullum Laicus pro illis erexit; nunc autem Clericus erexiſſet? Acturus erat Clericalem vitam, ac eligeret homines ab ea alienos? Ædificauit Monaſterium futurum ſeminarium Parochorum, & Epiſcoporum, ſicuti poſteà dicemus, ac impleret illud hominibus ad ea munera illis temporibus minus accommodatis, & aliam longè diuerſam rationem vitę profitentibus. *Credat* (vt paræmia vtar) *Iudæus Apella*. *Non ego*. aſſuetus lectioni librorum antiquorum Patrum, verſatus in Cõciliis, & Sacris Canonibus: in quibus non reperio Cœnobitarum Monaſteria fuiſſe ſeminaria Clericorum. Imo contrà inuenio eos ab hoc miniſterio abhorruiſſe, & non niſi inuitos, ac repugnantes conſecratos. Addo iis per Sacros Canones non niſi raro, & ex neceſſitate illa Clericorum officia exercere licuiſse. Incipio ab exemplis à me diligẽter quæſitis in vitis Patrum. Pachomius Archimandrita, veritus eſt præſentiam Athanaſij ſuum monaſterium incuſentis, ne contingeret ab eo initiari. Timuit quidam Cęnobita iuuenis Diaconum ſe fateri coram Ioanne Sanctiſs. Viro Anachoreta, quòd ſui gradus pœniteret, quaſi alieni ab eo, quòd ipſe cum ſociis, qui Cęnobitæ erãt profitebatur inſtituto, & rogante Ioanne eſſe ſe ex illorum gente Clericorum, negauit, vt in eiuſdem Ioannis vita narratur. Quas machinas admouit Epiſcopus ille Sanctus apud Vicum, vt cauſa publicæ ſalutis Abrahamum vicinum Aſcetam presbyterum conſecraret? vti geſta huius referunt? In ſumma Clericorum penuria permiſerunt Patres ſeniores Cœnobiarchæ Scythiæ ordinari vnum ex ſuis cœnobitiis Sacerdotem; is erat Iſaac probatæ virtutis vir, quod *ille audiens* (verba ſunt autoris) *fugit in Ægyptum, & abſcondit ſe*, ac niſi diuinitus proditus foret, & inde vi extractus imponi ſibi manus minimè pateretur. Ita in 2. p. vit. Patr. ſ. 21. Quodque mirandum eſt magnoperè: cùm quidam Epiſcopus Gebulonis inieciſſet manum in Abbatem Mutium, eiuſque comitem diſcipulum, eoſque inuitiſſimos Preſbyteros ordinaſſet: veniam facti ab eis petiiſſet, quaſi violentiam attuliſ-

ſet: ij autem ſic ordinati pudibundi Monaſterio ſuo, redditi deinceps ab altari abſtinuerunt, nec vnquam Euchariſtiam conſecrarunt. ibid. §. 178. Omitto alia. Ac ne quis dicat hæc eſſe ſingularia, non autem communis vſus, aut receptæ doctrinæ, legat exhortationem S. Ioannis Ægyptij initio libri vitas Patrum poſitam, vbi ſic: *Sunt nonnulli, qui videntur ſeculo renuntiaſſe, & curam non adhibent ad munditiam cordis. Et ſicubi fortè, vel audiendo, vel legendo aliquid ſcientiæ acquiſiuerunt, continuò doctores fieri volunt, & docere. Affectant ipſi Sacerdotium, atque immergere ſe conantur Clericatui.* Vbi vides neque Clericatum in Cœnobitas, neque doctrinam publicam, quadrare. Ex longa didici horum Patrum lectione, nimis ijs diſplicuiſſe iſtam doctrinæ rationem, adeo vt modum quandoque excesſerint in vetando ne quis Sacris Scripturis ſe daret, ne quæſtiones altiores tractaret, etſi piæ, ſacræque viderentur; ac ne de ijs interrogantibus reſpondere vellet; quaſi hæc eſſent ab inſtituto Cœnobiticæ vitæ aliena. Quid ergo in hoc Monaſterium Hipponenſe intruduntur Doctores, & Clerici Cœnobitæ, quibus certè vel habitatoribus, peruertitur Cœnobiticum inſtitutum, & Monaſterium euertitur, quòd eo in loco non poteſt conſiſtere, cùm ſit à frequentia ad eremum tranſportandum, atque adeo à fundamentis auellendũ. Non eſt aptum Cœnobitis domiciliũ Clericorum. Alius nidus eſt Columbarum: alius Aquilarum. At ſæpe cum illis eſt diſpenſatum, & commune eſt redditum docendi, & ſacrificandi inſtitutum. Neutrum inficior, ſed nõ ijs, de quibus nos agimus, temporibus. Et quidem, vt anteà factum eſſet, diſpenſatio confirmat morem fuiſſe contrarium: nec ibi Religioſi erant Clerici per diſpenſationem, ſed per inſtitutionem. Præterea illa diſpenſatio vel fuit generalis, vel priuata. Non prima, quia ſolùm à tempore Gelaſij, octoginta pòſt, & eò amplius annis incepit, vti habetur in c. *Priſcis*, & ea quidem non diù tenuit, cum fuerit interrupta, ex c. *generaliter* 16. q. 1. non priuata, quia hæc neceſſitatis erat, non vitæ, aut conſuetudinis. Præterea illa diſpenſatio priuata ob neceſſitatem fiebat erga perſonas graues annis, & plenas canis, qualis reperitur in Decreto, c. *Monachos*. 16. q. 1. confirmata per Gelaſium cap. *Priſcis* 55. d. cùm in Monaſterijs Auguſtini omnes, & iuuenes, & ſenes eà facultate gauderent, ob rationem inſtituti; & apparet in Epiſtola Auguſtini 261. vbi adoleſcens Antonius Lector reperitur, & ſerm. 1. de vita communi Clericorum, vbi Patricius nepos Auguſtini iuuenis Subdiaconus inuenitur: & hic apud Poſſidonium nulla ætatum differẽtia conſideratur. Certè ne ipſam quidẽ S. Benedicti venerandã Religionẽ hanc habuiſſe initio centum propè pòſt annis facultatem conſtat. Nolo inficiari aptos eſſe Cœnobitas ad ea munera obeunda, nam & poſteà rectè obierunt, & hodie ritè obeunt: ſed id eò tamen inficiar illis ex inſtituto conuenire. Aliud eſt momentum in eodem capite, quod trahit ſententiam ad Clericatum: ſcilicet genus Apoſtolicæ Paupertatis, vendendi omnia, & referendi pretium ad commune, & ex illo viuendi, quod in Cœnobitas minimè quadrat, qui omnia deſerebant, & nihil in commune eorum quæ reliquerant, reſeruabant; vnde conſtat illam Paupertatem Clericorum eſſe propriam,

nec

nec ſinere Monaſticam alio tranſiere. Verùm vt ſunt acuti Cœnobitæ, arguunt contra nos obijcientes alium locum Poſſidonij in eadem cura. c. xi. in quo dicit Paupertatem eius Monaſterij eſſe *profundam*. *Continentia*, inquit, *& Paupertate profuuda*. Nec autem aiunt erat diuerſa, & maior illa, quæ permittebat dominium in commune, & minudat prouidentiam Dei, prouiſione communi, quæ deeſſe non poterat, nec mendicationem ferebat, qualis erat Cœnobitica illius temporis: igitur aut non ſibi conſtat Poſſidius, aut illa forma Paupertatis trahit Monaſteriũ ad Cœnobitas. Acumen ineſt obiectioni, non vis. Cui ita occurro. Paupertas illa profunda erat eadem, ac Apoſtolica apud Poſſidonium, quæ quidem *profunda* rectè dicitur, cùm ſit perfecta ſine dominio ullo in particulari, nudo vſu contenta in actu, & exercitio. Nam quid, quæſo, facit dominium illud commune, quod non peruenit ad priuatos? Hi cùm proprio priuantur, pauperes fiunt, & perfectè, atque adeo profundè: quòd ſuum dominium profuderunt: & ad profundam paupertatem deuenerunt. Eſt quippe alia paupertas minus profunda, & minus perfecta, cum dominio ligato, ſed tamen retento, qualis eſt paupertas Patrum Societatis Ieſu, ante ſecundam profeſſionem, qui certè Religioſi Pauperes ſunt. Vnde illa Apoſtolica profunda, & perfecta eſſe apparet. At parua, inquiunt, illa eſt; cùm altera quę vtroque caret dominio proprio, & communi ſola ſit magna, & perfecta, atque adeo profunda. Hoc ego inficior. Parua ne inquam, eſt hæc Paupertas, ac imperfecta quæ retento communi dominio, proprio ſe priuat, & alieno arbitrio viuit, & victitat? Si hæc eſt parua, & imperfecta certè qui hanc profitētur Religioſi omnes Cœnobitæ, qui Mendicantes non ſunt, paruam, & imperfectam paupertatē habent: Imo nullus frater ex Ordinibus Mendicantium magnam, & perfectam paupertatē, præter Franciſcanos noſtros Obſeruantes profitetur, quòd omnes reditus communes habent, etſi nihil proprium poſſideant. Tandem animaduerto Poſſidonium dicere in poſitiuo: *Profūda*, relinquēdo locum comparatiuo *Profundior* & ſuperlatiuo *Profundiſſima*. Maneat ergo prima in poſitiuo gradu firma, & conſtans. Si quæ ſunt aliæ maiores, & profundiores alia ſibi quærant extra hoc Monaſterium domicilia: ne quæſo velint noſtrorum Clericorum Paupertate ditari, & per ſpeciem mendicitatis alienum Monaſterium ad ſe trahere, & ſuum facere, quod quid eſt aliud quam furari?

Cap. 11. eſt quod proximè dicta confirmet. Ait Poſſidonius: *Proficiente verè doctrina diuina ſub Sancto, & cum Sancto Auguſtino in Monaſterio Deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſi Clerici ordinari cœperunt*. Apparet enim, qui in eo Monaſterio viuebant, eos Regularem vitam Canonicam agere, non Cęnobiticam, quando ex inſtituto illo quod profitebantur ad Clericatum veniebant. Itaque erant recepti adoleſcentes, & iuuenes apti ad munus Clericale, & ad id ſe comparabant, quod eorum finis, & ſcopus erat. Eò collimabant lineas inſtituti: omninò ad Eccleſiarum ſeruitium ordinari; à quo multa in Cœnobitæ abhorrebant. *Cœperunt* nimirũ tranſacto tyrocinio, ætate accedente, & facultate. Videor mihi videre Seminarium adoleſcentium Religioſè viuentium, ex quo tanquam

ex Equo, vt ita dicam, Troiano, Eccleſiaſtici Principes ad euertendam hæreſim prodirent. Adnecte ſequentia. *Ex Monaſterio quod per illum venerabilem virum, & eſſe, & creſcere cęperat magno deſiderio poſcere, atque accipere Epiſcopos, & Clericos pax Eccleſiæ, atque vnitas, & cæpit primo, & poſteà conſecuta eſt. Nam fermè decem, quos ipſe noui, Sanctos, & venerabiles viros continentes, & doctiſſimos B. Auguſtinus diuerſis Eccleſijs, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit*. Non ferret hoc verus Cœnobiticus in ſolitudine ſterilis: ſed Canonicus in frequentia fœcundus. Viden *doctiſſimos*? Scholas ſápit vocabulum, non cellas Celliæ, aut ſpelæa Netriæ, aut foueas Thebaidos. Non ibi naſcebantur hi litterati fætus doctrinæ ſtudijs irrigati. Magna erat Clericorum copia apud Auguſtinum, & vbique apud Poſſidonium occurrit. Nuſquam verò Aſcetæ apparent: ceu in ea Africæ parte nulli eſſent. Id coniicio ex cap. 12. Nam ibi narrans Poſſidius perſecutiones Donatiſtarum aduerſus Catholicos, hoc nomine appellat, complectiturque *Epiſcopos, Clericos*, & *Plebes*, quaſi ex ijs ſolis Eccleſia illa Africana Catholica conflaretur, nullo alio Chriſtianorum gradu nominato, qui ſi foret Cœnobitarum, omninò eſſet nominandus. Ait quippe *Epiſcopi cum ſuis Clericis, & Plebibus*. Vbi, quæſo, *Aſcetæ*, vbi Cęnobitę? Intra illud gremium Africæ non erāt. In ſolitudine extra Africam verſabantur. At non erant ſub vno corpore cum Epiſcopis, quòd erant exempti. Nego, nam eo tempore huiuſmodi exemptio nulla erat, ac vt eſſet, certè ſub Auguſtino Patre, ac Fundatore prorſus viuebant, ac ei ſubdebantur: & omninò illi ad Corpus illius Eccleſiæ pertinebant, & cum cæteris in vnum venire debuerunt, ne ſeparati Donatiſtæ viderentur, & Pax illa, quam hic exprimit Poſſidius propria Catholicorum rumperetur. Verum obijcies c. 15. ſocij, & contubernales, & commenſales Auguſtini dicuntur *Fratres, & conſerui*. Sic enim ille. *Ego*, inquit, *& alij Fratres, & conſerui, qui nobiſcum ſunt intra Hipponenſem Eccleſiam cum eodem Sancto viro viuebant*. Fratres autem ſonat *Aſcetas, & Cænobitas*. Aderant igitur hi, non aberant inde. Etenim vox *Fratres* non quadrat in Clericos. Vetus hoc argumentum eſt, quod nonnulli refutarunt; imprimis eruditiſſimus Pennotus, apud quem omnia reperias, quæ huc faciunt lib. 1. à c. 10. vbi rem tam fusè, ac diligenter tractat, vt nihil deſideretur ad ſolutionem. Ego id tantùm mihi aſſumo, in hoc loco nomen *Fratres*, in Clericos quadrare, adeo vt ſi alii loci non ſuppeditarent, ſatis hic eſſet ad id demonſtrandum. Conſtat quippe ex eodem Poſſidonio eo in Monaſterio intra Eccleſiam cum Auguſtino, & ſub Auguſtino, vt ait, Clericos vixiſſe, ac inter eos ipſummet Poſſidium; Sed hi appellantur *Fratres*; ergo Clerici fratres appellantur. Maior patet ex cap. 5. 11. 25. vbi perſpicuè. *Cum ipſo ſemper Clerici vna etiam domo, ac menſa, ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur*. (En imago ſuperioris loci) *Ego Poſſidonius, & alij Fratres, & conſerui, qui nobiſcum intra Eccleſiam cum eodem Sancto viro viuebant*. Erant igitur Clerici. Minor, & conſequentia patent. Dicuntur ergo Clerici *Fratres* apud Poſſidonium.

Cap. 12. duæ ſunt optimæ conie-

ctura.

Digitized by Google

ſturæ. Prima, quòd inter comites, quos ſecum duxerat ad viſitationem, & luſtrationem ſuarum, vt ait, Catholicarum Plebiũ,qui erant *Laici,& Clerici* nullus fuit Cęnobita.Tantùm dicitur *Laicis, & Clericis*. Secunda quòd referendo aliam luſtrationem Eccleſię Colonienſis factam à quodã Epiſcopo è diſcipulis Auguſtini ſic de illo,*Vnus*, inquit, *ex ijs, quos de ſuo Monaſterio, & Clero Epiſcopos propagauerat*. Coniungit Monaſterium cum Clero, vt indicaret eum de Clericis in Monaſterio educatis aſſumptum fuiſſe, quò pateat illud Seminarium eſſe Clericorum, vnde Epiſcopi peterentur, & confirmatur verbis ſubiunctis: *Vtque didicerat pro Pace Eccleſiæ continuo contra illam hæreſim prædicaret*:quæ manifeſtè ſignificant ſcholaſticã eſſe doctrinam, quæ in eo Monaſterio tradebatur.Hoc autem rem continet Clericorum.

Cap.19. legimus. *Speculator à Domino conſtitutus prædicãs,&c.in omni longanimitate,& doctrina, præcipuèque operam dans inſtruere eos, qui eſſent idonei,& alios docere*. Hos Clericos eſſe oportuit, quorum ſemper rationem habuit intentus ſaluti proximorum,& communi vtilitati,quod eius propoſito, & genio, & Magiſterio reſpondebat. Singulis dicebat, quod Timotheo Paulus.*Attende tibi, & doctrinæ*.

Cap.25. inſignis eſt locus. *Cum ipſo*, inquit,*ſemper Clerici vna etiam domo, ac menſa,ſumptibusque communibus alebantur,& veſtiebantur*. Hic apertum eſt,ac illuſtre ſchema Clericalis vitæ toties delineatæ,ac deſcriptæ alijs in locis, vt nemo poſſit refragari. Nota: ſemper Clerici comites indiuidui erant.

Cap.28. Idoneam mihi, & notatu dignam ſuppeditat cõiecturam. Narrans ibi Autor irruptionem barbararum gentium in Africam, ſcilicet Vuandalorum, Alanorum, & Gothorum, & damna, malaque ex ea conſecuta, minutè, & exactè commemorat calamitates omnium Ordinum, graduum, profeſſionum, & quid quiſque ſingillatim paſſus fuerat: cumque cunctarum meminiſſet, ne verbum quidem fecit de Cœnobitarum perſecutionibus, & iacturis; quaſi nulli in iis Africæ partibus eſſent. Legat qui volet: inueniet ciuitates perditas, villas euerſas, ciues expulſos, villanos eiectos,ſynaxes diſſolutas, Sacerdotes expulſos, Clericos effugatos, ſacras Virgines diſperſas,ac continentes diſſipatas. Hymnos diuinos ſublatos, Eccleſias deſtructas, cõcrematas, Sacrificia impedita, Sacramenta interuerſa,officia Eccleſiaſtica abacta, Fideles exactos, partim fame perẽptos,partim ferro trucidatos,ipſos Eccleſiarum Præpoſitos, & Clericos ſpoliatos, miris modis vexatos. Hæc ſubtiliter, ac minutè expenſa,manifeſtè expoſita, diligenter collecta, fusè dilatata, latè commemorata nihil de Cœnobitis continent; altum de illis ſilentium: nempe nulli, nuſpiam inueniebantur; nec enim ſicubi forent effugerent immanitatem perſequentium. Omnia ad Eccleſias, Præpoſitos, Clericos, & Fideles, & Sacras Virgines redeunt. De Religioſis Viris in Cœnobio extra Eccleſiam viuentibus nulla mentio reperitur: non habebant vbi pedem ponerent, proptereà nulla eorum ſcrutati ſunt perſecutores veſtigia. In eodem capite initio eſt, quod faueat ſententiæ noſtræ de Clericali inſtituto: ibi enim.*Recenſuit libros, quos primo tempore conuerſionis ſiue adhuc Laicus,ſiue quos Preſbyter,*

Digitized by Google

byter, ſiue quos Epiſcopus dictauerat. Tres ſtatus numerat Auguſtini *Laici, Presbyteri, Epiſcopi.* Et quidem hos diſtinctè, vt de iis nemo poſſit ambigere. Nomen *Laici* modo diſputantibus relinquo, ſed poſteà mihi iure vendicabo. Tandem vltima coniectura eſt c. vltimo vitæ Auguſtini: vbi eiuſdem dictum refertur. *Poſt perceptum baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos, & Sacerdotes abſque digna, & competenti Pœnitentia exire de corpore non debere.* Ita loquitur perinde, ac in mente haberet Sacerdotes, & ordinem Clericalem, eumque cum reliquæ Eccleſiæ Chriſtianis ſine diſtinctione aliorum graduum commemorat, non quod iſti non eſſent inter Fideles, ſed quod minus ad ſe, quàm Clerici pertinerent. Obuerſabatur ei ſemper ante oculos ſtatus, quem in oculis gerebat, quòd eum inſtituiſſet in Ordine Regularium Clericorum. Hactenus de teſtimoniis apud Poſſidonium.

§. 2.

Vna obiectio proponitur, & ſoluitur.

HÆc huiuſmodi eſt compoſita ex ipſiſmet verbis Poſſidonij c. vltimo. *Clerum,* inquit, *ſufficientiſſimum, & Monaſteria virorum, & feminarum continentium cum ſuis Præpoſitis plena Eccleſiæ dimiſit.* Hic diſtinguit Poſſidonius Clerum, à Monaſteriis virorum. Fundauit igitur Auguſtinus alium ordinem diuerſum à Clericali, ideſt Cœnobitarum, qui Clericis opponantur, profeſſione, & domicilio: imo hi ſoli videntur fuiſſe Regulares, cum de Clericis nihil ſimile hoc in loco dicatur, ceu hi in Monaſteriis eſſent, & Regulariter viuerent, ſed tantùm appelletur *Clerus*, & quidem *ſufficientiſſimus*, quaſi diſperſus eſſet per Eccleſias, & paræcias ad eas adminiſtrādas, & excolendas, nullis Monaſteriis ędificatis ad commune contubernium. Saltem ex his verbis deducitur vltra, & præter Monaſteria Clericorum, quæ ſtatuimus proximè autoritate Poſſidonii, alia fuiſſe Monachorum à S. Auguſtino ædificata, & pro iis factas Regulas, & inſtitutiones. Tale fuit illud quod Petilianus Donatiſtarum Epiſcopus obiicit fundatum eſſe ab Auguſtino, quem idcirco vituperat quòd illud hominum monachorum genus in Africam introduxerit, vt habetur apud Auguſtinum lib. 3. contra Petilianum cap. 40. quem tu locum Achillem dixeris. Agnoſco verba: accipio, & reſpondeo. Primùm meum non eſſe deiicere alios, ſed ſtatuere, ac tueri, & tenere Canonicos Regulares in ſua poſſeſſione, vnde eos expellere conantur aduerſarii. Nolo cuiquam quod aſſumat ei illud detrahere, nolo vt alteri adimatur, quod habet. Non patior exturbari quenquam de loco, quem ſuo occupauerat iure. Liceat per me, bonis auibus Cœnobitis in Africa ſua Monaſteria poſſidere: non licebit autem per me propria Canonicorum Regularium vſurpare: cuiuſmodi ſunt illud primùm quod extruxit Presbyter in Eccleſia, vel coniunctum cum Eccleſia: & illud aliud, quod retinuit in Domo ſua Epiſcopali, quæ omninò Clericorum erant. Cætera non impugno, quia vel permiſit, vel imperauit ædificari, dummodo Auguſtinus ibi non vixerit: nec iis propriam, de qua nunc agimus, Regulam dederit, quemadmodum legimus lib. 8. Confeſſ. cap. 6. apud Au-

guſtinum

Digitized by Google

guſtinum fuiſſe *Monaſterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia ſub Ambroſio nutritore*, qui tamẽ in eo nõ vixit;ſicuti nec Aurelius apud Carthaginem, nec Hilarius apud Pictauiũ, cùm Monaſteria erexiſſent vitam Monaſticam ſunt amplexi. Largiamur hæc primum aduerſariis Canonicorum de Monaſteriis ab Auguſtino Clericorum ædificatis,quamuis hi inuiti aſſentiantur cum ex eo nihil detrahatur aliis. Reſpondeo ſecundùm iuſtè, & aptè illam diſtinctionem Cleri,& Monaſteriorum nihil concludere: quia illa Monaſteria ab Auguſtino dimiſſa, ſi ab eo fundata erant, & inſtituta,non erant Cœnobitarum, ſed Clericorum: ex quibus illud etiam fuit quod Petilianus obiecit: nec obſtare illam diſtinctionem: nam *Clerus ille ſufficientiſſimus*, non tollit Monaſteria Clericorum: ſed tantùm ſignificat Clericos illos, qui actu erant in Regimine Eccleſiarum, & Paræciarum, eaſque adminiſtrabant exercendo neceſſaria miniſteria; qui quidem ex illis Monaſteriis exierant, quæ erant ſeminaria aliorum, vbi alebantur, & inſtruebantur ad Eccleſiaſticas functiones obeundas extra clauſtra Monaſtica, manentibus intra alijs iunioribus, quibus per ætatem, & imperitiam nõn licebat inde exire, donec maturi,& periti eſſent. Imo ex ea diſtinctione colligitur illa Monaſteria eſſe Ordinis Clericalis. Nam cur dixit *Clerum ſufficientiſſimum?* niſi quia Poſſidonius voluit dicere, Auguſtinum, cùm eſt mortuus, prouidiſſe, vt Eccleſiæ miniſtris abundarent, & pro tunc,& in poſterum non carerẽt ſuppetente numero aliorum in Monaſteriis ad idipſum ędificatis: qua ratione Clerus erat *ſufficientiſſimus* tum quia pro præſente tempore non deerat Eccleſiis: tum quia pro futuro deeſſe non poterat, manentibus eiuſdem Ordinis Monaſteriis, qui ſucceſſores ſuppeditarent. Alioqui minimè prouidiſſet ſuo Epiſcopatui Auguſtinus: ſi in iis qui ibi ſeruiebant manentibus nulli ſuperſtites eſſent deficientibus Monaſteriis. Itaque non ſolum exiſtimo probabile illa Monaſteria virorum eſſe Clericalium, ſed etiã neceſſarium, atque adeo concludo illa omninò inſtituti Canonici fuiſſe. Neque alterius Ordinis Monaſteria fundaſse Auguſtinum autumo propter duas rationes. Prima, quia ille erat amantiſſimus Profeſſionis Apoſtolicæ, quã ab initio ſuæ conuerſionis, imo & ante,cùm primũ currendi in via Domini impetũ cepit adamauit, & cogitauit. Secunda quia Auguſtino non erant copiæ, nec facultates ad alia Monaſteria extruenda, nec illorum capax erat Hipponenſis Diœceſis, cui ſufficiebant Clerici duorum aut trium Monaſteriorũ, vnde Clerici maiores peterentur. Video has eſſe coniecturas. Quæro argumentum robuſtum. En illud cap. i v. vitæ huius apud Poſſidoniũ narratur ex illo primo, quod ædificauit Monaſterio plures Epiſcopos, (decem nouit ipſe Poſſidius) multis Eccleſijs Africanis præpoſitos fuiſse: & quidem eminentioribus: vnde patet non indiguiſse magno numero Monaſteriorum,quod ante obſeruaui. Addit, quod caput eſt,Poſſidius, eos omnes Epiſcopos, qui ex illo Monaſterio aſſumpti fuerant, ſimilia, ac eiuſdem inſtituti monaſteria in his quas regebant,Eccleſiis erexiſse. Itaque non ſolùm Hippone, ſed etiam in magna Africæ parte Monaſteria Clericorũ ædificata ſunt,ac ibi Ordo ille viguit,

&

& penè ſolus regnauit. Audiamus Poſſidium *Similiterque, & ipſi ex illorum Sanctorum propoſito venientes Domini Eccleſijs propagatis, & Monaſteria inſtituerunt, & ſtudio creſcente ædificationis Verbi Dei cæteris Eccleſijs pro nobis fratres ad ſuſcipiendum Sacerdotium præſtiterunt.* Quare omnia iſta, & alia quæ ab iiſdem ſunt erecta per illam regionē Africę Monaſteria, fuerunt Ordinis Clericorum Regularium. Nec mihi laborandum eſt in ea quæſtione. Fuerint ne ante Auguſtinum in Africa Cœnobia Monachorum, & quos habuerint Autores? Nam mihi ſatis eſt oſtendere ante Auguſtinum nullum ibi Clericorum Regularium extitiſſe, & quæ erexit Auguſtinus ea eorundem omnia propria fuiſſe, & horum propagationē ab eo initiū accepiſſe. Locus Petiliani, quem obiter ſolui ſuperius non vrget; quia Petilianus illud genus Clericorum Regularium Monachorum nomine appellauit; quòd eos, rectos intra clauſtra, & in communi viuētes, & votis alligatos vidiſſet. Quòd autem Auguſtinus reſponderit, illud vitæ Monaſticæ inſtitutū *toto eſſe orbe notiſſimum*, nihil continet noſtræ aſſertioni contrarium, quia eo nomine intelligi voluit omnē inſtitutionem Religioſam ſub diſciplina Regulari à Laicali, & ſoluta Eccleſiaſtica diſtinctam: qualis erat omnium Clericorum ante Auguſtini ex Italia in Africam aduentum profeſſio. Suadetur quia Donatiſtæ, ac imprimis ii, qui Circumcelliones dicebantur, ſingulari odio Clericos huiuſmodi inſectabantur, & multis modis, mirifque vexabant, & inſidiabantur iis, qui officii cauſa Paræſicas ſuas, ac Plebes luſtratum ibant, vt eos interciperent, & occiderent, quemadmodum ſæpe commemorat Auguſtinus, & hac in vita narrat Poſſidonius, à quo illud habemus cap. 14. *Multoties eos armatos vias per quas incedendum erat obſcdiſſe, vt eum cum ſuo Clericorum comitatu de medio tollerent, ac cum errore fortuito ac felici viarum eorum violentas manus effugiſſe.* Vnde autem odium hoc in Clericos inuexerunt? Scilicet ex inuidia rabie concepta in nouū inſtitutum, quod ſua eos diſſolutæ vitæ arguebat: vnde intoleranda illa ſæuitia oriebatur, quam in eos pręcipuè exercebant. Cæterum nomen *Monachorum* non eſt alienum à Clericis Regularibus, quemadmodum nec *Fratrum*. De quo eruditiſſimè, vt aſſolet, Gabriel Pennotus lib. 1. ſuę luculentiſsimæ hiſtor. tripart. c. 38. & 39. cui nihil à me addiuiſſe exiſtimo. Adiicio pro Corollario. Mirum eſſe in tam longa, & accurata de vita S. Auguſtini ſcriptione nullam penitus de Monachis mentionem Puſſidonium feciſſe, neque domi cum Auguſtino, neque foris in comitatu Auguſtini, nec in eiuſdem funere, ad quod curandum maximè conuenire debuerant: vbique occurrunt Epiſcopi, Sacerdotes, Clerici ſemper adhærent Auguſtino, & ipſe eis, vt vnum cum eo capite in corpus coaleſcant; viuo adſunt, cum eo intra in Eccleſia faciunt, cum eo domi communicant, illum incedentem ſociant, viſitantem Diœceſim comitantur, ægroto aſſident, morienti aſſiſtunt, mortuo parentant. Vbique in Fundo Auguſtini pedem ponunt: & Patris hæreditatem cernunt. Fortè Monachi tam ſui erant obſeruantes receſsus, vt nollent ne iis quidem occaſionibus intereſſe, ne violare leges ſolitudinis viderentur, quarum ſeueriſſimos eſſe

opor-

oportebat. Itaque in media Africa, quà maximè habitabilis, & frequens erat, ſolitarii eſſe voluerunt.

CAPVT IV.

Ex Regula S. Auguſtini ſumitur efficax argumentum.

HAnc qui legat, ſi latinè intelligat ſolis conuenire Clericis penitus comperiet. Ac primum illud genus Paupertatis initio expreſſum: *Non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia communia*: & ſtatim. *Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum: quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat*. Proprium eſt ac genuinum Canonicorum Regularium Auguſtiniani inſtituti, quod Sanctus ſibi ſemper propoſuit, & in quo à primo cęleſti accepto impulſu mentem ſuam cogitationemque defixit; quẽadmodum pluries obſeruauimus. Hoc autẽ non eſſe Monaſticum, & cœnobiticum, quod minus eſſet arctum, & conſectanea, vt aiunt, perfectum, fatentur, & clamant Claſſici maximè aduerſariorum autores; imo & opponunt Canonicis, eos non eſſe veros & germanos Auguſtini filios, quia cõtenti ea forma Paupertatis deficiebant ab arctiori, & perfectiori, quam Auguſtinus propoſuerat Monachis ſuis in primo Monaſterio Hipponenſi conſtitutis, quæ porro dicitur à Poſſidonio c. 11. *profunda*: non illa, inquiunt, facilis, & fluxa habendi dominium in commune, vt antè notauimus, ſed omnibus prorſus modis renuntiando bonis, & facultatibus, vendendo eas, & dando pauperibus, ſeque omni iure ac dominio ſpoliãdo, quæ erat profũda Paupertas Monaſtica, & Cœnobitica. Qui locus in eoſdem Monachos retorquetur. Si hæc Paupertas, quæ abiecto proprio, retinet, & vtitur communi dominio non eſt vti vos dicitis Auguſtiniana Paupertas, ſed alia arctior, & ſeuerior, ac ſicuti appellatis perfectior; cum hæc non contineatur in hac Regula Auguſtini, ſed alia, quæ erat Apoſtolica, ideſt minor, & mollior, ac non profunda, Regula iſta ad vos certè non pertinet: qui non ea eſtis contenti, ſed ad Patres Canonicos Regulares, quibus ea ſatis eſt, quòd ita præcepit Autor Regulæ Auguſtinus, qui eam hoc Regulæ loco magnoperè, ac prolixè commendauit. Non reſpexit vnde digreſſus fuerat, Cœnobita quidam impugnator, cum hoc vſus eſt argumento ad excludendos iſto Monaſterio Canonicos Regulares, cùm ingruens in illud Monaſterium data porta *Profundę Paupertatis*, arripuit ſtatim viam qua in poſſeſſionem iret, nec vidit vnde exiuerat, ſcilicet ex Regula Auguſtini, quæ illud Paupertatis genus præſcripſerat profeſſoribus, vt Apoſtolici inſtituti Paupertatem ſequerẽtur, qualis non erat illa, quam ſibi fingebat impugnator magis arctam, & perfectam, immemor illius, quam Auguſtinus elegerat; & præpoſterè argumentatus eſt hoc modo. Illa Paupertas Monaſterii erat melior, quàm illa Apoſtolica Canonicorum Regularium, ſed illi Monachi erant perfectiores, quàm Canonici Regulares, quorum erat minor, & imperfectior Paupertas, ergo illud Monaſterium erat Monachorum, non Canonicorum. Oppoſitum debuit colligere hoc modo: Quærimus Paupertatem Auguſtinianam, quæ in eius Regula cõtinetur, hæc omnino eſt omnia ha-

Digitized by Google

bendi in communi, ſine proprietate ſingulorum, ergo vbi hæc fuerit, ibi erit Monaſterium Auguſtini. Sed in eo monaſterio inueniebatur ea Paupertas; igitur Monaſterium erat Canonicorum, non Monachorum. Vnde conſentaneum erat Monachos in eo minimè habitare. Non quæritur hic, quæ ſit maior ac perfectior Paupertas; ſed quæritur, quænam ſit Paupertas ab Auguſtino electa & præſcripta ſuis Filiis. Hæc autem erat illa Apoſtolica de dominio in communi, abiecta proprietate, vti habetur in Regula; ergo vbi illa ſeruabatur, ibi erant Filii legitimi Auguſtini. Aduerſarius totus intentus in Paupertatem, oblitus eſt Regulæ, ac ſuis attribuit alterã diuerſam ab inſtituto Auguſtini Paupertatem, & cauſa cecidit: excludens ſuos & introducens alienos per eandem portam, qua volebat ſuos introducere, & excludere alienos.

Secundò expendenda particula illa ſpectans ad orationem, quam proponit cap. 2. diſtinctam, vti aiunt, in mentalem, & vocalem. Hanc ſumimus, quòd prima communis omnium ſit. *Pſalmis, & Hymnis cum oratis Deum hoc retinete in corde, quod profertur in voce. Et nolite cantare niſi quod legitis eſſe cantandum, quod autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur*. Vides hæc vltima verba cantum, & modulationem ſignificare diuerſam à recitatione: ac ſuis locis diſtinctas ambas pſallendi formas continere, ſuiſque notis, ac interpunctis indicari. Miſtum genus ex prolatione ſimplici verborum, & modulatione harmonica vocum concentum artificioſum referentium. Hæc ratio pſallendi non erat Monachorum, ſed Clericorum, Etenim Monachus *Plangentis habet officium*, apud Hieronymum ad Riparium: & habetur c. *Hinc eſt*, c. *Monachus*, cap. *Alia cauſa*. 16. qu. 1. & quidem ſtatus Monachorũ eſt ſtatus Pœnitentiæ, vt declaratur in Synodo Nicena c. *Placuit*. c. *Nemo*. cap. Monachus 16. qu. 1. Propterea grauis autor Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. dicit Monachos deferre coronam *in ſignum Pęnitentiæ*. Quare abhorrebant à cantu Pſalmorum, & Hymnorum ſola nuda, & ſimplici recitatione contenti. Clerici autem, vbi opus erat, pro varietate rerum, & temporum, melodiam exercebant, & modulatis vocum inflexionibus vtebantur ad artis Muſices conformationem: quæ ratio rem maximè continet Clericorum, quia S. Auguſtinus Muſices peritus, & concentus ſuauitate oblectari ſolitus eum inſtituere Ordinem debuit, qui huiuſce harmoniæ capax, & amans eſſet: non verò eum, qui ab ea prorſus abhorreret, & rudi ac naturali ſono ductus, modos illos muſicos, & ſuaues ac diſtinctos pro interualla diſparia ſonos refutaret. Nouerat enim, ac experimento compererat, quanta vis eſſet modulati concentus ad excitandos ad amorem cœleſtium animos, cùm per aures ſuauiter accepti ad intimos cordis, & arcanos ſenſus penetrabant. Audiamus ipſum, hæc dulciter exponentem lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus cõmotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meũ, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis* Probat verò hunc morem cantandi cap. ſequenti. Ac ne exiſtimes præcocem hunc eſſe fructum acerbi adhuc, & immaturi affectus tyronis

tunc

Digitized by Google

tunc militiæ Chriſtianæ parum periti, audi eundem iam prouectæ ætatis, & grauem, & maturum eadem eructantem. lib. 10. Confeſſ. c. 33. dum de voluptatibus aurium diſſerit: & duo hæc ſimul diſces concentum iſtum, de quo agimus, omninò eſſe Muſicum, & meditatum, artis plenum, & ex tonis, numeriſque diuerſis ad amuſſim compoſitum, & affectatum, & ad titillationem aurium cum idoneo delectamento comparatum. De quo, ſuſpicio poſſit oriri, eſſet ne illicitum eo frui propter vehementem ex eo naſcẽtem voluptatem, an licitum ob perceptã animo cœleſtem ſuauitatem. Præbe aures qui legis. *Voluptates*, inquit, *aurium tenaciùs me implicauerant, & ſubiugauerãt, ſed reſoluiſti, & liberaſti me: nunc in ſonis, quos animãt eloquia tua cum ſuaui & artificioſa voce cantãtur, fateor, aliquãtulum acquieſco; non quidem vt hæreã, ſed vt ſurgam cum volo. Attamen cum ipſis ſententiis, quibus viuunt, vt admittantur ad me, quærunt in corde meo nonnullum dignitatis locum, & vix eis præbeo congruẽtem. Aliquando enim amplius mihi videor honoris eis tribuere, quàm decet, dum ipſis ſanctis dictis religioſiùs, & ardentiùs ſentio moueri animos noſtros in flammam pietatis, cùm ita cantantur, & omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſui diuerſitate habere proprios modos in voce, atque cantu, quorum neſcio qua occulta familiaritate excitentur*. Et infra, vt propria colligam. *Tutiuſque mihi, videtur quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſępè mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, vt pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti*. Hic ſiſte. Opponit ſibi iudicium Magni, quem plurimi facere ſolebat, Athanaſii; cui tamen vide quid reponat. *Verùm tamen cùm reminiſcor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo commoueor, non cantu, ſed rebus, quæ cantantur, magnam inſtituti huius vtilitatem rurſus agnoſco*. Concludit. *Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis; magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat*. Planè. Aſſeuerantiùs diceret, niſi obſtaret autoritas Athanaſii. Adduci non poſſum, vt credam Auguſtinum huiuſce ſuauitatis harmonicæ amatorẽ commiſſurum hominibus taciturnis, & muſices inſolẽtibus curam cantandi, ac pſallendi: diſſonumque valde arbitror eſſe conſonos iſtos modos, ac numeros turbandos, imo, & contẽnẽdos alienis & oſſoribus dare. Diſſonaret quippe à ſe, & diſcreparet omnibus fidibus vir, qui ne vna vnquã chorda aberrauit: Imo & aberrãdo acerbi', quã in fidicularũ tormento cruciaretur.

Tertium argumentum mihi ſuppeditant illa, quæ ſpectant ad vitandum conſortium, & aſpectum feminarum, ſubtiliùs examinanda: nam dum vitant, & vetant conſpici ſuadent, & inuitant lectores ad videndum bellè quadrare in Clericos; in Monachos vero, & Cœnobitas non cadere, ſubtracta materia præcepti. Produco cap. 3. quod duo exhibet: exitus è Monaſterio, & euagationes per Vrbem, & Oppida quæ non decebãt illius temporis, & moris Monachos; & collocutiones cũ Laicis, tum viris, tum feminis. Vnde cautio. *Quo itis ſimul ſtate*, nimirum foras, præeunte

ſcilicet ſocio, Lex quã haud dubie sũpſit ex Auguſtino S. Ignatius, indicant enim *viſitationes mulierum*, quibus cautum, & prouiſum de præſentia ſocii. Hoc autem præceptum non erat Monachis neceſſarium, quibus clauſtra non permittebant exire, & vagari, & alloqui feminas vrbanas, externas: cum iis licitum non eſſet, Matres, & ſorores ad ſe venientes alloqui, imo ſoliti erant eas, vel pietatis, vel neceſſitatis gratia ſe ingerentes penitus repudiare. Quorũ exẽplis abundant Vitæ Patrũ, & Prata florida, quę aſſiduè verſo. Nullum in aſpectu, aut colliquio periculum, vbi poteſtas non erat videndi, & loquendi. Secus in Clericis, qui exibant è clauſtris, & viis ſe publicis dabant; vnde occaſiones incedendi, & incidendi in obuias mulieres, eaſq; ſalutandi, & alloquendi. Hinc admonentur. *Quando proceditis ſimul ambulate.* Quin, & illud: *in inceſſu, habitu, ſtatu, in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat Sanctitatẽ.* Frequentiæ iſtæ ſunt, & multitudinis in populo: non ſolitudinis, & clauſtri, in quibus hi occurſus, & concurſus non contingunt. Sed in publico, vel loco, vel Eccleſia aperta, & patente Clericorum. Vnde & extendit legem ad Eccleſiam, infra. *Quando ergo ſimul eſtis in Eccleſia*: quis non videt Clericorum eſſe, non Monachorum? Itaq; & extra, & intra illa ſpatia monaſterii à feminarum præſentia, & aſpectu timendum, quòd ibi periclitabantur oculi, & per illas animæ. Quare opus fuit lege vetare. *Oculi ueſtri, etſi iaciuntur in aliquam feminarum, figantur in nulla.* Nota obiter prudentiam Diuini huius Legiſlatoris. *Neq; enim quando proceditis, feminas videre probibemini, ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt.* Subtiliter diſtinguit inter iactum oculorum, & moram iactorum. Iactus caſum fortuitum, & inuoluntarium, qui caret culpa, Fixio autem cum mora, conſilium, & deliberationem, oblectationemque voluntariam, quæ non caret culpa, ſignificat. Illum permittit Auguſtinus, imò, & largitur: Hanc vetat, & damnat. Non vetabat, ne qua ſi occurreret, videretur; vetabat, ne, ſi qua oculis videretur, in ea oculi figerentur. Errare viſum patiebatur, conſiſtere non ferebat. Caſum admittebat, excludebat conſilium, ne caſus in caſum verteret & oculorum fixio, & cordium eſſet affixio, & confixio. Planè ex occurſationibus, conſpectionibus, & collocutionibus feminarum pericula peccandi exiſtebant. Aſpectus fixus, & deliberatus excitabat libidinem, & libido pruritum; & tenuis illa per oculos admiſſa titillatio animum labe venerea inficiebat. Hæc vſu venire in domibus, in Eccleſiis Clericorum, non Monachorum, quę remotæ à ciuitatibus, ſecluſæ à turbis, procul à frequentia, taciturnæ, ſilentes, vmbrarum potius ſedes, quàm hominum, Pytagoræ, quàm Platonis, vt ita dicam, exedris ſimiliores ad ſolitudinem, non ad frequentiã comparatæ: in quibus non erat locus ſeueræ illi Auguſtini regulæ. Fugiebant non modo feminarum, ſed etiam virorum externorum acceſsus, quò longiùs ab omni ſuſpicione, & periculo diſtarent. Oderant ſpeciem periculi, ne in eo perirent. Qua in re illud ſingulare in vitis Patrum obſeruare me memini. Arcuiſſe eos à ſuis Aſceteriis, & Cœnobiis etiam Pueros, tanta ſeueritate, vt vnus eorum Sanctiſſimus ad id perſuadendum dixerit

in

in publico ſuorum conuentu. *Pueros nō adducatis huc, quia propter pueros in Scythi, quatuor Eccleſiæ, eremus factæ ſunt*. Is erat Iſaac Thebæus. Narratur 2. p. Vit. Patr. titulo de diſcretione. Quàm abhorrerent à fœminis illi, qui pueros exterminabant? Recipiuntur tamen hi, & ſanctè educantur in Monaſterijs Clericorum, vti mos erat apud Auguſtinum, qui ab initio cœleſtis ſui magiſterii adhuc Catechumenus Pueros erudiit, & Chriſtianus inſtituit, & Presbyter inſtruxit, & Epiſcopus informauit: atque adeà alienum ſe ab inſtituto Monachorum oſtendit.

Quartum ſumo ex præcepto moderāte veſtitum. Bis de hoc Auguſtinus. Primùm Reg. 3. *Non ſit notabilis habitus ueſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus*. Deinde Reg. 7. ſic. *Indumēta veſtra ſecundū arbitrium Præpoſiti lauentur, ſiue à vobis, ſiue à Fullonibus, ne interiores animæ ſordes cōtrahat mundæ veſtis nimiùs appetitus*. Quibus verbis denotatur habitus Clericorum; continet quippe veſtium genus ad ſpeciem elegans, munditiei, & nitoris capax, quodque ſit obnoxium ſordibus, atque adeo lauatione indigeat, ne ſordidetur; quale non eſt habitus Monachorum, & Cœnobitarum, præſertim illius temporis, & inſtituti, aſper, & horridus, in quo abſurdum eſſet munditiam, & nitorem quærere. Nota eſt Hilarionis apud Hieronymum in eius vita ſententia: & ſi verò Bernardus ſenſerit veſtes Religioſas, etiam aſperas, & viles, puras tamen, & mundas à ſordibus eſſe oportere, non ideo tamen præcepit accuratè lauari, opera Fullonum adhibita, nec prohibuit nitorem, tanquam oculis placiturum, quæ ſuſpicio procul erat à veſtibus ſuorum Ciſtercienſium, qui vilibus, & aſperis vtebantur, ſine vlla ſpecie nitoris, & munditiæ affectatæ ad oculos alliciēdos: vnde ſuperflua eſſet prohibitio cultus, & nitoris, à quo longe aberant illæ veſtes pannuciatæ. Deinde obſeruo illud dictū Bernardi cadere ſuper indumenta candidi coloris, qualia tum ipſe cum ſuis Reformatę profeſſionis portabat, & hodie portant Monachi Fullienſes in Gallia, & Romæ in conuentu eorundem, vnde exiit Cardinalis Bona, Vir doctrina, & pietate clariſſimus. In hac ergo Bernardi ſententia nihil fundamenti poni poteſt ab aliis Monachis, qui alio veſtium genere vtūntur, ſiue nigro, ſiue pullo, ſiue cineraceo. Quid? quòd Auguſtinus manifeſtè ſignificauit delicatas, & ſpecioſas veſtes ſuorum, cum expreſsè dixit: *Non ſit notabilis habitus veſter*, ideſt cultu, ac ſpecie, elegantia ſpectabilis. Vnde oriebatur cupiditas placendi aſpicientibus: *nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus*. Num hæc conuenire poſſūnt veſtibus Monachorum horrorem quendam & auſteritatem affectantium? Citius tu Æthiopem dealbes, quàm iſtam particulam Monachis eius inſtituti, ac æqui accommodes. Nigrum theta infigendum ei, qui Fullonem adhibere velit. Apage hinc Lebetinos, collobia, è epēdiſes, cucullos, melotes triſte, aſperum, agreſte, horridum indumentorū genus. Pone, adhibe: Linteola, paragaudas, clamydulas puras, chiradicas candidulas, nitidas chlęnas, linteata indumenta, propria Clericorum, quæ cùm ſpeciem, & elegantiam præ ſe ferant, prouocare poſſūnt oculos ad aſpectum curioſum, & per aſpectum allicere videtium animos ad amorem, & mentes, & corda geſtantium ad phi-

philautiam, & cupiditatem placendi, quæ vitia arcere voluit Auguſtinus, cùm dixit: *ne interiores animæ ſordes contrahat mundæ veſtis nimius appetitus*.

Quintum ſuppetit ex lauacro, & Balneis, c. 4. Regulæ. *Lauacrum etiam corpori, cùm infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio Medicinæ. Nec eant ad balneas, ſiue quocunque ire neceſſe fuerit, minus quàm duo, vel tres*. Obſeruo primùm delicatiùs hoc eſſe remedium, quàm pro ſeueritate diſciplinæ Cœnobiticæ: nam mihi in lectione veterum Patrum verſatiſſimo non occurrũt exempla huiuſmodi lauationis proprii corporis, cùm multa occurrant Sanctorum Patrum pedes aliorum lauantium. Parua item medicinæ præcepta inuenio: Abſtinentiæ, & auſteritatis multa. Iam verò mentio balnearum neſcio, an tinniat in illis ſolitudinib⁹, vbi omnia arida, & feruida, & aſſo ſoli obnoxia. Certè alienum erat ille Balnearum, ſiue Thermarum vſus ab ea profeſſione: lauari eos pudebat, qui metuerent ne quã partem ſui corporis nudam viderent. Lauationem ad mortuos pertinere exiſtimabant. Abhorrent ab hac indulgentia Cęnobitæ & Aſcetæ, quòd mitior ſit, & mollior, quàm pro ſua duritie, & aſperitate. Clericorum propria eſt, & quidem Regularium, S. Auguſtini, qui balneas amabat, & frequentabat pro curando corpore, & exhilarando animo, vti apparet lib. 9. Confeſſ. cap. 12. vbi narrat ſe ad balneas confugiſſe, quò mœrori ex Matris Monicæ mortis concepto mederetur. Et fortaſsè Ruris Caſſiſiaci prædio delectabatur, & libenter ibi diſputabat, quòd erant in eo balneæ, quarum ſæpè meminit, & ex quibus exedras fecit. Prouidit autem hoc remedium Clericis, quia vt communi proximorum ſaluti ſeruirent, curare corpora, & morbos arcere debebant. Habenda eſt quippe ratio valetudinis eorum, qui ſe totos, & ſua ſtudia Eccleſiæ dedicarunt: quod ipſum perſuadet hanc eſſe Regulam propriam Clericorum, quibus ea delicatiora promittebantur remedia propter altiorem finem. quem ſibi proponunt, & propter pericula quæ ſolent incurrere, dum aliis conſulunt, & publicis neceſſitatibus inuigilant, & communi ſe ſaluti impendunt. Adeo, vt S. Ignatius, quem ſimilẽ Auguſtino in Regularum prudentia fuiſſe comperio, curam corporis tantopere commendarit, ac indulgentiùs erga eos ſe habuerit, adducta ratione inſerta regulæ, quòd ii erant ad ſuam, & proximorum ſalutem procurandam inſtituti.

Sextum exhibet idem caput Regulæ 4. ſpectans ad Codices: de quibus *Codices*, inquit, *certa hora ſingulis diebus petantur; extra horam qui petierit non accipiet*. Codices Sacra Biblia intelligit Teſtamenti veteris, & noui, quæ eo nomine ſignificari priſcis tẽporibus Eccleſiæ ſolita, vt ex hiſtoriis Traditorum conſtat, & in vitis Patrum apparet. Igitur Regula hæc de Codicibus certo tempore ad lectionem petendis ſupponit Codices publici vſus eſſe, ac expoſitos ad legendum, & frequenter legi, conſulique. Hoc autem erat officij Eccleſiaſtici, & Clericalis non uerò Aſcetici, & Cœnobitici apud quos maior erat cura diſcendi quæ ad propriam perfectionem pertinebant per collationes cum ſenioribus, & exempla vitæ Sanctorum, quàm ad doctrinam proximorum per lectionem ſacrorũ

Co-

Codicum, qui res altiſſimas continebant: adeo vt præcipui Archimandritæ, & Patres vetuerint ſæpè de ſacrarum litterarum myſterijs inquirere, ac iuſſerint ad ſcrutandas conſcientiarum latebras ſe conuertere, ac de rebus ad mores corrigendos, & virtutes comparandas idoneis cogitationes, ſermoneſque conferre; vſi identidem eo ſcripturæ ipſius conſilio. *Altiora te ne quæſieris.* Auertebant ſtudia Aſcetarum ad diſciplinã virtutis capiendam, non ad doctrinam rerum altiſſimarum: exempla inuenies quam plurima in 2.p.libri vitas Patrum ʃ.66.174.175.& poſteà in tractatibus, ſiue capitibus c. quòd *Monachus nihil debet poſſidere* vbi eſt inſignis Abbatis Theodori ſententia c.*de fugienda oſtentatione*, alia Abbatis Ammonis, & c.*de diſcretione duæ*. Altera Abbatis Euagrii, altera Arſenii. c. verò de *Humilitate*, multa, & illuſtra de eadem re documenta ſunt, & quidem ſummorum virorum; Antonii, Copris, Arſenii, de quo ibi narratur; *nunquam*, cùm ad eremum veniſſet doctiſſimus, *voluiſſe loqui de quæſtione aliqua Scripturarum*; aliquando tamen, ſed raro incido in ſimiles codices; interdum comperio, relinqui eos, & vendi, quaſi minus congruos ſtatui Cœnobitico & Aſcetico; ac recolo mirabile illud factum Monachi, qui *Euangelium habens vendidit illud, & eſurientibus dedit pretium dignum memoriæ imitans ſermonem: Ipſum Euangelium vendidi, quòd mihi ſæpe dicebat: vende quæ poſſides, & da Pauperibus.* Ita p.2.ʃ.66. Hoc iterum narratur c. *de eo quòd Monachus nihil debeat poſſidere*. Secus egit cum ſuis Religioſis noſter Auguſtinus à quo permiſſi, & expoſiti erant Codices ad inſtitutionem, & cognitionem rerum diuinarum, quæ in iis continentur: cuius, & intelligentiæ capaces erant, atque adeo eruditi, & ad eliciendam ex ijs doctrinam apti, & tradendam alijs idonei, quæ munia erant, & habebantur a Monachis priſtini æui aliena. Eoq; argumento probatur eſſe Clericalem eorum profeſſionem, cui Codices congruebant. Non inficior tamen, me inuenire in eod. libro Vitas Patrum eadem ſecunda parte. cap. ſiue libro, de Pœnitentia initio, locum ſingularem de Codicibus, quos Abbas Gelaſius cùm haberet priuatim iuris, & vſus publici fratrum fecit. *Et poſitus*, inquit, *erat Codex in Eccleſia, vt qui vellet de fratribus legeret, in eo*. Continebant autem *duo Teſtamenta Vetus. & Nouum.* Vides exemplum ſimile huic Regulę Auguſtini. Quis autem ille eſſet Gelaſius, & cuiùs inſtituti, et cuius Eccleſię præfectus, cuius Cœnobii Abbas, non vacat inquirere intento curis maioribus. Quod autem animaduerſione dignum puto illud eſt. Antiquis illis Patribus nihil antiquius fuiſſe, quàm lectionem & recitationem Pſalmorum, & hanc partem Scripturæ in pretio habuiſſe, quod eſſet eorum profeſſioni accomodata; & propriè monaſtica Apparet hæc inſtitutio lib.2.per quatuor capita à cap.16. & 20. et lib.5. Palthunii, ac in primis in libello de laude virtutum c.vltimo in Epiſtola S. Macharii, in quo eſt illuſtre encomium Pſalmorum: ex quo decerpo hanc particulã illuſtrem, eaque Regulę coronidem impono. *Non opus eſt, vt per diuerſos libros animo diffunderis; in Pſalterio ſolo habes materiam legendi vſque ad obitum vitæ: in quo inuenies Prophetas, Euangelia, & Apoſtolos; omnes libros diuinos ſpiritualiter, atque intelligibiliter ex parte tra-*

ctatos

ſtatos, & deſcriptos: & priorem, atque ſecundum aduentum Domini ibi inuenies prophetatum: Incarnationem quoque, & paſſionem, & reſurrectionem, atque Aſcenſionem Dominicam: & omnem virtutem diuinorum dictorum inuenies in Pſalmis, ſi intima mente perſcruteris, & ad medullam intimi intellectus per Dei gratiam perueneris. Quibus gemina ſunt ea, quæ ipſemet Auguſtinus ſcribit in Præfatione in Pſalmos, vt cùm neuter ab altero acceperit, vterque à S. Spiritu didicerit. Hactenus de Regula.

CAP. V.

Duo ſermones de communi vita Clericorum eandem ſententiam continent.

Ex Sermone 1.

SVmo quæ in rem faciunt, eaquè accuratè expendo. Prima eſto illa poſt initium narratio: *Elegi in domo Dei mei abiectus eſſe magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis qui diligunt ſeculum ſegregaui me: ſed eis qui præſunt populis, non me coæquaui. Nec in conuiuio Domini mei ſuperiorem locum elegi, ſed inferiorem, & abiectum, & placuit illi dicere. Aſcende ſurſum. Vſque adeò autem timebam Epiſcopatum, vt quoniam cæperat eſſe alicuius iam momenti inter Dei ſeruos fama mea, in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illò accederem cauebam*. Hæc ſignificant Auguſtinum ſtatum quendam vitæ medium inter communem hominum mundanis rebus deditorum, & alienorum à cœleſtibus curis, & Monachorum Deo per vota ſeſe conſecrantium, & à cæteris remotorum elegiſſe: talem vt intra ſeculum manens, tamen ad Eccleſiaſticum accederet, eſſetque ordinis Clericalis, capacis aſcendendi ad Parochias, & Epiſcopatus, inferioris quidem conditionis, & minimè paris intra eundem ſtatum, at infra culmen ad quod ordinatus erat, in quo eſſe, ac ſtare poterat ſine ambitionis, & ſuperbię periculo, inter minores Clericos, recuſaret autem peruenire ad ſummum, & eminere, ac Principibus coæquari. Quod perinde eſt ac dicere voluiſſe manere in Clericali ſtatu minorem Clericum, & ibi degere in minoribus conſtitutum. Vnde ad Præſules, & maiores poſſet aſſumi, et illis, aliquando coæquari. Conſtat de ſtatu, et conditione Clericatus, et profeſſione vitæ Clericalis, et Eccleſiaſticæ inchoata, et imperfecta. Habilis erat, et aptus ex vi inſtituti, ad eundum per gradus ad faſtigium. Hinc ei timor iniectus ne quando arriperetur ad ſummum, propterea ſe ab Eccleſiis, vbi non erant Epiſcopi abſtinebat. Ex quo timore colligitur eum illius ſtatus eſſe, qui cum ea dignitate congrueret, et ad illam tenderet: hic autem non erat Aſceticus, nec Cœnobiticus, vti liquet, ſed Clericalis. Iuuant ſenſum ſuperiora verba: *quod eſſe potui, nec uolui: nec tamen quæſiui quod ſum*, loquitur quippe iam Epiſcopus, ideſt, contentus gradu minori; me continui, nec ambiui maiorem, ad quem poſteà ſum promotus. Initiatus quidem erat ſacris Auguſtinus. Sed primis, et inchoatis, abſtinens reliquis, in quibus eſſe poſſet, ſi vellet. *Eram*, inquit, *in conuiuio Eccleſiaſtico deſtinato* ad Sacram menſam Euchariſticam cum veſte nuptiali, ſed non amabam primos accubitus in Cœna Dominica, recumbebam in nouiſſimo loco, vnde me tamen Deus vocauit, et iuſſit ſurſum aſcendere dicens. *Aſcende*

ſupe-

ſuperius ad Presbyteratum, & Epiſcopatum *Placuit dicere Aſcende ſurſum*: Timebam ne ad faſtigium compellerer, quoniam ea de me erat hominum exiſtimatio vt dignus eo faſtigio viderer. Aptum ſe tum gradu, tum fama apud populum eſſe comperiebat. Inde timor, vt manu iniecta raperetur. *contigit venire Hipponem, & apprehenſus Presbyter factus ſum.* Iam ergo venerat initiatus, & in ordine Clericali, inferiori tamen, conſtitutus. Ex hoc promotus ad ſacerdotium. *Per hunc*, ait, *gradum perueni ad Epiſcopatum*. Clericatum iſta ſonant, & continent & Monachatu diſſonant, qui certè erat ab his Ordinibus, & gradibus, iis maximè temporibus, alienis, quemadmodum ſupra oſtendimus.

Secundum obſeruo: quod ſpectat ad fundationem Monaſterii, de quo ſupra cum Poſſidonio. *Veni*, ait, *ad iſtam ciuitatem propter vidēdum amicum, quem putabam me poſſe lucrari Deo, vt nobiſcum eſſet in Monaſterio. Non attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam, niſi cum ijs indumentis, quibus eo tempore veſtiebar. Et quia hic diſponebam eſſe in Monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto, & voluntate mea. Senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium. Cæpi boni propoſiti fratres colligere, compares meos, nihil habentes, ſicut nihil habebam, & imitantes me: vt, quomodo ego tenuem paupertatulā meam vendidi, & pauperibus erogaui, ſic facerent & illi, qui mecum eſſe voluiſſent, vt de communi viueremus. Commune autem nobis eſſet magnum, & vberrimum prædium ipſe Deus*. Hic certa iudicia ſunt vitæ Canonicæ Regularis, ſemotæ à Cœnobitica. Primum aduentus Hipponem cauſa lucrandi amicum, trahendo illum ad vitam Religioſam in Monaſterio, quod ibi ædificare diſponebat: ait enim *hic cum fratribus*; venit autem, vt apparet, in comitatus, & vulgari veſte indutus, non autem notabili, & Aſcetica, quæ non erat conformis inſtituto, et voluntate Clericali, cognito à Valerio. Si verò Auguſtinus Tagaſte iam eſſet Cœnobita, inuitaret eo amicum, vel ipſum eò perduceret. Non erat ergo antea Cœnobita. Quod ſi ſecum fratres ſocios tuliſſet, non diceret: *Cæpi boni propoſiti fratres colligere*, Hippone ſcilicet degentes, qui non erant profeſſiones Monaſticæ, nec enim ii tunc erant in iis Africæ partibus, ſi autem eſſent ante Auguſtinum eos ibi iam tunc inueniſſet. Excludit igitur hæc particula tum Religioſos Tagaſtenſes, tum Hipponenſes ante ædificationem huiuſce Monaſterii: cùm præſertim Poſſidonius dixerit. *Factus Presbyter, Monaſterium mox inſtituit: & cum Dei ſeruis cæpit viuere ſecundum modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam*. Vnde etiam liquit non fuiſſe anteà Cœnobitam Auguſtinum in aliquo Monaſterio, ſiue Tegaſte, ſiue alibi conſtituto. Sequeretur enim deſeruiſſe illum, quod ſupra obſeruauimus, primam ſuam profeſſionem, & ad aliam manſiſſe, quod non eſt credendum de Auguſtino. Nouum ergo Monaſterium illud ac primum, & noua in eo ac prima profeſſio Auguſtini fuit, haud dubiè Clericalis. Venit itaque Hipponem Laicus Auguſtinus.

Supereſt reliqua pars ſermonis, quæ tota uerſatur in aſſerenda paupertate Apoſtolica, relicto dominio proprio, bonis in commune collatis, quæ pars confirmat dicta: nam

ſi fratres, qui cum Auguſtino antea erant, aliam formam Paupertatis ſequebantur, aut eam nõ conſeruarent, aut relinquerent obiurgarentur acriter ab Auguſtino, quod à propoſito priori deficerent, & mutarent inſtitutum. Ex quo fit conſequens nec illos, nec Auguſtinum aliud genus Paupertatis fuiſſe profeſſos, quàm hoc vnum Apoſtolicum, & Clericale; neque aliud agnouiſse.

Ex ſecundo ſermone.

Totus hic ſermo clamat pro Clericatu. Silet de Monachatu. Id mirabile eſt, cùm de Monaſteriis nõ paucis diuerſis in locis, à diuerſis hominibus ædificatis commemoret, nullum non eſſe ad profeſſionem Clericalem, ſecundum inſtitutum Paupertatis Apoſtolicæ, referendum. Ac initio ſermonis illius fit repetita, & expreſſa mentio. Sonant omnia Regulam Canonicorum, non Cœnobitarum. Hic ſigillatim nominãtur Monaſteria Auguſtini Hipponenſe, Seueri Mileuitani, Leporii Presbyteri, Viri, vt ait Auguſtinus: *Natalibus clari, & apud ſuos honeſtiſſimo loco nati*, cum aliis Eccleſiis, memoriis, Xenodochiis: in quibus Paupertas illa Apoſtolica vigebat; quod mihi, vt ſuperius dixi, perſuadet, nullum aliud Auguſtini æuo in illis Africæ partibus, niſi Clericalis inſtituti extitiſſe. Manifeſtè autem patet ex contextu ſermonis, Auguſtinum in ſua Eccleſia iam Epiſcopum Religioſè cum ſuis vixiſſe, & formam illam Paupertatis traditam ab Apoſtolis ſeuerè obſeruaſſe, eiuſque vindicem acerrimum ſe geſſiſſe. Decerpo nonnulla: paulo poſt princ. *Cum Auguſtino Epiſcopo ſic viueret omnes cohabitatores eius, quomodo ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum*; quod ille dictum veriſſimum eſſe affirmat, eoque negantes reprehendit, & confutat. In medio ſermonis. *Viuunt nobiſcum in ſocietate communi*. Et infra de Leporio illo nobili iuuene. *Leporium inopem ſuſcepi; non quia nihil haberet, ſed quia iam fecerat, quod lectio iſta perſuadet.* Scilicet Actorum Apoſtolorum, quæ initiò ſermonis præceſſerat: & ante finem. *Nemo det byrrhum, vel lineam tunicam, ſeu aliquid niſi in cõmune: de communi accipiam mihi ipſi, cùm ſciam commune me habere velle, quicquid habeo*. Et poſtea. *Ecce dico, audiſtis: Qui habere voluerit proprium, & de proprio viuere, & contra noſtra iſta præcepta facere, parum eſt, vt dicam, non mecum manebit, ſed nec Clericus erit*. An non vides perinde apud Auguſtinum eſſe deſciſcere ab illa profeſſione Paupertatis, atque ad ſtatum ſecularem tranſire? Ex quo etiam deduxeris, Amice Lector, veriſſimam illam eſse theſim ſuperius poſitam: Omnes Primitiuæ Eccleſiæ Clericos Regularis fuiſse.

Afferamus tamen aliquod peculiare argumentum. Illud exhibet veſtitus Pontificalis Auguſtinus: cuius certè inuicta vis eſt. Etenim ille cùm eſset Epiſcopus induebatur de communi veſtiario, & nihil in habitu à cęteris diferre volebat. Conſtat ex textu ſermonis. *Nemo mihi det byrrhũ, vel lineam tunicam, ſeu aliquid niſi in commune: de communi accipiam mihi ipſi, cum ſciam cõmune me habere velle quicquid habeo*. Ac reiectis veſtibus pretioſis. *Talem*, inquit, *debeo habere, qualem poſſum, ſi non habuerit, fratri meo dare*. Æqualitatem profitetur. *Qualem poteſt habere Presbyter, qualem poteſt habere decenter Diaconus, & Sub-*

Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis mihi meliorem dederit, vendit; quod & facere ſoleo, vt quando non poteſt veſtis eſſe communis, pretium veſtis ſit commune. Perſpicue dicit veſtitũ ſe more Clericali. Qualis verò eſſet habitus Clericalis, notius eſt, quàm vt probari ſit opus, & hic viſitur. Ecce *birethus, & tunica linea*, id eſt veſtis illa oblonga lacernæ ſimilis, quæ apud Clementem Alexandrinum *Epheſtis* dicitur lib. 2. Pædagog. cap. 4. quem Pontius Diaconus in vita Cypriani *Laceram* vocat, & loco *Metaſtir* Cœnobiticæ veniebat, teſte Caſſiano lib. 1. de inſtitut. Renunt. cap. 7. Cuius fit mentio in Concilio Gangrenſi Can. 15. relato c. *Si quis virorum* 30. complectebatur totum corpus vnde opponitur Pallio, quod totum corpus non operit. Materia erat arbitraria interdum vilis, interdum pretioſa: vt ex hoc loco Auguſtini colligitur. Hac Clerici vti ſolent, quod oblonga, & ad modeſtiam cõpoſita; quamuis etiam communis eſſet laicis præſertim hyemali tempore ad arcendum frigus, & pluuiam. De tunica linea minor eſt dubitatio quæ appellari ſolet in Bullis Pontificiis Cotta, Rochetus, Camiſia Romana, eaque proprius habitus Clericalis, vt patet in Bulla Pii IV. in Cauſa præcedentiæ inter Canonicos Lateranenſes, & Monachos Caſſinenſis. Hæc autem eſt præſtantia Ordinis Canonicorum Regularium, quòd Rochettum, ſiue veſtis linea, quod eſt in aliis Clericis ſacer, & non vſualis habitus, ſit in illis ordinarius, & vſualis. Hoc veſtitu lineo vſi olim Sacerdotes, & Leuitæ autore Gratiano d. 21. initio, & Durando in Ration. diuin. off. lib. 2. c. de Sacerd., & Apoſtolis, teſte Nicolao de Lyra in c. 6. Apocal. vbi ait vocari ſolitos Apoſtolos *Viros Dealbatos*. Hoc induebatur Auguſtinus, ac illius Clerici in ſuo Monaſterio Hipponenſi, etiam ante Conciliũ Chalcedonenſe, in quo ſtatuitur, vt idem ſit habitus Clericorũ contubernalium Epiſcoporum; ac eorum in quorum ſunt contubernio, Epiſcoporum: vt hoc animaduertam, & obiter, modeſtè tamen, corrigam locum eruditiſſimi Pennotti exiſtimantis Concilium Chalcedonenſe fuiſſe ante Auguſtinum celebratum cum poſt eius obitum ſit, Leone I. Põtifice, vide Pennotum lib. 1. c. 24. nu. 4. vt mirum ducam tantum, tamque vigilantem autorem, cum bono Homero dormitaſſe. Æquius eſt, vt à me ille quem amo, & colo, quàm à quoquam alio de leui lapſu Chronologico extra hiſtoriam Auguſtini, & ſui Canonici Ordinis, in qua nunquam opinor labitur, amice & comiter admoneretur. Non pauca & me debere fateor: ac deberem locum iucundiſſimum de lineæ veſtis Auguſtini vſu, quem iis affert num. 6. niſi eum multo anteà, quam apud eum legitur, in Auguſtino meo inueniſſem. Quae enim, Lector, putes me, quæ Auguſtini ſunt propria, ab eo emendicare. In 2. tomo Epiſtolar. Auguſtini inter eius Epiſtolas reperitur vna ad Sapidam Virginem Sacram, quæ eſt 248. in qua fit mentio de tunica, ſanè linea, quam ab illa ad ſe miſſam dono Auguſtinus accepit. Fecerat eam pro fratri ſuo Diacono Sapida, quo mortuo ſtatim Auguſtino nouam, & recentem, & intactam conſecrauit. *Accepi*, inquit Auguſtinus, *quod de iuſtis & pijs laboribus manuum tuarum me accipere voluiſti, ne te grauius contriſtarem, præſertim quia hoc ipſum tuum non paruum deputaſti eſſe ſolatium; ſi eam*

Digitized by Google

quam germano tuo Sancto Dei miniſtro feceras tunicam, ego induerer, cùm iam à terra morientium recedens nullis rebus corruptibilibus indigeret, feci ergo, quod deſideraſti, & qualecunque hoc exiſtimaueris, vel quantulumcunq; ſolatium tuo ergo fratrem pectori non negaui. Miſſam abs te tunicam accepi, & quando hæc ad te ſcripſi, eam me veſtire iam cœperam. Quod autem Diaconus eſset Frater ille Sapidæ, liquet ex ſequentibus. *Eſt quidem materies lachrymarum, quod germanum dilectorem tuum, teque plurimum pro tua vita, & Sacræ Virginitatis profeſſione reuerentem Diaconum Carthaginenſis Eccleſiæ non vides, ſicut ſolebas intrãtem, & exeuntem, et in ſui officij Eccleſiaſticis ſtrenuitate verſantem, & honorifica illa ab eo nõ audis, quæ tuæ germanitatis ſanctitati morigero, pio, & officioſo impendebat affectu.* Et in fine, *veſtior (quoniam ille non potuit) ea veſte, quam fratri texueras.* Non recuſabat pro ſua humanitate Chriſtiana Auguſtinus munera ſibi à piis, & religioſis feminis officioſè miſsa. Legimus enim Epiſtola 179. recepiſse eum *apophoretum* à Proba, & Iuliana occaſione velationis Virginis Demetriadis eum nuncio ſimul oblatum. *Velationis*, inquit, in clauſula ſuarum litterarum, *apophoretũ gratiſſimè accepimus.* Hæc Parerga ſunt. Illud inſtituti proprium: Auguſtini Pontificis habitum omninò Clericalis Canonicorum Ordinis extitiſse.

CAPVT VI.

Dubia quædam mouentur, & nonnulla obiecta ſoluantur.

PRomea, quam ſummam fateor eſse in legendis Auguſtini, & expendẽdis operibus, diligentia, nihil nõ minutatim diuido, ſeorſim conſidero, lentè diſcutio, moror, expendo, & cautè, ac ſedulo ad alia alibi ſcripta refero, & inter ſe accuratè confero, vt videam an conſonent, an diſſonent, ne quid me fallat ſtudentiſſimum doctrinæ eius tum intelligendæ, tum exponendæ, tum euulgandæ. Quod ſanè præſtiti in controuerſiis Scholaſticis, haud dubio Lectorum fructu, & vtilitate Academiarum, quibus puram & germanam Auguſtini doctrinam à Caluiniſtarum, & quorundam Baianorum, Ianſenianorum, Noriſianorum ſordibus repurgatam propoſui. De quo plerique graues huiuſce ætatis Theologi mihi ſunt, & verbis, & litteris gratulati. Quorum inter iudicia illud palmare duco, quòd ſit Eminentiſſimi Principis Cardinalis Gregorii Barberigi Viri nobilitatis ſplendore clariſſimi, doctrinæ luce ſplendidiſſimi, virtutis luminibus fulgentiſſimi, innocentia vitæ commendatiſſimi, morum ſanctitate præſtantiſſimi, rerum diuinarum humanarumq; peritiſſimi, qui lectis nonnullis ſcriptis de doctrina Auguſtini meis, ea vehemẽter probaret, & cùm admiratione dixit, velle ſe cum eſſet vacuus ex me quid de controuerſiis, quæ tum Romæ maximè agitabantur, Fidei, & de ſenſu Auguſtini agebatur aliis alia ſentientibus, ſentiret ille, ac traderet audire. Idque ſemel coram me magno cum meo pudore facturum ſe recepit, quod minus otii ad legendum totum Auguſtinum in tantis occupationibus ſupereſſet.

Seruabo ſollenne meum. Dicam perſpicuè, & candidè quæ me mouent.

§. I.

Dubium, & obiectum Primum.

Primum eſt de ipſo Monaſterio, quod

quod dixi ab Auguſtino ſimul ac factus fuit Presbyter, ædificatum. Duo circa hoc dubia occurrunt. Alterum quòd de eo Monaſterio ſileat Auguſtinus in ſermonibus de vita, & habitu Clericorum: & illius ſolum mentionē faciat, quod inſtituit, & in quo vixit iam Epiſcopus in ſua domo Epiſcopali, vel Eccleſia. Contrà vero Poſſidonius meminerit de illo primo quod ædificauit Presbyter, de ſecundo autem, quod Epiſcopus erexit, omninò tacuerit: vel certè ambo ita cōfuderit: vt diuerſitas non appareat. Turbauit hæc quæſtio multos, & magni nominis ſcriptores: qualis eſt Baronius, qui ſibi omninò perſuaſit, Poſſidonium memoria lapſum fuiſſe, & prioris oblitum eius loco ſecundum poſuiſſe. Ita tomo 4. anno 391. nu. 25. Nec verò defuit ratio dubitandi cum Poſſidius dicat, illud Monaſterium ab Auguſtino ędificatum, non in Horto à Valerio ad id ſibi donato, vt ait Auguſtinus, ſed in Eccleſia, quòd erat Epiſcopale, ſitum habuiſſe. De qua nota grauiter & acerbe cum Baronio expoſtulat Pennottus lib. 1. c. 13. Hac in re mihi poſt accuratiſſimam locorum inter ſe, tum Poſſidii ſecum, tum eiuſdem cum Auguſtino collationem factam duo videntur: alterum duo monaſteria diſtincta fuiſſe: alterum & ſi illud vnū ſolum fuerit multo ex eo magis confirmari noſtram ſententiam, illud non Monachorum, ſed Clericorum fuiſſe. Primum oſtendo ex verbis Auguſtini ſerm. 1. de vita Clericorum. *Presbyter factus per hunc gradum perueni ad Epiſcopatum, & quia diſponebam eſſe in Monaſterio cum fratribus, cognito inſtituto, & voluntate mea beatæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc eſt monaſterium.* Ecce Monaſterium. Vita in eo Apoſtolica cum ſuis Auguſtini patet ex ſequentibus. *Cepi boni propoſiti fratres colligere, compares meos nihil habentes*: addit *vt in commune viueremus*. Concordant hæc penitus cum verbis Poſſidij cap. 5. *Factus ergo Presbyter Monaſterium Clericorum mox inſtituit, & cum Dei ſeruis viuere cepit ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam*. Ne ouum quidem ouo magis eſt ſimile. Gradum ad Epiſcopatum faciamus: alterum Monaſterium perſpiciemus, ab hoc omnino diuerſum, quod Presbyter fundauit, & incoluit: & vnà cum eius extructione cauſam cur ſit de nouo extructum inueniemus. *Perueni ad Epiſcopatum, & vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus, ſiue tranſeuntibus: quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceror: ſi autem conſuetudo iſta in Monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet, ideo volui habere in iſta domo Monaſterium Clericorum. Ecce quomodo viuimus*. Proponit eandem formam viuendi Apoſtolicè, qualis erat primis Monaſterii deſcripta à Poſſidonio proximè c. 5. Repetuntur hæc ſæpe ſerm. 2. Certè *Omnia ibi, in hoc ſecundo monaſterio, Auguſtini ſunt communia*. Iterum. *Viuunt nobiſcum in ſocietate communi*. Rurſum *Leporium inopem ſuſcepi*. Demum: *quod commune erit diſtribuatur: cum ſciam commune me velle habere quicquid habeo*. Indubitatum igitur eſt duo Monaſteria Auguſtinum ædificaſſe. Vnum prius cùm Presbyter: alterum poſteriùs cùm Epiſcopus eſſet. At Poſſidius non meminit, niſi vnius primi ædificati in Eccleſia; hoc autem erat illud ſecundum. Nec vero (nomine aduerſarij dico) Poſſidius facta narratione

de

de primo, mentionem ullam poſtea fecit de alio Monaſterio. Diuertent quippe narrationem ad Auguſtini doctrinam, & prædicationem, & conflictationes, ac diſceptationes cum hæreticis, & alia geſta in communem Catholicæ Eccleſiæ vtilitatem: totus in hoc intentus nullius alterius Monaſterij meminit, quàm illius vnici cui attribuit locum Eccleſiæ propriũ ſecundi, ac eò retulit quæcunque ad vitam Auguſtini, & acta domeſtica pertinebant; quod non potuit niſi vacillantis memoriæ vitio tribui: incogitantiam mallem dicere: nec mirum eſt homini digredienti ad alia ſumma, & honorifica de Auguſtino, quibus magnoperè oblectabatur, ſcribendo obliuionem irrepſiſſe. Dãdum hoc eſt amori, & reuerentiæ erga ſuum Parentem, & Magiſtrum Auguſtinum. Felicem obliuionem, quæ excuſat, imo & cohoneſtat incogitantiam. Hac ratione largirer Baronio notam iniuſtam Poſſidonio, ne aduerſarium habere velle viderer. Verùm non licet mihi per veritatem, nec per honorem Poſſidonii hac in re illi conſentire. Itaque nego immemorem ſui fuiſſe Poſſidium: affirmo minus in eo legendo diligentem fuiſſe Baronium. Quem tamen haud temerè iudicaſſe video, vt tanti viri honori de Catholica Eccleſia benè meriti conſulam; ac ſi mitiùs ille cum Poſſidonio ageret, fortaſſis ne hac quidẽ notula eum afficerem. Igitur Poſſidonins, & ſi verbis non admodum diſtinxerit Monaſteria, ſatis ea narrando geſta Auguſtini diſcriminauit. Primùm cap. 7. mentione facta Epiſcopatus Auguſtini ſignificat amplificationem domicilii, doctrinæ, autoritatis, vtilitatis, propagationis, quæ indicia ſunt noui, & amplioris monaſterii, cap. 9. ait. *Epiſcopatu ſuſcepto multò inſtantiùs, ac ferventiùs maiori autoritate.* cap. 11. *Proficiente vero doctrina diuina ſub Sancto, & cum Sancto Auguſtino in Monaſterio Deo ſeruientes Eccleſiæ Hipponenſis Clerici ordinari cæperunt.* Iſtud Monaſterium fundatum ab eo iam Epiſcopo, patet ex geſtis, & illa verba *cæperunt ordinari Clerici* Eccleſiæ Hipponenſis, cohærent cum ſequentibus: *ex Monaſterio, quod per illum, & eſſe, & creſcere cæperat;* quæ manifeſtè exprimunt nouum, & aliud fuiſſe Monaſterium à primo; quod multò anteà cœperat, eratque, in quod non quadrat *& eſſe cæperat*, cũ iã fuiſset, de quo ſi loqueretur Poſſidius dicere debuiſſet *quod creſcere cæperat;* ſolummodò. Cõfirmatur ex eo quod dicat *ſub Auguſtino, & cum Auguſtino.* Supponendo in eodem iſto Monaſterio Auguſtinum habitaſse, quem conſtat non habitaſſe in alio primo quod reliquerat quia non erat aptum ad hoſpitium venientium ad Auguſtinum, quemadmodum ex ipſo audiuimus ſermone 1. de Vita Clericorum: quam *hoſpitalitatem debebat Epiſcopus exhiberè*. Hanc autem Poſſidonius non ſemel exprimit ſignificans aliud eſse Monaſterium. cap. 22. *Hoſpitalitatem ſemper exhibuit*: & ibi paulò ſuperiùs. *Menſa vſus eſt frugali, & parca: quæ quidem inter olera, & legumina, etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quoſque infirmiores cõtinebat.* Cap. 28. narrat ad eundẽ tanquam maximè liberalem magnificum, & hoſpitalem, vt alias omittam cauſas, veniſse, & confugiſse multos Epiſcopos facta in Africam Barbarorum irrũptione: *Quò*, ſcilicet Hipponem, *nos ipſi de vicino cum aliis noſtris Epiſcopis confugeramus*, & c. 29. *Vnà cum*, de iiſdem loquitur, *ad menſam con-*

cōſtitutis, quæ menſa perſpicuè rem ſecundi iſtius Monaſterii continet. Erat enim communis cum omnibus Clericis domeſticis contubernalibus Auguſtini, quos neceſse erat diuiſos eſse ab aliis alterius Monaſterii, quos ob iſtam cauſam hoſpitalitatis Auguſtinus reliquerat. Afferamus verba Poſsidii capite 25. *Cum ipſo ſemper Clerici, vna etiam domo, ac menſa, ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur*. Dubitari certè non poteſt de fide, ac diligentia Poſſidonii: quibus enim ille coloribus hoc ſecundum Monaſterium meliùs depingeret, quàm huiuſmodi narrationibus? Adiicio aliā ſi quis obiiciat deeſſe nomen Monaſterij, dico iſta intelligi debere de Domo Epiſcopali, in qua etiam Auguſtinus habitabat, & in qua ius dicebat, & lites dirimebat, imo & feminas ad ſe vel officio, vel opus gratia ventilantes recipiebat, quemadmodum ſcribit cap. 26. *Etſi fortè ab aliquibus feminis, vt videretur vel ſalutaretur rogabatur, nunquam ſine clericis teſtib' ad eas intrabat, vel ſolus cum ſolis vnquā eſt locutus; nec ſi ſecretorū aliquid intereſſet*. Quod ſi quis rurſum opponat feminis interdictum eſſe aditum domus Epiſcopalis Auguſtini, propter illa verba eiuſdem capitis. *Feminarum intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror. Sed neque Patrui ſui Filiæ, & fratris ſui Filiæ*, animaduertat non eſſe prohibitas aditu ad Auguſtinum feminas, quæ vel officii, vel negotii cauſa venirent, ſed quæ cum eo vellent confabulari, & vt ait Poſſidius *conuerſari*, & apud eundem familiaritatis, aut propinquitatis nomine commorari. Hoc enim non ad negotium, ſed ad otium pertinebat. Redeo ad inſtitutum. Vindico memoriam Poſſidonij. Excludo notam obliuionis: & anſam omnem dubitandi præcido: quæ Baronium mouit, & videtur ſuam vim habere: id ago accuratè quòd video ſcriptores nonnullos in loci intelligentia ſudare, ac vacillare.

Iterum obiicitur. Poſſidius dixit prius *Monaſterium intra Eccleſiam inſtitutum*. Auguſtinus in Horto Valerii. Ergo vel Poſſidius contradicit Auguſtino: vel tenetur ex vi loci illius ad fatendum idem omnino fuiſſe Monaſterium. Reſpondeo vtrunque ſtare poſſe, & *in Horto*, & intra Eccleſiam. Alii aliter interpretentur. Autor ſum *illum Hortum* fuiſſe intra ſepta Eccleſiæ. Sunt enim nonnullæ Eccleſiæ Cathedrales ampliſſimæ, & ſpatioſiſſimæ, quæ latè ſe effundunt, & complectuntur Palatia, clauſtra, & viridaria, & hortos, qualia egomet meis oculis viditum in Hiſpania, tum in Gallia, tum in Italia, tū in Anglia, quæ ſunt capacia Monaſteriorum, & Cœnobiorum, imo & in nonnullis ſunt ſeminaria ſcholaſticorum litteris operam dantium; qui quidem circuitus ſacer eſt, & Eccleſiæ nomine appellatur: cum laicis non pateat, & ſuis ſe muris, & ſeptis muniat, & ab aliis ſecularibus ædificijs ſeparetur. Hoc ſenſu capitur Eccleſia à Poſsidonio; & quidem meo iudicio aptè, ac propriè. Imo abſurdum eſſet de Eccleſia, prout eſt Templum, intelligere, quod ad ſacra obeunda officia eſt deſtinatum. Quare neceſſe eſt idoneo ſenſu ſumi pro Eccleſia, prout eſt Sacer quidam & Eccleſiaſticus locus, cum iis, quę ambit, & comprehendit, quæcunque illa ſint; dummodo intra eos limites ſacros contineantur. Itaque ille Hor-

tus

Digitized by Google

tus intra ſepta ad Pomærium quodammodo Eccleſiæ pertinebat, ac ille in Monaſterium tranſiit vicinum Templo, vt facilis in illud aditus, & ex illo exitus Clericis eſſet; cùm præſertim Auguſtino prouincia curandi animas, & prædicandi populis à Valerio eſſet impoſita: quam certè obire non poſſet, niſi in vicino habitaret. Vnde Poſsidonius ipſum Monaſterium appellauit domum Auguſtini, cum adhuc eſſet presbyter. Ita cap. 7. *Docebat, ac prædicabat ille priuatim, & publicè in domo, & in Eccleſia:* priuatim in domo, ideſt Monaſterio. Adduco idoneum, opinor, exemplum ex ipſiſmet Auguſtino, & Poſſidio, quo meam interpretationem corroborem. Auguſtinus ſerm. 1. de vita Clericorum loquens de ſuo, ac ſecundo Monaſterio dixit. *Volui habere mecum in domo Epiſcopi Monaſterium Clericorum*. Si in domo Auguſtini erat Monaſterium, magna ſanè domus illa erat, quæ Monaſterium integrum capiebat. Certè eo ſenſu poſuit Domum, quo Poſſidius Eccleſiam; ſcilicet pro tota ea latitudine, quam ſpatium domus cum ſuis annexis ædificiis occupabat. Appellauit domum quicquid illa intra ſuum circuitum continebat: alioqui quomodo Domus vna in ſuo ſinu integrum, vaſtumque Monaſterium cõplecteretur? Quin ipſemet Poſſidonius c. 15. dixit hoc ipſum, quod Auguſtinus in Domo ſua erexit Monaſterium, intra Eccleſiã fuiſse his verbis. *Fratres, & conſerui qui nobiſcum tunc intra Eccleſiam Hipponẽſem vero cum eodem Sancto, viuebant.* Quam *Domum* Auguſtinus dixerat, eam Eccleſiam vocat Poſſidius, eadem nimirum ſignificatione, qua Hortum Eccleſiam appellarat: ſcilicet quia & Domus Auguſtini, & Hortus Valerij intra limites Eccleſiæ continebantur. Ac ne dubites Poſſidonium in his proximis verbis de Monaſterio loqui, lege ſequentia in eodem c. & expreſſum Monaſterii nomẽ inuenies. *Poſt hęc,* inquit, *ecce alia die venit quidam Firmus nomine negotiator, & intra Monaſterium ſedente Auguſtino corã nobis, &c.* En Domus Auguſtini *Eccleſiæ, & Monaſterij* nomine ſignificatur, non aliter niſi quia *Domus* ad Eccleſiam, quaſi quiddam annexũ, & continens, pertinebat. Adiicio ex eodẽ Poſſidio, ſi domus Epiſcopi propriè, ac ſtrictè pro Domicilio ſumatur, non poſſe cum Eccleſia in eodem loco, nec cum Monaſterio conſiſtere: nam à domo Epiſcopi arcebantur feminæ, imo & à Monaſterio, quæ quidem ab Eccleſia non poterant expelli. Hinc facilè dubium ſoluitur, & Baronio reſpondetur. Illud primum, & ſecundum Monaſterium intra Eccleſiam & dici, & eſſe potuiſſe: vnum in loco vbi fuerat Hortus Eccleſiæ contiguus: alterum in Domo Epiſcopi, quæ, quòd erat continens Eccleſiæ, illiuſque appendix, potuit venire nomine Eccleſiæ, cum ambo, licet in diuerſis locis, intra ſepta Eccleſiæ cõtinerentur. Vel ſi Baronio videtur reprehendendus Poſſidius quia dixit prius Monaſterium intra Eccleſiam fuiſſe: certè reprehendendus item eſt Auguſtinus, quia dixit Monaſterium illud ſuum ſecundum in Domo Epiſcopali fuiſſe: neutrum enim propriè loquendo in Eccleſia, nec in Domo fuit ædificatum. Nolo hic acerbius appellare Baronium, quem magnopere admiror, & colo; tantùm ei ſatisfacere contendo, ac Poſsidium Auguſtini amiciſsimum, & hoc mihi nomine chariſsimum ab obli-

uionis

uionis nota liberare.

§. 2.

Dubium, & obiectum ſecundum.

COntinẽs eſt huic aliud dubium, & obiectum. Qui nam erant iſti Clerici, & quomodo diuerſi à Clericis primi Monaſterii? Et quidem Poſſidonius c. x i. ait. *Sub Sancto, & cum S. Auguſtino in Monaſterio Deo ſeruientes Clerici ordinari cęperunt*. Quod videtur conuenire primo, cùm Poſsidonius loquatur de ſecundo Epiſcopali. Pergit vero. *Ex Monaſterio quod per illum memorabilem virũ, & eſſe, & creſcere cęperat, magno deſiderio poſcere, atq; accipere Epiſcopos, & Clericos pax Eccleſiæ atq; vnitas, & cępit primò, & poſteà cõſecuta eſt*. Additque Poſsidius nouiſſe decẽ Sanctos, & apprimè doctos, quos Auguſtinus rogatus ab aliis Eccleſiis Epiſcopos donaſſet. Reſpondeo. Hæc mihi nota, & perſpecta eſse: ac propterea quæſtionem mouiſſe. Quam breuiter enucleatè ſoluo. Duo fuiſſe Monaſteria, & duo genera Clericorum. In primo habitaſse adoleſcentes, quaſi in ſeminario quodam, tyrocinium ibi ponentes, ſe doctrina, & virtutibus ad ſuperiores gradus tum Ordinum, tum munerum exercendo: ac ibi inſtitutos liberalibus diſciplinis, & ſacrarum item litterarum, ac Theologiæ rudimentis imbutos minoribus ordinibus initiari, ac ibi erudiri, & cuſtodiri, donec iam adulti, & ſatis intructi ad aliud Monaſterium transferrentur: vt in eo inchoata ſtudia perficerent, & nouis, altioribus, ac diuinioribus doctrinis erudirentur, & ad maiores, ideſt, ſacros Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyterij gradus promouerentur. At ne hoc libere, ac pro meo arbitratu, aut dicere, aut fingere videar, vtar optima, & ex ipſo Auguſtino ducta ratione. Is ſerm. 1. de vita Clericorũ affirmat causã qua motus fuit, cũ eſset Epiſcopus conſecratus ad nouum ædificandum Monaſterium, & vetus reimplendũm, fuiſſe ſtudium hoſpitalitatis, quam ibi non poterat exercere: *Exhibendo humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus, ſiue tranſeuntibus*. Hæc autem cauſa non erat alia, quàm quod non expediebat in domo adoleſcentium, & puerorum turbam illam hoſpitum introducere, qua, & ſtudia doctrinæ, & virtutis turbarentur, & illi alumni teneri, & remoti à conſuetudine, & vſu externorum cum ijs confabulari, & familiariter agere cogerentur. Suſpectum quippe illud contubernium redderetur, quod nec ætati, nec moribus congruebat. Fallor, ni Auguſtinus Vir prudentiſſimus, & vigilantiſſimus non ſignificauit. Addes dum Lector. *Si iſta conſuetudo in Monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet*. Obſerua *indecens eſſet*, ad id quod decorum, non quod licitum erat, reſpexit: non *decebat* vt pueri, & adoleſcentes, qui claudi, & cuſtodiri debent, cum adultis, & externis hominibus verſarentur, & conuerſarentur. *Ideo*, ait perſpicuè, *volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum*. Ideſt adultorum, & iam maturæ ætatis, qui eſſent in ſacris conſtituti. Non itaque vel adynaton, vel illicitum erat hoſpites in eo Monaſterio, ſiue ſeminario excipere, & habere, ſed non erat decens, nec expediens pro ætatibus, & ſtudiis, & moribus. Manſit igitur integrum, & intactum primum illud Monaſterium, ſiue

Digitized by Google

Seminarium iuniorum, vt illibata eorum, & vita, & fama eſſet. Modeſtiæ conſuluit, ac decoro, Pater ille Sanctiſſimus, Religioſus cuſtos, cultorque pudoris, & honeſtatis, & mihi rationem præbuit, qua probarem duorum Monaſteriorum numerum, & diuerſitatem. De quò iterum redibit ſermo.

§. 3.

Dubium, & obiectum tertium.

Tertium dubium ſcitu dignius eſt, & curioſius, & à nullo ante me opinor, tractatum. Ad illud certè nouus accedo. Fuerit ne Auguſtinus quando venit Tagaſte Hipponem omninò Laicus, nullo initiatus Ordine, an in Minoribus conſtitutus? Laicus omninò veniſſe videtur ſine vllo Eccleſiaſtico Ordine, quia ſimpliciter talis dicitur, & habetur ante Presbyteratum. Rationes dubitandi probabiles ſunt. Veniſſe prorſus Laicum, & nullo initiatum Ordine ſuadent hæc argumenta. Primum quod Poſſidonius c. 28. diuidens libros ab Auguſtino compoſitos in tres claſſes, primam aſſignat ei adhuc Laico: ſecundam Presbytero: tertiam Epiſcopo. Clerici autem ſtatus non meminit, quod ſanè feciſſet, ſi ante Presbyteratum aliquos compoſuiſſet. Secundum quòd ipſemet Poſſidonius eo ipſo in capite vbi narrat ordinatum Presbyterum Auguſtinum fuiſſe, *Laicum*, eum perſpicuè vocat: *Solebat autem Laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantùm abſtinere Eccleſijs, quæ non haberent Epiſcopos.* Tertiũ, Auguſtinus lib. de Bono Perſeuer. fatetur ſe Laicum libros de libero arbitrio ſcripſiſſe: inchoauit quippe eos Romæ poſt Baptiſmum, confecit in Africa ante Presbyteratum, perfecit; ac terminauit poſtquam Presbyter factus eſt. Quẽadmodum tradit lib. 1. Retract. c. 9. init. Hęc pro Laico ſunt argumenta. Contrà ſunt alia pro ſtatu Clerici in minoribus initiati. Primum apud Poſſidonium c. 5. vnde ſumpſimus contrarium. Etenim ſcribit: *Valerium, & ſuos, Auguſtini propoſitum, & doctrinã ſcientes* eũ apprehendiſſe, vt Presbyterũ ordinarent. Vnde hoc ſcire potuerunt niſi ex incheato Ordine Clericali? nec enim id noſſe ex alio ſigno poſſent, cùm nouus, & incognitus facie adueniſſet. Maior vis eſt, in proxima particula: *Vt in talibus conſuetum eſt*, ſicut ſuperius notauimus; quæ verba continent, eum ex illis eſſe, qui iam erant deſtinati ad Presbyteratum, & Epiſcopatũ, quod illi eſſent ſegregati à reliquis Laicis omninò ſecularibus, quouſque mos eſſet ad altiores gradus promoueri. Nam ſi eſſet Auguſtinus ex prius laicis, nec diſcerneretur à cæteris, & temerè, arriperetur ad Presbyterium. Viderunt ergo aliquid in Auguſtino ſpeciale, quod eum prodebat, quod ſegregabat ab aliis, & ſignificabat eum ad ſtatum Clericalem pertinere: quod ſignum aliud eſſe nõ potuit niſi ordo inchoatus: propterea Valerius Vir candidus, & Sanctus iuſſit eum manu iniecta apprehendi, & ordinari, morem ſecutus ordinandi tales, qualem ipſe ſe eſſe monſtrabat. Secùs, nec ille auderet, nec populus acquieſceret. Secundum ibidem habetur, vbi referuntur lacrymæ Auguſtini propter illam ordinationem, & conſolationis amicorum: ille quippe plorabat, nõ quia de ſtatu Laico tranſibat ad Eccleſiaſticũ; ſed quia

de

de inferiori eius ſtatu , in quo iam erat, gradu, ad ſuperiorem, & continentem Epiſcopatus gradum aſſumebatur propter periculum imminens obtinenti. Non recuſabat ſtatum, ſed aſſumptionem ad faſtigium metuebat. *Cùm intelligeret, quàm multa, & quàm magna ſuæ vitæ pericula de regimine ea gubernatione Eccleſiæ impendere, ac prouenire ſpectaret, atque ideo fleret*, ait cap. illo 4. Poſſidonius. Idem confirmant ſolatia adſtantium, qui ſuſpicabantur eas lacrymas, non ex ordinatione procedere, quaſi eum pœniteret de mutatione ſtatus Laicalis in Eccleſiaſticum, ſed ex ambitione, & philautia, quòd non ad Epiſcopatus faſtigium, ad quod inhiare eum exiſtimabant, ſed ad Presbyteratum ſolùm aſſumeretur. *Superbè interpretantibus, & tanquam eum conſolantibus, ac dicentibus, quia locus Presbyterij, licet ipſe maiore dignus eſſet, appropinquaret tamen Epiſcopatui.* Hoc ſolatium ineptum, & vanum eſſet, ſi homini Laico nihil cogitanti de ſtatu Clericali, & ab eo profeſſione, & habitu animi, & corporis alieno adhiberetur. Nullus erat tantæ ambitioni locus, ſi vacuus omnino Eccleſiaſtici ordinis eſſet, de quo nihil eiuſmodi ſuſpicari quiſquam prudés, & ſanus poſſet: nempè Auguſtinum ſperaturum ad culmen dignitatis ſe ſtatim prouectum iri. Opus igitur erat in eo gradu conſiſtere, vnde ad faſtigium euaderet. Putabant non pœnitere Auguſtinum mutationis, ſed pudere de humilitate manſionis. Non dolere, quòd tranſiret de vno ſtatu ad alium; ſed cruciari, quod cùm iam eſſet in ſtatu inchoato, ibi ſiſteret, non verò in culmine conſiſteret: Praua de Auguſtino opinio, ſed apta pro inchoata ordinatione argumentatio.

Secundum eſt non minus idoneum, petitum ex ſermone 1. de vita Clericorum poſt initium; vbi ſic Auguſtinus. *Spem ſeculi reliqueram; & quod eſſe potui, eſſe nolui: nec tamen quæſiui eſſe quod ſum. Ab ijs qui diligunt ſeculum ſegregaui me; ſed eis, qui præſunt populis, non me coæquaui.* Magna hic vis eſt. Reliquit Auguſtinus ſeculum; ſecularis eſſe deſijt: ſegregauit ſe à populo Laico: tranſijt ad Clerum: non tamen ad ſuperiorem Ordinem, in quo poterat eſse, ſi vellet: ad quem aſcendere noluit, cum poſſet: reſtitit in minoribus, & cum minoribus, qui ſeruiunt, & miniſtrant in Eccleſia: non proceſſit vlterius, nec ſe maioribus, & ſuperioribus coæquauit, ideſt Presbyteris, ac Epiſcopis. Faciunt huc cætera. *Aſcēde ſuperius. Timebā Epiſcopatū: vt in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, illò non accederem.* Fruſtrà timeret, niſi eſset iam initiatus. Cur interdicto ſecum agebat vitans Eccleſias carentes Epiſcopis, ne eo accederet, ſi alia longè diuerſa via incedebat, & aliorſum ſpectabat? Iuſta igitur erat timoris, & fugæ cauſa, quod ſciebat ſe aptum ad illam dignitatem, & non remotum à culmine, quòd in gradu erat, vnde ad illud pateret aditus, & aſcenſus fieret. Nec illa vacat particula: *Quaſi ſecurus perueni, quia locus habebat Epiſcopum.* Hæc vna erat cauſa ſecuritatis, nam cæteræ timoris erant, cùm eſset habilis, & aptus per Ordinem Clericalem ad obtinēdum faſtigium Epiſcopale. Itaque *apprehenſus* iuuentus idoneus *Presbyter factus*, & poſtea *Epiſcopus*. Nūc ad meum iudicium venio. Propter hæc duo argumenta iudico Auguſtinum cùm ad Eccleſiam Hippo-

nenſem peruenit veniſse iam initiatum minoribus ordinibus: non verò Laicum purum, & ſecularem; nec aliter teſtimonia,quę produxi,exponi poſse. Oppoſita haud difficilè explicantur. Præmitto tamen neceſsariam vtilemque doctrinam. Laici nomen poſse in duplici ſenſu accipi: vno modo abſolutè pro homine purè, ac omninò ſeculari,nullo Eccleſiaſtico ordine inſignito, & extra ſtatum Eccleſiæ conſtituto: deinde alio modo reſpectiuè pro homine intra ſtatū Eccleſiaſticū recepto, ſed minoribus ſolùm ordinibus affecto:nec,quos appellant Sacros iis inaugurato: qui inchoarent ſtatū,ſed nō compleuerint: cùm liceat hiſce ad ſtatum ſecularem redire, & matrimonium contrahere: quales ſunt conſtituti in Minoribus. Magna quippe inter hos, & alios in ſacris& Maioribus conſtitutos differentia eſt: cùm illi, etſi actu in Eccleſia ſint, habitu tamen, & potentia extra illam ſint; at verò hi omnimodo, ac penitus Eccleſiaſtici ſint, & ſacri, & nullo modo ad ſeculum & ſtatum Laicalem remeare poſſint. Quod ſanè exploratum eſt. Ex illis quia erat Auguſtinus,cùm venit Hipponem Laicus dicebatur eſse: & in hoc ſenſu exponendi ſunt loci, in quibus *Laicus* appellatur, hoc eſt nondum Presbyter: per quem gradum deſiit eſse Laicus,& ſimpliciter manſit Clericus, ſegregatus tum à puris,tum à miſtis Laicis,ſic,& aptè, opinor, appellem: Vnde ad primum locum de libris, quos ſcripſit *Laicus* reſpondendum,perinde eſse,ac de libris quos ſcripſit nondum Presbyter. Eodem modo exponendus ſecundus in vita Auguſtini à Poſſidonio cap. 4. depromptus: *Laicus ſolebat dicere*, id eſt antequam Presbyter eſset. Nec non & tertius lib. 2. de Bono Perſeuer. rem: vbi ſe *Laicum* Auguſtinus vocat. Itaque omnia hac vna ratione ſoluuntur.

Duo tamen ſuperſunt ſcrupuli: Alter quomodo Auguſtinus fuerit ordinatus. Nam ſi minores tantum acceperat ordines, oportebat prius quàm Presbyter fieret, Diaconatum, & Subdiaconatum accipere; quod non reperitur in textu Auguſtini, nec in vita Poſſidonij, nec vſpiam alibi, quod ſciam, legitur, ſed ſolùm Presbyterum factum eſse. Si autem venit iam ordinatus Subdiaconus, & Diaconus non potuit venire Laicus, & corruit noſtra opinio. Occurro ſic. Quando fuit ordinatus Presbyter alios gradus tunc ſimul ſumpſiſse, ita vt vna vice tres gradus acciperet: nec deſunt argumenta in eius temporis hiſtoriis. Reperio quippe de multis ex Patribus antiquis narrari, etiam cùm omnibus ordinibus carent, fuiſse Presbyteros ordinatos, quod certè fieri non potuit ſine aliis gradibus antecedentibus, quorum tamen nulla prorſus fit mētio. Ita fertur de Abbate Mutue, ac eius diſcipulo, qui inopinantes, & inuiti à Geboanenſi Epiſcopo Presbyteri fuerunt ordinati, in 2. p. libri Vitas Patrum §. 178. priſcæ apud me editionis. Ita etiam Presbyter ex ſimplici Eremita Laico B. Abraham cōſecratus eſt ab Epiſcopo vicinæ Ciuitatis: vt habetur in eius vita eodem tomo 1. his verbis. *Educens ergo eum de cellula in Ciuitatem illico introduxit, ibique per impoſitionem manus Presbyter ordinatus*. Ac in eo tamen loco Diaconatum, & Clericatum fit cōmemoratio. Talem arbitror fuiſſe initiatū Iſaac Aſcetam, eum honorem fugientem eodem lib. 1. §. 21. Talem

ſe

ſe ordinari nolebat Pachomius, cùm vitauit conſpectum Athanaſii, cùm ad Monaſteriũ ſuum veniſset, quòd audierat Teutytorum Epiſcopum de ſe cum Athanaſio locutum, eidem ſuggeſſiſse, vt ſe Presbyterum ordinaret. Quemadmodum in eiuſdem Vita commemoratur. Sic euello primum ſcrupulum. Venio ad ſecundum. Quum affirmem tam fidenter nomen Laici poſse conuenire homini initiato minoribus Ordinibus? cũ huc nouum, & inſolens videatur. Reſpondeo me non latere nonnullis nõ placituram meam iſtam opinionem. Verùm non tenerè id à me, nec ſine idoneo fundamento affirmari. Vtar primò animaduerſione; deinde teſtimonio Auguſtini, eoque me muniã, ac defendam. Animaduerto plures authores nomine Laicorum in ſacris Canonibus, & ſanctis Patribus, cum vulgo intelligere etiam Monachos, quos Conuerſos dicimus: atque adeo *Laicos* relatiuè interdum ſumi, & in ſtatu quodam medio (quos ego proxime *miſtos* dixi) poni, & non omninò purè ſeculares, ac vt ita dicam, mundani ſint. At non acquieſco vulgari ſententiæ. Dico Laicos contrà diuidi à Monachis, iiſque opponi. Verùm inficior Laicorum nomen tam eſse proprium Laicorum, vt nequeat quadrare in minores Clericos, & prima tonſura, vel primis ordinibus initiatos: idque duobus teſtimonijs confirmo. Vnum eſt Siricij Papæ in Epiſtola ad vniuerſos Orthodoxos cap. 3. vbi cauet ne *Laici immediatè fiant Sacerdotes*; quod præceptum non quadrat in puros Laicos; cui enim illorum veniret in mentem immediatè ex ſtatu Laicali ad Presbyteratũ, vel Epiſcopatum promoueri? & per ſaltum, vel præcipitium ordinari? Loquitur ergo de illis, qui erant initiati minoribus, eoſque nominat Laicos, ac eos vetat omiſſo Subdiaconatu, & Diaconatu ad Sacerdotium aſcendere. Alterum ſit antiquioris Pontificis Stephani, quod exhibetur c. *Laicis*, 16. q. 7. nomine Eulalii, cùm debuiſſet poni Stephani, inter cuius Epiſtolas inuenitur Epiſt. 2. c. 9. *Laicis quoque*, ait, *quantumuis religioſis, nulla de Eccleſiaſticis facultatibus diſponendi legitur vnquam attributa facultas*. Cuius item fit mẽtio in c. Eccleſia *S. Mariæ* 23. De conſtitution. Religioſ. iſti Laici diſtinguuntur à puris Laicis, qui Religioſi dici nequeunt, cùm aliis immiſti religionem inchoaſſent, religantes ſe Deo per Ordinationem minorem, vt ſit diſtinctio ex parte perſonarum, & iuris: etenim duo ſunt iura circa bona Eccleſiæ: vnum accipiendi ea ad fruendum, & vtendum: alterum diſponendi de acceptis. Laici puri vtroque priuantur, & carent. Laici verò miſti potiuntur primo, priuantur ſecundo. Quo probatur diſtinctio perſonarum. Secùs: impropriè vocarentur Laici puri, Religioſi: Pij dici poſſent: Religioſi, niſi aliquo nexu Eccleſiaſtico ligarentur certè dici non poſſent. Sed vt minus hęc duo teſtimonia valeant, vnum mihi ſuppeditat validum meus Auguſtinus, quod Achillem dixerim. Diſtinguit is Laicos *notę inferioris, & ſuperioris*: ac ita diſtinguendo loquitur, vt nequeat intelligi niſi de Laicis puris, qui ſunt *inferioris propoſiti*, ſiue profeſſionis ſecularis, & vt aiunt, mundanæ, contenti ſola Fide, & militia Chriſtiana, non autem de miſtis, qui ſint ſuperioris propoſiti, quia in illo ſtatu cœperunt altiùs caput attollere, & profeſſionem Eccleſiaſticam inchoare.

Aſſero

Affero Auguſtini verba: habentur lib.2.Retract.c.21.vbi retractans, & recognoſcens librum *De opere Monachorum*: inter quos erant quidam qui labore ſuarum manuum victum quærebant, ſecuti Apoſtolum: alii verò abſtinebāt ab omni opere, & victum à Dei prouidentia expectabant iuxta illud Euāgelij. *Reſpicite volatilia Cœli, & lilia Agri, non laborant*: ac propterea diſſenſiones, & certamina exiſtebant, quæ cum ſcandalo fidelium foras emanabant, ſic ſcribit Auguſtinus. *Vt de opere Monachorum librum conſcriberem, illa me neceſſitas compulit, quòd cùm apud Carthaginem Monaſteria eſſe cœpiſſent, alij ſuis ſe manibus transigebant, obtemperantes Apoſtolo: alij verò ita ex oblationibus religioſorum viuere volebant, vt nihil operantes vnde neceſſaria, vel haberent, vel ſupplerent: ſed potius implere præceptum Euangelicum exiſtimarent, atque iactarent, vbi Dominus ait: Reſpicite volatilia cæli, & lilia agri. Vnde etiam inter aliquot inferioris propoſiti Laicos, ſed tamen ſtudio feruentes, exiſtere cœperant tumultuoſa certamina, quibus Eccleſia turbaretur, alijs hoc, alijs aliud defēdētibus*. Equidē iſtos laicos ego inferioris propoſiti ſemper eos intellexi, qui eſſent purè, ac prorſus ſeculares, & mundani, ac eo nomine diſtinctionem ſignificari ab aliis, qui etſi Sacri, & omnino Eccleſiæ incorporati non eſſent, tamen profeſſione, ac propoſito ad ipſos accederent. Vnde ſtatu quidem erant Laici de medio populo, verùm Superioris propoſiti, quia inchoauerant Eccleſiaſticam profeſſionem per ſuſceptionem minorum Ordinum. Moueor quia Auguſtinus narrans illas contentiones, & certamina obſeruat, iis etiam commoueri Laicos homines alienos ab eo ſtatu, quaſi exaggerans magnitudinem diſſidii inter Monachos, vt non ſolum, qui erant iam aliquo modo Eccleſiaſtici ſcandalizarentur, ad quos videbatur attinere, ſed etiam alii merè laici, & ſeculares, quos illæ contentiones minimè tangebāt, cùm eſſent à propoſito Eccleſiaſtico alieni. Vnde Auguſtinus eorum bonitati, & pietati attribuit illud natum ſcandalum, & ex ſcandalo certamen: quaſi diceret, non ſoli ii Fideles ſuperioris Ordinis, & propoſiti, Laici ſtatus, quales erant Minores Clerici, ad quos ratione ſtatus medij illa cauſa pertinebat, ſed alij fideles Laici inferioris propoſiti, omnino ſeculares, & à profeſſione Eccleſiaſtica alieni propter ſuam charitatem, & pietatem, qua præ aliis ſuis ſtatus excellebant commouebantur, & turbabātur, quāuis ab illorum inſtituto abhorrerent: nec commune quicquam cum ijs de propoſito, ac profeſſione haberent. Hæc eſt mea de ordinatione Auguſtini ſententia. Cæterùm: fuerit ne ſimul vna, die ac vice. Subdiaconatu, & Diaconatu & Presbyterio initiatus? an ſeorſim: ac diuerſis diebus? diuinationis potius eſt, quam opinationis. Potuit vtrouis modo, quod per id tempus licuiſſe arbitror, conſecrari. Scio tamen eos gradus ſeparatim, ac per ſe ſeorſim ſingulos conferri. Erāt enim alii in gradu Subdiaconatus ſolo, aliiq; in gradu Diaconatus, ante Presbyterium conſtituti, quorum exemplis plena eſt Hiſtoria Eccleſiaſtica, & quæ apud Auguſtinum in Epiſtolis, & imprimis in hoc duplici ſermone de Vita, & habitu Clericorum apparent. Vnum mihi ſatis eſt indicare ex Actis S.Baſilij à me paulo ante laudatis cap. vltimo, vbi idem S.

Ephrem

Digitized by Google

Ephrem iam Diaconum, Sacerdotem, eius autem ſocium, & interpretem Diaconum tantummodò ordinauit. Sed hæc nolò ſint huius loci. Conſulat qui velit noſtras Scholas Theologicas, & tomum de Clauibus Petri, nihil opinor, deſiderabit. Hic tantum repræſentare volo aptum, & iuſtum, imo & iucundum, opinor, locũ Auguſtini, qui mirificè cum huiuſmodi tractatione de propoſito, & ſtatu Auguſtini ante Presbyterium conſentit, & qui coronis ſit longæ iſtius quæſtionis. Epiſt. 225. ad Albinam, ſic paulò ante medium Auguſtinus loquens de Hipponenſibus ſe ſe apprehendentibus, & inopinantem ordinari à Valerio Presbyterum petentibus. *Nam ſi in me*, inquit, *dilexerunt, quòd audierãt paucis agellulis paternis contemptis, ad liberam Dei ſeruitutem me fuiſſe conuerſum, neq; in hoc inuiderunt Eccleſiæ Tagaſtenſi, quæ carnalis patria mea eſt: ſed cum illa Clericatum mihi non impoſuiſſet, quando potuerunt, habendum inuaſerũt.* Hic ſunt omnia quæ ſupra ex vita Poſſidonii, & ſermonibus adduximus. Derelictio, & venditio bonorum, & facultatum, & pretii in communem vſum viuentium collatio, ſeceſſio, & remotio à turba Laicorum ſecularium ad viuendum Apoſtolicè, ſed liberè nullo vinculo Religionis accepto, quod ſonat, *per liberam Dei ſeruitutem*, extra clauſtra, & carceres Monaſteriorum Tagaſtanenſes, ſui ordinandi presbyteri rationem, cognito ſuo Clericalis propoſito habere noluiſſe, quam tamen alieni Hipponenſes habere voluerunt.

Hactenus de duobus Monaſteriis, ac de iis ad ea ſpectantibus. Comperto fuiſſe duo, prorſus diſtincta, & ambo Clericorum; ſequitur quod illud aliud proberri, quod me facturum receperam, ſcilicet etſi vnum illud, & ſingulare fuerit, multò eſſe certius, Clericorum fuiſſe. Liquet ex eo, quòd, lectis Auguſtini duobus de Vita, & habitu Clericorum ſermonibus, & libro Poſſidonii de Vita Auguſtini, manifeſtè apparent Clerici, ac ii nominantur, & noſcitantur; & paſſim occurrunt in ſacris Ordinibus conſtituti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, ac demum Epiſcopi cum Auguſtino in communi ſocietate viuentes. Satis eſt aperire libros: oculi fidem facient. Ille locus illuſtris eſt ſerm. 1. paulò poſt initium. *Ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum.* Nec minus alter ſerm. 2. non longè à principio. *Nuncio vobis vnde gaudeatis, quia omnes fratres, & Clerici mei, qui mecum habitent, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos.* Nota, quod dixerat *Fratres, & Clericos*: ne cum audieris *Fratres* aſſuetus vulgò Aſcetas, & Cœnobitas putares. Ibi *Diaconus Fauſtinus*; ibi *Diaconus Seuerus*; ibi *Presbyter Leporius*; ibi *Presbyter Barnabas*: ibi rurſum *Valerius Diaconus*, & *Patricius nepos Auguſtini Subdiaconus*. Ibi appellat *Presbyteros, Cohabitatores meos*. In vita Poſſidonii non pauca inueniuntur. cap. 11. 15. c. 22. c. 25. c. 28. 29. Vnum eligo, & profero c. 15. *Cum ipſo ſemper Clerici, vna etiam domo, ac menſa, ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur.* Quocumque ſe vertat huiuſce veritatis indagator, vbique reperiet impreſſa Clericorum veſtigia. Vnum hic animaduerto, quod ſuperius iecimus ſine dubii ſecundi de cauſis ædificandi ſecundum Monaſterium Clericorum adultorum propter officium hoſpitalitatis obſeruatum à me, & qui-

quidem diligenter, eſſe in hoc Monaſterio quotquot occurrant Clerici, eos eſſe in ſacris, & maioribus Ordinibus conſtitutos, ſcilicet Presbyteros, Diaconos, minimùm Subdiaconos, qualis erat Patritius nepos Auguſtini, ſerm.2.de Vita, & habitu Clericorũ. Quod ſi vnus Fauſtinus venit, nullis initiatus Ordinibus, ideo fuit, quia venit Catechumenus ex militia ſeculari, quem tamen conſtat grandem iam, & matura ætate veniſſe, quoniam ſtatim poſt baptiſmum fuit Diaconus ordinatus, vt videas primũ Monaſterium minorum tantùm Clericorum fuiſſe, quorum annis, & ſtudiis conſultum voluit ea ſeparatione domicilii, & contubernii Auguſtinus: qui hoc exemplo illis Sanctiſſimis Epiſcopis, & Cœnobiarchis, qui ſeminaria inſtituerunt, & adoleſcentes ab adultis ſegregari curarunt, facem præluxit: imo & lampada tradidit. Addo Corollarium. In Epiſtola 138. eſt pulchra Auguſtini abſentis ad ſuam Eccleſiam inſcriptio. *Dilectiſſimis Fratribus, Conclericis, & vniuerſæ Plebi*. En *Conclerici*, *Fratres Hippone*. Concordat alia inſcriptio Epiſt.137.eiuſdem Auguſtini.

CAPVT VI.

Specilegium locorum in operibus S. Auguſtini ad eius Canonicam Regularis vitæ profeſſionem ſpectantium.

ANTILOQVIVM.

PRofiteor primum candorem animi mei in hoc opere ſuſcipiendo; quippe quod nolo detrahere quicquam de iure alieno; nec inficior Cœnobiticum inſtitutum Auguſtini tempore in Africa fuiſſe: id enim apud eum conſtare video ex Epiſtola 76. ad Aurelium, quæ non ſolùm de Monaſteriis aliorum Regnorum partiumue Africæ; ſed etiam de illa in qua degebat Auguſtinus loquitur. Nec ſupra negaui eiuſmodi fuiſſe in Africa Monachos à Clericis Regularibus diſtinctos, tantùm dixi ſuſpicari me eos ab Auguſtino minimè inſtitutos, nec eorũ Monaſteria fundata fuiſſe: quod mihi etiam nunc videtur veroſimilius. Huiuſmodi erant illi, qui cum Valentino habitabant, ad quẽ, & fratres contubernales ſcripſit illas duas Epiſtolas, quæ inter Auguſtini 46. & 47. numerantur, & præponuntur libro de gratia, & libero arbitrio; & libro de Correptione, & gratia: quemadmodum ſuperius indicaui: licet minus ad Auguſtinum pertineant. Illi erant propriè Monachi, & Cœnobitæ, quæ incolebant Monaſterium Inſulæ Caprariæ ſub Abbate Eudoxio, ad quos extat Epiſtola 71. plena præceptis eximijs, & conſiliis præclaris, ſumptis ex litteris diuinis, quibus eos imbuit Auguſtinus: in qua meminit Celecii: Vtrum autem illi, de quibus mentionem facit in commentariis in Pſalmos, exponendo Pſalmum 99. in ipſamet expoſitione poſt medium, fuerint ſpeciales, aut ſui, aut vicini Monaſterii Fratres: quoniam ſunt qui ambigant, duo eos non eſſe ſpeciales, nec certi alicuius Monaſterii Fratres, ſed vniuerſim ſumi ab Auguſtino, & in genere, vt aiunt. Concedo igitur de Fratribus Monachis loqui, non de Clericis ſuis, quod nonnulli opinantur, ſed tamen affirmo loqui de vita communi Monachorum in ſuis Monaſteriis abſolutè. Ratio liquet. Nam ibi Auguſtinus di-

Digitized by Google

digreditur (quod aſſolet in Pſalmum enarrationibus, & expoſitionibus) ad probandum contra Donatiſtas Eccleſiam militantem conſtare ex Chriſtianis bonis, & malis: non autem, quæ erat hæreſis Donatiſtarum, ex ſolis bonis & iuſtis: vtque confirmat diſponendo per omnes ſtatus Chriſtianorum; & primum proponit generatim ſtatum commune Eccleſiæ: deinde diſcurrit per gradus particulares, Clericorum, Monachorum, & aliorum Seruorum Dei, ac oſtendit etiam iuſto hos inuenio imperfectos, & malos, incipit vero à Clericis, *Hoc*, inquit, *& in Clericis*, & de his ait. *Mixti ſunt malis*. Addit *Tu qui laudas de miſtos malos. Tu qui vituperas vide ibi & bonos.* Tunc venit ad Monachos. *Sit & in illa vita communi Fratrem, qui eſt in monaſterio magni viri Sācti quotidie in hymnis in Orationibus, in Laudibus Dei, inde viuunt, &c.* Poſtea *Inuenit ibi fratres malos*. Hæc monſtrant generatim loqui; & hanc doctrinam continere illud teſtimonium de Monaſterio: non autem agit Auguſtinus de ſuo, vel certo aliquo Monaſterio, ſicui nonnulli contendunt, partim, vt vendicant hoc Monaſterium, & hi, qui Monachi ſunt; partim vt retineāt, quę a Clericis Regularibus ſunt. Merito agit Auguſtinus. Agit autem cauſam aduerſus Donatiſtas, quos confutat, quemadmodum nos eo loco ſæpè confutauimus Caluiniſtas, qui ſimiæ ſunt Donatiſtarum.

§. I.

De Auguſtino.

INcipiamus ab inſigni, me iudice, loco, ubi Auguſtinus ſeſe Profeſſorem inſtituti Canonici Regularis demonſtrat. Curſim racemandi modo procedo. Primam ſpicam offert Epiſt. 76. quæ citatur c. *Legi Epiſtolam* 16. q. 2. quæ ſcripta eſt ad Aurelium, quem Conſacerdotem, & Papam vocat (erat quippe Carthaginenſis Epiſcopus) & uerſatur in cauſa duorum Monachorum, qui cum eſſent minus obſeruantes deſeruerunt Monachos ſuos, & tranſire tentarunt ad Clericos Regulares, prætextu conſuetudinis illius æui, in quo licebat tranſitus Monachorum ad Ordinem Clericalem cauſa diuini officii melius celebrandi. Erant autem hi duo fratres, vnus nomine Donatus, alter Anonymus. De his igitur ſic Auguſtinus: *Fluctuaui diu. Sed mihi cogitanti nil mihi aliud occurrere potuit, niſi non eſſe iſtam viā dandam Seruis Dei, vt ſe facilius putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores. Et ipſis enim facilis lapſus, & ordini Clericorum fit indigniſſima iniuria, ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligantur, cum ex ijs qui in Monaſterio permeanent, non tamen niſi probatiores atque meliores in Clerum aſſumere ſoleamus, niſi forte, ſicut vulgares dicunt; Malus Choraula bonus Symphoniacus eſt, ita ijdem ipſi vulgares de nobis iocabuntur dicentes: Malus Monachus bonus Clericus eſt. Nimis dolēdum, ſi ad tam ruinoſam ſuperbiam Monachos ſurrigamus, & tam graui contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero ſumus, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, ſi adſit ei ſufficiens continentia, & tamē deſit inſtructio neceſſaria, aut perſonæ regularis integritas.* Nihil hic dico. Satis perſpicuè loquitur Auguſtinus audienti, dum modo aures habeat audiendi.

Quo affectu, & ſtudio proſequitur Clericos? quàm rationem habet eorũ dignitatis? quam dolet de illorũ ignominia? Nõ opus erat dicere Clericorũ ſe in numero eſſe. Id tamen declarat: qui non patitur caros lædi, nec vituperari: imo ne ipſis quidem alienos præferri. Hęc eſt prima ſpica. Lego ſecundam ſpicam ex lib. Decimo Cõfeſſ. cap.43. vbi Auguſtinus de Chriſto Mediatore agit, qui nos Deo Patri reconciliauit, nobiſcum factus homo mortalis: cum eſſet cum Patre, & apud Patrem Filius immortalis, *Factus pro nobis ſacerdos, & ſacrificium: faciens nos de ſeruis filios, de Deo naſcendo, nobis ſeruiendo, pro nobis interpellando.* Expendit coniunctionem iſtam cum hominibus, ne quis deſperaret, ſi Chriſtum ſolum Deum agnoſceret ſeparatum à nobis. Igitur venit, coniunxit *ſe nobis & habitauit in nobis:* Rurſus coniunctioni intentus. *Conteritus peccatis meis, & mole miſeriæ meæ, agitaueram in corde, meditatusquè fueram fugam in ſolitudinem, ſed prohibuiſti me, & confirmaſti me, dicens; Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, ut qui viuũt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.* Cogitatio de ſolitudine non erat apta coniunctioni Chriſti: nec reſpondebat vita ſolitaria vitæ communi ad ſalutem proximorum comparatæ; idcirco ab illo propoſito ſolitudinis retractus eſt Auguſtinus à Deo illa commemoratione coniunctionis Chriſti Filij Dei cum natura hominis ad operandam communionem, & ſocietatem Dei, & hominum, quæ erat imitanda ab Auguſtino per vitam communem ſocialem, & clericalem ad finem ſalutis proximorum ordinatam: vbi Sacrificia, & Sacerdotes, & hominum cum Deo in Eccleſiis coniunctio.

Sumo tertiam ex lib. de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap.32. *Quàm multos Epiſcopos, optimos viros ſanctiſſimoſque cognoui, quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & huiuſmodi miniſtros Diuinorum Sacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior, & maiore prædicatione dignior videtur, quò difficilius eſt eam in multiplici hominum genere, & in iſta vita turbulentiore ſeruare. Nõ enim ſanatis magis quam ſanandis hominibus præſunt. Perpetienda ſunt vitia multitudinis, vt curentur, & priùs toleranda, quam ſananda eſt peſtilentia. Difficillimum eſt hic tenere optimum vitæ modum, & animum pacatum, atque tranquillum. Quippe vt breuiter explicem, hi agunt, vbi viuere diſcitur: illi, vbi viuitur.* Vide quanti faciat Clericalem vitam Auguſtinus iam tum recens a Baptiſmo, ac ex eo ceu ipſe hominem ardentem ſtudio perfectionis eum electurum ſtatum, quem duceret perfectiorem; quemque vtiliorem Eccleſiæ Dei fore exiſtimaret, nec debuit deterreri difficultate generoſus animus, qui ad ardua quæ pretioſiora eſſent, aſpiraret. Per maiora pericula ſunt quærẽda quæ pluris æſtimantur, quàm quæ in facili parantur, & minoris habentur. Talis erat Auguſtinus: cuius animi generoſitas in Epiſcopali obeundo munere, nullum horruit, vel in manibus Circumcillionum periculum, vel à Barbaris gentibus ſupplicium, vel a peſtilentia contagium, quemadmodũ apparet in eius vita, nec minus in doctrina diuina, et lege Chriſti tradenda & propaganda: legat qui volet Epiſtolam ad Honoratum 80. de fuga in perſecutione comperiet, eum magis, magiſqne conſtantiorem

rem

rem ad mala omnia ad mortem vſq; pro ſalute ouium perferenda. Hanc ille rationem concepit mente, hanc ſibi ſeper ineundam propoſuit, hanc ſuſcepit, ac præſtitit Presbyter, ac Epiſcopus inſtitutus.

Vello quartam ex Epiſtola 239. *ad Alipium, & qui cum eo fratres*, vbi eſt inſignis locus. Agit de controuerſia orta inter Eccleſiam Thianenſem, & Alipium, & inter Alipium, & Auguſtinum, quæ redundauit in Eccleſias amborum Tagaſtenſem, & Hipponenſem ſuper Bonis Honorati Presbyteri ordinati extra ſuam patriam apud Hipponem; nam bona illius, quæ perſonam ſequebantur, veniebant ad Eccleſiam Hipponenſem, nihilominus Tagaſtenſes volebant ea ad ſe trahere iure ſoli, non perſonę. Vicit Eccleſia, vt apparet, Hipponenſis: quęta eſt Tagaſtenſis & Thianenſis, vbi erant bona, expoſtulauitq; cum Alipio, quaſi ea in re Auguſtino amico induſſiſſet. Eò ſe contulit Auguſtinus rei gratia cognoſcendæ. Conſultatione cum Alipio, facta nihil deliberarunt: niſi quod Alipius componendæ litis cupidus dixit: ita bona eſſe partienda, vt dimidium apud Hipponenſes manerent, dimidiũ Thianenſibus redderetur. Non acceptauit ſine Tagaſtenſibus Auguſtinus, & ſententiata lite, rediјt Hipponẽ, certus ea bona iuſtè occupaſſe. Verùm poſteà pro ſua benignitate, idem ceſſit de ſuo iure, ac decreuit, imo & recepit redditurum illud dimidium, cum commodè poſſit. Hæc eſt ſumma controuerſiæ. Nunc in rem noſtram. Hic Honoratus Presbyter erat, ex numero Clericorum Auguſtini in Monaſterio Hipponenſi receptus, & ordinatus. Seruabat inſtitutum Apoſtolicum; renunciandi bona, & conferendi pretium in commune, igitur eius Monaſterium erat Regularium Clericorum; imo & aliud Monaſterium Tagaſtenſe erat eiuſdem inſtituti, quandoquidem eodem iure Canonico, & Regulari bona illa repetebat. Vnde ſit conſequens, vt illa duo Monaſteria, & eorum habitatores eſſent Canonici, & Apoſtolici inſtituti. Cùmque in vno eſſet Alipius cum Fratribus, & in alio etiam cum Fratribus Auguſtinus, ſequitur eos Fratres eſſe, ac dici Clericos Regulares. Expendamus verba Epiſtolæ, quæ rem continent. Inſcriptio Epiſtolæ huiuſmodi eſt: *Alipio, & qui tecũ ſunt Fratribus.* Haud ſine dubio Clerici; repetebant enim bona Clerici Honorati ciuis ſui. Eſſe autem eos contubernales in Monaſterio cõſtat ex alia particula Epiſtolæ ad medium: *Non ſolum*, ait Auguſtinus de Honorato, *ordinatus, ſed adhuc in Tagaſtenſi Monaſterio conſtitutus.* Vides Tagaſtenſe illud contuberniũ, eſſe Monaſterium Fratrum Clericorum? Conſtat de Tagaſtenſi; expecta dùm probo Auguſtinum, & Clericos ſuos eſſe Fratres in Monaſterio Hipponenſi, de quo toties diximus, loquatur inſcriptio: *Auguſtinus, & qui mecum ſunt Fratres:* & in fine. *Cum habuero reddam, id eſt cum aliquid tantum obuenerit Hipponẽſi Monaſterio.* En Monaſterium illorum, quos dixerat *Fratres*. Hi habitabant in eo Monaſterio cum Auguſtino. Audi clauſulam Epiſtolæ. *Vbi tanta ſumma detracta non minus, quàm æqualis pro numero cohabitantium pars ad noſtros perueniat.* Collige hinc duo: alterum Monaſterium vtrunq; tũ Tagaſtenſe Alipii, tum Hipponenſe Auguſtini fuiſſe Clericorum: alterum Alipium, quod ſupra innuimus, Canonicum

Digitized by Google

Regularem fuiſſe. Addo appendicem, nomen hoc *Fratres* proprie item Canonicis, & Clericis fratribus conueniet ipſomet quod caput eſt Auguſtino Autore. Similia exempla ſuppeditant Epiſtolæ duæ reliquæ: altera 258. euadit ad Auguſtinum: altera ipſius Auguſtini ad Papam Cœleſtinum 261. prima inſcriptio eſt: *Domino fratri, & conſacerdoti Auguſtino, & fratribus qui tecum ſunt, Euodius, & fratres, qui mecum ſunt in Domino ſalutem.*

Secunda illa eſt particula de Antonio adoleſcente in Monaſterio Auguſtini à *paruula ætate nutrito*, & *Lectoris* gradû cõſtituto, & poſteà *Fuſſalenſi Epiſcopo* ordinato.

Præcido quintam ſimilem, ex epiſt. 225. ad Albinam: argumenti prolixi & faſtidioſi. Populus Hipponenſis, digreſſum ad ſuam Ciuitatem Pinianum, lectiſſimum, & locupletiſſimum iuuenem Albinæ filiũ Romanũ ordinari deſiderauit apud ſe Presbyterũ: erat quippe Auguſtino deditiſſimus. Vt id fieret magnopere laborarunt; egerunt hortatione, precibus, blanditiis, vt libens initiaretur, cùmque non poſſent conſenſum elicere, extorquere voluerũt. Eo ſuſpicionem fecerunt cupiditatis, & auaritię, quaſi vellent facultates copioſiſſimas iuuenis, quas per ordinationem de more profeſſionis Clericalis venditurus, & daturus erat in numos ſibi vendicare, & ita perſuaſum fuit Matri, quæ de Auguſtino queri cœpit. Is tamen rem totam prudenter compoſuit, ſuſpiciones amouit, & populum ſedauit. Nec opus eſt pluribus. His confirmatur conſuetudo illa Eccleſiæ Clericalis relinquendi bona, & ad commune transferendi, ac illam vitam profitentes eo inſtituto teneri. Nec obiicias illud pretium ad populum redire, non ad Monaſterium. quia populus Hipponenſis id flagitabat, quaſi particeps futurus eſſet: vnde ſuſpicio auaritiæ orta eſt. Nam ipſemet Auguſtinus hic excuſat populum, & ſuſpicionem aufert, teſtatus ad eum illud laicorum non pertinere; cum eſſet Clericorum, ſed populum id pietatis, & honoris cauſa optare, vt tanti nominis, & indolis, & tantarum opum iuuenis in ſuam Eccleſiam tranſiret: *Non ergo*, inquit ad Matrem Albinam Auguſtinus, *populus vt de tanto viro Eccleſiæ conſulere ſuæ, ardentiſſimè flagitans, ſuum pecuniarium quæſiuit commodum à vobis, ſed veſtrum pecuniæ contemptum dilexit in vobis.* Et adducto ſui exemplo propter quod amoris fuit Hipponenſibus, adijcit. *quantò flagrantius in noſtro Piniano amare potuerunt, tantum mundi huius cupiditatem, tantas opes, tantam ſpem, tanta conuerſione ſuperatam, atq; calcatam.* Itaque ad Epiſcopum, & Monaſterium illas opes pertinere. *Reſtat ergo*, inquit, *vt iſte pecuniæ turpiſſimus appetitus ex obliquo in Clericos, & maximè in Epiſcopũ dirigatur. Nos .n. reb. Eccleſiæ dominari exiſtimamur, nos opibus frui.* Diluit penitus ſuſpicionem Albinæ de populis. *Amatur Chriſtiana paupertas. Hoc accendit animos populi, hoc in illam violentiam perſeuerantiſſimi clamoris erexit. Non eos turpis cupiditatis inſuper accuſemus, ſed magis bonum, quod ipſi non habent, ſaltem in alijs diligere ſine crimine permitamus.* Habeto iſtud, Lector, Piniani factum pro confirmatione ducti ab exemplo Honorati argumenti, quæ vt melius in rem quadret, hic etiam erat Alipius cum ſuo Auguſtino conſentiens.

Decerpo ſextam, ex Epiſtola 148.
ad

Digitized by Google

ad Valerium,in qua Presbyter Auguſtinus narrando ſuam electionem ad Sacerdotium firmat ea quę ſuperius diximus de ſuo propoſito Vitæ Clericalis amplectendæ, de quo Poſſidonius c.4.& ipſemet Auguſtinus ſerm. 1.de vita Cler. initio. Ex qua narratione palàm fit eum ſemper de inſtituto illo Apoſtolico agitaſse. Loquatur Auguſtinus.

Ante omnia peto, vt cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore facilius, & lętius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut Presbyteri, *aut diaconi officio, ſi perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut* Diaconi *officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet. Quis autem iſte ſit modus, nec à pueritia, nec ab adoleſcentia mea didici: & eo tempore, quo diſcere cęperam, vis mihi facta eſt, merito peccatorum meorum (nam quid aliud exiſtimem neſcio) vt ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noueram.*

Et infra. *Et hinc erant lachrymæ illæ, quas me fundere in ciuitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animaduerterunt, & neſcientes cauſas doloris mei, quibus potuerunt ſermonibus; qui omnino ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo conſolati ſunt.*

Paulo poſt. *Tunc enim ordinatus ſum, quum de ipſo actionis tempore ad cognoſcendas diuinas Scripturas cogitaremus, & ſic nos diſponere vellemus, vt nobis otium ad hoc negotium poſſet eſſe. Et quod verum eſt, nondum ſciebam quid mihi deeſſet ad tale opus, quale me nunc torquet, & conterit.*

Silere hic præſtat quàm loqui, cùm ſuperuacanea ſit, vbi res loquitur, expoſitio. Illud ſolùm animaduerto vſum hic Auguſtinum eodem verbo, quo vſus fuerat in ſermone de vita Clericorum 1. initio *Diſponebam eſſe in Monaſterio*, niſi quod hic in Epiſtola adhibet *Diſponere* ad doctrinam. Illic autem, in ſermone, applicat ad Monaſterium; ſed hæc differentia eodem redit, quòd eiuſdem erat inſtituti, & Monaſterium, & doctrina, ſcilicet Apoſtolica, & Clericalis.

§. 2.

De Alipio.

SI cui unquam Amicorum congruit illa vox *Dimidium animæ meæ* is certè fuit Alipius cum Auguſtino compoſitus. Tam enim inter ſe arcto copulat amicitiæ nexu fuerunt, ut in vnum prorſus animum quodammodo coaleſcerent; adeo vt dimidium ex integro fieret, ſiue illud integrum ex dimidio conſtaret. Quippe qui unum dimidium tolleret, ambo auferret, quòd illa duo dimidia ea conſuetudine indiuiduum fierent, quod diuidi non poſſet. Quin exiſtimo magis proprium eſſe Auguſtini, dimidium Alipij, quàm ſui; & Alipium magis viuere in Auſtino, & ex Auguſtino, quàm in ſe, & ex ſe Alipio. Itaque dimidia debuiſſe mutuò & inuicem animari, & animare: non tamen, vt eſt in Fabula Caſtoris, & Pollucris alternis viuentibus, ſeu multò perfectiùs ſimul viuentibus. Illis neceſſe erat ſeparari, vt viuerent: hos oportebat conglutinare,

ne

ne morerētur ſeparati: quod non poſſet alter ab altero ſeorſim conſiſtere. Inuenias eos, & ſi corpore diſtantes; ſenſibus, & affectibus propinquos; officiis, & occupationibus diſtractos, ſententiis, doctriniſque coniunctos; in diuerſis Eccleſiis poſitos eandem regendi rationem ſeruare: interdum ſeſe inuiſere, & coràm mutuo ſalutare, venire frequenter ad Auguſtinum Alipium, necnon Auguſtinum Alipium inuiſere.

Primum de conſentione doctrinæ apparet in litteris miſſis ab vtroque ad Paulinum, ſiue Bonifacium, quæ eſt Epiſtola 106. Epiſtola 143. ad Iulianam matrem Demetriadis, quæ ſunt contra hæreſim Pelagianam, vt omittam Epiſtolam 92. & 95. communem aliis Epiſcopis Concilii Mileuitani ad Innocentium I. Papam: quæ in eo Concilio aduerſus Pelagium ſunt decreta. Hæc rem continent Pelagianam. Circa hæreſim Donatiſtarum extant epiſt. 77. ad Aurelium, in qua fit mentio Tychonis Donatiſtæ, & 145. ad Generoſum aduerſus eum errorem. Quoad Arianos autem eſt inſignis epiſtola vtriuſque 66. ad Maximum. Illud ſpecialiter obſeruo: in Concilio Carthaginenſe ſexto in quo de Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam Romanam actum fuit, Alipium, & Auguſtinū ſtetiſſe pro illius autoritate. Secundum de Regimine Eccleſiarum, patet ex epiſtola 24. Auguſtini ad Alipium, & epiſt. 239 ad eundem, & ſequētibus ad Seuerū, ideſt 240. & 241. Certè illæ cōtrouerſiæ de quibus ſuperius ſatis multa diximus, de Honorato, & Piniano abunde probant, quantum inter ſe ambo de adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum conſentirent, quantumque Auguſtinus iudicio Alipij deferret cum à propria ſententia vellet recedere, & pedibus in contrariam Alipii abire: quaſi hunc iſte Principem Senatus Eccleſiæ eſſe putaret, à quo religio eſſet diſcedere.

Tertium de mutuo vtriuſque concurſu, aſpectu, & colloquio teſtantur epiſt. litteræ 25. ad Albinam 239. ad Alipium. 241 ad Seuerum, præter aſſiduos congreſſus in Conciliis Africanis, quæ prætermitto quoniam in commune Eccleſiæ neceſſitate, non pro priuata neceſſitudine fiebant. Nihil tamen magis commendat huiuſmodi amicitiam, quàm illa ſimul ſcribendi concordia, vt ambo pariter, & ſcriberent, & inſcriberent litteras familiares, quæ cū ipſe ſunt familiares & ſecretæ, præſeferunt familiaritatem ſimul ſcribentium tantam eſſe, vt in vnam perſonam tranſirent. Cōmunes ergo litteras nonnullas præferamus. Epiſt. 66. 77. 106. 143. 145. 165. 241. Inter quas illa eſt notabilis ſcilicet 145. ad Sebaſtianum, in qua hæc clauſula habetur, illuſtre ſingularis fiduciæ ex amicitia ortæ argumentum. *Ego Alipius impenſiſſime ſaluto ſynceritatem tuam, omneſque tibi nomine coniunctos; Atque vt hanc tanquam meam Epiſtolam deputes, peto. Etſi enim aliam propriam mittere potuiſſem tamen malui huic ſubſcribere, vt vnanimitatem noſtram vna etiam pagina teſtaretur.* His ego nil poſſum dicere exaggeratius; de quo viro dubitandum non eſt, quod Auguſtini vitam, & profeſſionem ſit amplexus. Videamus quam iniecit, eamque fuiſſe propriam Auguſtini comperiemus. Indaganda ſunt Alipij veſtigia, quæ ad Religionem ſpectant. Alia non ſunt huius loci. Ad Ficum cum Auguſtino ad Deum conuerſus, & cum eodem Vil-

lam

Digitized by Google

iam Caſſiſiacam Verecundi contendens in ea vixit ſemotus à turbis, ſeque diſputando cum diſcipulis Auguſtini, & Matre Monica exercuit. In vna tamen de Vita Beata negotii cauſa deſideratus eſt: Mediolanum deinde nudipes venit, ſuſcepit baptiſmum comitatus eſt Romam: fuit Oſtiæ, adſtitit morti, & funeri Monicæ. Non eum comperimus ulli addictum religioſo inſtituto. Seruebat Deo cum Auguſtino, ſed liberè, vt proximè diximus, nexu Profeſſionis, vinculo ſeruitutis. Hic fuit mora, & ſilentium, Romam redeunte pro pauculo menſes Auguſtino, & poſteà in Africam tranſmittente. Illud mirum, quòd in illo triennali apud agellos, Auguſtini ſeceſſu non inueniatur nominatus in operibus eius Alipius. Id magis mirum, ne poſteà quidem, cum ſe Hipponem lucrandi amici, & Monaſterij ædificandi cauſa contuliſſet reperiri Alipium. Nuſquam apparent eius religioſa veſtigia. Illa prima ſubodorant mihi videari, & indagare, quorum impreſſa eſt orbita in Epiſtol. 64. ad Aurelium, vbi ſic de Alipio Auguſtinus. *Quòd fratrem Alipium in noſtra coniunctione manſiſſe, vt exemplo ſit fratribus, curas mundi huius vitare cupientibus, beneuolentiſſimè accepiſti, ago gratias, quas nullis verbis explicare poſſim. Dominus hoc rependat in animam tuã. Omnis itaque Fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coaleſcere, tanta tibi prærogatiua obſtrictus eſt, ut locis terrarum tantum longè diſiunctis ita nobis conſulueris tanquam præſentiſſimus ſpiritu.* Deprehenſa res eſt. Accipe. Poſtquam Tagaſte Hipponem venerat Auguſtinus, & ibi ordinatus Preſbyter Monaſterium fundauerat Clericorum (de quo nos cum Poſſidonio ſæpè ſcripſimus) certior de eo factus Alipius ſtatim deliberauit de amplectendo illo inſtituto, ac ea mente Hipponem ſe contulit, nomen dedit, adſcriptus eſt Clericali militiæ, & cum Auguſtino manſit, ac induit Canonicum Regularem. Quam imitationem vitæ apud Auguſtinum, & cum eodem initam ſocietatem, qui amborum amicitiam nouerat ſuis litteris gratulatus fuit Auguſtino Aurelius. Ita locus intelligendus. Auguſtinus tunc erat Presbyter, & cùm ad eum Aurelius dedit litteras, & cùm Auguſtinus reſponſum reddidit. Ait quippe Epiſcopum ſe habere ex Orientalibus partibus, non Afrum, ideſt Valerium; affirmat inchoaſſe iam vitę Apoſtolicæ inſtitutum congregatis fratribus in illo Monaſterio, hoc eſt, *Fratrum cœtus qui apud nos cœpit coaleſcere*, vt ſignificaret citò veniſſe Alipium in eam ſocietatem, nec diſtuliſſe conuerſionem: ac in eodem manſiſſe cætu, & profeſſionem emiſiſſe Religioſam. Patet ex ea particula *in noſtra coniunctione manſiſſe; vt exemplo ſit Fratribus curas mundi huius vitare cupientibus*, quæ certè exprimunt abdicationem rerum terreſtrium, & ad diuinas conuerſionem, atque adeo Religioſæ vitæ profeſſionem: in qua Alipius perſeuerauit cum Auguſtino, donec Epiſcopus factus eſt. Habemus igitur hæc duo. Alterum: Alipium cum venit Hipponem Laicum fuiſſe, & mundanis curis deditum, quas tum reliquit cum ſe coniunxit Auguſtino. alterum: ſub eo, & cum eo vitam Regularem amplexum, & profeſſum, exemplo ſingulari relicto aliis Chriſtianis mundo ſeruientibus vti ille ſeruierat: & nuper mutatus alios excitaſſe, vt ſimilem vitam amplecterentur. Rediit ad ſuum Auguſtinum

Alipius,

Digitized by Google

Alipius, cùm vnum is vitæ genus elegiſſet, ne ab eo diſcreparet. Quod etiā argumento eſt Auguſtinum anteà in ſuo quidem piè, & ſanctè, ſed liberè ad voluntatem *Laico* more vixiſſe, ac idcircò ei Alipium nobilem, diuitem, diſertum, conſultorem, & cauſarum patronum minimè adhæſiſſe. Confirmo hæc verbis Paulini Epiſt. 35. ad Alipium: in qua petit ab eo, vt ſibi referat ſuæ vitæ rationes, vt hiſtoriam de ea texat. Patet enim ex illius tenore, Alipium hoc vnum tantum inſtituti Clericalis genus fuiſſe profeſſum. Produco locum: *Specialiter autē hoc à te peto, vt pro hac hiſtoria temporum, referas mihi omnem tuæ Sanctitatis hiſtoriam; vt quod genus, vnde ſis domo, quādo vocatus à Domino, quibus exordiis ſegregatus ab vtero matris tuæ ad matrem filiorum* Dei *prole lætātem, abiurata carnis, & ſanguinis ſtirpe, tranſieris, & in genus regale, & ſacerdotale ſis translatus, ediſſeras*. Quod autem primus eius vitę ſtatus fuerit *S*acerdotalis liquet ex ſequentibus. *Quod enim indicaſti, iam de humilitatis noſtrę nomine apud Mediolanum te didiciſſe, cum illic initiareris, fateor curioſiùs me velle condiſcere, vt ex omni parte te nouerim; quò magis gratuler ſi à ſuſcipiendo mihi* Patre *noſtro Ambroſio, vel ad fidem inuitatus es, vel ad Sacerdotium conſecratus, vt eundem ambo videamur habere autorem*. Tranſit immediatè de Baptiſmo ad Sacerdotium. Verùm hoc erat inquies, dictum à Paulino minùs rerum Alipij perito. Fateor, nec ego hinc ſumo coniecturam. Ades dum. Ne ſiſte: lege reliqua. *Nam ego etſi à Delphino Burdegaliæ baptizatus, à Lampio apud Barcilonā in Hiſpania, per vim inflāmatæ ſubitò plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad Fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotij ordine confoueor. Denique ſuo me Clero vendicare voluit, vt etſi in diuerſis locis degam, ipſius presbyter cenſear*. In hac comparatione loci cum Alipio apparet propriam amborum profeſſionem Clericalem extitiſſe. Talem putabat Paulinus fuiſſe Alipiū, qualē ſeipſe optabat fore, ſcilicet ab Ambroſio ordinatum; idque ſtatim ſumpto baptiſmo, vt nullius alius vitæ ſtatus intereſſet, in quo aliquandiu conſtitiſſet. Hoc ipſum ſignificat in 1. Elegia miſſa ad Licentium, quæ inſerta eſt Epiſtolæ 36. inter Auguſtini ad Romanianum eiuſdem Licentij Patrem. Exhortans itaque eum cogitantem ſecularia ad vitam Religioſam amplectendam adductis Auguſtini, & Alipii exemplis ſic inter cætera.

Frater Alipius eſt, Auguſtinuſque Magiſter:
Sanguinis hic conſors, hic ſator ingenij:
Tanto fratre vales, & præceptore Licenti,
Et dubitas pennis talibus aſtra ſequi?

Et infra

Ergo redi quà voce parens, quà ſanguine frater
Ambo ſacerdotes te remeare iubent.

Ecce amborum Profeſſio Clericalis: quanquam iam tranſiſſent ad Epiſcopale culmen euecti: ad eam igitur ſuſcipiendam in eo Monaſterio hortabatur Licentium Paulinus, vt in eo ſtatu perſeuerans ad eum etiam gradum promoueretur Licentius adoleſcens ambitioſus, qui ſeculares Magiſtrâtus anhelabat. Vnde illud ad eundem in Epiſtola inſertum quam Paulinus ad Patrem Romanianum miſerat.

Digitized by Google

ſerat: *Verè enim Pontifex, & verè Conſul Licenti eris, ſi Auguſtini veſtigijs Propheticis, & Apoſtolicis diſciplinis, vt ſacrato beatus Heliſæus Heliæ, vt illuſtri Apoſtolo Timotheus adoleſcens adhæreas indiuiduo, per itinera diuina comitatu, vt & Sacerdotium corde perfecto diſcas mereri, & populis ad ſalutem magiſtri ore conſulere.*

Erit tamen aliquis memor illius ardoris Alipii initio conuerſionis ad Chriſtum ſuæ, cùm teſte Auguſtino fortiſſimus corporis domitor *glaciale Italiæ ſolum nudo pede obtriuit inſolito auſu*, qui obiiciat eum morem incedendi nõ eſſe proprium Clericalis, ſed Aſcetici, & quidem ſeueriſſimi inſtituti. Reſpondeo tunc Alipium fuiſſe Catechumenum, necdum de profeſſione Religioſa quicquam cogitaſſe, ſeque ea aſperitate ad ſuſcipiendum Baptiſmum præparare voluiſſe: proindeque nihil ex eo deduci ad infirmandam veritatem de Clericalis vitæ genere poſſe, cùm nihil de futuro poſt Baptiſma ſtatu cogitaret. Fuit ſanè illud generoſi animi indicium, & in primo currẽdi ad ſalutem impetu motus vehementior: quem poſteà compreſſit, ad moderationemque reduxit; imo & tandem remittente ardore deferbuit, adeo ut ad curas ſeculares, & ad negotia humana redierit donec ad Auguſtinum imitandum ruptis, quibus tenebatur vinculis, conuolauit.

§. 3.

De Licentio.

Hic Fratrem ſuum, ſic eum vocat Paulinus, & quidem ſæpe in ſua ad Licentium Elegia inſerta Epiſt. 36. inter Auguſtini ad Romanianũ eiuſdem patrem, modo ſequatur Alipium, certè patruelem, aut conſobrinum. Carus hic vnicè Auguſtino fuit, tum propter arctiſſimam cum Patre Romaniano neceſſitudinem, tum propter egregiam adoleſcentis indolem, & acre ingenium, & propenſionem ad ſtudia litterarum, & virtutum, quem ſibi tradiderat Pater à teneris imbuendum doctrinis, & moribus inſtituendum. Reſpondebat ille Auguſtini amori, obſequiis, & officijs, eumque mirificè colebat, eique ſe tanquam mollem ceram ad diſciplinarum formas accipiendas præbebat. Extant huius mutuæ beneuolentiæ multa, & præclara indicia tũ in libris Academicis, tum in libris de Ordine, ac Beata vita, cum ſingulari eiuſdem pueri adoleſcentis acuminis, ac iudicij ſpecimine coniuncta. Erat præterea genio feſtiuo, & hilari, & ad Poeticã prono, quò iucundior, & amabilior exiſtebat. Nec illi tantùm libri loquuntur, ſed etiam Epiſtolæ Auguſtini idem teſtantur: eiuſmodi eſt epiſt. 34. ad Paulinum, & epiſt. 39. Auguſtini ad eundem Licentium, & Paulini 36. Quanti vero ipſe Licentius Auguſtino tribueret, apparet in Carmine ad eum miſſo, quod intra eandem Epiſtolam 39. continetur. Ex quo fit conſequens, vt ex actis Licentii colligamus argumenta vitæ, & inſtituti, quod amplexus eſt Auguſtinus. Incipiamus à capite. In Rure Caſſiſiaco prope Mediolanum ſimul vixit cum Auguſtino: eius diſputationibus adfuit, ab eo ſæpe interrogatus reſpondit, & cum ſociis de rebus ab eodem ad inquirendum, & deliberandum propoſitis, aptiſſimè diſceptauit. Erãt autem illi, Nauigius Auguſtini frater, Adeodatus puer

Digitized by Google

Alipius, Trigetius, Ruſticus, & Laſtiſtianus conſobrini Auguſtini, & interdum mater Monica, ita volente filio, cùm vacabat. Eo in contubernio degebāt omnis ex ſymbolis collectis, & in commune collatis, more Eccleſiæ primitiuæ, cum iam Catechumeni eſſent, & ſe ad vitam Chriſtianam ſuſcepto per Paſcha baptiſmo comparabant. Eo imminente Mediolanum venerunt; & tincti cæleſti lauacro ſimul cum Auguſtino Magiſtro curas, cogitationeſq; ſuas ad Chriſtum conuerterunt. Nulla tamen certa ſibi inſtituti forma præſcripta. Nec diù ſunt Mediolani morati cogitantes Africam, Romam iter intenderunt. Hic oportet paulùm figere veſtigiū, & audire de hoc itinere canentem in ſuo illo ad Auguſtinum Carmine Licentium. Recolit illud iter, deque eo ſic

O mihi præteritos referat ſi priſtina Soles
Lætiferis Aurora rotis quos libera tecum
Otia tentantes, & candida iura bonorum
Duximus Italiæ medio, monteſque per altos,
Non me dura gelu prohiberent frigore cano,
Nec fera tempeſtas Zephyri, triſtiſque Boryni
Quin tua ſollicito premerem veſtigia paſſu.

Videtur in memoriam reducere iter illud Mediolanum Romam ſuſceptum; ex quo deduco Auguſtinum cum ſuo comitatu recta iuiſſe Romam, & nuſquam moratum eſſe, nec à ſuſcepto ſemel itinere deflexiſſe. Primò quia eius mens erat ſignificare Auguſtino deſiderium eum iam tunc Epiſcopum ſectandi, & imitādi; ſe nimirum, quemadmodum eumdē ſecutus fuerat per Italiam, & altos montes, ita eſſe paratum ad redeundum ad eum, vt ſua conſuetudine frueretur. Huic autem propoſito erat contraria deflexio ab itinere, & in certo aliquo loco commoratio. Retinebat enim potius quam imitabat. Secundò, ſi verum eſſet aliorſum diuertiſſe ad viuendum cum aliis Auguſtinum, nimis apud eos quos inuiſeret moraretur, & ibi morari comites cogeret properantes, ac inter eos Licentium, qui moræ vni Auguſtino intentus impatiens erat; nolebat ille cū aliis, & ſibi alii degebant conſiſtere, ſed Auguſtinum ſequi. Nec illa mora honori erat Auguſtino, dum quærebat apud alios inſtitutum, quod ipſe iam ex Euangelio didicerat, & apud ſe formauerat. Præterea fruſtra Licentius ſuum ſtudium ſectandi ſuum Auguſtinum exaggeraret ſi diuertentem, & morantem inter alios expectaſſet. Vnum ſequi cupit Licentius, non multos, alioquin Auguſtino iniuriam faceret. Æſtuat ardore vnius, & tu vis eum intrudere in promiſcuam aliorum ſocietatem. Reſtinguis properantis iuuenis ardorem, & inuitum ac reluctatem moraris. Tertiò non dixit Licentius ſe duxiſſe cum Auguſtino dies *in montibus altis*, ſed *montes per altos*, loquitur negans moram expreſſam per propoſitionem *in*, & affirmās transitum ſignificatum per propoſitionem *Per*, quæ tranſeuntis eſt, non morantis. Ergo tranſitum olim fecerat, ſicut tunc, cum ſcriberet cogitabat: At dices, non conſtaret verſus ſi diceret

Duximus Italiæ medio, & montibus altis.

Fateor, & vrgeo. Propterea ſic concepit carmen Licentius, vti ſuſceperat iter

iter ſignificauit dicendo *Per montes* quod fecerat: vt ſi quis vellet mutare in ſtationem illam tranſitionem, erraret in facto, ſicut erraret in verſu, mutando propoſitionem *Per* in propoſitionem *In*. Hanc non capit carmen: quia non capit ſenſus. Errat in verſu, qui dicat *in Montibus altis*: errat in ſenſu, qui dicit ſtetit in montibus altis. Non errat, ſed rem acu tangit, qui canit *Montes que per altos* affirmans tranſiiſſe.

Quidni? Si mallet Licentius dicere moratum eſſe Auguſtinum, facile ſanè dixiſſet

Duximus Italię in medio, ac in montibus altis.

Vel mollius, & melius.

Duximus Italia campis, & montitibus altis.

Abſtinuit hoc, & illo modo, quod res itineris erat, & viæ: non digreſſionis, & moræ. Verùm obſtrepit illa phraſis.

Otia tentantes, & candida iura bonorum.

Significat enim moras apud aliquos bonos, & ſanctos viros profitentes candorem vitæ, & morum, ad quos Auguſtinus diuertit, vt iis conſueſceret, & cohabitaret. Falleris quicunq; hoc tibi perſuades. Non eſt is verborum ſenſus: ſed longè diuerſus; nec ad alios externos referendus, ſed pro Licentio, & ſociis retinendus. *Nos*, inquit Licentius, & Auguſtinus, & reliqui recentes à Baptiſmo, & ad Chriſtum conuerſi, qui reliqueramus negotia ſecularia, & turbas hominum traducti ab actuoſa, & inquieta vita ibamus tentantes, experientes, ſancta illa contemplationis otia, & quietem conſcientiæ noſtræ, remoti iam à turbis, & tumultibus rerum humanarũ, & negotioſo, & turbulento more viuendi. Tentabamus, experiebamur *candida iura bonorum*, ideſt leges, & præcepta pura, & innocentia Chriſtianorum nobis impoſita, & præſcripta per baptiſmum, cãdida dicta, quòd hoc Sacramentum candidis in veſtibus ſumebatur, & quia candorem, & innocentiam ablutis culparum ſordibus conferebat, ac præſeferebat. Hæc iura meditabamur, hæc ſeruare conabamur: experiri incipientes, quod eſſent ſuauia, & facilia obſeruatu nobis baptizatis, & candidatis; non recordabamur tunc aliorum, quomodo in ſpeluncis, & cauernis ſitu tenebroſis degerent, ſed ad nos ipſos mentem, & cogitationes referebamus, quid nobis deinceps obſeruandum eſſet recẽs baptizatis meditabamur. Hic eſt idoneus, ac germanus illius carminis Licentii ſenſus. Alterum ineptum, imo & abſurdum eſſe oſtendo. Quomodo poterat cum Matre Monica, quam comitem habebat, illas digreſſiones facere, & per montium iuga inuia, & aſpera ad illa ſpelæa, & gurguſtia peruenire? At relinquebat Matrem apud aliquem apilionem, aut bubulcum in tugurio, caſave incluſam dum aberat. Certè non relinqueret ſolam. Verum dices, maneret comitata puero Adeodato. Nego. Nam hic malus eſſet cuſtos Auiæ vetulæ, & illi potius timendum pro ætacula eſſet; & alius cuſtos adhibendus. Is autem, inquis, Nauigius frater Auguſtini, pueri patruus. Ego non putem; vt qui Nauigium noui, hominem rudem, & moleſtum, & ad id minus opportunũ, qui oneri potius eſſet, quàm leuamini. Truncus ille fieret eo in loco, vbi nauigare non poterat; ad caute illas, & rupes confragoſas naufragaretur naufragium, non Nauigium. Præterea quomodo poſſet Auguſtinus Matrem

Tttt 2 ſuam

ſuam cariſſimam deferre, à qua nunquam deſertus fuerat. Itaque crudelis filius matrem ſolam mediis in rupibus derelinqueret, quæ ipſum fuerat *terraque, marique ſecuta*. Oportebat ſanè vt Auguſtinus, aut Æneæ inſtar Matrē humeris imponeret, & ex illis ſyluoſis, & dumoſis locis explicaret, aut eam ſecum raperet, & per ſentes, tribulos, vepreſque raptaret, & tanquam Hippolytum laceraret. Rem indignā! Tādem; quomodo tamdiu moraretur Auguſtinus cum tanto comitatu in iis locis deſertis, vbi nec diuerſoria erant, nec hoſpitia? Vbi iis habitandum, vbi meridiandum, vbi edendum, vbi cubandum erat? quod ſi eſſent domicilia apta, & idonea, vnde ſuppeterent Auguſtino pecuniæ ad expenſas? homini minimè opulento, & quem merces iam diu pro Rhetoricæ magiſterio defecerat, qua ſibi, & filio, imo & fratri conſulebat? Certe qui meminerit, quàm ille parce ac tenuiter vixerit apud Mediolanum in illo ſuo ſeceſſu Caſſiſiaco, is nouerit exiguas Auguſtini facultates eſſe ad tam lōgum iter, tamque impeditum iuſtis ſumptibus conficiendum. Properandum ei erat, non commorandum. Nec dicas communibus expenſis iter illud fieri, non priuatis Auguſtini, & in comitatu eſſe imprimis Licentium Romaniani locupletiſſimi hominis filium; eſſe Alipiū diuitem, Trigetium non inopem, quorum ille opibus iuuaretur. Nam de Trigetio nihil conſtat; tantùm ſcimus eum fuiſſe antea gregatum militem, qui dites eſſe non ſolent. Alipius, etſi nobilitate præſtaret, viuebat tamen de conſultis, & reſponſis Iuriſprudentiæ, ſicut Auguſtinus de Rhetorica facultate. Licentius autem licet haberet Patrem copioſiſſimum, non tantum accipiebat à Patre, quantum ſatis eſſet ad omnes alios ſuſtētandos, cùm præſertim Romanianus magnā haberet familiam, & multis negotiis abundaret. Nemo tam eſt largus vt ſua velit prodigere. Modicos eum fuiſſe pro Licentio ſumptus ex contubernio Caſſiſiaco apparet. Totum ergo expenſarum onus ad Auguſtinū redibat, cùm alii eſſent domeſtici, Ruſticus, & Laſtidiarus conſanguinei. Itaque hæc inopia omninò perſuadet illas digreſſiones, & moras eſſe negandas: nec quicquam fundamenti habere in verſibus Licentij; qui vt eſſent magis perſpicui, non iis facile habenda fides erat, cùm à Poeta canerentur; quorum eſt fingere, & fabulari.

Nihil igitur de Profeſſione Religioſa, hucuſque apparet. Nec poſtea quam Oſtiam peruenerunt ulla fit peculiari de Licentio commemoratio. Quid ei ſit factum diuinādum potius, quam affirmandum, donec ad coniecturas accedamus ſumptas ex diuerſis epiſtolis tomo 2. Auguſtini contentas. Dicam primò quod mihi videtur probabile. Licentium mortua Monica Oſtiæ, cum Auguſtino Romam rediiſſe, ibique cum eo quandiu ibi ille fuit, habitaſſe; eo profecto in Africam manſiſſe Romæ, & à primo propoſito ſeruiendi Deo deſtitiſſe, & vt erat adoleſcens generoſus, & diues cupiditate honorum ductum ſeſe ambitioni dediſſe, & negotiis ſecularibus animū adieciſſe, & pro ætatis lubricæ conditione libidini ſuccubuiſſe, à qua primùm ineſcatus varios concubitus expertus, deinde ſatiatus, de coniugio cœpit agitare, vt & honori, valetudinique conſuleret, & expenſis immodicis parceret. In hoc ſtatu monitus ab Auguſtino, qui nunquam eius oblitus fuerat, & à Paulino, de illo

animi

animi in quo verſabatur periculo, cœpit ad ſe redire, & de mutandæ vitæ ratione agitare. Nec dubito quin fortè à Patre Romaniano, ab Alipio certè conſanguineo excitaretur. Extāt Epiſtolæ ad eundem in eo tumultu cogitationum fluctuante n Paulini, & Auguſtini, quin & ipſiuſmet Licentii ad Auguſtinum, vnde diſcamus miſeri adoleſcentis anxietatem. Sed antequā eas proferamus, operæpretium erit animaduertere, Licentium anteà nullam religioſæ vitæ formam profeſsū. Nam ſi quam eſſet antea profeſsus, non poſſet ad ſeculum redire, nec ſe vitiis mancipare, nec de ducenda vxore cogitare. Alioquin Apoſtata eſset: quod ſi tamen per ſummam licentiam Licentius faceret, tacitum id non ferret in ſuis Epiſtolis Auguſtinus ſeueriſſimus cuſtos, & vindex ſemel emiſſæ profeſſionis, vti ſæpe in eiuſdem libris apparet. Quare Laicum purum fuiſse, Romæ cùm eſset, Licentium, omninò conſtat.

Proferamus nunc Epiſtolas, ac primùm Paulini ad Romanianum, quæ habetur inter Auguſtini numero 36. *Vtinam hæc nunc Domini tuba, qua per Auguſtinum intonat, Filij noſtri Licentij pulſet auditus, ſed vt illa audiat aure, qua Chriſtus ingreditur. Tunc virè ſibi Summus Pontifex Auguſtinus videbitur, quia ſe tūc & exauditum ſentiet ab excelſo, ſi quem ſibi dignum genuit in litteris, hunc & ſibi dignè filium pariat in Chriſto. Nam & nunc velim credas, flagrantiſſima de ipſo nobis ſolicitudine ſcripſit. Credimus in omnipotentem Chriſtum, quòd adoleſcentis noſtri votis carnalibus ſpiritualia Auguſtini vota præualeant. Vincetur, vel inuitus, mihi crede, vincetur piiſſimi Parentis fide, ne mala victoria vincat, ſi maluerit in pernicem ſuam vincere, quàm pro ſalute ſuperari.* Et rurſum ibidem. *Audi ergo, Fili, legem Patris tui, ideſt fidem Auguſtini, & noli repellere conſilia matris tuæ, quod æque nomen in te Auguſtini pietas iure ſibi vendicat, qui te tantillum geſtauit ſinu ſuo: & à paruulis primo lacte ſapientiæ ſecularis imbutum, nunc etiā ſpiritualibus lactare, & enutrire Domino geſtit vberibus.* Nec plura. Hic hæreo in ſalebra. Videtur hæc Epiſtola componi ex duabus, vna miſsa ad Romanianum Patrem in Africam, in qua ſint primæ particulæ inſertæ, quæ ſpectant ad Licentium, nam poſteà ponitur clauſula: *Incolumē te ætate, quam plurima, & beatum ſemper cum tota domo tua, vt cupimus, habeamus in Chriſto, Domine frater, meritò honorandiſſime, & deſideratiſſime.* Qui eſt iuſtus finis Epiſtolæ. Cui tamen adſcripta eſt altera ſine inſcriptione ad Filium Licentium, quæ incipit, *Audi ergo filij tui*: cuius proximè verba poſuimus. Hæc autem cum verſibus annexis Paulini ſupponit Licentium, ad quem ſcribit commorari Romæ: cùm illa prima data ad Romanianum indicet, Licentium eſse in Africa, in domo, & contubernio Patris. Quòd autem epiſtola quę incipit *Audi* cum elegia Paulini ſupponat Licentium eſse Romæ. Patet ex ipſamet incluſa Elegia. *Proh dolor! hos propter remoraris in Vrbe Licenti.* Idque tota Epiſtola loquitur. De prima autem ad Romanianum indicium eſt illa partic. *Paucis tamen & ad ipsā loquamur, ne neget ſibi ſcriptum, quod de ſe tibi ſcriptum eſt. Æſchino enim dicitur, quod audit Mitio*: & illa. *Panes quinque tibi pariter, & filio noſtro Licentio miſimus*, quæ indicat ſimul ambos eſse, vt communes eſsēt ambobus Panes. Veniſse autē Li-

Licentium Roma ad Patrem fieri potuit, & ad eum ibi ſcripſiſſe Paulinum intra litteras Patris. Sed pugnat cum hac cohabitatione Paulini Elegia, quæ manifeſtè dicit Licentium commorari Romæ. Hoc in dubio diu anceps hæſi, ſed tandem ſtatui Licentium domi ſuæ in Africa cum Romaniano Patre eſſe, & ad eum ibi morantem ſcripſiſse Paulinum, & Eulogiam illam quinque Panum miſiſse. Ad obiectionem autem de Elegia ſupponente præſentiam Romæ Licentii, reſpondeo Paulinum eam antè compoſuiſse, quàm haſce litteras miſiſset, morante adhuc Romæ Licentio, eamque apud ſe ſeruaſse ſepoſitam, dum eſset opportuna occaſio Tabellarii: quæ præſtò non fuit ante diſceſsum Roma Licentii. Paulinus ait ſe compoſuiſse Elegiam poſtquam vidit Carmen Licentii ad Auguſtinũ miſsum, & ad ſe cum epiſtola ab Auguſtino ex Africa tranſmiſsum, quod liquet ex epiſt. 32. ſtatim adducenda. Hoc accepto ſequitur Paulinum ſuſtinuiſse, donec opportuna ſe præberet occaſio mittendi litteras Licentio. Interim contigiſse diſceſsum Roma in Patriam Licentii, ſiue quòd vocatus à Patre, ſiue quod ſponte ad eum ſe contulit; & tunc miſiſse Paulinum litteras ad Romanianum Patrem, & ad Licentium filium, qui domi ſimul cum Patre habitabat. Hoc omninò eſt veriſimile, & multum facit ad narrationem rerum Licentii: apparebit enim, quid ille moliretur, & de ſtatu vitæ deliberaret, & cur non Auguſtino adhæſerit, ac de eo poſt illas litteras, & carmen Auguſtinus minus fuerit ſolicitus, & in cæteris ſuis geſtis, & ſcriptis nuſquam mentio fiat Licentii. Redeamus in viam dũ ab ea deuiat Licentius. Manſit Romæ domi nec vocatus à Patrẽ venit ad Patriã, vel ab ipſomet Romam negotiandi cauſa eunte confectis negotiis reductus eſt in Africam, vbi cum Patre domeſticas res, quæ erant ampliſſimæ, curare cœpit. Nec vero obiicias me liberè aſſumere iſtam itionem Romaniani Romam, & inde domuitionem in Africam. Quia Romanianus homo erat expertus, & negotioſus, ac ſæpe ob emergentes lites domo exire, & aliò etiam in longinquas regiens migrare cogebatur apparet ex lib. 6. Confeſſ. cap. 14. *Romanianus*, inquit, *maxime municeps noſter, quem tunc graues æſtus negotiorum ad Comitatum attraxerant*. Scribebat autem hoc Auguſtinus Mediolani; vide quàm procul Targaſte! Iterum in Campaniam iſſe cum litteris Auguſtini, & libris ad Paulinum ex eiuſdẽ Auguſtini Epiſt. 32. apparet. *Quæ chariſſimus, & ab ineunte Adoleſcentia mihi familiariter amiciſſimus, qui hanc eximietati ac præſtantiſſimæ charitati epiſtolam apportat. Huius nomen eſt in libro de vera Religione, quem tua ſanctitas, quantum litteris indicas, libentiſſimè legit*. Huius nomen Romaniani exprimitur cap. 7. illius libri. Poterat etiam Auguſtinus laudare librum 2. Academ. quæſtion. quem dedicat Romaniano. Patrem tunc comitabatur Licentius Filius; quod adiungit ad finem Epiſtolæ Auguſtinus. *Filium autem eius noſtrum cuius etiam nomen in aliquibus noſtris libris inuenies* (ſunt autem ſex, tres Academicorum, duo de Ordine, vnus de Beata vita) *etſi ad tuæ Charitatis præſentiam ipſe non pergeret ſtatueram litteris in manu tua tradere conſolandum, exhortandum, inſtruendum non tam oris ſono, quàm exemplo roboris tui. Ardeo quippe, vt dum adhuc*

adhuc ætas eius in viridi fæno eſt, zizania conuertat in frugem, & credat expertis, quod experiri periculoſè deſiderat. Nunc ergo ex eius carmine, & epiſtola, quam ad eum miſi beneuolentiſſima, & manſuetiſſima prudentia tua, quid de illo doleam, quid timeam, quid cupiam. Hinc deducitur Licentium poſt illud cum Auguſtino Mediolani contubernium, comitatum in itinere Romam, & Oſtiæ commorationem viuente Monica, & ea mortua cum Auguſtino Romam reditum, fluctuaſſe animo, & à ſuſcepto ſeruiendi Deo propoſito paulatim deflexiſſe, ac demum ſe ad voluptates, & delicias, ad quas ætas florens, opum affluentia, conſuetudo æqualium inuitabat, conuertiſſe: deinde afflante aura cupiditatis totum ſe ad ambitionem honorum contuliſſe. Adeò, vt Auguſtinum paucos poſt menſes in Patriam remeantem ſequi noluerit, & viſco illo titillantis libidinis, & blandientis ambitionis implicitus remaneret. Ac, opinor, diu eo in luto hæſit, ſeque volutauit, cùm ad eum non reperiamus datas ab Auguſtino litteras, niſi poſt epiſcopatum: quòd ſcilicet deliciis, & illecebris illis ineſcatus differret ad Auguſtinum ſcribere, & ſuum fatale carmen tranſmittere: in quo miſerrimum ſuum obiter proponit ſtatum, ac priſcos animi, & ſacros æſtus exponit, deſiderans ad eundem accedere. Sed arctius inhærebat viſco, quàm vt ex eo præſertim malè iam plumatus expediret. Equidem video illum hinc, inde & à Paulino, & ab Auguſtino monitum, & reprehenſum, & increpitum minimè moueri, & poſteriori de obtinendis honoribus, & augendis opibus propoſito adhærere, quod dolenter exprimit Auguſtinus ex ſua illa epiſt. ſuauiſſima 36. quæ tota plena eſt querimoniis dulciſſimis, & amantiſſimis, quibus ego nō poſſū cùm lego, nō magnopere cōmoueri. Nouerat Auguſt. excelſam indolem iuuenis, acutum ingenium, generoſum animum, auream linguam, eximias alias dotes; ac dolebat ab Eccleſiæ contubernio, ad quod eum tandiu inſtruxerat, & formauerat ad ſæculi turbas, & tumultū defeciſſe. Delibo illa. *Me miſerum! Quo mihi linguam auream, & cor ferreum, quibus ego non carminibus, ſed lamentationibus ſufficiam plangere carmina tua? in quibus video quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere, & immolare Deo noſtro?* Tota epiſtola referta eſt tenerrimis ſenſibus. Clauſulam accipe: *Ornari abs te Diabolus quærit. Si calicem aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei. Accepiſti à Deo ingenium ſpiritaliter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipſum. Noli obſecro ſic aliquando ſentias, quam miſero, & miſerando pectore hęc ſcripſerim & miſerearis iam mei, ſi tibi viluiſti.* Nullo colore potuit melius miſeri ſtatus iuuenis, quam eo Auguſtini dolore depingi. Hinc illæ preces efficaces, hinc illæ iteratæ commendationes apud Paulinum epiſt. 32. & 33. hinc illa ad eundem Licentium exhortatio ad imitandum Paulinum epiſt. 39. *Vade*, inquit, *in Campaniam, diſce Paulinum*; & iterum: *Vade, diſce: Quid æſtuas, quid fluctuas? Quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & auertis à nobis? Mentiuntur, Moriuntur. In mortem trahunt.* Hic ſiſto, & ſtylum conuerto ad ſcopum. Perſuaſum mihi eſſe, Licentium ſecularem deinceps vitam amplexum, & Romaniani Patris

tris ſui veſtigia ſectatum, Patre indulgente, vſus ex illo familiæ ſucceſſionem, & ſenectutis ſubſidium, quęrenti itaque Romaniano Patri obtémperaſſe cum eodem deinceps vixiſſe, eiuſque adminiſtrũ egiſſe: Itaq; illud priſtinũ renuntiandi rebus humanis, ſeque Deo deuouendi conſilium ex vtriuſque conſenſu mutatum, in deterius fuiſſe. Quare videtur excuſandus eſſe Licentius, ſi Auguſtino exhortanti minus paruit, eique Patris Romaniani iuſſum prætulit. Quod etſi Auguſtino diſplicuit, non tamen auſus eſt improbare, tum quod Patris authoritate ſuſcepta illa mutatio: tum quod licita erat ducta vxore communis vitæ profeſſio; qualem deinceps abiectis turpibus meretricularũ amoribus, inito coniugio, ſicuti Romaniano, & Romaniani filio dignum erat, egiſſe Licentum exiſtimandum eſt. Et quidem veniam dedit Auguſtinus Paterno amori, & mutati propoſiti gratiam fecit. Suboluit hoc mihi voluenti Auguſtini Epiſtolas; nam dum venabar diligenter, vt ſoleo, in iis abditos eius ſenſus, Subodoratus ſum mentem Auguſtini minus approbantis, imo & tacitè reprobantis conſilium Romaniani. Etenim cum iam in Epiſt. 32 & in hac Epiſtola 34. (omitto Paulini quæ interponitur, num. 33.) plurimum laudaſſet, commendaſſetque Paulino, ita eundem occultè, ac ſubtiliter pungit. *Credo iam expertam ſanctitatem tuam ſagacitate ſpiritali, quam tibi Dominus tribuit, quid ille vir bono animo gerat, & quæ in illo infirmitate pars claudicet*. Hanc intelligo de abſtractione Filii Licentii à propoſito antea ſuſcepto Religioſæ profeſſionis, & contemptione conſilij Auguſtini eundem ad eam exhortantis. Eoque magis ſuſpicionem hanc meam confirmo, quòd video quàm frigidè iam loquatur de conuerſione vtriuſque, nam de vtraque olim cogitauit, ipſemet ardere anteà ſolitus Auguſtinus *Vnde*, inquit propè finem Epiſtolæ 34. *humanitati, & charitati tuæ tam ipſum, quàm filium eius, legiſti, vt ſpero, qua ſolicitudine commendauerim, & quanta mihi neceſſitudine copulati ſunt. Ædificet eos, per te Dominus, quod ab illo magis petendum eſt, nam id tu quàm velim noſti*. Siue *tu quam velis noui*, quæ eſt communis lectio: mihi placet prima, & noua mea. Quin obſeruo poſtea Auguſtinum prorſus deſtitiſſe ab exhortando Licentio, ac in ſuis reliquis operibus, omnino de illo ſiluiſſe. Verùm vterque & Romanianus Pater, & Auguſtinus Magiſter ſuas viſi ſunt partes implere. Pater dum filium à perdita vita, & profligatis moribus, ad Chriſtianam communem coniugalem, & honeſtos mores traduxit, & Patrem Familias fecit; Magiſter dum & ſtuduit eum ad ſanctius, & perfectius vitæ inſtitutum, quod puer animo conceperat, & adultus abiecerat, reuocare. Atque hic paulùm reſiſto, & verto ſtylum ad caput mei propoſiti. Quod nam vitæ Religioſæ genus amplexurus eſſet Licentius, ſi in primo conſilio perſiſteret? Sanè Clericale, ſiue Canonici Regularis. Haud dubiè quippè ſecuturus erat Magiſtrum Auguſtinum, à quo cum illa eſſet inſtituta, & ſuſcepta profeſſio, eandem erat amplexurus Licentius. Id, quamuis ſupra à me ſit indicatum, hic probo idoneo exemplo nepotis ſui Patritii, quẽ in ſuum Monaſterium recepit, vt in ſuo contubernio iiſdem legibus viueret; & alio item exemplo iuuenis ſibi cariſſimi Læti, quem Tyronem in Cle-

Clericali militie confirmauit aduerſus tentamenta & molimina Matris, quæ illum à Sancto propoſito reuocare, & ad ſe retrahere volebat. De primo narrat Auguſtinus ſerm. 2. de vita Cleric. de ſecundo commemorat epiſtola 38. Certè neuter ab altero ſeparari, aut vellet ſi poſſet, aut poſſet ſi vellet. Solum Patris imperium illam coniunctionem, tanquam intercurrente turbine diſſoluere potuiſſet.

Iuuat hic tamen increpare Licentium, quòd Auguſtinum cariſſimum deſeruit, & in eum ſuos illos, quibus tumet verſus conuertere ſumpto argumento a verbis Auguſt. Epiſt. 39. ſic ſcribentis. *Si verſus tuus* inquit, *mometis inordinatis peruerſus eſſet, ſi ſuis legibus non ſtaret, ſi mēſuris imparibus aures offēderet auditoris pudêret te certè, nec differres, nec deſiſteres, donec ordinares, corrigeres, ſtatueres, æquares verſum tuum, diſcendo, & agendo artem metricam accerimo ſtudio, & labore quolibet. Quòd cum inordinatus ipſe peruerteris, cum legibus Dei tui non ſtas, neque in agenda vita honeſtis tuorum votis, & huic ipſi eruditioni tuæ concinis, abijciendum, poſt tergū putas, & negligendum: quaſi præ ſono linguæ tuæ ſis tibi & voce vilior, & incompoſitis moribus, quod offendis aures Dei leuius ſit, quàm ſi incompoſitis ſyllabis tuis grammatica ſuccenſeret authoritas*. Sed antequam hæc vertam ad reprehenſionem Licentii, mirari libet Auguſtini indulgentiam in eundē, ignoſcentis erratis, quæ ſunt in nonnullis verſibus, & qui deprehendit vnum in alio, licuiſſe poeta plures in Licentio, aut non vidiſſe, aut præterijſſe. Rem narro. Scripſerat Audax, ſic dicitur, iuuenis, opinor, acer & vehemens ad Auguſtinum ſubiectis Hexametris, quorum vltimus euaſerat Heptameter, deprehendit ſtatim Auguſtinus mēdoſum excurſum, nec diſſimulauit, ſed obiecit, ac reiecit cum acumine, & aculeo. Afferamus verſus.

Cur mihi fons Orbis paruo ſermone meauit?
An minus apta ſuis ſperauit corda fluentis?
Cum pateat mens omnis aquis, ſpectetque loquacem
Religionis opem: gratis da ſenſibus imbres
Expectat qua plena fides Chriſti de ſtipite pendens.

Vides verſum ſeptempedem vltimū. Eo recognito ſic Auguſtinus in Epiſtola, quæ eſt 140. *Quòd autem*, inquit, *in quinto, atque vltimo verſu ſeptem pedes ſunt, neſcio vtrum tuum nunc rus fefellit auditum, an experiri voluiſſi, vtrum ego adhuc iſta deiudicare meminerim*. Viden vt Auguſtinus deprehendit errorem, & propalauerit? Cur igitur non animaduertit tria errata in Licentio? & huic ignouit quod fecit audacius? illi autem non peperit quod fecit licentius? Licuit ne Licentio eſſe Audaci? non licuit Audaci eſſe Licentio? Aperio, & demonſtro errores. Primus eſt verſu 21. vbi ſic.

Captum aliquando tamen in munera parua volucrum.

Pes Iambus eſt loco ſpondæi *tamen* in *en* Iambus eſt cum Hexameter verſus ex dactylis, & ſpondæis. Scio inueniri aliquando & in ipſo Principe Virgilio, non ſemel. Verùm non idcirco a vulgari Poeta, & in paruo poemate. Virgilio datum, quòd Romanus, & Princeps erat, idcirco & in paruo poſuit

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Vuuu Fecit

Alipius, cùm vnum is vitæ genus elegiſſet, ne ab eo diſcreparet. Quod ſtatim argumento eſt Auguſtinum anteà in ſuo quidem piè, & ſanctè, ſed liberè ad voluntatem *Laico* more vixiſſe, ac idcircò ei Alipium nobilem, diuitem, diſertum, conſultorem, & cauſarum patronum minimè adhæſiſſe. Confirmo hæc verbis Paulini Epiſt. 35. ad Alipium: in qua petit ab eo, vt ſibi referat ſuæ vitæ rationes, vt hiſtoriam de ea texat. Patet enim ex illius tenore, Alipium hoc vnum tantum inſtituti Clericalis genus fuiſſe profeſſum. Produco locum: *Specialiter autē hoc à te peto, vt pro hac hiſtoria temporum, referas mihi omnem tuæ Sanctitatis hiſtoriam: vt quod genus, vnde ſis domo, quādo vocatus à Domino, quibus exordiis ſegregatus ab vtero matris tuæ ad matrem filiorum* Dei *prole lætātem, abiurata carnis, & ſanguinis ſtirpe, tranſieris, & in genus regale, & ſacerdotale ſis translatus, ediſſeras.* Quod autem primus eius vitę ſtatus fuerit Sacerdotalis liquet ex ſequentibus. *Quod enim indicaſti, iam de humilitatis noſtrę nomine apud Mediolanum te didiciſſe, cum illic initiareris, fateor curioſiùs me velle condiſcere, vt ex omni parte te nouerim; quò magis gratuler ſi à ſuſcipiendo mihi Patre noſtro Ambroſio, vel ad fidem inuitatus es, vel ad Sacerdotium conſecratus, vt eundem ambo videamur habere autorem.* Tranſit immediatè de Baptiſmo ad Sacerdotium. Verùm hoc erat inquies, dictum à Paulino minùs rerum Alipij perito. Fateor, nec ego hinc ſumo coniecturam. Ades dum. Ne ſiſte: lege reliqua. *Nam ego etſi à Delphino Burdegaliæ baptizatus, à Lampio apud Barcilonā in Hiſpania per vim inflāmatæ ſubitò plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad Fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotij ordine confoueor. Denique ſuo me Clero vendicare voluit, vt etſi in diuerſis locis degam, ipſius presbyter cenſear.* In hac comparatione loci cum Alipio apparet propriam amborum profeſſionem Clericalem extitiſſe. Talem putabat Paulinus fuiſſe Alipiū, qualē ſeipſe optabat fore, ſcilicet ab Ambroſio ordinatum; idque ſtatim ſumpto baptiſmo, vt nullius alius vitæ ſtatus intereſſet, in quo aliquandiu conſtitiſſet. Hoc ipſum ſignificat in 1. Elegia miſſa ad Licentium, quæ inſerta eſt Epiſtolæ 36. inter Auguſtini ad Romanianum eiuſdem Licentij Patrem. Exhortans itaque eum cogitantem ſecularia ad vitam Religioſam amplectendam adductis Auguſtini, & Alipii exemplis ſic inter cætera.

Frater Alipius eſt, Auguſtinuſque Magiſter:
Sanguinis hic conſors, hic ſator ingenij:
Tanto fratre vales, & præceptore Licenti,
Et dubitas pennis talibus aſtra ſequi?

Et infra

Ergo redi quà voce parens, quà ſanguine frater
Ambo ſacerdotes te remeare iubent.

Ecce amborum Profeſſio Clericalis: quanquam iam tranſiſſent ad Epiſcopale culmen euecti: ad eam igitur ſuſcipiendam in eo Monaſterio hortabatur Licentium Paulinus, vt in eo ſtatu perſeuerans ad eum etiam gradum promoueretur Licentius adoleſcens ambitioſus, qui ſeculares Magiſtratus anhelabat. Vnde illud ad eundem in Epiſtola inſertum quam Paulinus ad Patrem Romanianum miſerat.

Digitized by Google

ferat: *Verè enim Pontifex, & verè Conſul Licenti eris, ſi Auguſtini veſtigijs Propheticis, & Apoſtolicis diſciplinis, vt ſacrato beatus Heliſæus Heliæ, vt illuſtri Apoſtolo Timotheus adoleſcens adhæreas indiuidio, per itinera diuina comitatu, vt & Sacerdotium corde perfecto diſcas mereri, & populis ad ſalutem magiſtri ore conſulere.*

Erit tamen aliquis memor illius ardoris Alipii initio conuerſionis ad Chriſtum ſuæ, cùm teſte Auguſtino fortiſſimus corporis domitor *glaciale Italiæ ſolum nudo pede obtriuit inſolito auſu*, qui obiiciat eum morem incedendi nō eſſe proprium Clericalis, ſed Aſcetici, & quidem ſeueriſſimi inſtituti. Reſpondeo tunc Alipium fuiſſe Catechumenum, necdum de profeſſione Religioſa quicquam cogitaſſe, ſeque ea aſperitate ad ſuſcipiendum Baptiſmum præparare voluiſſe: proindeque nihil ex eo deduci ad infirmandam veritatem de Clericalis vitæ genere poſſe, cùm nihil de futuro poſt Baptiſma ſtatu cogitaret. Fuit ſanè illud generoſi animi indicium, & in primo currēdi ad ſalutem impetu motus vehementior: quem poſteà compreſſit, ad moderationemque reduxit; imo & tandem remittente ardore deferbuit, adeo ut ad curas ſeculares, & ad negotia humana redierit donec ad Auguſtinum imitandum ruptis, quibus tenebatur vinculis, conuolauit.

§. 3.

De Licentio.

Hic Fratrem ſuum, ſic eum vocat Paulinus, & quidem ſæpe in ſua ad Licentium Elegia inſerta Epiſt. 36. inter Auguſtini ad Romanianū ciuſdem patrem, modo ſequatur Alipium, certè patruelem, aut conſobrinum. Carus hic vnicè Auguſtino fuit, tum propter arctiſſimam cum Patre Romaniano neceſſitudinem, tum propter egregiam adoleſcentis indolem, & acre ingenium, & propenſionem ad ſtudia litterarum, & virtutum, quem ſibi tradiderat Pater à teneris imbuendum doctrinis, & moribus inſtituendum. Reſpondebat ille Auguſtini amori, obſequiis, & officijs, eumque mirificè colebat, eique ſe tanquam mollem ceram ad diſciplinarum formas accipiendas præbebat. Extant huius mutuæ beneuolentiæ multa, & præclara indicia tū in libris Academicis, tum in libris de Ordine, ac Beata vita, cum ſingulari eiuſdem pueri adoleſcentis acuminis, ac iudicij ſpecimine coniuncta. Erat præterea genio feſtiuo, & hilari, & ad Poeticā prono, quò iucundior, & amabilior exiſtebat. Nec illi tantùm libri loquuntur, ſed etiam Epiſtolæ Auguſtini idem teſtantur: eiuſmodi eſt epiſt. 34. ad Paulinum, & epiſt. 39. Auguſtini ad eundem Licentium, & Paulini 36. Quanti vero ipſe Licentius Auguſtino tribueret, apparet in Carmine ad eum miſſo, quod intra eandem Epiſtolam 39. continetur. Ex quo fit conſequens, vt ex actis Licentii colligamus argumenta vitæ, & inſtituti, quod amplexus eſt Auguſtinus. Incipiamus à capite. In Rure Caſſiſiaco prope Mediolanum ſimul vixit cum Auguſtino: eius diſputationibus adfuit, ab eo ſæpe interrogatus reſpondit, & cum ſociis de rebus ab eodem ad inquirendum, & deliberandum propoſitis, aptiſſimè diſceptauit. Erāt autem illi, Nauigius Auguſtini frater, Adeodatus puer

Alipius, Trigetius, Ruſticus, & Laſtiſtianus conſobrini Auguſtini, & interdum mater Monica, ita volente filio, cùm vacabat. Eo in contubernio degebãt omnis ex ſymbolis collectis, & in commune collatis, more Eccleſiæ primitiuæ, cum iam Catechumeni eſſent, & ſe ad vitam Chriſtianam ſuſcepto per Paſcha baptiſmo comparabant. Eo imminente Mediolanum venerunt, & tincti cæleſti lauacro ſimul cum Auguſtino Magiſtro curas, cogitationeſq; ſuas ad Chriſtum conuerterunt. Nulla tamen certa ſibi inſtituti forma præſcripta. Nec diù ſunt Mediolani morati cogitantes Africam, Romam iter intenderunt. Hic oportet paulùm figere veſtigiũ, & audire de hoc itinere canentem in ſuo illo ad Auguſtinum Carmine Licentium. Recolit illud iter, deque eo ſic

O mihi præteritos referat ſi priſtina Soles
Lætiferis Aurora rotis quos libera tecum
Otia tentantes, & candida iura bonorum
Duximus Italiæ medio, monteſque per altos,
Non me dura gelu prohiberent frigore cano,
Nec fera tempeſtas Zephyri, triſtiſque Boryni
Quin tua ſollicito premerem veſtigia paſſu.

Videtur in memoriam reducere iter illud Mediolanum Romam ſuſceptum; ex quo deduco Auguſtinum cum ſuo comitatu recta iuiſſe Romam, & nuſquam moratum eſſe, nec à ſuſcepto ſemel itinere deflexiſſe. Primò quia eius mens erat ſignificare Auguſtino deſiderium eum iam tunc Epiſcopum ſectandi, & imitãdi: ſe nimirum, quemadmodum eumdẽ ſecutus fuerat per Italiam, & altos montes, ita eſſe paratum ad redeundum ad eum, vt ſua conſuetudine frueretur. Huic autem propoſito erat contraria deflexio ab itinere, & in certo aliquo loco commoratio. Retinebat enim potius quam imitabat. Secundò, ſi verum eſſet aliorſum diuertiſſe ad viuendum cum aliis Auguſtinum, nimis apud eos quos inuiſeret moraretur, & ibi morari comites cogeret properantes, ac inter eos Licentium, qui moræ vni Auguſtino intentus impatiens erat; nolebat ille cũ aliis, & ſibi alii degebant conſiſtere, ſed Auguſtinum ſequi. Nec illa mora honori erat Auguſtino, dum quærebat apud alios inſtitutum, quod ipſe iam ex Euangelio didicerat, & apud ſe formauerat. Præterea fruſtra Licentius ſuum ſtudium ſectandi ſuum Auguſtinum exaggeraret ſi diuertentem, & morantem inter alios expectaſſet. Vnum ſequi cupit Licentius, non multos, alioquin Auguſtino iniuriam faceret. Æſtuat ardore vnius, & tu vis eum intrudere in promiſcuam aliorum ſocietatem. Reſtinguis properantis iuuenis ardorem, & inuitum ac reluctatem moraris. Tertiò non dixit Licentius ſe duxiſſe cum Auguſtino dies *in montibus altis*, ſed *montes per altos*, loquitur negans moram expreſſam per propoſitionem *in*, & affirmãs tranſitum ſignificatum per propoſitionem *Per*, quæ tranſeuntis eſt, non morantis. Ergo tranſitum olim fecerat, ſicut tunc, cum ſcriberet cogitabat: At dices, non conſtaret verſus ſi diceret

Duximus Italiæ medio, & montibus altis.

Fateor, & vrgeo. Propterea ſic concepit carmen Licentius, vti ſuſceperat iter

iter ſignificauit dicendo *Per montes* quod fecerat: vt ſi quis vellet mutare in ſtationem illam tranſitionem, erraret in facto, ſicut erraret in verſu, mutando propoſitionem *Per* in propoſitionem *In*. Hanc non capit carmen: quia non capit ſenſus. Errat in verſu, qui dicat *in Montibus altis*: errat in ſenſu, qui dicit ſtetit in montibus altis. Non errat, ſed rem acu tangit, qui canit *Montes que per altos* affirmans tranſiiſſe.

Quidni? Si mallet Licentius dicere moratum eſſe Auguſtinum, facile ſanè dixiſſet

Duximus Italię in medio, ac in montibus altis.

Vel mollius, & melius.

Duximus Italia campis, & montibus altis.

Abſtinuit hoc, & illo modo, quod res itineris erat, & viæ: non digreſſionis, & moræ. Verùm obſtrepit illa phraſis.

Otia tentantes, & candida iura bonorum.

Significat enim moras apud aliquos bonos, & ſanctos viros profitentes candorem vitæ, & morum, ad quos Auguſtinus diuertit, vt iis conſueſceret, & cohabitaret. Falleris quicunq; hoc tibi perſuades. Non eſt is verborum ſenſus: ſed longè diuerſus; nec ad alios externos referendus, ſed pro Licentio, & ſociis retinendus. *Nos*, inquit Licentius, & Auguſtinus, & reliqui recentes à Baptiſmo, & ad Chriſtum conuerſi, qui reliqueramus negotia ſecularia, & turbas hominum traducti ab actuoſa, & inquieta vita ibamus tentantes, experientes, ſancta illa contemplationis otia, & quietem conſcientiæ noſtræ, remoti iam à turbis, & tumultibus rerum humanarũ, & negotioſo, & turbulento more viuendi. Tentabamus, experiebamur *candida iura bonorum*, ideſt leges, & præcepta pura, & innocentia Chriſtianorum nobis impoſita, & præſcripta per baptiſmum, cãdida dicta, quòd hoc Sacramentum candidis in veſtibus ſumebatur, & quia candorem, & innocentiam ablutis culparum ſordibus conferebat, ac præſeferebat. Hæc iura meditabamur, hæc ſeruare conabamur: experiri incipientes, quod eſſent ſuauia, & facilia obſeruatu nobis baptizatis, & candidatis; non recordabamur tunc aliorum, quomodo in ſpeluncis, & cauernis ſitu tenebroſis degerent, ſed ad nos ipſos mentem, & cogitationes referebamus, quid nobis deinceps obſeruandum eſſet recẽs baptizatis meditabamur. Hic eſt idoneus, ac germanus illius carminis Licentii ſenſus. Alterum ineptum, imo & abſurdum eſſe oſtendo. Quomodo poterat cum Matre Monica, quam comitem habebat, illas digreſſiones facere, & per montium iuga inuia, & aſpera ad illa ſpelæa, & gurguſtia prouenire? At relinquebat Matrem apud aliquem apilionem, aut bubulcum in tugurio, caſave incluſam dum aberat. Certè non relinqueret ſolam. Verum dices, maneret comitata puero Adeodato. Nego. Nam hic malus eſſet cuſtos Auiæ vetulæ, & illi potius timendum pro ætacula eſſet; & alius cuſtos adhibendus. Is autem, inquis, Nauigius frater Auguſtini, pueri patruus. Ego non putem; vt qui Nauigium noui, hominem rudem, & moleſtum, & ad id minus opportunũ, qui oneri potius eſſet, quàm leuamini. Truncus ille fieret eo in loco, vbi nauigare non poterat; ad caute illas, & rupes confragoſas naufragaretur naufragium, non Nauigium. Prætereà quomodo poſſet Auguſtinus Matrem

ſuam cariſſimam deferre, à qua nunquam deſertus fuerat. Itaque crudelis filius matrem ſolam mediis in rupibus derelinqueret, quæ ipſum fuerat *terraque, marique ſecuta*. Oportebat ſanè vt Auguſtinus, aut Æneæ inſtar Matrē humeris imponeret, & ex illis ſyluoſis, & dumoſis locis explicaret, aut eam ſecum raperet, & per ſentes, tribulos, uepreſque raptaret, & tanquam Hippolytum laceraret. Rem indigitā! Tādem; quomodo tamdiu moraretur Auguſtinus cum tanto comitatu in iis locis deſertis, vbi nec diuerſoria erant, nec hoſpitia? Vbi iis habitandum, vbi meridiandum, vbi edendum, vbi cubandum erat? quod ſi eſſent domicilia apta, & idonea, vnde ſuppeterent Auguſtino pecuniæ ad expenſas? homini minimè opulento, & quem merces iam diu pro Rhetoricæ magiſterio defecerat, qua ſibi, & filio, imo & fratri conſulebat? Certe qui meminerit, quàm ille parce ac tenuiter vixerit apud Mediolanum in illo ſuo ſeceſſu Caſſiſiaco, is nouerit exiguas Auguſtini facultates eſſe ad tam lōgum iter, tamque impeditum iuſtis ſumptibus conficiendum. Properandum ei erat, non commorandum. Nec dicas communibus expenſis iter illud fieri, non priuatis Auguſtini, & in comitatu eſſe imprimis Licentium Romaniani locupletiſſimi hominis filium; eſſe Alipiū diuitem, Trigetium non inopem, quorum ille opibus iuuaretur. Nam de Trigetio nihil conſtat; tantùm ſcimus eum fuiſſe antea gregarium militem, qui dites eſſe non ſolent. Alipius, etſi nobilitate præſtaret, viuebat tamen de conſultis, & reſponſis Iuriſprudentiæ, ſicut Auguſtinus de Rhetorica facultate. Licentius autem licet haberet Patrem copioſiſſimum, non tantum accipiebat à Patre, quantum ſatis eſſet ad omnes alios ſuſtētandos, cùm præſertim Romanianus magnā haberet familiam, & multis negotiis abundaret. Nemo tam eſt largus vt ſua velit prodigere. Modicos eum fuiſſe pro Licentio ſumptus ex contubernio Caſſiſiaco apparet. Totum ergo expenſarum onus ad Auguſtinū redibat, cùm alii eſſent domeſtici, Ruſticus, & Laſtidiarus conſanguinei. Itaque hæc inopia omninò perſuadet illas digreſſiones, & moras eſſe negandas: nec quicquam fundamenti habere in verſibus Licentij; qui vt eſſent magis perſpicui, non iis facile habenda fides erat, cùm à Poeta canerentur; quorum eſt fingere, & fabulari.

Nihil igitur de Profeſſione Religioſa, hucuſque apparet. Nec poſtea quam Oſtiam peruenerunt ulla fit peculiari de Licentio commemoratio. Quid ei ſit factum diuinādum potius, quam affirmandum, donec ad coniecturas accedamus ſumptas ex diuerſis epiſtolis tomo 2. Auguſtini contentas. Dicam primò quod mihi videtur probabile. Licentium mortua Monica Oſtiæ, cum Auguſtino Romam rediiſſe, ibique cum eo quandiu ibi ille fuit, habitaſſe; eo profecto in Africam manſiſſe Romæ, & à primo propoſito ſeruiendi Deo deſtitiſſe, & vt erat adoleſcens generoſus, & diues cupiditate honorum ductum ſeſe ambitioni dediſſe, & negotiis ſecularibus animū adiecilſe, & pro ætatis lubricæ conditione libidini ſuccubuiſſe, à qua primùm ineſcatus varios concubitus expertus, deinde ſatiatus, de coniugio cœpit agitare, vt & honori, valetudinique conſuleret, & expenſis immodicis parceret. In hoc ſtatu monitus ab Auguſtino, qui nunquam eius oblitus fuerat, & à Paulino, de illo animi

Digitized by Google

animi in quo verſabatur periculo, cœpit ad ſe redire, & de mutandæ vitæ ratione agitare. Nec dubito quin fortè à Patre Romaniano, ab Alipio certè conſanguineo excitaretur. Extāt Epiſtolæ ad eundem in eo tumultu cogitationum fluctuantem Paulini, & Auguſtini, quin & ipſiuſmet Licentii ad Auguſtinum, vnde diſcamus miſeri adoleſcentis anxietatem. Sed antequā eas proferamus, operæpretium erit animaduertere, Licentium anteà nullam religioſæ vitæ formam profeſsū. Nam ſi quam eſſet antea profeſsus, non poſſet ad ſeculum redire, nec ſe vitiis mancipare, nec de ducenda vxore cogitare. Alioquin Apoſtata eſset: quod ſi tamen per ſummam licentiam Licentius faceret, tacitum id non ferret in ſuis Epiſtolis Auguſtinus ſeueriſſimus cuſtos, & vindex ſemel emiſſæ profeſſionis, vti ſæpe in eiuſdem libris apparet. Quare Laicum purum fuiſse, Romæ cùm eſset, *Licentium*, omninò conſtat.

Proferamus nunc Epiſtolas, ac primùm Paulini ad Romanianum, quæ habetur inter Auguſtini numero 36. *Vtinam hæc nunc Domini tuba, qua per Auguſtinum intonat, Filij noſtri Licentij pulſet auditus, ſed vt illa audiat aure, qua Chriſtus ingreditur. Tunc virè ſibi Summus Pontifex Auguſtinus videbitur, quia ſe tūc & exauditum ſentiet ab excelſo, ſi quem ſibi dignum genuit in litteris, hunc & ſibi dignè filium pariat in Chriſto. Nam & nunc velim credas, flagrantiſſima de ipſo nobis ſolicitudine ſcripſit. Credimus in omnipotentem Chriſtum, quòd adoleſcentis noſtri votis carnalibus ſpiritualia Auguſtini vota præualeant. Vincetur, vel inuitus, mihi crede, vincetur piiſſimi Parentis fide, ne mala victoria vincat, ſi maluerit in perniciem ſuam vincere, quàm pro ſalute ſuperari.* Et rurſum ibidem. *Audi ergo, Fili, legem Patris tui, ideſt fidem Auguſtini, & noli repellere conſilia matris tuæ, quod æque nomen in te Auguſtini pietas iure ſibi vendicat, qui te tantillum geſtauit ſinu ſuo: & à paruulis primo lacte ſapientiæ ſecularis imbutum, nunc etiā ſpiritualibus lactare, & enutrire Domino geſtit vberibus.* Nec plura. Hic hæreo in ſalebra. Videtur hæc Epiſtola componi ex duabus, vna miſsa ad Romanianum Patrem in Africam, in qua ſint primæ particulæ inſertæ, quæ ſpectant ad Licentium, nam poſteà ponitur clauſula: *Incolumeē te ætate, quam plurima, & beatum ſemper cum tota domo tua, vt cupimus, habeamus in Chriſto, Domine frater, meritò honorandiſſime, & deſideratiſſime.* Qui eſt iuſtus finis Epiſtolæ. Cui tamen adſcripta eſt altera ſine inſcriptione ad Filium Licentium, quæ incipit, *Audi ergo filij tui*: cuius proximè verba poſuimus. Hæc autem cum verſibus annexis Paulini ſupponit Licentium, ad quem ſcribit commorari Romæ: cùm illa prima data] ad Romanianum indicet, Licentium eſse in Africa, in domo, & contubernio Patris. Quòd autem epiſtola quę incipit *Audi* cum elegia Paulini ſupponat Licentium eſse Romæ. Patet ex ipſamet incluſa Elegia. *Proh dolor! hos propter remoraris in Vrbe Licenti.* Idque tota Epiſtola loquitur. De prima autem ad Romanianum indicium eſt illa partic. *Paucis tamen & ad ipſā loquamur, ne neget ſibi ſcriptum, quod de ſe tibi ſcriptum eſt.* *Æſchino enim dicitur, quod audit Mitio*: & illa. *Panes quinque tibi pariter, & filio noſtro Licentio miſimus*, quæ indicat ſimul ambos eſse, vt communes eſsēt ambobus Panes. Veniſse autē Li-

Licentium Roma ad Patrem fieri potuit, & ad eum ibi ſcripſiſſe Paulinum intra litteras Patris. Sed pugnat cum hac cohabitatione Paulini Elegia, quæ manifeſtè dicit Licentium commorari Romæ. Hoc in dubio diu anceps hæſi, ſed tandem ſtatui Licentium domi ſuæ in Africa cum Romaniano Patre eſſe, & ad eum ibi morantem ſcripſiſse Paulinum, & Eulogiam illam quinque Panum miſiſse. Ad obiectionem autem de Elegia ſupponente præſentiam Romæ Licentii, reſpondeo Paulinum eam antè compoſuiſse, quàm haſce litteras miſiſset, morante adhuc Romæ Licentio, eamque apud ſe ſeruaſse ſepoſitam, dum eſset opportuna occaſio Tabellarii: quæ præſtò non fuit ante diſceſsum Roma Licentii. Paulinus ait ſe compoſuiſse Elegiam poſtquam vidit Carmen Licentii ad Auguſtinũ miſsum, & ad ſe cum epiſtola ab Auguſtino ex Africa tranſmiſsum, quod liquet ex epiſt.32. ſtatim adducenda. Hoc accepto ſequitur Paulinum ſuſtinuiſse, donec opportuna ſe præberet occaſio mittendi litteras Licentio. Interim contigiſse diſceſsum Roma in Patriam Licentii, ſiue quòd vocatus à Patre, ſiue quod ſponte ad eum ſe contulit; & tunc miſiſse Paulinum litteras ad Romanianum Patrem, & ad Licentium filium, qui domi ſimul cum Patre habitabat. Hoc omnino eſt veriſimile, & multum facit ad narrationem rerum Licentii: apparebit enim, quid ille moliretur, & de ſtatu vitæ deliberaret, & cur non Auguſtino adhæſerit, ac de eo poſt illas litteras, & carmen Auguſtinus minus fuerit ſolicitus, & in cæteris ſuis geſtis, & ſcriptis nuſquam mentio fiat Licentii. Redeamus in viam dũ ab ea deuiat Licentius. Manſit Romæ donec vocatus à Patre venit ad Patriã, vel ab ipſomet Romam negotiandi cauſa eunte confectis negotiis reductus eſt in Africam, vbi cum Patre domeſticas res, quæ erant ampliſſimæ, curare cœpit. Nec vero obiicias me liberè aſſumere iſtam itionem Romaniani Romam, & inde domuitionem in Africam. Quia Romanianus homo erat expertus, & negotioſus, ac ſæpe ob emergentes lites domo exire, & aliò etiam in longinquas regiens migrare cogebatur apparet ex lib. 6. Confeſſ. cap. 14. *Romanianus*, inquit, *maxime municeps noſter, quem tunc graues æſtus negotiorum ad Comitatum attraxerant*. Scribebat autem hoc Auguſtinus Mediolani; vide quàm procul Targaſte! Iterum in Campaniam iſſe cum litteris Auguſtini, & libris ad Paulinum ex eiuſdẽ Auguſtini Epiſt. 32. apparet. *Quæ chariſſimus, & ab ineunte Adoleſcentia mihi familiariter amiciſſimus, qui hanc eximietati ac præſtantiſſimæ charitati epiſtolam apportat. Huius nomen eſt in libro de vera Religione, quem tua ſanctitas, quantum litteris indicas, libentiſſimè legit*. Huius nomen Romaniani exprimitur cap. 7. illius libri. Poterat etiam Auguſtinus laudare librum 2. Academ. quæſtion. quem dedicat Romaniano. Patrem tunc comitabatur Licentius Filius; quod adiungit ad finem Epiſtolæ Auguſtinus. *Filium autem eius noſtrum cuius etiam nomen in aliquibus noſtris libris inuenies* (ſunt autem ſex, tres Academicorum, duo de Ordine, vnus de Beata vita) *etſi ad tuæ Charitatis præſentiam ipſe non pergeret ſtatueram litteris in manu tua tradere conſolandum, exhortandum, inſtruendum non tam oris ſono, quàm exemplo roboris tui. Ardeo quippe, vt dum*

adhuc

adhuc ætas eius in viridi fæno eſt, zizania conuertat in frugem, & credat expertis, quod experiri periculosè deſiderat. Nunc ergo ex eius carmine, & epiſtola, quam ad eum miſi beneuolentiſſima, & manſuetiſſima prudentia tua, quid de illo doleam, quid timeam, quid cupiam. Hinc deducitur Licentium poſt illud cum Auguſtino Mediolani contubernium, comitatum in itinere Romam, & Oſtiæ commorationem viuente Monica, & ea mortua cum Auguſtino Romam reditum, fluctuaſſe animo, & à ſuſcepto ſeruiendi Deo propoſito paulatim deflexiſſe, ac demum ſe ad voluptates, & delicias, ad quas ætas florens, opum affluentia, conſuetudo æqualium inuitabat, conuertiſſe: deinde afflante aura cupiditatis totum ſe ad ambitionem honorum contuliſſe. Adeò, vt Auguſtinum paucos poſt menſes in Patriam remeantem ſequi noluerit, & viſco illo titillantis libidinis, & blandientis ambitionis implicitus remaneret. Ac, opinor, diu eo in luto hæſit, ſeque volutauit, cùm ad eum non reperiamus datas ab Auguſtino litteras, niſi poſt epiſcopatum: quòd ſcilicet deliciis, & illecebris illis ineſcatus differret ad Auguſtinum ſcribere, & ſuum fatale carmen tranſmittere: in quo miſerrimum ſuum obiter proponit ſtatum, ac priſcos animi, & ſacros æſtus exponit, deſiderans ad eundem accedere. Sed arctius inhærebat viſco, quàm vt ex eo præſertim malè iam plumatus expediret. Equidem video illum hinc, inde & à Paulino, & ab Auguſtino monitum, & reprehenſum, & increpitum minime moueri, & poſteriori de obtinendis honoribus, & augendis opibus propoſito adhærere, quod dolenter exprimit Auguſtinus ex ſua illa epiſt. ſuauiſſima 36. quæ tota plena eſt querimoniis dulciſſimis, & amantiſſimis, quibus ego nõ poſsũ cùm lego, nõ magnopere cõmoueri. Nouerat Auguſt. excelſam indolem iuuenis, acutum ingenium, generoſum animum, auream linguam, eximias alias dotes; ac dolebat ab Eccleſiæ contubernio, ad quod eum tandiu inſtruxerat, & formauerat ad ſæculi turbas, & tumultũ defeciſſe. Delibo illa. *Me miſerum! Quo mihi linguam auream, & cor ferreum, quibus ego non carminibus, ſed lamentationibus ſufficiam plangere carmina tua? in quibus video quam animam, quod ingenium non mihi liceat apprehendere, & immolare Deo noſtro?* Tota epiſtola referta eſt tenerrimis ſenſibus. Clauſulam accipe. *Ornari abs te Diabolus quærit. Si calicem aureum inueniſſes in terra, donares illum Eccleſiæ Dei. Accepiſti à Deo ingenium ſpiritaliter aureum, & miniſtras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas teipſum. Noli obſecro ſic aliquando ſentias, quam miſero, & miſerando pectore hęc ſcripſerim & miſerearis iam mei, ſi tibi viluiſti.* Nullo colore potuit melius miſeri ſtatus iuuenis, quam eo Auguſtini dolore depingi. Hinc illæ preces efficaces, hinc illæ iteratæ commendationes apud Paulinum epiſt. 32. & 33. hinc illa ad eundem Licentium exhortatio ad imitandum Paulinum epiſt. 39. *Vade*, inquit, *in Campaniam, diſce Paulinum*; & iterum: *Vade, diſce: Quid æſtuas, quid fluctuas? Quid imaginationibus mortiferarum voluptatum aurem accommodas, & auertis à nobis? Mentiuntur, Moriuntur. In mortem trahunt.* Hic ſiſto, & ſtylum conuerto ad ſcopum. Perſuaſum mihi eſſe, Licentium ſecularem deinceps vitam amplexum, & Romaniani Patris

Clericali militiæ confirmauit aduerſus tentamenta & molimina Matris, quæ illum à Sanctiſ propoſito reuocare, & ad ſe retrahere volebat. De primo narrat Auguſtinus ſerm. 2. de vita Cleric. de ſecundo commemorat epiſtola 38. Certè neuter ab altero ſeparari, aut vellet ſi poſſet, aut poſſet ſi vellet. Solum Patris imperium illam coniúnctionem, tanquam intercurrente turbine diſſoluere potuiſſet.

Iuuat hic tamen increpare Licentium, quòd Auguſtinum cariſſimum deſeruit, & in eum ſuos illos, quibus tumet verſus conuertere ſumpto argumento a verbis Auguſt. Epiſt. 39. ſic ſcribentis. *Si verſus tuus inquit, momētis inordinatis peruerſus eſſet, ſi ſuis legibus non ſtaret, ſi mēſuris imparibus aures offēderet auditoris pudêret te certè, nec differres, nec deſiſteres, donec ordinares, corrigeres, ſtatueres, ęquares verſum tuum, diſcendo, & agendo artem metricam accerimo ſtudio, & labore quolibet. Quòd cum inordinatus ipſe peruerteris, cum legibus Dei tui non ſtas, neque in agenda vita honeſtis tuorum votis, & huic ipſi eruditioni tuæ concinis, abÿciendum, poſt tergū putas, & negligendum: quaſi præ ſono linguæ tuæ ſis tibi & voce vilior, & incompoſitis moribus, quod offendis aures Dei leuius ſit, quàm ſi incompoſitis ſyllabis tuis grammatica ſuccenſeret authoritas*. Sed antequam hæc vertam ad reprehenſionem Licentii, mirari libet Auguſtini indulgentiam in eundē, ignoſcentis erratis, quæ ſunt in nonnullis verſibus, & qui deprehendit vnum in alio, licuiſſe poeta plures in Licentio, aut non vidiſſe, aut præterijſſe. Rem narro. Scripſerat Audax, ſic dicitur, iuuenis, opinor, acer & vehemens ad Auguſtinum ſubiectis Hexametris, quorum vltimus euaſerat Heptameter, deprehendit ſtatim Auguſtinus mēdoſum excurſum, nec diſſimulauit, ſed obiecit, ac reiecit cum acumine, & aculeo. Afferamus verſus.

Cur mihi fons Orbis paruo ſermone meauit?
An minus apta ſuis ſperauit corda fluentis?
Cum pateat mens omnis aquis, ſpectetque loquacem
Religionis opem: gratis da ſenſibus imbres
Expectat qua plena fides Chriſti de ſtipite pendens.

Vides verſum ſeptempedem vltimū. Eo recognito ſic Auguſtinus in Epiſtola, quæ eſt 140. *Quòd autem, inquit, in quinto, atque vltimo verſu ſeptem pedes ſunt, neſcio vtrum tuum numerus fefellit auditum, an experiri voluiſti, vtrum ego adhuc iſta deiudicare meminerim*. Viden vt Auguſtinus deprehendit errorem, & propalauerit? Cur igitur non animaduertit tria errata in Licentio? & huic ignouit quod fecit audacius? illi autem non peperit quod fecit licentius? Licuit ne Licentio eſſe Audaci? non licuit Audaci eſſe Licentio? Aperio, & demonſtro errores. Primus eſt verſu 21. vbi ſic.

Captum aliquando tamen in munera parua volucrum.

Pes Iambus eſt loco ſpondæi *tamen* in *en* Iambus eſt cum Hexameter verſus ex dactylis, & ſpondæis. Scio inueniri aliquando & in ipſo Principe Virgilio, non ſemel. Verùm non idcirco a vulgari Poeta, & in paruo poemate. Virgilio datum, quòd Romanus, & Princeps erat, idcirco & in paruo poſuit

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Vuuu Fecit

Fecit Licentius ſaltem quàm debuit licentius: ego nec auſus vnquam, nec audebo: quod natus ſum barbarus præ Romano. Secundus error eſt in verſu 29.

Ferto Magiſter opem, ac tu ne deſere vires

opem ac hiat, & expirat, quia ſynaliphe deglutit illud, ac deeſt ſyllaba, quæ os obturet, & hiatui obſtet: itaque minor eſt vna ſyllaba, & virtus claudicat, cum debuiſſet incedere ſex pedibus, procedit ſolis quinq; ac dimidio, & altero dimidio deſtituitur, Audax peccauit excedendo debitam menſuram, Licentius non accedendo ad menſuram iuſtam. Excuſabis exemplo eiuſdem Virgilij. Ego reiicio eadem à me adducta ratione. Tertium mendum irrepſit in carmen 103.

Arcet amor, copulamque tenet communis honeſti.

Lapſus hic eſt: *copulam* corripit in prima ſyllaba, cum producatur. cuius gratiam ei facere non poſſum vetus, & ſeuerus Poeta. En ter labitur Licentius, nec Auguſtinus corrigit. Maior quippe illũ tenebat ſolicitudo, emendandi abſonos a lege Chriſti mores, quàm diſcrepãtes à lege Carminis ſonores. Magnitudo doloris obtudit mentem ne videret, hebetauit ſtylum ne deleret. Intentus conuerſioni animæ præteriuit peruerſitatem carminis. Erraſti, mi Licenti, erraſti, nec mirum: deſtituerunt te fides Lyræ deficientem à fide data Chriſto, erraſti ſenſu cordis, quidni oberrares à chordæ. Incompoſitis moribus tuis reſponderunt incompti numeri. Refellit te ars, vbi tu fefelliſti ſpem. Decepit te verſus ſimul ac peruerſus eſſe cæpiſti. Æſtu abreptus libidinis, aſtro caruiſti poeticis. Excuti, ſi potes Phœbum, & indue Chriſtum. Da te Auguſtino: liberaberis ab auguſtiſſimo calle vitiorum, quem ſyluoſa denſitas cupiditatum implicuit. Linque Camænas, & Sirenas: ſunt apinæ, ſunt nugæ, ſunt Fabulæ, vt inter eas Licenti Fabula fias. Suſpende plectrum, arripe Pſalterium. Da te Clericis te vocantibus, & Auguſtino concinentibus. Sed tu apud hunc cæleſtem Nilum vnde ſolebas bibere, catadupas inueniſti, & ad illius currentis ſtrepitus obſorduiſti, & totam virtutum harmoniam perdidiſti. Equidem ſic ego cum Licentio ſi mihi per ætatẽ liceret expoſtularem, & derelicti Auguſtini mei iniuriam vindicarem. Ne mireris Lector, nam nulli vnquam homini magis inuidi, quam iſti Licentio, quẽ comperi à Sãctiſſimo illo viro vnicè, adamatum, mirificè dilectum, diligentiſſimè inſtructum, copioſiſſimè eruditum, qualis ego per tempus non merui: ac idcirco ei vehementer ſuccẽſeo, cùm video eundem prodito, ac deſerto Auguſtino, ad ludicra conuerſũ, nec poſſum dolori moderari, quem capio, videndo eum tam malè, amori, eruditioni, curæ, cuſtodię, aliiſque officiis beneuolentiæ reſpondiſſe. Linquamus hæc parerga, quanquam intra terminos Auguſtianæ doctrinæ maneant; & illud à nobis propoſitum refricemus. Nullus prorſus Religioſi Ordinis profeſſorem viuere. Licentium & ſi quam profeſſurus eſſet aliquando non niſi Canonici Regularis cum Auguſtino, & ſub Auguſt. Patre profeſſurũ fuiſſe.

Abibam; ſed tenuerunt me duæ quæſtiunculæ, ſcitu dignæ, ac non iniucundæ. Prima, de propinquitate Alipii, & Licentii, quam ſupra tetigimus, & adduximus: ac

minus

Digitized by Google

minus deduximus, qualis ea, & quanta fuerit. Et quidem Paulinus Epiſt. 36. in Elegiacis. *Fratres*, eos ter appellat, ac exprimit *ſanguine* conſanguinitatem, *ſanguine frater*. Ita vt agnationem inducat, quæ duo videntur inter ſe pugnare cum ſtrictior ſit gradus *conſanguinei* præſertim fratris, quàm cognati. Verùm efficiam ne pugnent, & me ſequeſtrum inter vtrunque adhibeo. *Fratres Patrueles* erant atq; adeo cognati Romanianus & Alipius. Etenim nomen *Cognatus* latius funditur quàm Agnatus, & conſaguineus, & vtroque ſua ſignificatione comprehendit. Licet nomine Agnati cognatus non veniat propriè. Accedit Paulinum loqui Poeticè, & in verſu, qui ſermo licentior eſt. Itaq; non modo Romanianus Pater, ſed etiam Licentius Filius dicitur à Paulino *Frater ſanguine, & conſanguineus:* poetica largitate. Itaque Auguſtinus vere, ac Latine, imo & iuridicè loquitur eiusq; ſententiam oportet ſectari: quanquam non ſit improbandus Paulinus. Auguſtinus tamen epiſtola 32. non longe a fine Romanianum cognatum Alipii dicit. *Eſt*, inquit, *cognatus venebilis, & verè Beati Epiſcopi Alipij*.

Expedita prima ſuccedit altera. Cuiſnam ætatis eſſet Licentius, cum huiuſmodi Epiſtolæ pareneticæ de ſe volitabant. Etenim videtur pugnare cum ſtatu, & ætate Auguſtini, Alipij, & Paulini, ætas, quæ attribuitur Licentio. Quippe qui à Paulino in Elegia *Puer*, idque ſemel, & iterum appellatur, & ab Auguſtino Epiſtola 33. *In viridi fęno ętatis eſſe* dicitur: cum tamen omnes hi tres iam eſſent Epiſcopi; quod ſtare non poteſt cum illis annis Licentii, quem oportebat multò eſſe grandiorem. Putemus rationes. Mediolani in Rure illo Caſſiſiaco vbi Auguſtinus vindemiales illas, & litterarias feria egit, aderat Licentius inter alios Auguſtini diſcipulos, idoneæ ſanè, vt apparet ad Philoſophum ætatis, & ſatis adultus, nam ſolus ibi *Adeodatus Puer* dicitur, quindecim, vt ait Auguſtinus, natus annos. Fac Licentium duo de viginti habuiſſe, nec pauciores ego, nec plures volo, iuſtam illam ætatem puto, pro ardore quo inflammare ſolitus erat, Poetices, & pro facultate Philoſophica penetrandi arcana, & pro diſputandi acumine, & iudicandi grauitate. Pergo. Comitatus eſt Auguſtinum Oſtiam, deinde Romam, cum eo rediit, nec inde deceſſit. Igitur manente eo ibi Auguſtinus reuerſus eſt in Africam; ibi vixit annos ferme tres in ſeceſſu prope Tagaſten, vbi ſuos Agellos habebat, deinde elapſo illo triennio factus Presbyter, quod munus tres ferè annos exercere debuit; antequam initiaretur Epiſcopus: tandem initiatus reſcripſit Licentio; qui certè annorum curſus longior videtur, quàm pro illa tenera ætate, quæ attribuitur Licentio; cùm multò videretur adultior.

Autor ſum Licentium eo tempore habuiſſe Annos 26. atque adeo potuiſſe id ætatis adoleſcentem Puerum appellari, præſertim à Paulino ſene, vel in ſenium iam vergente, quanquam is eum in epiſtola *adoleſcentem* vocet, vt pueritiam iam eum euaſiſſe ſignificet, & in adoleſcentiam migraſſe, crediderim autem Paulino extra verſum ſcribenti: nam carmina licentius agunt, & ex adoleſcentibus pueros, & ex pueris adoleſcētes faciunt: Auguſtinus ſilet: neutroq; nomine vtitur. Probemus ergo cum

duas agat perſonas, Scriptorem, ac Poetam, induiſſe ambas, & duobus nominibus appellaſſe. Teneamus nomen *Adoleſcentis*, & inquiramus annos. Sumò duodeuiginti Mediolani; addo illum annum 388. baptiſmi Auguſtini, fiunt vnde viginti: quo anno completo agebat Auguſtinus triginta quatuor. Decurrunt tres dum fuit Tagaſte Ruri Paterno, Licẽtius Romæ; hic agebat viginti duos: Auguſtinus triginta ſeptem; ordinatus eſt ineunte anno trigeſimo octauo Preſbyter: & vix dum elapſo triennio Epiſcopus creatus à Megalio Primate Numidiæ annum agens quadrageſimum, qui annus Licentio fuit vigeſimus inchoatus; incidit autem is in Annum Chriſti 394. Sexto poſt baptiſmum. Ex quo ad obitum vſque Auguſtini numerantur anni triginta ſex, quos vixit in Epiſcopatu ſecundũ computationem Breuiarij Romani, & Poſſidonij. Itaque conſtat ætas Licentii vſque ad Epiſcopatum Auguſtini vigintiquinque annorum, quæ propria eſt adoleſcentis. Addamus annum vnum pro tempore ſcribendi Epiſtolas, fiunt 26. planè intra adoleſcentiam. Nec diutius differri poſſunt. Apparet quippe ex epiſtolis recentes adhuc eſſe à conſecratione *Auguſtini*, & aliorum quatuor *Aurelij, Alipij, Profuturi, & Seueri* de qua conſecratione, cum gratulatione litteras miſit ad Romanianum, tum peregrinãtem Paulinus: *Gratulantes*, inquit, *properauimus, quæ recentiſſimis ſermonibus acceperamus*. Et rurſum; *quod ſi primus hic à nobis tibi nuncius veniet*. Ecce *recentiſſimis*, & ſubiungit de Auguſtino. *Non autem hoc ſcribimus gratulandum, quòd Epiſcopatum Auguſtinus acceperit, ſed quòd hanc Dei curam meruerint Africanæ Eccleſiæ, vt verba cæleſtia Auguſtini ore perciperent*; Sic in Epiſtol. 30. Hoc accepto aufertur difficultas, & quadrat in Licentium nomen adoleſcentis, tributum ei tum ab Auguſtino, tum à Paulino, nec verò diſcrepat ab ætate viginti ſex annorum, nomen quo afficitur à Paulino *Pueri*, cùm præſertim ſit in Carmine, vbi ea licentia bellè ac venuſtè cadebat in Licentium etiam Poetam, qui ferret, ac excuſaret; Quod ſi exemplo indiget Paulinus: affero illũ verſum Virgilij lib. 9. Æneidos, qui Euryalum militem adultum, atque adeò adoleſcentem robuſtum, vt ex eius animo, & factis apparet, in hoſtis irruere conantem ore Aſcanij *Puerum* vocat.

Te vero venerande Puer.

ac obiter obſeruo epitheton *Venerande*, quod ſignificat maturam ætatem pro adoleſcente: nec tamen *Pueri* nomen in Euryalo malè, ac impropriè à Poetarum Latinorum principe collocatur.

Atque hic Lectorem precor velit mihi gratiam facere digreſſionis ad Romanianum Patrem Licentii. Quẽ virum, ex quo Auguſtinum legere dedita opera cæpi (Fuit autem annus huius ſeculi 39. quadraginta iuſtos abhinc annos) miro ſum amore complexus, quod comperi eum vnicè dilexiſse Auguſtinum, eundemq; ſuis opibus ad maiora ſtudia aggrediendum, & conficienda ſtrenuè adiuuiſse, quibus ille pro tenuitate Patris par nõ erat, multis prætereà honoris titulis ornaſse, & beneficiis affeciſse, & iter ad ſapientiam ſtrauiſse, quemadmodum elagantiſſimè commemorat ipſemet Auguſtinus Præfatione lib. 2. quæſtion. Academic. Adeò vt non parum Romaniano Mater Ec-

cleſia debeat, quòd, quem pauperem edidit Mater Monica, illa diuitem, opulentumque reddiderit. Itaque accepimus à Monica nudum, à Romaniano veſtitum, & ornatum: ab illa infantem, ab hoc eloquentem, ab illa imperitum, ab hoc eruditum: ab illa obſcurum, ab hoc illuſtrem, & clarum; ab illa deiectum, ab hoc eleuatum, & in excelſo quodam dignitatis culmine collocatum. Quod ſi Monica Aquilam peperit, niſi Romanianus adfuiſset, implumis illa, & inutilis in nido remaneret, nec ſe eximiè plumata explicaſset, & in aures alata exiret, & Solem oculis tranſuerberaret. Itaque tota Reſpublica litteraria, imo & Chriſtiana Eccleſia fateri debet Romaniano ſe eſſe, ac fore deuinctam, quòd per eum tantum diuinus ille Doctor profecerit, quo ſe illa magiſtro profeciſſe teſtatur; & de cuius doctrina tantoperè gloriatur. Ac ne quis putet me præ nimio affectu exuberātius, & exaggeratius hac, quàm pro rei magnitudine dicere, operæ pretiū duco proferre ipſamet Auguſtini verba, quorum ego vim & energiā æquare non poſſum. Credamus Auguſtino. Do Auguſtinū cui ego Macedo cedo. Sic ille in præfat. illa lib. 2. contra Academicos. *Tu me adoleſcentulum pauperem ad peregrina ſtudia pergentem, & domo, & ſumptu, & (quod plus eſt), animo excepiſti. Tu patre orbatum amicitia conſolatus es, hortatione animaſti, ope adiuuiſti. Tu in noſtro ipſo municipio, fauore, familiaritate, communicatione domus tuæ penè tecum clarum primatemque me feciſti. Tu Carthaginem illuſtrioris profeſſionis gratia remeantē, cum tibi ſoli, & meorum nulli conſilium meum, ſpemq; aperuiſſem, quamuis aliquantum illo tibi inſito, quia iam ibi docebam, patriæ amore cunctatus es, tamen vbi euincere adoleſcentis cupiditatem ad ea quæ videbantur meliora tendentis nequiuiſti, ex dehortatore in adiutorem mira beneuolentię moderatione conuerſus es. Tu neceſſarijs omnibus iter adminiculaſti meum. Tu ibidem rurſus, qui cunabula, & quaſi nidum ſtudiorum meorū foueras iam volare audentis ſuſtētaſti rudimenta. Poſtremò quicquid de otio meo modò gaudeo, quòd à ſuperfluarum cupiditatum vinculis euolaui, quòd diſpoſitis oneribus mortuarum curarum reſpiro, reſipiſco, redeo ad me, quòd quæro intenſiſſimus veritatem, quòd inuenire iam ingredior, quòd me ad ipſum ſummum bonum peruenturū eſſe confido, tu animaſti, tu impuliſti, tu feciſti.* Hæc qui legat, planè comperiet, ieiunè me, ac exiliter dixiſſe, quæ Auguſtinus copioſè, ac eleganter pronuntiauit, meque tanto illo tenuiorem eloquentiæ facultate, quanto ille ſe fecit Romaniano opibus pauperiorem. Verum ſatis mihi erit veſtigia illius adorare, quem mihi ſemper venerandum, colendumque propoſui. Reddito itaque Romaniano debito mei obſequij officio: ad inſtitutum reuertor, & extremum hoc præſto.

CAPVT VII.

Proponitur obiectio ex Petiliani dicto deſumpta: ore maledico Auguſtino conuiciantis, quòd Monaſteriorum, & Monachorum fuiſſe inſtitutor:

Lib. 3. contra litteras Petiliani c. 40. contenta.

ETſi ſupra hoc argumentum ſoluerimus, quia tamen magnam in eo vim aduerſarii faciunt, & per-

Digitized by Google

magni illud eſſe momenti putant ad perſuadendum Monachorum Patrē, & Monachum Auguſtinum fuiſſe; oportet hic accuratiùs retractare, & quantum valeat examinare, ac pendere. Dictum hoc eſt *Perexit*, inquit ibi Auguſtinus, *ore maledico in vituperationem Monaſteriorū, & Monachorum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum*. Reſpondeo. Primo vt largiar hoc quod aduerſarii maximè, licet ineptè cupiunt nomine Monaſteriorum, & Monachorum ſignificari monachos, prout ſunt à Clericis Regularibus diuerſi, nullatenus ex eo ſequitur, inferturue Auguſtinum Monachum, nec autorem Monaſtici inſtituti fuiſſe. Ratio eſt in promptu. Quia potuit Epiſcopus Clericus ędificare, & congregare Monachos, eoſque in Africam introducere. Liquet aſſumptū; nam ex hiſtoriarum monumentis conſtat multos eiuſmodi Epiſcopos inſtituiſſe Monaſteria, & Monachos, nec idcirco eius profeſſionis fuiſſe. Tales ſint Hilarius Pictauii, & Ambroſius Mediolani, quem forte Auguſtinus imitari voluit, cum de eo id narret lib. 8. Confeſſ. c. 6.

Habuiſſe eum Monaſterium bonorum Fratrum prope Mediolanū. Imo pleroſq; Principes ſeculares legimus introduxiſſe religiones in ſua Regna, iiſque Monaſteria ædificaſſe, quarum exemplis pleni ſunt Annales Imperatorum, ac Regum Hiſpaniarum, Gallorum, Luſitanorum, & Anglorum, & Rerumpublicarum Venetiarū, & Genuæ. Iam vero Epiſcopi paſſim in Eccleſiaſticis hiſtoriis occurrūt, ne quid dicam de Summis Pontificibus, quorum plerique Religioſas, & introduxerunt familias, & Cœnobia eis aſſignarunt, nec propterea illud inſtitutum amplecti voluerunt. Potuit igitur Auguſtinus, & Monaſteria fundare Monachorū, & illud vitæ genus inſtituere extra Hipponem poſitus. Sed quia vrgebunt Pictilianum expreſſe loqui de inſtitutione illius generis vitæ quæ vox ſonat, de nouo feciſſe, ac excogitaſſe, repono. Non vrgeri nos ea ratione, quia potuit pro alijs inſtituere, nō pro ſe, & leges dare extra legem poſitus, quemadmodum multas regulas dederunt pro feminis Religioſis, cum talis eſſe non poſſent. Verùm quia Religioſum facimus Auguſtinum. Reſpondeo ſecundo, ac verè. Illa Monaſteria, & Monachos, & illud vitæ genus quod profitebantur fuiſſe Canonicorum Regularium. Quod ſic validè, ac rotundè quatuor argumentis confirmo.

Primum eſto, & ad hominem, vt aiunt retorquendo. Auguſtinus per vos Monachus fuit in eo Monaſterio, quod fundaſſe dicitur à Petiliano, ſic enim argumētamini ad perſuadēdum illum Monachū induiſse, & à ſe inſtitutum illud genus vitæ profiteri voluiſſe. Hoc autem non eſt verum: ſcilicet Monachum egiſse. Ergo non illud genus vitæ inſtituit, quando illud non eſt amplexus. In minori ſita vis eſt. Eam probo. Si Auguſtinus Monachum indueret, ac Monaſticum geſtaret habitum, non id tacitum ferret Petilianus, inſignis Auguſtini perſecutor, & impudens calumniator, & moleſtus irriſor, vt apparet ex illius in Auguſtinum calumnijs relatis ab eodem Auguſtino.

Atqui nunquam ei hanc notam inuſſit, quam grauem putabat, & ad eius contemptum, & irriſionem accommodata maxime videbatur: igitur non erat verum Auguſtinum

Mo-

Digitized by Google

nachum induiſſe. Etenim quas tragedias homo ille audax, & proteruus ſi videret eum tali veſtitũ habitu excitaſſet? Illum ſanna, & poſtica, & antica, clam, palam, vbiq; afficeret, & ludos faceret, & naſo Rhinocerotis ſuſpenderet: quod tacuit, clamat non fuiſſe Monachum Auguſtinum. Nec dixeris hoc eſſe argumentum à ſilentio, & vt aiunt negatiuum, proindeque futile, & inane. Renuo quippe, ac reiicio. In eo homine callidiſsimo, & verſutiſſimo, & audaciſſimo multùm valere ſilentium, quippe qui multa falſa, & per ſummam iniuriam ficta Auguſtino impoſuit: cuiuſmodi fuit Adulterium, & Philtrum feminę ab Auguſtino datrum, quod confixit cum aliis fabulis contumelioſis ad lacerandam famam viri Sanctiſſimi; quòd non eſt vero ſimile præteritum quicquid verum eſset ad Auguſtinum irridendum, & traducẽdum. Taceret ne ille, qui ne taceret fingebat? Demeret ne, qui addebat? Prętermitteret, qui augebat? Non agnouit Sycophantam, qui hoc negat. Ego qui bene ex ſcriptis intus, & in cute noui confirmo, cum præſertim illa nota inter Donatiſtas, & imprimis Circũcilliones eſset grauiſſima, & magnam apud eos inuidiam concitaſset. Nego fuiſse Monachum, quia ad Petilianus nõ prodidit. Non poterat non prodere Proditor, Imponeret, ſi impoſturæ locus eſset, inuerecundus impoſtor.

Secundum ſit. Si Auguſtinus eſſet Monachus, & author vitæ illius Monaſticæ, traderet iis regulam viuendi. Nullam tradidit, ergo nullus fuit in eo Monaſterio Monachus. Maior patet. Minor conſtat ex ſuperius dictis de Regula, quæ minimè congruit Monachis, cum ſit propria, & genuina Clericorum Canonicorum Regularium. Recolat qui legit. Annuet.

Tertium affero. Si Auguſtinus in eo Monaſterio Monachus vixiſset, nõ tam cito inſtitutum mutaſset: ſed mutauit, & ex eo tranſiit ad Clericalem, quod apparet ex ſuperioribus à me ſcriptis, etiam cum presbyter eſſet ante Epiſcopatum. Non igitur illud aliud vitæ genus amplexus fuerat. Addo nec debuiſse eum ſi ſemel Monachum induerat, etiam poſt Epiſcopatum dimittere habitum, & Monachos ſuos derelinquere, & totum ſe Clericis dare perinde ac nullam prorſus rationem Monaſtici Ordinis haberet. Sanè miror cùm in domũ Auguſtini vitæ intro, intro autẽ cogitatione, & animo, & affectu, imo ſemper ibi habito, cum oculos meos per totas ædes circumfero quærens meos amicos & familiares Monachos, ac in neminem illius habitus, & profeſſionis incido. Omnia ibi ſunt, Clerici, & inſtrumenta Clericalia. Inde coniicio Auguſtinũ in alio Monaſterio niſi Clericorum nõ vixiſse, quod cùm homines indolem perſpectam habeam, ſcio eum gratiſſimum aduerſus ſuos, & officioſum fuiſse. Non committeret ille, vt Monachos primi & ſocii, & contubernales, & fratres, aut negligeret, aut præteriret.

Quartum adduco huiuſmodi. Si Auguſtinus illud genus vitæ inſtituit, & illud Monaſterium ædificauit, certè id fecit Tagaſte in Agellis ſuis, & vixit cum Alipio indiuiduo comite, & quaſi Achate ſuo fidiſſimo: quod omninù volunt, & pro certo ponunt quicunque Monachatum Auguſtini adſtruunt: & vitam Alipii ſcribunt, ſed Alipius Tagaſte Monachus non fuit, nec ibi vixit in Monaſterio: igitur

corruit

corruit aſſumptum. Minor eſt certiſſima, ſcilicet Alipium Monachum Tagaſte non fuiſſe, ſicut nos ſupra manifeſtè oſtendimus, exhibita epiſtola ad Aurelium 64. in qua perſpicuè apparet Alipium Hippone regio in Monaſterio ibi ædificato ab Auguſtino, & cum Auguſtino, non antea Monachum induiſſe, & illud genus vitæ Apoſtolicæ profeſſum fuiſſe. Verba iterum proferamus. *Quòd fratrem*, inquit, *Alipium in noſtra conjunctione manſiſſe, vt exemplo ſit Fratribus curas mundi huius vitare cupientibus, beneuolentiſſimè accepiſti ago gratias*. Scribit Auguſtinus Hippone iam Presbyter, nō Tagaſte, & ita ſcribit vt liqueat eum tū primum Religioſam vitam amplexum fuiſſe, cum exemplum tum dediſſet aliis relinquendi ſeculum, & curas ſeculi, quæ penitus opponitur alteri antecedenti profeſſioni Regulari, quæ ſi præceſſiſſet, multo antea exemplum dediſſet, nec erat, de quo fratres illius conuentus Hipponenſis gloriarentur.

Quintum, & vltimum obduco, & finio. Monaſterium illud ſchema profeſſionis Monaſticæ non cohæret cum iis, quæ de ſe narrat Auguſtinus, ac de eo itē ſcribit Poſſidonius, & nos ſupra ſæpius commemorauimus, ſcilicet ſigna, & indicia propoſiti Clericalis, metuſue fieret Epiſcopus, habitus in quo venit vulgaris & alia, quæ diſcrepant maximè ab inſtituto more, & habitu Monaſtico. Ex quo deducitur eū de Clericatu cogitaſſe, eumque ordinem inſtituiſſe, & illius Regulæ Monaſterium ædificaſſe.

Propterea author ſum, hoc genus vitæ Canonicę Regularis, & Monaſterium eiuſdē profeſſionis inſtituiſſe, & erexiſſe Auguſtinum, non autem Monaſticum, & Cœnobiticum. Appellari autē Canonicos, & Clericos Regulares Monachos multi ante me probarunt, & imprimis eruditiſs. Pennotus, quem ſupra laudaui, ac ego, ne actum agere viderer aliquod de meo penu proprium, & in rem, natum, adduxi eo præſertim tempore cum Monachi, & Cœnobitæ pauciores, & minus conſpicui, nec cauſa iuſta ſubeſſet diſcretionis à Clericis Regularibus, qui totam fermè Eccleſiam occupabant. Itaque nullum extat probabile fundandi eam opinionem de inſtituto monaſtico, & redificari illius monaſterio argumentum: imo ex eo corroboratur ſententia oppoſita, quam tradimus de Regularium Canonicorū inſtituto, & Monaſteriis illius ab Auguſtino ædificatis.

ITINERARIVM

Auguſtini poſt Baptiſmum Mediolano Romam.

QVanti ſit hoc momenti ad inſtitutum noſtrum confirmādum, facile quiuis diligens lector agnouerit. Nam ſi Auguſtinus ſtatim poſt baptiſmum profectus eſt Mediolano Romam, & rectà eò, ac eodem anno, imo & menſe, quàm diſceſſit, peruenit: ruunt omnes illę machinæ Piſanarum digreſſionum & Centumcellis commorationum, aliaque ſimilia diuerſoria, & domicilia, ei viam ingredienti attributa quæ totidem ſunt impedimenta obiecta, ne Canonici Regularis inſtitutū ſit profeſſus, imo nec potuerit profiteri: quæ ſi nulla fuerint, profectò nō potuit, nec debuit aliud, quàm Clericalis vitæ genus amplecti, ſin autem per eos itinerū anfractus, & ambages viarum

uiarum tortuoſum iter conficere potuit, immò & licuit aliud genus vitæ à Canonico diuerſum ſectari. Itaque danda eſt opera, & quidem magna, vt conſtet, qua nam ratione illud iter ſuſceperit, inierit, confecerit.

Primùm ſtatuendus eſt Annus ætatis, quo fuit baptizatus Auguſtinus. Is planè eſt indubitatus, ſcilicet Annus trigeſimus tertius inchoatus ipſis Idibus Nouembris, ideſt die 13. eius menſis, qui dies eius natalis anniuerſarius erat, quemadmodum ipſe ſcribit lib. de B. vita. Diſput. primi diei. *Idibus*, inquit, *Nouembris mihi Natalis dies erat*. Quod autem ille annus eſſet 33. Auguſtini, teſtatur ipſemet lib. 3. contra Academicos, quos eo tempore dictabat Rure Caſſiſiaco, *Sed cùm trigeſimum, & tertiū ætātis annum agam*. iiſdem nempe Idibus, ideſt 13. Nouembris nam omnes eos libros Cōtra Academices 3. de Ordine duos, vnum de Vita Beata, Soliloquiorum duos, eodem loco continenter, imo & ſimul, interuallis diſparibus compoſuit, quemadmodum narrat lib. 1. Retract. cap. 2. vbi rurſum affirmat diem 13. Nouembris ſuum eſſe *natalem*. Hunc autem baptiſmi in ſuum annum 33. incidiſſe, quem inchoauit, iterum ſcribit lib. 1. Soliloquiorum cap. 19. *Nam cum*, inquit, *triginta tres annos agam*. Quod opus ſimul cum aliis, & inter alia quinque proximè numeratis, in eodē agro compoſuiſſe dicit. lib. 1. Retract. c. 4. Indè manet certus, & indubitatus 33. pro baptiſmate, cum ipſe narret ſeſe tunc ad illud comparaſſe, & paulò poſt veniſſe Mediolanum, vt Sabbato, ipſa vigilia Paſchatis, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ baptizaretur. Patet ex lib. 1. Retract. cap. 6. & lib. 9. confeſ. c. 3. & 5. ac imprimis 6. Supereſt nunc oſtendere eodemmet anno 33. fuiſſe Romæ ad Oſtia Tiberina. Primò ponit lib. 1. Retract. c. 6. Se cum iam eſſet baptizatus Romæ vnū ſcripſiſſe librum de moribus Eccleſiæ, & alterum de moribus Manichæorum, & lib. 8. Confeſſ. cap. 8. narrat, ſecum ſociis pariter Roma *in Africam remeare*. Eundem annum illum eſſe 33. ſuæ ætatis tradit eodem lib. 9. Confeſs. cap. 11. commemorans de morte Monicæ Matris. *Ergò die nono ægritudinis ſuæ quinquageſimo, & ſexto ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa, & pia corpore ſoluta eſt*. Quarto Maii decurrentis anni 33. ſemeſtri nondum completo erat Oſtiæ, & iuſta ſoluit Matri. Quid euidentius? Non modò vno, & eodem anno, ſed vno, ac eodem menſe confecit iter, ideſt Aprili. Rem ad calculos exiliter reuocemus. Gratum hoc erit Lectori. Omnia ſunt apud Auguſtinum, ipſe Itinerarium exhibebit. Relegamus veſtigia. Quarto Maii mortua Mater *die ſuæ ægritudinis nono*: ſume hos nouem dies, inuenies eum iam 26. Aprilis Oſtiæ eſſe, nam quinque dies Aprilis neceſſarii ſunt ad complendam ſummam nouem dierum ægrotationis *Nono die*, quem numerum conficiunt quinque Aprilis, & quatuor Maii: in iis quinque includitur dies 26. Aprilis, quo die iam decubuerat Monica. Redi nunc ad Auguſtinum. Puta rationes; ait eodem cap. 11. lib. 9. Confeſs. quinque dies incolumem fuiſſe Matrem, poſtquam peruenitum eſt ad Oſtia Tiberina. *Tunc intereà vix intra quinque dies, aut non multò amplius decubuit febribus*. Numera hos, & coniunge cum aliis quinque ægritudinis, reddunt diem, & comprehendunt 21. Aprilis. Iam ergò illa

die ibi erat Monica cum Auguſtino. Peruenerant igitur die 20. Aprilis. conſumptis in itinere diebus 12. omninò neceſſarijs ad illud iter prolixum conficiendum vt nihil ſupereſſet otij ad minimum in diuerticulum. Idem menſis iam bona parte decerpta initium itineris, & finis fuit. An hoc inficiari, qui rectè calculis apud Auguſtinum ponat, quiſquam poſſit? Tam ſunt comperta, tam explorata omnia, vt vel in tenebris micanti credi debeat. Neque audeat quis cum grauiſſimo authore, quem maximè miror, dicere mendoſum textum Auguſtini eſſe: cùm omnia exemplaria conſentiant, ac omnes alij textus de Anno trigeſimo tertio id confirment. Sin dicamus omnes eſſe corruptos; quod qua fronte affirmandum? Maneat itaque ſumma hæc dierum inconcuſſa. Vnum tamen animaduerto: vigilantiſſimum Autorem Pennotum videri, neſcio quid minutum fugiſſe. Citat quippè librum Soliloquiorum ſecundum, cū primus eſſe deberet. Typorum, opinor, mendum eſt. Reſtituo cap. 10. lib. 1. Soliloquiorum; eo dico ne quis laboret in inquirendo textu, quemadmodum & mihi contigit, vel ſuſpicanti locum mendoſum typographi iniuria fuiſſe. Illud item addidero. Scripſiſſe ex incogitantia mendum circa diem Iduum Aprilis, quem ille ponit illo cap. 4. lib. 1. num. 6. §. *Dicendum* pro die octauo Aprilis: *Incidit*, ait, *illo anno vigilia Reſurrectionis quarto Idus Aprilis, ideſt die octauo*: cum reponendum ſit die 6. Idus non quarto. Nam quartus eſt dies Aprilis 10. non octauus, qui fuit vigilia Paſchæ vti vult, eo anno. De re conſtat. Fallit computatio per idus. Teneo octauum Aprilis, relinquo quartum Idus, & ſumma conſtabit.

Inuento die, & menſe, & Anno baptiſmi Auguſtini, certum, & exploratum habemus, de quo maxima concertatio eſt, Annū mortis, & natiuitatis Auguſtini. Nihil ego vidi in rē Chronologica turbatius, contentioſum de eo funem ducentibus domeſticis, ac externis ſcriptoribus: quorum opiniones quære apud alios. Nam mihi non vacat Theologum agenti: Vti eo dignum eſt, ego in ſchola vnio ictu omnes controuerſias amputabo. Fixo non clauo pro anno, quod aiūt, pro Anno, more Romano, ſed Anno certo; & comperto fixo clauo trabali, more ſcholaſtico eadem ratione, qua annum 33. Baptiſmi demonſtraui. Acprimum dico; Leonardum Coquæum, Gabrielem Pennotum, Petrum Ribadineyram ad ſcopum collimaſſe, dum Annum Chriſti 431. Auguſtini morte aſſignarunt. Hunc tu deinceps, Lector, certum habeto, & indubitatum; idque meis calculis ſubductis efficiam. Volo vt hoc mihi debeat Auguſtiniana gens, cui ſum deditus. Hoc ego nomine eos mihi nomina faciam.

Sumpta veritate proximè adducta, & cōfirmata, nullus alius obitus Auguſtini, annus eſſe poteſt. Nec antè, nec poſt. Excludo, quod eſt facilius annum poſt 431. qui ſit 432. quia eo anno, ineunte Celeſtinus Papa decretalem epiſtolam edidit pro Auguſtini doctrina, qua eam confirmauit, & conſecrauit, repreſſis illius aduerſariis Pelagii reliquiis, ſiue Semipelagianis, mortuo iam Auguſtino; quem ipſe paucos poſt meſes ſecutus fuit. Scilicet v. idus Aprilis eius anni 432. cùm Auguſtinus menſe Auguſto ſuperioris anni 431. obiiſſet. Nunc excludo antecedentem, ideſt 430. irrefragabili

fragabili argumento, nixo proxima ſupputatione. Auguſtinus baptizatus fuit Anno illo 388. quod liquet: nec alio baptizari potuit, ab eo ad Annum 431. decurrit iuſtum ſpatium temporis reliquæ vitæ vſque ad obitum Auguſtini, quod continet quadraginta ſex annos, igitur eo Anno mortuus eſt. Subduco calculos. Auguſtinus ſecundum Poſſidonium in eius vita, *vixit annos ſeptuaginta ſex. In Clericatu autem vel Epiſcopatu annos fermè quadraginta*, quod tempus Romanum Breuiarium ita expoſuit in 3. ſecundi Nocturni lectione. *Vixit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex:* non meminit Clericatus, vti Poſſidonius. Teneamus Epiſcopatum. Addamus aliquot ſimplicis Clericatus, puta quatuor, fiunt quadraginta Poſſidonij: ſuperſunt ſex ſecundum ſupputationem Romanam, quos ſic colligo. Trigeſimum tertium annum fermè Romæ quo rediјt poſt mortem Matris Auguſtinus conſumpſit, quemadmodũ ſuperius cap. 1. Collat. 2. diximus. Saltem, annus ille exiit dum tranſmiſit in Africam.

Venit ergo in Africam ineunte Anno ſuo 34. Auguſtinus. Seceſſit poſteà in Agros paternos, vbi fuit commoratus triennium expreſſum à Poſſidonio cap. 3. quemadmodum ſupra c. 2. Collation. ſtatuimus. Erat hic annus 37. Auguſtini. Superſunt ad 46. Anni nouem, quos Breuiarium aſſignat Clericatui S. Auguſtini ante Epicſopatum, quem eo anno obtinuit, ideſt quadrageſimo ſexto. Conſtat ſumma annorum Epiſcopatus 36 ſecundum calculos Breuiarii Romani, quod quidem longiorem ei tribuit Clericatum. Quarè videtur Poſſidonius exactiùs, & accuratiùs illud tempus diſtribuiſſe. Verùm vt vtrunque concordet; animaduerto Breuiarium Romanum concluſiſſe in Clericatu, illos annos Epiſcopatus, quibus Auguſtinus, ſimul cũ Valerio geſſit Epiſcopatũ, quos ſaltem tres eſſe oportuit: ita poſt triennium decurſum Presbyterij Epiſcopatus fuerit conſecratus, & coadiutor Aurelio datus. Quorum tamen diſtinctam Poſſidonius rationem habere noluit, numerans tantummodo eos in quibus ſolus, mortuo iam Valerio, Auguſtinus ſolitarius, Epiſcopatũ adminiſtrauit. Quòd ſi vnus adhuc annus ſuperat, ſatis etiã videntur eſſe 3. Presbyterii, & Epiſc. quinq; ille certè ex tribus fuit, itineribus, præparationibus, occupationibus, quæ multa ſolent interuenire in ſtatum vitæ mutatione, qualis erat illi Auguſtini, cui relinquenda erit Patria, & agri vendendi, & ex eis pecunia ad publicum redigenda, ac Monaſterium ædificandum. Vt vt ſit, hæc diſſimilitudo ſupputãdi Breuiarii Romani, & Poſſidonii narrando illos, nihil turbat numerum Annorum vitæ Auguſtini; ſcil. 76. penè confectos, ideſt ante quadrimeſtre inchoatum Nouembris. Puta enim rationes ab anno 388. quo anno Auguſtinus eſt baptizatus vſq; ad annum 431. inuenies annos quadraginta tres, quibus ſi addas tres poſt triginta, qui eſt annus baptiſmi, efficiunt quadraginta ſex. Sume triginta, qui ſuperſũt à natiuitate, colliges ſeptuaginta ſex, quæ eſt iuſta ſumma annorum vitæ Auguſtini, & demum redis ad initium natalis ipſius, qui fuit Annus 355. Ita natus eſt Anno 355. baptizatus Anno 388. mortuus anno 431. quod ſi quis negare audeat, oportet vt euertat totam rationem chronologicam Auguſtini, quam

ipſemet inijt; & teſtatam reliquit: quemadmodum hactenus demonſtrauimus. Fateor me prius inclinaſſe in ſententiam eorum, qui deſignant Annum mortis Auguſtini 430. propter obiectionem proximè mihi proponendam. Sed maturè re conſiderata, & teſtimonijs Auguſtini expenſis, & collatis cum narratione Poſſidonij, & ſupputatione Breuiarij; deprehendi illam ſententiã, quæ placere cœperat cum manifeſta Chronologia Auguſtini pugnare. Itaque huic adhæſi, & annum fixi & clarum adegi, quem nemo poſſit refigere.

Venio ad obiectionem, quæ me deterrebat à ſententia, & valida ſpecie videtur. Extant litteræ Theodoſij Iunioris Miſſæ per Ebagnium Magiſtrianum ad Auguſtinum tractoriæ, eum ad Concilium Epheſum vocãtis, quæ perlatæ ſunt ad Capreolum Primatem Carthaginenſem anno 431. per Paſcha eius anni, quæ inuenerunt iam mortuum Auguſtinum, & ita reſcripſit ad Imperatorem Synodumque Capreolus; igitur anno ſuperiori deceſſerat Auguſtinus nempè anno 430. Menſe Auguſti. Quod mihi viſum erat argumentum inuictum. Verùm cum rem ſeriò examinaſſem; & vidiſſẽ vacillare fidem eorum, qui hanc epiſtolam producebant, & de anno, quo data eſſet ambigere, eaque mihi ſuſpecta eſſet, quòd eſſet contraria alij epiſtolæ eiuſdem Theodoſij inſertæ Actis Concilij, cæpi dubitare de fide primę illius epiſtolæ. Cauſas aperio. Prima eſt, quia illa poſterior eſſe dicitur, quàm alia data ad Cyrillum, & alios Epiſcopos Orientales xiii. Kal. Nouembr. cum dari prius debuiſſet ad Auguſtinum, qui in alieno imperio, & quaſi alio Orbe viuebat, cuiuſque maior ratio habenda erat, propter doctrinam, & auctoritatem, quam ſummam obtinebat. Secunda, quia in reſponſione Capreoli, vox eſt inepta, cùm dicat ad Synodum: *Domini, & Filij noſtri Imperatoris Theodoſij*, quæ coniunctio *Domini, & Filij* diſſona eſt; nec appellatio *Filij* Capreolo congruebat Carthaginenſi Epiſcopo cum vix eo tempore Romano Pontifici conueniret. Nimium ſibi arrogaret Capreolus, ſi eo nomine Imperatorem Oriẽtis afficeret. Tertia, quia hæc epiſtola pugnat cum illa alia indubitata eiuſdem Imperatoris ad Cæleſtinum Papam, Rufum Vicarium per illiricum, & Auguſtinum, & reliquos, quæ miſſa fuit poſt inchoatum, immo & penè confectum Epheſinum Concilium, ideſt Menſe Iulio anni 431. vno ante obitum Auguſtini menſe, quod argumento eſt, nondum innotuiſſe Theodoſio, neque Oriẽtalibus, mortem Auguſtini. Qui ergo potuit per Paſcha eiuſdem anni, quo ſunt ei redditæ litteræ Capreoli per Ebagnium miſſæ, de Auguſtini obitu, quæ vulgaris opinio, eſt reſcire. Non ergo deceſſerat Anno illo priore 430. Auguſtinus. Quarta, quia vix credibile eſt, tandiù latuiſſe obitum illius Solis, vt intra decurſum Anni ſolaris in occulto eſſet, cùm eius lux Sole clarior foret, qui ſi deficeret ſtatim nox in Eccleſiam incubuiſſet. Sanè viuebat illo anno 430. exeunte, & ineunte, immò & adulto anno 431. donec ad menſem Auguſtum peruenit. Vnum obſtat, quod litteræ Capreoli ſunt idoneæ, nõ apocryphę, nec ſuppoſitæ, hæ autem perſpicuè tradunt deceſſum Auguſtini. Reſpondeo me nolle improbare litteras Capreoli, ſed rem in eis contentam. Puto Capreolum ita exiſtimaſſe, nec temerè, quia

Digitized by Google

cum inaudiſſet irruptionem Barbarorum in eam partem Africæ & propter arctiſsimam Hipponis Regis obſidionem incerti nuntij eſsent, & Auguſt. incluſus teneretur, & iam fortaſſe ægrotaret, è cõiecturis ſibi perſuaſiſse mortuum eſse, ac de eo: nonuiſse Imperatorem. Non igitur de re certior factus, ſed coniecturis ductus, aut minus veris nunciis credulus obitum Auguſtini affirmauit. Quoquo modo res habeat, certè Auguſtinus ante Auguſtum Anni 431. ſuperſtes fuit, & ita ſibi perſuaſum habuit Imperator, cùm ad Cęleſtinum, Ruſum, Auguſtinum Iulio menſe anni 431. litteras de ſtatu Concilii dedit. Tam vero mihi perſpectum, & exploratum eſt in hunc annum eius obitum incidiſse, vt id & demõſtraſse me putem, & demonſtraturum credam. Vnica adhuc qua demum vti volo ratione. Ita. Itinerarium Auguſtini proximè adductum eſt omnino certum & cõſtans: ſed illud in alium annum niſi in hunc 431. quadrare non poteſt: ergò huic anno obitus Auguſtini eſt aſsignandus. Propoſitio patet, quia Paſcha huius anni 431 in eam diem incidit, quæ totam itineris rationem recto filo ab initio ad finem euoluta ſerie dierum in textu Auguſtini propoſita deducit, quemadmodum ſuperius oſtendimus. Atqui ſolius hic annus, huiuſmodi Paſcha habuit, igitur ſolus hic capax eſt eius veritatis obitus Auguſtini. Liquet ipſo meridie clarius. Nam Paſcha anni 430. incidit in diem 25. Aprilis, qua die Mediolani eſse non potuit Auguſtinus, cum eſset ad Oſtia Tiberina cum Matre, ac ſociis poſt 17. dies à diſceſsu Mediolano, pridiè quàm Monica decubuiſset ex febribus, vti conſtat ex proximo Itinerario. Igitur adynaton prorſus eſt ponere eo anno 430. obitum Auguſtini, quem ſibi iure vendicet Annus 431. cuius Paſcha fuit 9. Aprilis die accommodato ad conficiendum iter, quin & ad omnem illam ſeriem dierum viæ, commorationis, incolumitatis, ægritudinis, mortis Monicæ euoluendam. Ac vt nemo dubitet de Paſchali tempore, ſciat Lector cum à me illud diligentiſſimè inquiſitum, & certiſsimè exploratum, & feliciter repertum, & euidenter demonſtratum eſſet, voluiſſe tamen conſulere Virum totius Philoſophiæ, & Matheſeos doctiſſimum, Illuſtriſſimum Equitẽ Rinaldinum Anconitanum, à quo oraculum, talia ſunt illius reſponſa, accepi, & lucem authoritatis, luce veritatis adiunxi. Hoc vltimum à die Paſchatis ſumptum argumentum eſt omninò, me authore inuictum, remq; demonſtrat. Eſto deinceps annus natiuitatis, baptiſmi, obitus Auguſtini indubitatus, ſcilicet natum anno 355. baptizatum anno 388. mortuum anno 431. Vertamus nunc ſtylum ad inſtitutum doctrinæ, & quæ fuſè ſunt dicta ſuperius, ad compendium redigamus, remque totam, quaſi compoſito epilogo terminemus.

Summa eſto. Chriſtum Dominum omnes Chriſtianæ vitæ rationes, & ſtatus inſtituiſſe, prædicaſſe, exercuiſſe, ac imprimis Religioſam votorum vt aiunt, ſubſtantialium profeſsionẽ, eiuſq; quam latè patet, varios gradus perfectionis docuiſſe, tradidiſſe, exhibuiſse. Apoſtolos Chriſti doctrinam, & exempla ſecutos omnes illas formas, etiam ſeueriſſimas, & arctiſsimas Religioſæ vitæ diſciplinas tenuiſse, obſeruaſſe, & repræſentaſſe, ac eam, quæ & contemplatricem, & actricẽ, rationem complectitur, queque abdicatis bonis, obiecto dominio proprio pretium

pretium, ac fructum ex iis redactum in commune confert, præcpuè tum coluiſſe, tum commendaſſe. Eoſdem tria illa vota, quæ ſolemnia ſunt, & vocantur emiſiſſe, & religioſis ſui inſtituti ſectatoribus præſcripſiſſe. Canonicos Regulares ab Apoſtolis ſuam originem duxiſſe, ac primos in Eccleſia Dei ante ſeculares extitiſſe. Eorum ſeriem ductu continuo, ad noſtra vſque tempora propagatam, nunquam, aut intermiſſam, aut interruptam fuiſſe. Apud Lateranenſes Canonicos fontem, & riuos eſſe curſu cõtinuato, & in diuerſas familias diuortiis factis, profluente. Auguſtinum illud Apoſtolicum amplexum inſtitutum, Canonicum Regularem induiſſe, eiuſque Ordinis non modo Inſtauratorem, & Reformatorem, ſed etiam Autorem, & Fũdatorem, data iis Regula, eodem iure, quo Benedictus, Dominicus, Franciſcus ſuorum authores, & Fundatores dicuntur Ordinum, appellandum. Nihil eo detrahi Regularibus Canonicis Lateranenſibus, imò addi plurimùm & ſplendoris, & dignitatis. Nec quicquam obſtare ante Auguſtinum inſtitutum, & familiam floruiſſe, quo minus Auguſtinus Autor, Fundator, & eſſe poſſit, & dici. Regulam ab eo eidem Ordini datam prẹſtantiſſimam, facto illius examine, habendam, & prædicandam. Hanc formam vitæ Clericali ſemper ab initio ſuæ conuerſionis etiam ante Baptiſmum, Catechumeno Auguſtino ante oculos obuerſatam. De eâ cogitaſſe, eam ſibi propoſuiſſe, & animo fixiſſe. Amplexum & profeſſum eandem, cùm in Africã rediit, poſt triennium præparationis, tum cum fuit initiatus Presbyter ædificato prope Eccleſiam Clericorum Monaſterio, conſtare ex vita Poſſidonii, ex Regula, ex duplici ſermone de vita Clericorum: & ex multis alijs teſtimoniis, & exemplis: præcipuè Alipij, Licentij, & Paulini, inducto ſpicilegio, & racematione litteraria apparere. Hæc velim eſſe indubitata, & vera; nec minus, quæ de Chronologia adieci. Hactenus de meo hac in re iudicio. In quo illud animaduerto. Me candidè, ac ingenuè ſtudio vnius veritatis, quam mihi ſemper ante oculos pono, eũ de aliqua re diſputo, dicere quę ſẽtio, quæq; in fontibus hauſi afferre; cõfirmoq; nihil me velle de aliorum inſtitutis ſanctiſſimis, quæ colo, & veneror, detrahere. Neminem de ſua poſſeſſione deturbo. Tantùm ſumpſi hanc diſputationem annexam Chriſti Incarnationi, quæ ſolet attexi materiæ, quemadmodum patet ex tractatione Principum ſcholæ, Doctoris Angelici, & Seraphici, & Subtilis; ac eorum Interpretum, & Commentatorum, qui poſt tractationẽ de myſterio Incarnationis, diſputare de vita Chriſti aggrediuntur. Quod autem de Auguſtino tam ſubtiliter, & accuratè tractauerim, is meus mos eſt & vetus, & ſanctus, quẽ delectat de Auguſtino, & meminiſſe, & loqui & cogitare, imò & pro conſuetudine ſomniare, quæ mea sũma, & ſingularis voluptas eſt, nec me pudet fateri. Auguſtino nimis volo. Sed hoc ipſum nimis mihi parũ videtur.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM.

A

Acceleratio.

Acceleratio incarnationis an fuerit, & quatenus effectus meriti, & Virginis, & Patrum? 184. & ſeq. noua de eo auctoris ſed ponderatione digna ſentẽtia ibi 185. 186.

Acceptatio.

Acceptatio ex parte Dei an requirantur ad meritum? pag. 301. 309 359. neceſſitas huius acceptationis aſſertur, & probatur. 308. 310. rurſum 315.

Adoratio.

Etymologia 484. & ſeq. 541. 542. ſpecies & formæ. 486. 487. Vtrum, & quæ uirtus ſit? 487.

An ſit licitum adorare creaturas? & quatenus. 488. An creaturarum omnis adoratio ſit ſolum ciuilis? 535. ad 543. Non eſſe idololatriã adorationem Religioſam, dumodo non ſit Latria quæ Deo debetur. 488. 489. 515. & ſeq. Adoratio propria Chriſti, eiuſque humanitatis proponitur. 489. & ſeq. Adoratio B. Virginis hyperdulia adducitur. 501. 502. Dulia aſſeritur & Sanctis aſſignatur 494. & ſeq. Adoratio Euchariſtiæ quæ conueniat? 310. & ſeq. De adoratione imaginum latè ac eruditè diſputatum à pag. 21. ad 554. vide *Imagines* De adoratione Crucis & Clauorum, & ſimilium uide locis proprijs. Circa adorationem Imaginum errores 521. & ſeq. De adoratione imaginum quid decreuerit Concilium Francofordienſe 506. & ſeq. Vide Concilium. De Adoratione Papæ 534. ad 552. Ad Conſule propriam adorationem Papæ.

Alipius.

Alipius amicus & Achates Auguſtini 659. 707. 709 712. 713. 723. Ante aduentum in Africam non fuit Religioſus. 662. Baptizatus cum Auguſtino ibid. In Rure Caſſiſſiaco eius auditor. ibid. Feruor illius initio conuerſionis. 262. Nudipes inceſſit. ibi. Alipii pium cum Auguſtini de bonis Eccleſiaſticis diſſidium. 706. & ſeq. Eius cum Auguſtino amicitia accurata deſcriptio 709. & ſeq. Suſcepit habitum Canonici Regularis ab Auguſtino in primo Monaſterio Hipponenſi. 711. antea minime Regularis. ibi. Quando ordinatus Presbyter? 712. Fundauit poſtea Monaſterium Tagaſte Canonicorum Regularium. 707. An & quatenus Romanianum, & Licentium propinquitate contingeret? 712. 619.

Alphonſus.

Alphonſus Mendez vir inſignis Ieſuita Patriarcha Abyſſinorum. 622.

Anima.

Anima beata an appetat vnionem cum ſuo corpore? 145. 147. Animam carnis in ſanguine eſſe cur dicat Sacra ſcriptura? 196. Anima Chriſti eiuſdem ſpeciei cũ noſtra. 18. 22. quomodo corpus fuit aſſumptum mediante anima? 22. Anima rationalis aſſumpta fuit à Verbo ſimul cum corpore eodẽ inſtanti. 32.

Apollinaris.

Apollinaris hæreſis ponitur, 7. 12. 13.
Apollinaris hæreſis refellitur ibid. ad 22.

Apoſtoli.

Apoſtoli inſtituti ad vitam perfectã à Chriſto 554. 558. Quam ſint paupertatem amplexi? ib. & 582. An nudipedes inceſſerint? 584. ad 590. Apoſtolicæ vitæ forma exactè deſcribitur. 592. ad 599. Vtrum emiſerint tria vota ſolemnia? 599. ad 603. Fuerunt Canonici Regulares, & huius ordinis auctores. 604. ad 613 Fundarunt eum Ordinem Hieroſolymis, & poſtea per totum mundum propagarunt 669 rurſum 623. ad 629. Apoſtolicam vitam Auguſtinus eſt profeſſus, eiuſque inſtituta in regulã reduxit. 630. ad 639. Apoſtolorum vitam ab initio ſuæ conuerſionis Auguſtinus meditatus eſt, qualem poſtea cum ſuis Canonicis profeſſus eſt. Vide *Auguſtinus* 641.

Arbitrium.

Arbitrium liberum quale fuerit in Adamo ante pecatum. 393. Quale ſit poſt peccatum? ibid. 339. & ſeq liberi arbitrij cum efficacia gratiæ diuinæ cõcordia. 340. ad 343. an & quomodò ſit indifferens. 337. & ſeq. arbitrium liberum, & liberatum quomodo ſint, & dicantur? 347. Captiuum, & captiuatum? ibid.

Ariani.

Arianorum falſa de viſibili & inuiſibili Verbo opinio pag 2. confutatur ab Auguſtino idid.

Apparitio.

Apparitio cur dicatur incarnatio? pag. 1.

Apparuerintne omnes perſonæ viſibiliter, vel non? ibidem.

Auguſtinus.

Auguſtinus agnouit, & admiſit in Deo ſubſiſtentiam quandam abſolutam. pag. 87. Auguſtini vera de Fomite peccati, & concupiſcentia doctrina 257. non eſſe natura ſua malam tradit Auguſtinus contra Ianſenianos quoſdam recentes. 259. qui dicunt Auguſtinum fauiſſe potius Manichæis, quàm Pelagianis in adſtruenda concupiſcentia decipiuntur ibid. & 251. Auguſtini clauis pro vera libertate à coactione, & neceſſitate contra Ianſenianos, & plena demonſtratione doctrina. 271. 335. Calumniæ Auguſtino impoſitę diluuntur. 337. ad 360. Auguſtinus Immaculatæ Conceptionis eſt Auctor. 367. Loci eiuſdem qui videntur difficiles exponuntur 401. ad 406. docuit Apoſtolos vota tria ſubſtantialia religioſæ vitæ emiſiſſe. 599. Prima lineamenta vitæ Regularis Canonicæ poſuit Auguſtinus Rure Caſſiſiaco propè Mediolanũ. 631. qualis illa exercitatio fuerit. ibi. & 633. quos habuit in eo receſſu ſocios? Nominãtur. Quot & quos ibi libros compoſuit 659. Non fuit ibi nec eſſe potuit Religioſus. 664. & 665. Auguſtinus ante mortem matris Religioſus non fuit 664. & 665. Auguſtinus poſt mortẽ matris Monicæ venit Romam Hoſtia & quandiu ibi moratus 664. Auguſtinus nõ aliam paupertatem eſt profeſſus, quam eam, quam accepit ab Apoſtolis in primitiua Eccleſia, & habetur in Act. Apoſtolorum. 666. & 667. Auguſtinus ab initio ſuæ profeſſionis fuit Canonicus Regularis. 629. & 658. Rurſum 677. 678 Probatur euidenter primo ex vita illius apud Poſſidonium 671. ad 680. Secũdo ex Regulã Canonicis Regularibus data 681. 688. Tertiò ex ſermone primo & ſecundo de communi vitã Clericorum 688. ad 692. Quartò ex ſpicilegio locorum ex operibus eiuſdem Auguſt. 704. ad 721. Vltimò ex Itinerario ipſiuſmet Auguſtini. 724. fuit Canonicus Regularis ex Apoſto-

lico

lico inſtituto, ac eorum ſucceſſor,& imitator,& primorum Regularium Canonicorum,qui ab Apoſtolis deſcendunt.Ib.Fuit item Fundator, & auctor eiuſdem ordinis 639.ad 653. Quomodo id fieri potuerit, cum ante per trecentos & plures annos fuerint alij Priores.653.ad 657.Tam vetus, & verus eſt auctor, & Fundator Ordinis Canonicorum Regularium, quam Benedictus, & Franciſcus ſuorum Ordinum. ibi. Obiectiones in contrarium ſoluuntur.647.& ſeq. ſuadetur eadem veritas exemplis 640. Confirmatur Bullis Pontificijs 651. ad 654. Ordo Canonicorum Regularium S. Auguſtini eſt, & illius ordo appellari debet.Ibid.& 655.Monaſteria quæ fundauit Auguſt. omnia fuiſſe Canonicorum Regularium oſtenditur. 675.& ſeqq. ad 680. Monaſterium primum fundatum Hippone ab Auguſtino Canonicorum Regularium fuit.666.ac 670. & ſeqq. Iterum 707. vſque ad 724. Item aliud ſecundum Monaſterium, quod fundauit iam Epiſcopus Canonicorum fuiſſe monſtratur 693.ac 704. Duo Hippone edificata conſtat alterum ab Auguſtino Presbytero, alterum ab Alipio. Ib. Lineamenta prima quæ duxit Auguſtinus Canonicatus Regularis fuerunt,quænam illa,& vbi ducta fuerint? 659. & ſeq.ac 662. Auguſtini timor de munere Epiſcopatus acceptando, & gerendo 698. Eius pro adminiſtranda Eccleſia labor,& conſtantia 706.Auguſtiniana Regula data Canonicis Regularibus, ac ijs ſolis conuenire perſpicue oſtenditur 681.ad 688.Auguſtinus an,et quomodo Laicus venerit Hipponem 648.ac 700.Auguſtinus ante aduentum in Africam non fuit religioſus, imo ſpectata eius vita, nec eſſe potuit.724.vſque 727. In triennali receſſu apud Tagaſten in ſuis agellulis vixit Laicus, non Religioſus 668.& ſeqq.Poſt aduentum in Africã, & receſſum triennij cæpit viuere regulariter Canonicè in primo Monaſterio in loco ſibi à Valerio aſſignato,quod fundauit,& in quo primum Apoſtolicè,ideſt Canonicus Regularis vixit 689. vſque ad 706. Cur, & quomodo a Valerio apprehenſus Presbyter ordinatus. 702. Auguſtinus quàm carus fuerit Alipio, ac ei Alipius? 709. eorum amicitia verè, ac exaggeratè proponitur 709.712.Auguſtini cum Romaniano familiaritas, & cum iſtius filio Licentio diſcipulo. 713. 721.Auguſtini cura,& ſolicitudo in erudiendo, ac inſtituendo doctrina, & imbuendo bonis moribus Licentio.713.vſque ad 721. Auguſtini dolor de licentioſa vita Licentij.718.& defectione à propoſito Religioſi inſtituti.719.Indulgentia in eundem.717.718. Quare,ib.Deſiderat vitam ſolitariam,ſed deterretur ab eadem 669.706.Deſtinatur à Deo ad Clericalem, ibid.& ſeq. Primum eius Monaſteriũ fuit etiam ſeminarium Clericorum 673.ſecundum Adultorum,& in Sacris Ordinatorum 676.& 697.& 703.Hoſpitalitas Auguſtini iam Epiſcopi 604.& hoſpitale illius ſecundum Monaſterium. 694.

Auguſtini pia de Piniano cum eius matre Albina expoſtulatio,& pro Eccleſia ſua Hipponenſi ſatisfactio 707.& ſeqq. De eodem Lis Auguſtini cum Alipio, & amborum Eccleſijs honeſta altercatio. Ibid. Auguſtini, & Paulini mutuum per litteras commercium 713.& ſeqq. Auguſtinus quam gratus aduerſus Romanianum fuerit.720.Auguſtinus vbi, & quando Alipium Canonicum Regularem effecit. 711. 712. 723.724. Auguſtini Itinerarium poſt Baptiſmum Mediolanum Romam accuratiſſimum ex eiuſdem libris ſumma cum fide depromptum exhibetur. 724. ad 729.& quæ inde vera ſequantur. ibid. Eodem anno,& menſe confecit totum illud iter. ibid. ibi non diuertit, neque potuit diuertere, & directum & ſemel ſuſceptum iter. Ibid. Dies quos inſumpſit in itinere, & commoratione ad Oſtia Tiberina numerantur. ibid. Annus eius natiuitatis,Baptiſmi,obitus certus,& indubitatus reiectis alijs opinionibus, aſſignatur. 727.729.

B

Baronius.

BAronius inſimulat Poſſidonium obliuionis in vita Auguſtini.693.

Refellitur à Pennotto. ib. ab auctore moderate.694.

Beneficia à Romaniano in Auguſtinũ collata. 720. 721. Recenſentur Auguſtini in eundem. Ibid.

Bezza,& Brentius Neſtoriani.15.

Bona.

Bona merita noſtra dona ſunt Dei, 524. & ſeqq. non merentur ex vera iuſtitia, Vide Iuſtitia.

Bona,& facultates Fidelium Primitiuæ Eccleſiæ, quomodo vendebantur, & ad pedes Apoſtolorum eorum pretium ponebatur 1604.605.

Bonorum iſta venditio quando fuerit inſtituta. Ib. & quandiu vſitata. 616.& ſeqq. An fieri ſolita cum voto? 605.616.613. Fuit propria Canonicorum Regularium.624.675 Vide Canonici, & Paupertas.

Bonoſiani Hæretici qui? 10.

A Bonoſo prodromo Neſtorij. Ibid.

C

CÆnobitæ qui fuerint? 575.

Cænobitæ ſtatus deſcribitur. Ibid.

Calceatus an & quomodo Chriſtus inceſſerit & Apoſtoli,584. & 590. Vide Chriſtus & Apoſtoli.

Canonicis Regulares.

Canonicorum Regularium primus & antiquiſſimus ſtatus Eccleſiæ, 553. Regulares fuerunt priores quam Seculares,607. Habent præcedentiam ſupra omnes alios Ordines Religioſos. 611. Imo & haberent ſupra omnes etiam ſeculares niſi iſti vnum corpus cum ſuis Epiſcopis efficerent. Ibid. Eorum inſtitutum perfectiſſimum mixtum ex Clericali, & Monachali, 612. & ſeqq.ab ijs & Clericis, & Monachi emanarint? Ibi.Quomodo Clerici ſeculares a Regularib.defecerint? 617.618. Illorum mira,& cita propagatio 619 Per Orientẽ 621.per Occidentem 622. ad 630 ab Apoſtolis qui Canonici Regulares erant facta propagatio 628.& ſeq. Antiqui Romani Pontifices Canonici Regulares,623.

Canonici Regulares Fratres apud Auguſtinum appellantur,704.eorum Cęnobia Fratrum,& Canonicorum Regularium Monaſteria apud eundem Auguſtinum nuncupata,704.707.708.

Canonici Regulares dicti Monachi, 724. Et Fratres. 626.

Canonicorum Regularium vitam Chriſtus puer delineauit, 573.474.594.595.

Cantus.

Cantus Eccleſiaſticus harmonicus mire placuit Auguſtino, 682. Alij nonnullis Patribus diſplicuit. Ibidem.

Chalcedonenſe Concilium.

Chalcedonenſis Concilij ſchema proponitur cum narratione,& actionibus illius 58. ad 63.

Chriſtiani.

Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ quomodo, & quatenus bona ſua vendebant? & pretium ad Pedes Apoſtolorum

Digitized by Google

ſtolorum ponebant? 604. & ſeq. an omnium id eſſet vel paucorum? ibid.

Chriſtus.

Chriſtus vtrum, & quomodo dicatur compoſitus, 17. Ex vna Perſona è duabus naturis plane, Ibidem. An ex perſona, & tribus ſubſtantiis diſputatur. Ibid. Permittitur, & Patres, & Concilia afferuntur. ibidem & 18. 90. 91. Chriſtus habuit animam eiuſdem ſpeciei cum noſtra. 18. 19. Probatur id contra Apollinarem. 20. 21. 22. Vtrum Corpus Chriſtis ſi diu viueret ſenectuti foret obnoxium? 34. Chriſtus an foret ſi Adā non peccaret. 139. ad 164. In quo ſigno & quo decreto fuerit electus, & natura eius humana ad ſuppoſitum Verbi? 169. & ſeq. Chriſtus in eodem inſtanti, & Virgo Mater ipſius correlatiue electi ſunt a Deo, ſed cauſaliter ex parte Verbi, in cuius gratiam, & cuius meriti B. Virgo Mater prædeſtinata 169. etiam ante præuiſionem peccati. Ibid. & ſeq. Chriſtus nullo modo meruit ſuam electionem, nec mereri potuit, meruit tamen electione Matris ſuæ Mariæ 169. 170. Tum ante præuiſionem peccati, tum poſt, ibi. & ſeq.

Chriſtus vtrum habeat duo eſſe? An ſit vnus, an multiplex? 203. Vtrum recte dicatur compoſitus? Ib. & ſeq. quo ſenſu à nonnulis Patribus *mixtus* appelletur. 204.

Chriſtus an habeat duas filiationes? 207. 209. Vtrū dici poſſit duplex filius? Ib. An adoptiuus? 213. 219. negatur ſimpliciter. Ib. Num aliquo ſenſu, & modo dici poſſit? 218. & ſeq. Seruus ne vocari poſſit? 220. An creatura? 221.

Chriſtus incepit eſſe. An ſit vera propoſitio? 230. 231. Vtrum poſſit dici Prędeſtinatus Filius Dei? 233. ad 241. Vtrum fuerit prius prædeſtinatus ad vnionē hypoſtaticam, vel ad gloriam. 234. 237. Vtrum & quomodo ſit impeccabilis? 243. ad 253. An ex vi vnionis ad Verbum ac intrinſece? 246. vel potius ex vi ſtatus Beatitudinis & viſionis diuinæ. 250. 251. Vtrū in Chriſto fuerit fomes peccati? 253. 255. & ſeq.

Chriſtus habuit gratiam habitualem, ſanctificantem, ſummam 273. ac 279. finita fuit, ſed ſumma, nec potuit augeri. 279. Vtrum anima Chriſti videat omnia quæ verbum videt? 281. 289. quomodo id fiat ſine comprehenſione Dei exponitur, 286. & ſine infinita perfectione creata; Ibid. & 288. & ſeq. Chriſtus quot, & quas habuerit ſcientias. 291. Quomodo ijs vſus fuerit. 16. Vide *Scientia*.

Chriſtus an verè, ac propriè meruerit, & habuerit omnes conditiones neceſſarias ad merendum. 300. & ſeq. Libertas Chriſti Domini adſtruitur. 301. 309.

Chriſtus an habuerit præcepta operandi, & moriēdi à Patre. 302. & ſeq. quomodo cum iis ſtet eiuſdem Libertas. 305. meruit per actus portionis inferioris, necnon & ſuperioris 303. Imo & per actum beatificum. Ibid. Chriſti meritum an fuerit infinitum; 311. ac 319. Vtrum ex rigore Iuſtitiæ? Ibid.

Chriſtus omne genus perfectionis Chriſtianę docuit. 570. ac 579. omnes formas paupertatis profeſſus eſt. 577. & ſeq. Vtrum habuerit dominium in communi? 557. an omni eo caruerit, 580. ac 583. an nudipes vel calceatus inceſſerit? 584. & ſeq.

Chriſtus fecit vitam mixtam ex contemplatrice, & actrice. 583. &c. vtramq; docuit Apoſtolos. 597. 598. Chriſtus puer duodenis Clericum egit 573. 474. Chriſtus qualem doctrinam de calceamentis tradiderit. 587. & ſeq.

Chronologia.

Vitę Auguſtini exactiſſima 425. Ex Itinerario deprompta. 727. 729. Cum ſuis annis Natiuitatis, Baptiſmi, Epiſcopatus, vitæ, & mortis, Ibid.

Clerici.

Clerici Regulares fuerunt primi in Eccleſia: Seculares Regularibus poſteriore. 609. defecerunt ab inſtituto regulari, & inde ſeparari à Regularibus cæperunt. Ibid. Cur & quatenus præcedunt Regulares auctore ſuos? 621.

Comprehenſio.

Comprehenſio an ſequatur ex viſione Dei intuitiua? 3. vtrum ex viſione Animæ Chriſti videntis omnia, quæ Verbum videt inferatur? 284. 286.

Conceptio Immaculatę B. Marię Virginis.

Conceptio Immaculata Virg. Mariæ aſtruitur. A pag. 361.

Probatur primò rationibus. 363. ac 367. ſecundo ex ſacris litteris. 397. ad 385. Tertio ex Auguſtino, & Concilio Tridentino, 365. & ſeq. Quartò ex Doctore Angelico S. Thoma. 385. ad 390. Loci qui videntur in eo contrarij exponuntur. 380. ac 397.

S. Thomas Immaculatæ Conceptionis auctor fuiſſe à multis ſcriptoribus Thomiſtis aſſeritur. 397. & ſeq. Teſtimonia Patrum à Caietano in oppoſitum adducta ſoluuntur. 489. 406.

Auctores Dominicani qui tradunt Immaculatæ Conceptionis ſententiam laudantur. 407. 412.

Eadem veritas oſtenditur ex Decretis, Diuinis Officijs, Breuiarijs, Confraternitatibus, & alijs Schematibus Sacri Ordini Dominicani. 411. 419. Patres Carmelitani Salmaticenſes Excalceati, Thomiſtæ adoptiui Immaculatam Conceptionem defendunt. Imò & ſuum Ordinem primum omnium eam ſententiam inueniſſe tradunt. 421. 437.

Sanctus Pater Franciſcus eandem ſuo rubro Calculo firmauit. 418. Duorum grauiſſimorum Thomiſtarum de illa Teſtimonia afferuntur. 438. 453.

Probatur eadem veritas ex comparatione cum Sacramento Euchariſtiæ 464. & ſeq.

Oſtenditur ex geſtis B. Virginis commemoratis in Sacris Euangelijs diſcurrendo per ſingula. 452. & ſeq.

Duobus myſterijs occultis, & maximè notabilibus eius demonſtratio terminatur. 476.

Vtrum B. Virgo contraxerit ſaltem debitum de peccato originali. 434. 437.

Concilia.

Concilia quæ damnarunt Hæreſes Neſtorij, Eutychetis, & Apollinaris. 37. & 49.

Vide nomina particularium Conciliorum.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia quid ſit? vnde orta, & quomodo contracta? 254. 272. ſit ne naturalis, an penalis? Ibi. Vtrum ſit morbida qualitas? 356.

Num mala per naturam ſuam, & eſſentiam. 259. ac 272.

Fuerit ne in Chriſto, & Beata Virgine? 266. & ſeq.

Manichæorum de illa Hæreſis 359. & 273.

Illius motus deſcribuntur. 343. ſiue 338. ac 343.

Comparantur cum motibus Gratiæ. Ibidem.

Natura ſua bona eſt. 349.

Vitiata, & deprauata poſt peccatum. 349. & ſeq.

Conſtantinopolitanus Patriarcha.

Eius inſolentia, & ambitio. 62.

Corpus Chriſti.

Corpus Chriſti fuit verum, naturale non phantaſticum. 33. Fuit patibile, miſerijs obnoxium, & ſeneſcenti, 34. Vtrũ ſit vbique per immenſitatem? 35. Quomodo dicatur aſſumptum mediate anima? 192. Illius organizatio exponitur, & explicatur. 193.

D

Deus.

DEus an ſit, & quomodo inuiſibilis? pag. 1. & ſeq. Deus intuitiue videri poteſt. 4.

In hoc ſenſu exponendi ſunt quidam Patres. Ibid.

Deus eſt homo; Deus factus eſt Homo: Homo factus eſt Deus? & quomodo ſint veræ propoſitiones? 226. 227. 228. In Deum non cadit obligatio Iuſtitiæ ſtrictè, & rigoroſè, 324. & ſeq. Nec inter Deum, & Chriſtum interuenire poteſt vera Iuſtitia, Ibi.

Eſt tamen Iuſtitia in Deo, ſed longe diuerſa à noſtra Deo digna, ſine imperfectionibus creatis. 325.

Acceptatio Dei neceſſaria eſt ad meritum. 301. 307. 310. 226. & ſeq.

Deus non eſt obligatus, niſi ex fidelitate. 334

Dulia.

Quid ſit, & quibus debeatur? 494. & ſeq. Quadrat in Angelos, & ſanctos, 485. 537. & ſeq. Non in Virginem, nec in Chriſti humanitatẽ. 488. 490. 501. & ſeq. Conuenit Sanctis etiam viuis. 485. Congruit etiam Papæ. 534. & 544. Vide Papa.

E

Epheſinum Concilium.

EPheſini Concilij ſchema cum hiſtoria proponitur, & Actiones referuntur, 53. 58.

Epheſinum Cõcilium defendit Prouinciam Cypri ab inuaſione Patriarchæ Antiocheni 55. ad 58.

Ad illud conuocantur Epiſcopi ex vniuerſo Orbe, ac inter eos Auguſtinus. 728. Celebratũ eſt Cęleſtino iubente, concurrente Theodoſio Iuniore 53. 728. Annus quo habitum eſt certus, & indubitatus ſtatuitur, 58. & 728.

Euchariſtia.

Euchariſtia quomodò adoretur? 510. Plane Latria. ibi. Species eius quomodo adorentur? ibid. & ſeq.

Eutyches.

Eutychetis hæreſis quæ, & qualis? 14. Proponitur, & declaratur ſublato ſenſu ambiguo. 13. & ſeq.

An fuerit eadem cum hæreſi Apollinaris. 11. 12. 13. Qui ex recentioribus ei adhæreant. 15. Ea perſpicuẽ refutatur. 35. ad 44. Simul cum alijs Apollinaris, & Neſtorij. ibid. ad 52.

F

Filiatio Filius.

FIliationes duæ an ſit in Chriſto: 207. Duæ ſunt; ſed non duo Filij, ibi. & 210. & ſeq.

Filius tantum naturalis eſt Chriſtus, non adoptiuus 213. An poſſit ſuſtineri pars affirmans de Adoptiuo? 217. vide *Chriſtus.*

Finis.

Finis duplex totalis an poſſit per vnam actionem intendi. 156. 166. An concurrerint ad Incarnationẽ verbi? Ib. Qui & quomodo tales fuerint. Ib. & ſeq.

Fomes peccati.

Fomes peccati quid ſit? 154. ad 272. Refelluntur eædem varie Nouantium & nouorum errores. ibid. 259. 288.

Fomes peccati quomodo contractus, & inolitus naturæ? 256. An ſi qualitas morbida? 255. Vtrum ſit mala per ſuam naturam, & eſſentiam? 259. Vtrum fuerit in B. Virgine? 256. De eo uera Auguſtini ſententia 259. 271. Vide Concupiſcentia.

S. Franciſcus.

S. Franciſcus perfecta Chriſti imago. 578. Vtrũ ei aliqua ſpecialis adoratio debeatur? Ibi. Num aliquo modo poſit terminare Latriam? 598. & reliqua.

Franciſcani Ordinis perfectio ſumma. 576. Illius paupertas propria maxima, & perfectiſſima, ibid. Vide Paupertas.

G

Gabriel Pennotus.

GAbriel Pennõttus inſignis ſcriptor Canonicorũ Regularium 615. 616. 625. 640. 676. 691. Baronio interimenti iure aduerſatu, 695. Author ſolidiſſimus. ibid. eius minutæ incogitantię. 691. 726.

Gratia.

Gratia ſanctificãs habitualis fuit in Chriſto. 273. 278.

Gratia an poſſit augeri in infinitum? 274. & ſeq.

Gratia an fuerit ſumma in Chriſto, & quomodo? 275. Gratiæ cum libero arbitrio conſenſio, & concordia. 237. ad 244. Varij motus, & affectus gratiæ. ibid. Oppoſiti & collati cum motibus & effectibus concupiſcentiæ. ibid.

H

HAbitus Auguſtini: laici. 688. Habitus eiuſdem Clericalis. 691. Epiſcopalis ibid.

Habitus Auguſtino Clericalis dono miſſus à Sapida Virgine, 696. Habitus Canonicorum Regulariũ genuinus. 685. Omnino à Cœnobitico alienus. ibidem Eo vſus & quidem communi cum alijs contubernalibus Auguſtinus. 686. 671. vide *Auguſtinus.*

Hæreſes circa Verbi Diuini diuinitatem. 1. 2.

Hæreſis Ariana quæ, & quotuplex. 2. 4. 5.

Hæreſis Arianorum, quæ fuerit? 3.

Hæreſes circa Incarnationẽ verbi diuini, 7. & ſeq.

Hæreſis Neſtorij quæ? 7. 9. 10.

Hæreſis Eutychetis qualis? 11. 12. 13.

Hæreſis Apollinaris an diſtincta fuerit ab hæreſi Eutychetis? 12. 15.

Hæreſes recentiorum Hæreticorum exactè referuntur. 15. 16. Hæreſes omnes iſtæ accuratè refutantur in Apparatu. 7. 8. 9. 13. 14. per multas pag.

Hæreſes iſtæ à quibus Concilijs damnantur? 15. 16. 17. latè à pag. 44. ad 63. Hæretici innominati noſtri temporis argumento conuincerentur. 456.

Hiſpalenſe Concilium refellit hæreſim Neſtorianam, Eutychianam egregie. 44. ad 53. aſſertur integrum. ibi. Homo an poſſit dici aſſumptus. 24. 25.

Honorati Presbyteri ordinatio, & honorum renuntiatio, ac inde orta inter Auguſtinum & Alipium, ac eorum Plebes controuerſia 607.

Humanitas ſine ſuppoſito fuit aſſumpta à Verbo. 25. ad 28. An cum eo poſſet aſſumi? ibi. An meruerit, vel merere potuerit ſuam vnionem hypoſtaticam? 123. & ſeqq. Habeatne propriam exiſtentiam: an exiſtat per exiſtentiam verbis 197. ad 202. an quomodo adoretur Latria? 489. & ſeq. 492.

Humanitas Chriſti habeatne appetitum ad propriam ſubſiſtentiam? 144. ad 149.

Hyperdulia.

Quæ adoratio ſit, & quibus conueniat? 488. Non conuenit proprie vlli Sanctos, ſed ſoli B. Virginis, & humanitati Chriſti Domini per ſe ſumptæ. 486.

I

Ieſuitæ apud Abyſſinos, ſiue Æthiopes prædicant fidem

Digitized by Google

ſdem, 622. Ieſuitarum Patriarchæ, & præcipue Alphonſus Mendezius Luſitanus notus auctorij. 622.

S. Ignatius.

S. Ignatij regula ſimilis regulæ S. Auguſtini, & eiuſdem commendatio, 655.

Ignorantia.

Ignorantia pæna peccati. 353. Quando eſt inuincibilis omninò libera, à peccato. 354. & 358.

Ignorantia myſteriorum fidei inuincibilis, ſiue infidelitas negatiua vtrum detur? 758. ad 360. caret peccato, ibid.

Impeccabilitas.

Impeccabilitas Chriſti Domini, quæ & qualis, & vnde ſit? 343. à 353. Vide *Chriſtus*.

Imperatores.

Imperatores Chriſtiani ſuis decretis damnarunt hæreſes pernicioſas. 41 42.

Incarnatio.

Incarnatio Verbi diuini vtrum fuerit poſita permiſſione peccati, & independenter ab ea? an antecedenter, & independenter ab eiuſdem preuiſione? 149. & ſeq. Incarnationis modus, & ordo & executio ſubtiliter exquiritur, & dilucide explicatur. 191. & ſeq. Vtrum in Incarnatione fuerint prius aſſumptæ ſingulæ partes humanitatis, vel tota humanitas? Ibi.

Quomodo aſſumptum fuerit corpus mediante anima? 192.

Inuiſibilitas.

Inuiſibilitas vtrum ſit propria Dei, & an, & quod ſit argumentum Diuinitatis? 1. 2. & ſeq.

Vtrum ſolus Pater ſit inuiſibilis? ibid. Vtrum aliis perſonis, & quomodo conueniat inuiſibilitas. 16. & ſeq

Iulius.

Iulius Nigronius Ieſuita vtitur exemplo regulæ S. Auguſtini. 655.

Iuſtitia.

Iuſtitia quid ſit? 327. An detur in Deo? 327. & 334

Ex Iuſtitię rigore Chriſtus non meruit. 324. & ſeq. Vide *Deus & Chriſtus*.

L

Laici.

LAici nomen quotuplex ſenſu ſit? 701.

An, & quomodo diſtinguatur a Monaco? 701.

An conueniat perſonæ ſacris initiatæ? certe minoribus conuenire videtur. 701. & ſeq.

Laicorum duo genera Auguſtinus diſtinxit. 701. 702. Laicus quomodo venerit Hipponam Auguſtinus. 698. & ſeq.

Lateranenſes.

Lateranēſes Canonici Regulares primi Eccleſiæ, & antiquiſſimi, & prēſtantiſſimi omniū. 634. & ſeq. Coæui Apoſtolorum ante Lateranenſem Eccleſiam. 634. Eiuſdem cum Apoſtoli inſtituti. 630. ad 638.

In Vaticano prius cum S. Petro, & cæteris vſque ad S. Sylueſtrum Romanis Pontificibus habitarunt, & omnes Canonici erant Regulares. 630. 638.

Lateranenſis Eccleſia præſtantia. 649. ea multò antiquiores Canonici Regulares. Ibid. Ante Auguſtinum floruerunt; imò hic eorum Apoſtolicum inſtitutum amplexus eſt. 639. & ſeq. Canonici Regulares ſunt veri, & germani filij Auguſtini & Ordinis S. Auguſtini Fratres appellari debent. ibid. 647.

Hoc ipſum multis idoneis argumentis probatur. 647. ad 654.

Libertas.

Libertas ad meritum requiritur. 300. & ſeq.

Libertas tum à coactione, tum à neceſſitate ad merendum, & demerendum exigitur. 300.

Libertas Chriſti in merendo quæ fuerit? 301. & ſeq. vide *Chriſtus*.

Libertas cum neceſſitate ineuitabili, & ignorātia inuincibili ſtare nequit. 335. & ſeq. Et rurſum 353.

Libertatis ſchema ex doctrina Auguſtini: 337.

Libertas, & indifferētia an, & quomodo diſtinguātur? Ib. Si ſumatur libertas pro indifferentia in æquilibrio diſtinguuntur. 337. & ſeq.

Deſcribuntur ambę libertas, & indifferētia ſubtiliter & accuratè. 337. ad 345.

Libertas recipit magis, & minus. Indifferentia minimè 334. & ſeq.

Licentius.

Licentius nobilis adoleſcens Romaniani filius, diſcipulus Auguſtini in Rure Caſſiſiaco. 659.

Poetices ſtudioſus. 660. 713.

Licentius non fuit nec Clericus nec Cęnobita. 651.

Licentij ingenium, & indoles 713.

Licentius baptizatus cum Auguſtino. 714.

Licentij in Auguſtinum amor, & reuerentia ibid.

Licentij Carmina afferentur, ponderantur, & examinantur. 715. 717. & ſeq.

Auguſtini contubernalis, & ſocius, & Comes peregrinationis 715.

Licentius deficit à doctrina Auguſtinis, & Romæ ambitioſe, ac luxurioſe viuit. 717.

Reprehenditur à Paulino, & Auguſtino. ib. & 720

Licentius fuit ſemper, & vixit Laicus Auguſtino relicto. Ibid. Carmen illius male intellectum a multis exponitur. 715. Carminis eiuſdem ab Auguſtinū dati errores deteguntur, & numerantur. 717. 718.

Licentius propinquus Alipij. 719. Paulini, & Auguſtini ad Licentiū, & Romanianū patrem litterę exhortatorię, & increpatorię. 717. ad 719.

Licentij ætas. 719. 790.

Lux.

Lux primigenia Mundi creati quænam fuerit? 648. Quomodo Solem anteceſſerit, & dies diſtinxerit? Ib. Ex ea Solem fuiſſe conditum quatenus certum ſit. Ib.

Lux primigenia fuit ſymbolum Ordinis Canonicorum Regularium. 643. 549. Lux Solis poſteà quarta die creati ſymbolum Auguſtini.

M

Manichæi.

MAnichæorum error circa Incarnationem filij Dei. 8. Manichæorum hæreſis circa naturam eſentia ſua malam, & circa concupiſcentiam malam item ſua natura. 259. ad 272. Manichæorum variæ hæreſes aperiuntur, & refutantur. Ibid. & 349. & ſeq.

Maria Virgo.

Maria virgo verè ac propriè eſt & dicitur Mater Dei contra Neſtorium. Propriè Theotocos, & quomodo. Ibidem. 36. 37. copioſè.

Idem oſtenditur è Concilijs & Patribus. Ibid. & 47. & Iterum 189. & 190.

Maria Virgo electa, & prædeſtinata ab æterno Mater Dei ſimul cum Chriſto. 169. Fuit prædeſtinata ſimul cum Chriſto, & ante, & poſt præuiſionem peccati. ibid. & 171. vſque 176. Chriſtus fuit cauſa meritoria prædeſtinationis B. V. cum independentia ex parte Chriſti. ibid. Vtraque prædeſtinatio diſtinctè cum ſuis decretis & ſignis & poſito, & præciſo peccato proponitur. 269. ad 173.

Maria Virgo ſemper extitit immunis à macula

originalis peccati.Ibid.& quomodo. Rurſum latiſſimè a pag.361.vſque ad pag.480. vide Conceptio.
B. Virgo non meruit ſuam prædeſtinationem ac maternitatem Dei,nec mereri potuit.173. B. Virgo prius fuit electa ad maternitatem Dei, quam ad gratiam & gloriam.173.174.& ſeq.ad 182. Beata Maria Virgo qua ratione dicatur vulgo meruiſſe eſſe Mater Dei 180.& ſeq. Vtrum meruerit circunſtantias incarnationis, &c.184.185. An concurrerit actiuè ad generationem Chriſti? 188.vſque ad.190. Affirmatiue & quomodo? Ib.Præſtitit quod præſtare ſolent aliæ matres erga ſuos Filios.190.& 90.& ſeq.
Mariæ V.quænā conueniant adoratio?500.& ſeq.
Beatæ Virgini debita eſt adoratio hyperduliç. Ibi. An aliquo modo poſſit adorari Latria?503.& ſeq.
De B.Virgine Maria quomodo intelligatur Antiph.*Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo?* 503.504.

Mater.

Matres concurrunt actiuè ad generationem Filiorum.189.204.209.

Mendicantium Ordines.

Eorum altiſſimum inſtitutum aſſertur deſcribitur commendatur.516.& ſeq.
Ordinum Mendicantiū omnium præſtantiſſimus Franciſcanus. Ibid. & ſeqq.

Meritum.

Meritum quas conditiones requirat? 300.
Meritum Chriſti eas omnes habuit. Ib. & ſeq. vide *Chriſtus.*
Meritum Chriſti an fuerit infinitum 111.& ſeqq. Vtrum ex rigore Iuſtitiæ? 331.ad 334.Vide *Chriſtus.*
Merita noſtra ſunt Dona Dei.324.& ſeq.

Minorum Ordo.

Minorum Fratrum Obſeruantium eadem eſt atq; Diſcalceatorum Hiſpanorum: Reformatorum Italorum,& Capuccinorum Paupertas. 580.581. eiuſdē exemplum inſignæ Romę cum ſententia in fauorem Obſeruantium qua in cauſa huiuſce operis auctor, laborauit,& ſcripſit,& vicit. Ibid.

Monachi.

Monachi, & Fratres dicūtur Canonici Regulares apud S.Auguſtinum.676.680.708.720.724. Monachi,& Monaſteria quæ fuerunt in Africa?679.680.704.Monaſterium,& Monachatus quem obijcit Petilianus Auguſtino fuit Canonicorum Regulariū.678.722.Monaſterium duplex ab Auguſtino fundatum Canonici regularis inſtituti fuit. 678.ad 687. rurſum 692.ad 604.& ſeq. Frater, & Canonicus Regularis,& Monachus(quæ perinde ſunt) fuit Alipius cum Auguſtino apud Hipponem ante Epiſcopatum 707.& is poſtea ædificauit Tagaſte Monaſterium Canonicorū Regulariū.707.708.709.ad 711.Iterum 724. Monachi Syri an fuerint Eutychiani? 14.

Monica.

Monica mater Auguſtini in Rure Caſſiſiaco cum eo & Alipio & diſcipulis piè viuit,& ſanctè exercetur.669. Monicæ in Auguſtinus in coſeceſſic officia, & obſequia. Ibidem.
Monicę morbus apud oſtia Tiberina 660.Eiuſdem moriturę ad filium Auguſtinum verba .664.
Monicæ Itinerarium cum Auguſtino, & ſociis Mediolano Romam, & Oſtiam exactiſſimum exhibetur.724.vſque ad 729.
Monicæ ægritudo deſcribitur, & tempus quo decubuit notatio,& obitus narratur .725.726.727.

N

Natura.

NAtura vna creata an poſſit aſſumi à pluribus perſonis,ſiue creatis,ſiue Diuinis? 27.78.& ſeq.
Natura amiſſa ſubſiſtentia omnino peribit.31.32.
Naturæ plures an poſſit aſſumi ad vnam perſonā diuinā? 88, &c. Si vna perſona diuina aſſumeret tres naturas, tres homines eſſent. 90. 91. Natura creata vtrum poſſit aſſumi ad perſonam creatā? 95. & ſeq. Non implicare contradictionē probatur. 99.ad 103.
Natura perſonata vtrum poſſit aſſumi ad perſonam Diuinam? 138.& ſeq.
Natura humana Chriſti an potuerit mereri ſuam aſſumptionem ad perſonam Verbi Diuini? 173. & ſeq. An fuerit illa prædeſtinata etiamſi non eſſet perſona? 169. Natura bona eſt per ſe, & bona condita, ſed quia ex nihilo creata eſt defectibilis peccaret, & peccabilis eſt non ex vi alicuius principij poſitiui naturalis ingeniti,263.662. vide *Peccatum.*

Neceſſitas.

Neceſſitas omnis ineuitabilis prorſus tollit libertatem. 336. &c.

Neſtorius.

Neſtorij perſona deſcribitur. 8. Neſtorij hæreſis proponitur.9. 10. Neſtorii error impugnatur,23.ad 29. Neſtorium qui noui hæreticis ſequantur. 25.

Nuditas pedum.

Nudipedes an fuerit Apoſtoli 585.Vtrum ijs permiſſa ſandalia? Ibidem.

O

ORatio neceſſaria ad perſeuerantiam etiam in Adamo ante lapſum? 272. Non fruſtra oraret petens a Deo perſeuerantiam. Ibid. Nec oppoſitum dixit Auguſtinus. Ibid.

P

Pater Æternus.

PAter Æternus an ſit ſolus inuiſibilis per naturam? pag.1.quid Hæretici putent? 1. 2.

Patres.

Patres antiqui vtrum meruerint circumſtantiæ Incarnationis & accelerationem illius? 183.& ſeq.
Patres Societatis Ieſu in Æthiopia pro fide propaganda,622.Patriarcha ex eo Ordine apud Æthiopas. Ibidem.

Patriarcha.

Patriarchæ qui, quales? ſed non æquales. 61. Patriarcha Romanus Primus.Ibi.62. Hic Patriarcha vniuerſalis dictus.60.Non alius propter Cathedram, & Sedem Romanam.61.62.
Paulini cum Auguſtino amicitia.717.mutuæ inter eos litteræ. Ibid.728.ſtudium eius pro conuerſione Licentij diſcipuli Auguſtini. Ibid. Scribit ad Romanianum Patrem Licentij & ad eundem.ibidem,& ad Alipium familiariter.712.De illius genere, ſtatu geſtis inquirit ſignificās de eo de hiſtoriā cogitare.712.
Paupertas quotuplex & qualis? 577. & ſeqq. quæ fuerit Mendicantium? Ibid.An admittat Dominium in commune? 577.581. quam fuerit Chriſtus profeſſus? ibid. quam Apoſtoli? ibid. S. Franciſci ſumma & perfectiſſima extitit. 581. An eam tradiderit Chriſtus?82. Vtrum ſolam, vel etiam aliam cum dominio communi. 579. Paupertatis votum vtrum emiſerint Apoſtoli. ibi. vide *Apoſtoli*. Paupertas quam profeſſus Auguſtinus in ſua Regula propria Apoſtolorum. 641. & ex eo colligitur vel aduerſarijs fatentibus illud genus paupertatis nō quadrare in Cęnobitas.681
cum

Digitized by Google

Cur profunda à Poſſidonio appelletur? ibid.

Peccatum.

Peccatum an fuerit, aut potuerit eſſe in Chriſto? 243. ad 253. vide *Chriſtus*.

Peccandi radix eſt defectibilitas & nihileitas naturæ creatæ. 663. 667. & ita docet Auguſtinus. ibid.

Ponere radicem peccandi in aliquo poſitiuo naturæ eſt Manichæum dogma & manifeſte contra Auguſtinum. ibid.

Petiliani Donatiſtæ calumnia in Auguſtinum ob monaſteria inducta in Africam 678. Eius petulantia in Auguſtinum ob eandem cauſam 722. de quo genere Monaſteriorum loquatur Petilianus ibi. Latè & accuratè ad 724. Monaſterium illud erat Canonicorum Regularium ibid. quod multis argumentis oſtēditur. ibi. Petilini petulantia in Auguſtinum in affingendis Auguſtino flagitiis enormibus. 723.

Pinianus quis? 708. Controuerſia ſuper eius ordinatione, & bonis per eam ad Eccleſiam venturis. ibi. & ſeq. quærelæ Matrius ilius Albinæ, & cum Auguſtino expoſtulatio, ib. inter Auguſtinum & Alipium, & hunc & plebem Hipponenſem concertatio. ibid.

Pontifex Romanus Patriarcha vniuerſalis & caput omnium appellatus. 62. vide *Romanus Pontifex*.

Poſſidonius defenditur à cenſura Baronii. 693. & ſeq. explicatur de duobus primis Monaſterijs Clericorum Regularium Auguſtini narratio. Ibid. Manifeſte diſtinxit duo Monaſteria. Ibid.

Prædeſtinatus Filius Dei dici non poſſit Chriſtus. 237. ad 241. fueritne prius prædeſtinatus ad vnionem vel ad gloriam? 234. 235. & ſeq.

Priſcillianiſtæ Hæretici circa Incarnationem. 8.

Prodianitæ Hæretici quinam fuerint? qui Prodianitæ, ſeu Hermiatitæ. 8.

Pueri nomen quo ſenſu ſumatur in ſcripturis? 220. 221. Puer Chriſtus an appelletur in Euangelio? 220.

Perſeuerantia quod ſit donum? 273. Sit ne pœna peccati originalis eius priuatio? ibid. 273. An peccati actualis? ibid. Vtrum Deus neget homini bene operanti auxilium proximum & remotum ex vi peccati originalis ad perſeuerandum? Ibid. Quomodo Deus non deſerat hominem, antequam deſeratur ab eo? ibid.

Perſona creata an poſſit aſſumi? 26. 27. 138. &c. Perſonalitas ſi conſtat in poſitiuo vtrum ſit aſſumptibilis? Ibid. Affirmatiuè. Si in negatiuo, negatiuè cum Scoto. 139. ad 144.

R

Regula.

REgula ab Auguſtino tradita Canonicis Regularibus primo, ac directè, 642. & ſeqq. probatur ex Bullis Paparum. 651. &c oſtenditur multis argumentis. 773. & ſeq. Id ex ipſamet regula deſcripta, & expenſa monſtratur. 681. ad 688. Data è Cælo per manum Auguſtini S. Noberto Premonſtratenſi. 636. 655. Regulæ Auguſtini præſtantia, & excellentia, ibid. & 654. & ſeq. Diuina a ſummis Pontificibus appellata. 654. & ſeq. Ea per capita ſua accuratè exponitur. 654. ad 657. eam diuiſit in capita Hugo a S. Victore 655. Qui & quot ſub ea Ordines militant. ibi. Viam Regiam appellat S. Thomas, & Clericis datam affirmat. 655.

Romanianus.

Romanianus nobilis Patricius Tagaſtenſis Vir memorabilis. 720. Amiciſſimus Auguſtini, & illius ſtudiorū auctor, & adiutor. 721. ad eum ſcribunt Paulinus, & Auguſtinus. 717. de eo ſcribit Auguſtinus in ſuis libris honorifice, eique librum dedicat. 718. Ab eo ſe ornatum fatetur erga eundem gratiſſimus. 721. Propinquus Alipij. 718. Apud eum relicta diſciplina Auguſtini manſit cum vxore ſua Licentius 719. Quod probabiliter ſtatuitur. Ibid.

Romanus Pontifex.

Romanus Pontifex ratione Sedis à Petro Romæ proprie, ac ſtabilibiliter poſitæ habet in vniuerſa Eccleſia primatum. 61. 62.

Roma Ciuitas non contulit Primatum Eccleſiæ Pontifici Romano propter dignitatem Vrbis. Ibid.

Romanus Epiſcopus eſt propter ſuam Romani, & Apoſtolicam Sedem ſummus, & vniuerſalis Eccleſiæ Papa, itaut Papatus ſequatur ex Sede Romana. Quare Romanus Epiſcopus Romanus Patriarcha Papa eſt virtute Cathedræ Romanæ. 61. 62.

Falſo ſibi arrogarunt Principatum Patriarchæ Conſtantinopolitani propter vrbis præſtantiam. Ibidem.

S

Sandalia.

SAndalia quæ? 585. Num ea Chriſtus geſtauerit, & Apoſtoli? 590.

Sanguis.

Sanguis Chriſti an fuerit immediate aſſumptus & vnitus verbo omnino? 196. & vtrum id ſit de Fide? Ibid. & ſeq. Num triduo mortis Chriſti fuerit dimiſſum à Verbo? 196.

Satisfactio.

Satisfactio Chriſti fuerit ne infinita? 311. ad 317. ex rigore Iuſtitię. 321. ad 334. Neutra fuiſſe oſtenditur. Fuiſſe tamen ſufficiens probatur. Ibi.

Scientia.

Scientia in Chriſto quotuplex? 192. 298. Quę ſit ſcientia per ſe, & per accidens infuſa? 292. &c. Quę obiecta eius ſpecies habeant? 292. ad 298. Sciētia per ſe, & per accidens infuſa quomodo differant? 292. &c. An eadem obiecta per alienas ſcientias cognoſci poſſint? Ibid. A perſonis, & principijs diuerſarum ſpecierum poſſunt prodire cognitiones eiuſdem ſpeciei. 294. Vnde hoc proueniat? 294. Scientia Chriſti quomodo res obiectas cognouerit. 296. &c. & per quas ſpecies? ibid.

Signa.

Signa Decreti Diuini prædeſtinantis Incarnationem verbi exactè afferuntur. 158. & ſeq. & 169.

Signa in quibus prædeſtinatus Chriſtus, & Maria Virgo eius Mater? 62. & ſeq.

Sol.

Sol initio mundi è primigenia luce, & poſt illam die quarta conſtitutus. 648. 649.

Fuit paradigma S. Auguſtini reſpectu Ordinis Canonicorum Regularium. ibidem.

Status.

Status Chriſtianæ vitæ qui, & quales ſint? 569. Omnes ſunt à Chriſto Domino inſtituti, & traditi. 573. Communis Laicorū proponitur. 570. Proprius perfectorum adducitur. 571. Horum formæ & ſpecies numerantur. 573. ad 579. Vide *Status* particularis Religioſorum.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia quid ſit? 26. An quid poſitiuum vel negatiuum? 65. ad 78. Illud Schola Thomiſtica Hoc Scotus tenet. ibi. Poſitiua impugnatur. 69. & 72. ad 77. Defenditur 79. 71. & 72. Præfertur negatiua. 76. 77.

Sub-

Digitized by Google

Subſiſtentia in Deo abſoluta vtrum detur in Deo? & vtrum poſſit ad illam aſſumi natura creata. 86.87.

Subſiſtentia an poſſit per ſe aſſumi ad perſonam. 138. ad. 144. vtrum natura aſſumpta habeat appetitum ad propriam ſubſiſtentiam? 144. ad 146.

Suppoſitum creatum an poſſit aſſumere naturam creatam? 95. &c.

T

Terminus.

TErminus vnionis Hypoſtaticæ eſt quid Relatiuum, non abſolutum. 108.109.

Id ſuadetur teſtimoniis Patrum. Ibid.

Theodoſius.

Teodoſius Iunior Imperator ſcribit ad Auguſtinum. 728.

Theodoſij litteræ examinantur, & cum alijs eiuſdem Imperatoris conferuntur. ibid.

Ex harum collatione colligitur annus certus mortis Auguſtini. ibid.

Tropita.

Tropitarum error qui, & qualis. 9.

V.

Valerius.

VAlerius Senex Epiſcopus Hipponenſis excipit, & ordinat inuitum Auguſtinum. 667. & ſeqq. Aſſignat Auguſtino locum ad ædificandum primum Monaſterium Canonicorum Regularium. 673. 689. 698. & ſeqq. 724. Locus Monaſterii affertur, & ſuſtinetur, & explicatur. 695.

Vbiquiſtæ.

Vbiquiſtæ qui, & quæ hæreſis eorum. 16. Vere ac euidenter confutantur. 34. 35.

Verbum Dei.

Verbum Dei vtrum & quatenus ſit inuiſibile, ac viſibile. pag. 1. & ſeq.

Verbum Diuinum non aſſumpſit hominem: ſed humanitatem. 24. ad 30. An incarnaret ſi Adam non peccaret? 149. & ſeq.

Viſio Dei.

Viſionem Dei intuitiuam, qui negent? pag. 3.

An aliqua item Patres? Ibid.

Viſio Dei quomodo diſtinguatur à comprehenſione? ibid.

Viſio Dei an ex intrinſecis principiis debeatur vnioni hypoſtatica. 134. & ſeq.

Vita.

Vita Chriſtiana conſtat præceptis conſiliis. 589. & ſeqq. Schemata illius, & paradigmata. 571. Vitam communem omnibus Chriſtianis geſſit Chriſtus. 573. Et ſimul duxit perfectam. ibid. & ſeq. Vita Canonicorum Regularium à Chriſto inſtituta. 573. 594.595. & ſeq. rurſus 606. 607. ab eodem Apoſtolis tradita. Ibidem.

Vnio Hypoſtatica.

Vnio Hypoſtatica quid ſit abſolutum an Relatiuum? 111. ad 117. Vtrum & quatenus diſtinguatur ab aſſumptione. ibid. Vnio Hypoſtatica quomodo facta ſit. 111. Eſt relatio. ibid. & ſeqq. An ſit ſubſtantialis, vel accidentalis. Late & accuratè tractatur. 117. ad 124. Videtur eſſe ſubſtantialis, idque magis eſſe conforme Scoto. 120. & ſeq. Reſpondetur omnibus obiectionibus contrariis. Ibid.

Vnionis Hypoſtaticæ terminus formalis quis ſit? quid abſolutum, an relatiuum? 104. & ſeq. Relatiuum. ibid. non autem abſolutum, & probatur cum Scoto, & Patribus. 108. 109.

Vnio Hypoſtatica ſit ne maxima vnionum: & quomodo? 126. ad 127. In genere nexus arcti et intime non eſt maxima: in genere nobilitatis extremorum eſt maxima. Ibidem. In genere doni vtraque eſt ſumma. Ibidem.

Vnioni Hypoſtatica an ſit neceſſaria coniuncta Fruitio? 134. ad 137.

Votum.

Vota tria Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ ſolemnia propria ſtatus Religioſi Chriſtus inſtituit & tradidit. 597. Apoſtoli ea emiſerunt. 599. & ſeqq.

FINIS INDEX.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 70. titulo ſectionis *Negatiuo* lege Affirmatiuo. 363. *fereas* lege feras. 376. *Pergo me*. Vergo ire. 401. *à Caietanum*. à Caietano. 457. *exalam*. lege palam. 473. *redemptor*. l. redemptos. 476. *minica*. l. inimica. 496 *appellant*. apellam Pag. 462 Corrige ſententiam de Virga Aaron quam nego floruiſſe ſecutus lectionem Pauli *Fronduerat*; cum tamen illa etiam flores emiſerit. Intellige non floruiſſe inſtar Virginis Virgæ Ieſſe, quæ tota floruit & flos ex integro fuit, *Flos de radice eius aſcendet*.

Errata enormia ſic corrige, quæ ſunt in vltimo tractatu de Inſtitutione vitæ Chriſti.

Pag. 571. lin. 10. *Seruit* lege ſtrauit. 582. lin. 12. à fine *morem* vſum. 575. *Pamburum* l. Pambum. 583. lin. 26. *Euangelicam*. Euangelica. 584. lin. vlt. *neq*; ne. 585. lin. 1. *hæ*. Hi. 587. lin. 20. poſt vocem Apoſtoli adde *Qui ſunt* 548. lin. à fine 16. poſt vocem quidem adde *vnguem*. 593. lin. 15. *inter*. met. 594. lin. 14. *En*. Sed. 595. lin. vlt. 1. columnæ *cunctè*. ipſas. 596. lin. à fine 8. *Actiphonas cum*. Archiphonaſcum. 597. lin. 10. *innattam*. innatum. 161. col. 2. lin. 19. *cum*. eam. 611. lin. 12. col. 1. *quot à* quota. 610. col. 1. lin. 11. *Habet*. Inter. 616. col. 1. lin. 17. *emanaſſe*, emanarint. 161. paulo poſt *timidiores* ſimiliores. 618. lin 7. col. 1. *vt* in 620. col. 1. lin. 27. *præcenſione* precentore. 622. lin. 18. *litteratę*. litteraturæ 623. col. 2. lin. à fine 23. *Sanctiſſi*. Sanctiſſimos. 627. col. 1. lin. 17. *Aliam*. Illa. 628. lin. 16. col. 2. Theodorus adde *Chryſogonus*. 630. col. 1. lin. à fin. vltima *liuore effluit*. Liuor effecit. 639. col. 1. lin. 9. *eſt* fuerit. 16. *prę more* præſtare. 636. col. 2. lin. 23. *præci*. præciſi. 647. col. 2. lin. 4. *in annos prope ducentos, poſt ſeſquiſæculum*. ibi paulo poſt *intentione*. Interruptione. 631. in tit. *veritate* veritas 657. col. 1. lin. 2. *ſopiat* ſapiat. 660. col. 1. lin. 21. *vero* vno. 662. col. 2. 8. *& hanc* vllam. 664. col. 2. lin. 16. à fin. *à partum*. ad partum. 667. col. 1. lin. 14. *Regulariter*. adde ergo 673. col. 2. lin. 15. *incuſſentis* inuiſentis 680. col. 2. lin. 3. *addimiſſe* addi poſſe 689 col. 2. lin. 12. à fine *manſiſſe* tranſiiſſe. 691. col. 1. lin. 3. *vendit* vendo. infra *Lauram* lacernam. rurſus ib. *Metaſtis* Meloris 695 col. 1. lin. 29. *ne ſe*. niſi. 695. col. 1. lin. 5. ad fin. conſtrue ſic *cum eodem Sancto viro* 704. col. 2. lin. 26. *x1*. 81. ibi infra *Caleciij* Cilicij. ibi rurſus *duo* dico. 705 col. 1. lin. 14. iuſto. inter. ib. *de* vide 706 col. 1. lin. 16. *Deo te*. 708. col. 1. lin. 7. *euadit*. Euodij. 701. col. 2. lin. 12. *Eccleſiæ*. pro Eccleſiæ 713. col. 2. à fin. lin. 8. *imitabunt* incitabant. 719. col. 1. lin. 5. *niſi* adde *intelligit*. ib. col. 2. lin. 26. *Scutias* ſentias 720. col. 1. lin. 2. *vſus* & ſibi 717. col. 1. à fine lin. 6. *licuiſſe* lapſum, ib. col. 2. lin. 10. *quia* quos ib. lin. à fine 9. *ex dactylis*. conſtet ex dactylis. 718. col. 1. à fine lin. 6. *oberrares à chordę* aberrares à chorda. ibid. lin. vltima *aſtro* æſtro. ibid. col. 2. lin. 1. *ijs* eo. ibi. lin. à fine. 9. *viuere* vixiſſe. ibi *quam* quem. 720. col. 1. lin. 6. 38x. BB. 388. ibi infra 394. 395. 721. col. 2. lin 4. à fine. *c. 4*. c. 40. 722. col. 1. lin. vltima. *eius*. eis. ibid. col. 2. ibid. col. 2. lin. 7. *quæ* quam. ibid. lin. 12. *multis* multi Sancti. 723. col. 1. lin. 1. *nacum* Monachum. ibid. lin. 19. *datrum* datum. ibid. lin. 22. *quod* quare. & lin. ſeq. *præteritum* præteriturum. 723. col. 2. lin. 20. *vitæ* mei. 724. col. 2. linea à fin. 21. *ue* ne. ibi. col. 2. lin. 24. *redificati* reædificato.

Digitized by Google

ædificato. 725.col.2.lin.14. *ſuæ* interpone, ante vocem ſequentem.ib. à fin. lin. 10. *perucnitum* peruentum. 726. col.1. lin.8. *calculis* calculos. ibid. lin. vlt. *relinquo* relinque.727.col.1. lin.3. 348.388. ibi.col.2.lin.6. *decenſis* decurſum. ibid. lin. 17. *Ex tribus* ex tritus. infra. *ſupputando* ſupputandi. rurſus *illis* illos 728.col. 1. lin. 13. *clarum* clauum. ibi. lin. 18. *miſiſſe* miſſæ ibid. col.2.lin.8. *appellato* appellatio. & col. 2.lin.28. *reſcire* reſcire? 729.col.1. lin. 23. *ita*. Ita.730.col.2.lin.12. *quas* quę. ibid. lin. 16. *quique res* quæque in pag.329. col.2. lin. 16. Florentinum, adde Anconitanum. pag.510. lin. 18. *commencionatores Lugenſes*. *Cenſuriatores*. comminiſcuntur Magdeburgenſe Centuriatores.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-5-2

Digitized by Google